


IVDICIORVM DIVINORVM QVÆ DEVS IN HOC MVNDO EXERCET

TOMVS SECVNDVS.


Auctore

GEORGIO STENGELIO

SOCIETATIS IESV

THEOLOGO.

PP.rum Eremitarum Camaldulen. Eremi Vigrensis.



Omnia iudicia eius, in conspectu meo. Psal. 17. 23.

Cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis, & Permissu Superiorum.

Ingolstadij, Apud GEORGIVM HÆNLIN.

ANNO M. DC. LI.

DE

IVDI

Diu



etiam

vt fate

dum a

mul &

solùm

erga

seretu

que.

quàm

rè præ

nid affi

diam

verita

sempe

cio; n

cieta

mixt

ctus

Dev

laud

spe

conce

DE ÆQVITATE, ET BONITATE IVDICIORVM, QVÆ EX DIVINA IRA IVSTITIAQVE, IN HOC MVNDO, ORTA CENSENTVR.

CAPVT I.

Diuinam Bonitatem pariter iustam, & Iustitiam, etiam cùm punit, simul bonam esse.



QVI DEVM, in Mundo, esse credit, si verè credit omnipotentem, rebus omnibus præsentem, omnia prouidentem, omnia gubernantem; non tantùm summè beneficum, & hominum bonorum amantem, sed etiam maximè justum, atque sceleribus irascentem esse, necesse est, vt fateatur. Quod alio loco docuimus; & docet Regius Propheta, dum ait: *Misericordiam, & judicium cantabo tibi.* Hæc vtraque simul & cantanda DEO, & hominibus inculcanda sunt; quia non solùm, in illo Ente simplicissimo, vnum sunt; sed etiam, quando erga mortales sese, diuersis operibus, exerunt, non separantur. Miseretur enim pariter justè DEVS, & misericorditer judicat plectitque. Vsque adeò, vt etiam nocentissimos quosque minùs puniat, quàm puniri mereantur. Hoc est, quod Habacuc paradoxè, sed verè prædicat: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Hoc Dauid affirmat; docens enim, ex omnibus DEI operibus, misericordiam & justitiam elucere, ait: *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Cui assonat Cassiodorus, ita scribens: *Potestas Domini semper aut miseretur, aut judicat. Sed neq; misericordia ipsius, sine judicio; neq; judicium, sine misericordia reperitur. Vtraq; enim se mutuâ societate coniungunt.* Hæc est pulcherrima, in simplicissimo Numine, mixtura, vt vna virtus alteram commendet; & vtrinque suus fructus existat, ac decor. Quapropter justus Iob, & benefacientem DEVM, & verberantem expertus, in vtraque fortuna, diuinam dilaudauit bonitatem; &, quemadmodum non exorbitauit, in prosperis, ita, neque in aduersis, voluit cœlo formulam intendere.

I. — L. 1. cap. 8. de diuin. judicijs. Psal. 100. 1. — Habac. 3. 2. — Psalm. 24. 10. — Cassiodor. in Psal. 100. — Iob. 1. 21.

Vt in fidibus, ac tibijs, atq; cantu ipso, ac vocibus, inquit Tullius, *concentus est quidam tenendus, ex distinctis sonis, isq; concentus, ex dissimil-*

II. — Cic. lib. 2. de Rep.

millimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur, & congruens: sic summis, & infimis, & medijs interiectis ordinibus, vt sonis, moderata ratione ciuitas, consensu dissimillimorum, consistit: & quæ harmonia à Musicis dicitur, in cantu, ea est in ciuitate concordia, quæ sine justitia, nullo pacto esse potest. Pari pacto prisci mortales scripserunt, *& docuerunt, absq; justitia, Principatum gerere, ne Iouem quidem ipsum posse.*

Plutarch. lib. de doctr. Princip.

III. *Quod si religio tolli non potest,* inquit Lactantius, *vt & sapientiam, quâ distamus a belluis, & justitiã retineamus, quâ communis vita sit tutior: quomodo religio ipsa sine metu teneri ac custodiri potest? Quod enim non metuitur, contemnitur: quod contemnitur, vtiq; non colitur. ita fit, vt religio, & maiestas, & honor metu constet; metus autem non est, vbi nullus irascitur. Siue igitur gratiam Deo, siue iram, siue vtrumq; detraxeris; religionem tolli necesse est: sine qua, vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur. Multùm enim refrænat homines conscientia, si credamus nos, in conspectu Dei, viuere: si non tantùm, quæ gerimus, videri desuper, sed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri à Deo putemus.* Sicut ergo fundamentum est, & primus religionis gradus, *Credere Deum, vbiq; præsentem;* sicut alter gradus est, *Credere non modo præsentem, sed etiam omnia videntem, & prouidentem, suosq;, neq; in ijs, quæ ad vitam, neq; quæ ad famam, neq; quæ ad pacem, neq; quæ ad salutem pertinent* (quæ omnia ingentem in hominibus spem ædificant) *destituentem,* ita necesse est, *credere, eiusdem justitiam atq; iram* sceleribus humanis imminentem, vt fructuosè metuamus.

Lactant. lib. de ira Dei. Cap. 8.

IV. Hic ergo rursus quorundam improborum scopulus est, quem recta sapientes, cum laude & lucro, declinant. Nam mali, cùm mala vident, in orbe, quæ meruerunt, vel casu ea euenire, vel immerentibus immitti arbitrantur. Quare naufragium faciunt, quia non aspiciunt ad diuinæ justitiæ cynosuram. Hoc est, quod velut optando prædicit Propheta: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Non enim vident, se, quia mali sunt, mala commeruisse. *Curuum pecus,* cuius dorsum, dum in terram arcuatur, oculi quoque deorsum declinati nequeunt sursum, atque ea, quæ de cœlo veniunt, intueri. Hinc feriri se sentiunt, puniri non animaduertunt. Hinc plagam aspiciunt, pœnam non agnoscunt. Quid fiat, non cur fiat, considerant. Hinc murmurant,

Psalm. 68. 24.

vt pec-

vt peccatum suum impatientiâ cumulent. Quapropter ibidem dicitur: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam;* non enim digni sunt videre justitiæ diuinæ arcana, vt, dum puniuntur, DEO dent gloriam, eúmque, de æquitate laudent, qui vitam suam mille sceleribus refertam, volunt jactare, nolunt emendare. Bonis autem omnia cooperantur in bonum. Vnde, etiam in ipsis malis, DEVM agnoscunt bonum esse. Bonus enim est, qui plectit ad momentum, vt parcat in æternum. Hæc judicia illius sunt; hoc regnum est eius, quod in hoc mundo, neque sine supplicijs, neque sine præmijs consistit; siue enim miserando succurrit, siue irascendo plectit, semper regnat DEVS, regitq; & sperantes metu, ne præsumant; & metuentes spe, ne deficiant, animúmque despondeant.

Fructum eundem enucleatiùs ostendit D. Augustinus, his verbis. *Ex vtroq; homines periclitantur, & sperando, & desperando: contrarijs rebus, contrarijs affectionibus. Sperando quis decipitur; qui dicit: bonus est Deus, misericors est Deus, faciam, quod mihi placet, quod lubet: laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ. Quare hoc? quia misericors est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui, cùm inciderint in grauia peccata, putantes, sibi iam non posse ignosci pœnitentibus, & statuentes, se ad damnationem, sine dubio, esse destinatos; dicunt, apud semetipsos: iam damnandi sumus, quare non, quod volumus, facimus? animo gladiatorum ferro destinatorum. ideò molesti sunt destinati, iam enim, quod timeant, non habent, & vehementer timendi sunt. Istos desperatio necat, spes illos; inter spem & desperationem, fluctuat animus. Metuendum est, ne te occidat spes: &, cùm multùm speras de misericordia, incidas in iuidiam. Metuendum est rursus, ne te occidat desperatio, &, cùm putas, iam tibi non ignosci, quæ grauia commisisti, non agas pœnitentiam, & incurras in judicem sapientiam, quæ dicit: Et ego vestræ perditioni superridebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus vtroq; morbo? illis, qui spe periclitantur, hoc dicit: Ne tardes conuerti ad Dominum, neq; differas de die in diem. subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Illis, qui desperatione periclitantur, quid dicit? In quacunq; die, iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar. Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: propter*

V. S. Augustin. tract. 33. in Euang.

Eccl. 5.

Ezech. 18.

illos, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Inter spem & metum ergo viuimus; vt vtrinque vtrumque conseruetur. Metus facit, ne spes erumpat in temeritatem: spes cauet, ne metus degeneret in desperationem. Spem porrò incendunt judicia Diuinæ miserationis: metum injiciunt cœlestis iræ, justitiæque exempla. Sic homo in æquilibrio incedit, & *medio tutißimus* it ad æternitatem.

VI. S. Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Philem.

Vnde clarum fit, quàm grauiter hallucinatus sit Marcionita ille, qui idcircò bonitatem Deo abrogabat, quia videbat, ab illo plecti delinquentes: quem proinde D. Chrysostomus meritò prolixè castigat. Qua in hæresi etiam ipse Marcion fuit, qui Devm à Creatore distinguebat, quòd hic, non ille plecteret, atque idcircò bonus non esset, *immobilem*, vt ait Tertullianus, *ac stupentem Deum, consiliario Epicuro, commentus; cùm tamen certum sit,* vt idem addit, *Deum non aliàs plenè bonum fore, nisi mali sit æmulus; vti boni amorem odio mali exerceat, & boni tutelam expugnatione mali impleat. Quis enim boni auctor, nisi & exactor?* Philippum Herodis Antipæ fratrem, qui præfuit 30. annis Trachonitidi, refert Iosephus, quoties domo progrederetur, iter cum paucis selectis fecisse comitibus, subsequente sella, in qua jus reddere solebat; ac si quis ex occursu opem eius imploraret, sine dilatione, mox, sellâ posita, residentem caussas cognouisse, aut sontes damnaturum, aut absoluturum innoxios. Ad eundem modum Devs *parauit in judicio thronum suum;* neq; enim aliter tueretur innocentes, aut impios à sceleribus auerteret, quàm hac *ægrotantium animarum diæta*, vt ait Clemens Alexandrinus.

Tertull. lib. 1. contra Marcion. cap. 25. Ibid. cap. 26.

Ioseph. lib. 18. cap. 16.

Psalm. 9. 8.

Clem. Alex. 1. Pædog. c. 8.

VII.

Itaq; non tantùm bona est diuina iustitia iniuriam patienti, sed etiam ipsi iniuriarum authori, quem vel sanat, vel coërcet, ne magis insaniat. Est enim beneficium, alterum ab insania cohibere, & obstare, ne magis insaniat. Theodoreto teste, Iulianus Orientis Præfectus, iussu Iuliani apostatæ, cum alijs, templum Christianorum, ad sacra vasa diripienda, ingressus, sacrilegâ petulantiâ, aduersus sacram aram, instar canis, minxit: Euzoio insuper eum ab impudenti facto prohibere conanti excussissimum colaphum infregit, dicens: *Res Christianorum diuina cura ac prouidentia prorsus esse destitutas.* Hæc illi impietas non diu impunita

Theodoret. part. 3. hist. Eccl. cap. 11. & 12.

fuit.

fuit. sensit illico, se in vindictam Dei, velut vespertilionem in obuium ensem, incurrisse. Nam confestim graui morbo correptus, visceribns putredine exesis, pœnas meritas luit. Stercus non per naturales corporis partes egerebat, sed per sceleratum os blasphemiæ instrumentum. Cui vxor, quæ Christiana erat: *Debes meritò mi vir*, inquit, *Christum Saluatorem laude prædicare, quòd tibi hac castigatione potentiam suam ostenderit. Nam, quem oppugnasses, planè te peremisset, nisi, consueta sua lenitate, vsus, has plagas diuinitus tibi inflixisset.* Miser, aut coniugis oratione, aut potiùs cruciatu morbi, quo liberari cupiebat, adactus Imperatorem rogare cœpit, vt Ecclesiæ ablata redderet. Quod tamen silicem in pectore gerenti ægrotus orator non persuasit. Ita iuit ad plures, postquam ictus cœpit sapere. Vtinam didicisset sapere ad sobrietatem, neque plus morbo suo, quàm Dei offensâ doluisset! expertus profectò esset, se morbo sanatum; sine morbo, insanum extitisse.

VIII. Quamobrem rectè Tertullianus tradit, omnia Dei plectentis opera, esse bonitatis procurationem, itemque iustitiam ac bonitatem Dei indissociabiliter semper fuisse sociatas. *Quomodo non absurdum fuerit*, inquit Theodoretus, *litteratorem quidem, qui, ad tempus, pueros cædit, & ferulà ignauiæ torporem excutiens loris, firmam litterarum memoriam infigit, collaudare; & medico gratias agere, non modò, cùm cibum potúmq; laboranti præbet, verùm etiam, cùm secat, vrit, & morbo se hostiliter opponit, ne ille auctus vlteriùs serpat, prohibens: Deum verò, qui, longè vberiori sapientia, & diligentiori cura animarum saluti prospicit, & bonorum largitione, flagrorumq; metu virtutis elementa nos edocet, ac malitiæ morbum radicitus euellit, solidamq; animæ salutem operatur, blasphemijs ac conuicijs proscindere?* Vt ergo percussio Magistri, vt sectio Medici, non malitiam, sed peritiam Magistri Medicíue ostendit; ita neque illa, quæ vulgò mala putantur, sunt à malo, sed à bono Deo, qui, *quos amat, arguit & castigat*, ac ob id ipsum vicissim est amandus: vt vel Plato agnouit, quem idcirco Ireneus Marcionitis religiosiorem esse pronunciauit. Potuisset dicere, etiam quibusdam Catholicis esse religiosiorem; qui, cùm in tranquillo non sunt, mala, quæ patiuntur, non amori, sed odio diuino ascribunt; aiunt enim, *se, Deo irato suo, negotium aggressos; Numini exosos esse, superisq; omnibus inuisos*, quando aduersi aliquid

Tertull. lib. 2. cõtr. Marc. cap. 12. vsque ad 18. Theodoret. serm. 5. de Prouid.

Apocal. 3. 19. Plat. lib. 4. de Legib. vide Eugubin. lib. 5. de perenni Philosoph. cap. 8. Iræn. part. 3. c. 45.

aliquid perpetiuntur; sententiâ prorsus diuinis litteris aduersâ,
Matth. 5. 10. cùm, in illis, *beati* vocentur, *qui propter iustitiam, persecutionem patiuntur*; & charissimi DEO dicantur, *in Mundo, pressuram* habituri. Ioan. 16. 33. Quod si perpenderent isti, minùs multò audacter quiritarent, quàm nunc quiritant, & linguam ad suos potiùs mores diuerterent, quàm ad accusandam diuinam bonitatem.

CAPVT II.

Pleraq;, quæ vulgò mala dicuntur, bona esse; aut in bonum vsum, posse adhiberi.

I. D communem Mundi gubernatorem pertinet, eâdem lege, eademque naturæ conditione, vti erga omnes, vt dici possit: *Rex Iuppiter omnibus idem.* Necesse igitur fuit, vt ignis vim vrendi æquè, ac lucendi; & omne corpus, ex elementis conflatum, perinde interitum suum, ac ortum haberet; neque ea, quæ ad rerum generationem atque corruptionem spectant, prohiberentur. Hinc morbi, mortes, & multa, quæ mala vocantur, intercurrunt: quæ quando rerum naturis conuenienter condidit DEVS, non vtique iratus fuit, cùm non haberet, cui irasceretur. Vt sol omnibus lucem circumferret, moueri debuit; si moueri, occumbere. Nec enim rursus oriri posset, si non occumberet. Quare necessaria est noctis & diei vicissitudo. Nec homines hominibus, in officijs, in regnis, in potestate succederent; si non decederent, qui ea priùs habuêre.

II. Per hæc, æterna sapientia ita Mundum gubernandum judicauit, vt, quæ malis mala sunt, quia ipsi nesciunt vti, ea bonis bona fiant; & hinc isti viuant, *sicut lilium inter spinas*; illi, sicut asinus inter apes. Hac de caussâ Gentes ita alloquitur Tertullianus: *Qui semel* (DEVS) *æternum iudicium destinauit, post seculi finem, non præcipitat discretionem, quæ est conditio iudicij, ante seculi finem. Æqualis est interim, super omne hominum genus, & indulgens & increpitans. Communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis; vt pari consortio omnes & lenitatem eius, & seueritatem experiremur: quia æquitatem didicimus, apud ipsum; diligimus lenitatem, metuimus seueritatem. Vos* (Gentes) *contra vtramq; despicitis: & sequitur*,

Cant. 2. 2.

Tertull. in Apologet. aduersus Gent. c. 41.

quitur, vt omnes seculi plagæ nobis, si fortè in admonitionem, vobis in castigationem, à Deo obueniant. Atqui nos nullo modo lædimur: inprimis quia nihil nostra refert, in hoc æuo, nisi de eo, quàm celeriter, excedere. Dehinc, quia si quid aduersi infligitur, vestris meritis deputatur. Sed etsi aliqua nos quoq; perstringunt, vt vobis cohærentes; lætamur magis, recognitione diuinarum prædicationum, confirmantium scilicet fiduciam & fidem spei nostræ. Sunt enim quasi arrha, aut diuinæ amicitiæ symbolum, quæcunque nos inuitant, immo, tanquam calcaria, incitant, vt ad melioris vitæ brauium alacriùs decurramus.

III. Non igitur mala sunt, quæ mala vulgò censentur, nisi malis; quibus ipsa bona nocent, non tamen idcirco in malis numeranda. Vis videre, quo modo bona malis noceant? Aristotelem audi. *Vt homo,* inquit, *perfectionem nactus, animantium est optimus; sic cùm à lege iustitiaq; discessit, omnium pessimus habetur: importunissima est enim armata iniustitia. At homo prudentia & virtute* (hoc est, solertia in rebus agendis, & potestate operandi) *armatus est à natura, quibus maximè potest in res contrarias vti. Itaq; impiè nefarius, atq; immanissimus, absq; virtute,* (vera & morali) *fit & in venerem, & gulam turpissimus.* Quis ingenium acre, rem malam vocet, quia eo malè vtitur Sinon, aut Vlysses? In se bona, bona semper manent, nisi fine, & vsu contagium trahant: non tamen idcirco nomen mutant. Quare neque illa debent *malorum* nomine damnari, quæ fine & vsu sunt optima: neque ea bona nimium adorari, quæ, cùm scopo & vsu soleant pessimos facere, tamen sunt in summa, apud mortales, æstimatione, & ferè sola bona nominari consueuerunt. Si tamen, etiam in his ipsis bonis dignoscendis, non errant. Quemadmodum enim in speculis, quæ dextera sunt, sinistra; & quæ sinistra, dextera apparent; & nauigantibus rates stare, littora ambulare videntur: ita ijs, qui peruerso sunt iudicio, mens vertigine titubat, & amantis DEI beneficia titulo *malorum* infamat. Quidquid à DEO est, bonum est, quia ipse bonus: si quid malum esse incipit, à nobis incipit bonis malè vtentibus. Paupertatem, inopiam, matrimonium rixosum, morbos, mortem, mala vocas? Iniuriam facis: non enim sunt mala, quę faciunt bonos, aut malis nos eripiunt. Repete veteres memorias, & inuenies plures, quos egestas ad moderationem, conuicia ad patientiam, inualetudo ad frugem

Aristot. lib. I. Polit. cap. 2.

gem reduxit. In tuummet sinum inspice, & cogita, quoties te angustiæ, curæ, dolores refrænârint in præcipitia ruentem? quoties ad DEVM adegerint trepidantem. An illa mala esse arbitraris, à quibus, à vitæ licentia, fuisti retractus, & ductus ad salutis fontem? Noli ergo, malorum nomine, res tibi tam bonas deuenustare. Quis agricola, sarculum, aratrum, stiuam, mala vocat? Sunt tamen illa laboris instrumentum, & fatigant illum. At sine illis, vt non serit, ita nec metit.

IV. Fortunæ mancipia nominum ludibrijs pascuntur, &, inter summa bona, nominant res nocituras. Qui mente carent, apud eos fulgor externus primas partes agit. Charius illis est plumbum inauratum, quàm plumbo inclusum aurum. Mundus suspicit captos cupiditatibus Reges, qui, catenatæ instar simiæ, in purpura circumducuntur. Communis hic est error: perfunctoriè pretia æstimantur, & pluris fit, quod apparet, quàm quod est in recessu. Ideò & gemmæ negliguntur, quando non sunt politæ, vt splendeant. Longè alia essent judicia, si, detractis laruis, quæ latent, inspicerentur; nemo adoraret Charetis pollicitationes; nemo crucis thesauros contemneret, qui profanis oculis non ostenduntur, si lynx esset; immò nisi talpa esset. Nam multi *oculos habent, & non vident*, quid vel Mundus, vel DEVS condat.

Psal. 113. 13.

V. Alcibiades, apud Platonem, Socratis encomium dicturus, eum Silenis similem facit, quòd is multò alius esset propiùs intuenti, quàm summo habitu specieque videretur. Quem, si de summa, quod dici solet, cute quis æstimasset, non emisset asse. Facies erat rusticana; taurinus aspectus; nares simæ, mucoque plenæ. Sannionem quempiam, bardum, ac stupidum dixisses. Cultus neglectus, sermo simplex ac plebeius, & humilis, vt qui semper aurigas, cerdones, fullones, & fabros haberet in ore. Nam hinc ferè sumebat illas suas inductiones, quibus vrgebat in disputando. Fortunæ tenuis vxor, qualem ne vilissimus quidem carbonarius ducere posset. Videbatur ineptus ad omnia Reipublicæ munia; adeò, vt, quodam die, nescio quid, apud populum, adorsus agere, cum risu sit explosus. Denique iocus ille perpetuus nonnullam habebat morionis speciem. Cùm, ea tempestate, ad insaniam vsque, ferueret, inter stultos, profitendi sapientiam ambitio, nec vnus esset

Plato in Conniuio. Erasm. Chil. 3. Cent. 3.

Gorgias

Gorgias, qui,se nihil nescire, iactitaret, & ardelionibus huiusmodi nusquam non referta essent omnia, solus hic homo, *vnum se scire*, dictitabat, *quòd nihil sciret*. Atqui, si Silenum hunc explicuisses, videlicet numen inuenisses potiùs, quàm hominem; animùm ingentem, sublimem, ac verè Philosophicum, omnium rerum, pro quibus cæteri mortales currunt, nauigant, sudant, litigant, belligerantur, contemtorem; iniurijs omnibus superiorem, & in quem nullum omnino ius haberet fortuna, & vsque adeò nihil timentem, vt mortem quoque nulli non formidatam contempserit: in tantùm, vt cicutam eodem biberit vultu, quo vinum solet; vtque iam moriens etiam in Phædonem suum iocaretur, & sapiens oraculo, immo omnium mortalium sapientissimus pronunciaretur.

Hunc talem, facie vilem, pectore incomparabilem Alcibiades cum Silenis idcirco contulit; quia olim Sileni statuæ sectiles fuerunt, & ita concinnatæ, vt diduci & explicari possent. Clausæ ridiculam ac monstrosam tibicinis speciem habebant: apertæ subitò numen ostendebant, vt artem sculptoris gratiorem jocosus faceret error. Imaginum autem istarum argumentum sumptum erat à ridiculo illo Sileno Bacchi pædagogo, numinúmque Poëticorum morione. Ita nimirum non solùm multi hominum habitu, vultuq; longè minùs præ se ferunt, quàm in animo claudant; sed quàm plurimæ res quoque aliæ,in speciem, & primâ,quod aiunt, fronte, malæ,viles,miserabiles videntur, quæ tamen interiùs, ac propiùs contemplanti, atque re ipsa sunt bonæ,pretiosæ, & admirabiles. *Quidquid, in omni genere rerum, præclarius est, id minùs in conspicuo est. In ipsa cognitione semper germana rerum veritas altißimè latet, quæ nec facile, nec à multis deprehenditur. crassum vulgus, quoniam præposterè judicat, nimirùm ex his, quæ maximè sensibus corporis obuia sunt, æstimans omnia, paßim & labitur, & errat, ac falsis bonorum & malorum simulachris deluditur.* In summa, prima mundi lex est: Quærendæ Facultates, Deinde Virtus, cui è diametro oppositam tulit, qui dixit: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam eius.* Matth. 6. 33.

VI.

VII.

Hinc discipulis suis, & amicorum charissimis non promittit diuina Sapientia fasces, non titulos honorum,non chlamydes & tiaras, non aureos annulos, & montes, *& præcedentia longi agminis*

officia;

Matth. 10. 17. *officia;* sed opprobria, sed flagella, sed persecutiones. *Tradent vos,* inquit, *in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides*
Ioan. 16. 2. *& Reges ducemini, propter me.* itémque: *Absq; Synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Et, in tempore, inibi, appositum est: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.* Mundus, & DEI scientiâ destituti scandalizantur; qui DEVM intus nôrunt, qui arcana judicia, consiliáq; DEI perscrutati sunt, in his rebus, ingentem agnoscunt thesaurum
1. Cor. 1. 18. latitare. *Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est, ijs autem, qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus, per sapientiam, Deum: placuit Deo, per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes.* An non enim mundo stultitia videtur, injurias, contumelias, dolores, calamitates vocare bona? & eos *beatos*
Matth. 5. 1. pronunciare, *qui persecutionem patiuntur*? Et tamen diuina sapientia ita loquitur, quæ etiam addit: *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum, aduersum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Si bona est merces hæc, bonus est labor, cui ea promittitur, quia vtilis ad eam promerendam. Est enim vtile quoddam vtique bonum; & tantò maius bonum, si vtile est ad summam beatitatem.

VIII. Nemo dicat: si bonus est DEVS, cur mala permittit? cum ea, quæ stulti mala putant, bona sint. Nemo dicat: vel potest DEVS facere, vt mundus careat ærumnis, & non vult facere; vel non potest miserias è terris remouere: si non potest, ergo ipse miser est, quia impotens; si potest, & non arcet, ergo inuidus, aut malignus. Potest omninò DEVS, ex exilio, patriam, è Caucaso Paradisum, è terra, cœlum facere; sed non vult, hoc ipso, quia optimus, & quia potentissimus est. Nam ea ipsa, quæ mala putantur, homini optima sunt; ideò ea vult homini, ex sua bonitate, DEVS: vt autem optima sint, infinitæ sapientiæ eius, potentia est: quæ vel inde est suspicienda, quia è malis potest bona facere; per labores ad quietem ducere; per dispendia corporis, animæ lucrum procurare; denique

nique per ærumnas, ducere ad veram felicitatem. Quis præmium mereretur, sine labore? Quis *coronaretur, nisi legitimè certaret?* 2. Tim. 2. 5.
Diuina ars est, hominem premere in hac vita, vt ad alteram erigatur; absynthio terram reddere amaram, vt ad cœlestem anhelet suauitatem, atque ad dulces illos fontes, vnde scaturit veræ *torrens voluptatis.* Psalm. 35. 9. Denique, qui multis & grauibus huius æui malis vexatur, coniecturam discit facere, quæ, in inferno, futura sit vis tormentorum. Ob has tales causas, si Devs amicis suis mala immittit, nonnè diligit? nonnè vicissim & ipse diligendus est, & censendus bona potiùs, quàm mala procurauisse? ac, ob vigilantissimam hanc sollicitudinem, paternámque prouidentiam, beneficus potiùs, quàm durus est appellandus?

IX. Quod si quidam mala malè sustinent, quia ipsi mali, iam multò minùs id, quod malum judicant, Numini debēt attribuere, sed sibi. *In judicijs, quæ de Deo retuli,* inquit Themistius, *nihil aliud magis elucet beata illius naturæ, quàm ipsa bonitas. Vnde & nomen illi fecimus, idq; tanquam omnium illustrißimum dignißimúmq;. Quando & longi æui esse, & plures potentia superare, multis etiam animæ expertibus inesse cernimus. Cæterùm Homerus hoc non rectè est opinatus, duo, in Iouis domo, dolia jacere, fatis plena, vnum bonis, alterum aduersis. Neque enim malorum, in cœlo, vllum est penu. Sed hinc illa huius dolij confusio, à luto nimirum, terráque, in qua versamur, nosq; illud implemus, & euacuamus; neq; puros fluere sinimus fontes illorum cœlestium bonorum, quæ aßiduè, & indefatigabili animo suppeditat, vt Poësis Philosophica ait, bonorum ille largitor, æquitatis promus, cui Iustitia, & recta lex aßidēt; cui Gratiæ: Euphrosyne, Aglaia, & Thalia amabilis aßistunt; cui omnes ab humanitate appellationes sunt attributæ; vt sunt placidus, amicus, hospitalis, supplicum præses, vrbium custos, SERVATOR.* Themist. Orat. 16.
Quid aliud multis verbis vult Themistius dicere, quàm quod apud Oseam est, *Perditio tua, Israël, tantummodo in me auxilium tuum?* Osee. 13. 9.
Poteras, eodem fine, missas à Deo cruces ferre, quo ipse eas vult ferri, & quo Sancti ferunt. Impatientiâ tuâ tibi crucem malam reddidisti. Porrò malis malè esse, quis indignè ferat? exedunt, quod sibimet intriuerunt. Et, si justitia bonum quid est, pœna quoque ipsa, quam justitia improbis infligit, bona erit; atque ita efficitur, vt in impijs, in quibus aliud boni nihil est, saltem hoc diuinæ

iustitiæ bonum inueniatur; quod, quando, sine emendatione eorũ, irritum exit, est tamen alijs in exemplum, atq; hinc etiam bonum; quia malum, quod in vno plectit, in altero impedit. Quanquam etiam sæpissimè è malis bonos facit, dum pœnam tanquam à se promeritam, (atque ibi, vbi sine errore æstimatur, hoc est, in conspectu altissimi, bonam) subire non detrectant. Grandia mala Dominus, per virum Dei, minatus erat Heli sacerdoti: *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, vt non sit senex, in domo tua, omnibus diebus. Et videbis æmulum tuum, in templo, in vniuersis prosperis Israël &c. vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filijs tuis, Ophni & Phinees, in die vno, morientur ambo.* Hæc eadem confirmata sunt, per Samuelem. Quid autem Heli respondit? *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Pluris fuit, *in oculis* Domini, bonum fuisse: licet, in oculis hominum, tanta congeries pœnarum mala esset. Ita mala pro malis recipiens patienter, bonus esse cœpit. Quid Deo potest esse magis gloriosum, quàm ex malis tot bona facere?

1. Reg. 2. 31.

X.

Saluian. lib. 1. de vero judicio, & prouidentia Dei.

Enimuerò mala bonis bona esse, elegantissimè docet Saluianus Massiliensis Episcopus. *Aiunt*, inquit, *à Deo omnia prætermitti, quia nec coërceat malos, nec tueatur bonos, & ideò in hoc sæculo deteriorem admodum esse statum meliorum: bonos quidem esse in paupertate, malos in abundantia: bonos in infirmitate, malos in fortitudine: bonos semper in luctu, malos semper in gaudio: bonos in miseria & abiectione, malos in prosperitate & dignitate. Primùm igitur ab ijs, qui hoc ita esse vel dolent, vel accusant, illud requiro de Sanctis, hoc est, de veris ac fidelibus Christianis, an de falsis & impostoribus doleant? si de falsis: superfluus dolor, qui malos doleant, non esse beatos. Cùm vtiq; quicunq; mali sunt, successu rerum deteriores fiant, gaudentes sibi nequitiæ studium bene succedere. Et ideò, vel ob hoc ipsum, miserrimi esse debent; vel mali esse desistunt, vindicantes improbissimis quæstionibus nomen religionis, & præferentes ad sordidissimas negotiationes titulum sanctitatis: quorum negotijs, si miseriæ comparentur, minùs sunt miseri, quàm merētur: quia, in quibuslibet miserijs constituti, non sunt tamen tam miseri, quàm mali. Nequaquam ergo pro his dolendum, quòd non sint diuites, ac beati: multò au-*

tò autem pro sanctis minùs: quia quamuis videantur ignorantibus esse miseri, tamen non possunt esse aliud, quàm beati. Superfluum autem est, vt eos quispiam, vel infirmitate, vel paupertate, vel alijs istiusmodi rebus existimet esse miseros, quibus se illi confidunt esse felices. Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suo. Et ideò non possunt, cuiusquam falsò iudicio, esse miseri, qui sunt verè suâ conscientiâ beati, nulli enim, vt opinor, beatiores sunt, quàm qui ex sententiâ suâ atq; voto agunt. Humiles sunt religiosi? hoc volunt: pauperes sunt? pauperie delectantur: sine ambitione? ambitum respuunt: inhonori sunt? honorem respuunt: lugent? lugere gestiunt: infirmi sunt? infirmitate lætantur; cùm enim, inquit Apostolus, infirmor, tunc potens sum. nec immeritò sic arbitratur, ad quem Deus ipse sic loquitur: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Nequaquam ergo nobis hæc dolenda est afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Itaque quidquid illud fuerit, quicunq; verè religiosi sunt, beati esse, dicendi sunt, quia, inter quantumlibet aspera, nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt, quod volunt. Hæc ille.

Ex quibus huc vsque dictis deducitur, à nemine Fortunam conditionemque suam, aut cælum accusari oportere, quasi malo astro natus sit. Præterquam enim, quòd plurima astris ascribantur falsò, ea tamen ipsa, quæ verè ijs attribuuntur, bona potiùs, quàm mala debēt appellari; quod etiam de ceteris Mundi partibus est arbitrandum. Quemadmodum enim sunt, qui, prætermissa cæli magnitudine, velocitate, venustate, luce, splendore, vicissitudine, ornatu, benigno influxu, vsu siderum ad nauigationes, ac multiplici vtilitate, Saturni rigorem, aut furorem sibi à Marte ingenitum accusant: ita etiam reperiuntur homines, qui iam ignem, iam aërem, iam aquas, iam ipsas terras execrantur, in quibus aliquid sunt passi: quasi velint, hæc ipsa elementa è medio tolli; atq; adeò Mundum ipsum destrui, in tantas à DEO vtilitates conditum. Destructis enim partibus, necesse est, destrui Mundum. Eò impatientia mortalium progreditur, vt sapientissimum Vniuersi opificem, in vicem laudis, carpere, immo & corrigere tentet, non iam sus Mineruam docens; sed incredibilis amentia DEVM infinitè sapientem. Cuius tam immensa est bonitas, vt nos doceat, posse etiam ex ipsis peccatis bonum elici. *Hæc sunt*, ait S. Augustinus, *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapien-* XI.

S. Augustin. in Enchirid. c. 100.

ter exquisita, vt, cùm Angelica & humana natura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod Creator noluit, impleret ipse, quod voluit, BENE VTENS MALIS (& quidem simpliciter ac summè malis nempe peccatis) *tanquam summè bonus, ad eorum damnationem:* quæ est actus iustitiæ scelera vindicantis. Hanc iustitiam si imitantur Magistratus, & Superiores, vel quicunque potestate in alios pollent, vtuntur & ipsi veris malis benè. Nam, occasione peccatorum, cælum merentur; sicut & illi, quos aliorum iniuriæ & tyrannis ad martyrium exercet. Denique nemo est, qui non possit, ex ipsis aliorum vitijs, virtutem discere. Audi perfectionis

Thom. de Kemp. lib. 1. de imit. c. 25. magistrum. *Illa*, ait, *studeas magis cauere & vincere, quæ tibi frequentiùs, in alijs, displicent. Vbiq; profectum tuum capias: vt, si bona exempla videas, vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraueris, caue, ne idem facias; aut si aliquando fecisti, citiùs emendare studeas.* Si culpæ malum prodesse potest, quantò magis malum naturæ?

XII. Sed descendamus ad peculiaria, quæ sunt naturæ, & vulgò simpliciter mala existimantur, atq; per certas classes, exemplis historijsque iudicia æquissima Dei demonstremus, eamusq; primùm per ea, quæ extra hominem sunt; vt de cælo fulmina, grandines, tempestates; &, quæ cæli aërisque (quippeni & ignium?) iniuriæ appellantur: per pericula aquarum, & terrarum; item per inopias, paupertatem, matrimonia mala: per monstra, è matrimonijs nata, aut certè per monstrosas natorum deformitates: nec non per hominum afflictorum & affligentium infamias, & calumnias, insidiasque. Tum, quæ cruciant in proprio corpore, consideremus; vt sunt morbi, vulnera, truncationes, neces immaturæ ac violentæ; itemque quæ communitatem totam inuadunt ac plures depopulantur, vt fames, pestes, bella. Deniq; quæ animam ipsam potissimùm affligunt, vt graues tentationes, desperationes, malæ mortes. quæ omnia sunt in Mundo; omnia sunt, Deo iustissimè vel immittente, vel permittente? cuius æquissimam voluntatem vel tempus reuelat, vel fides & ratio approbat, vel historia narrat; dum ipsâ culpæ vituperatione, pœnæ iustitiam commendat. *Vtinam tibi*, ô Lector (ad quem verba Mercurij ad filium fa-

cta

cta transfero) *Vtinam tibi daretur facultas, vt alarum adminiculo in sublimem aëris plagam volares, mediamq́, inter cœlum ac terram, regionem sortitus, conspiceres terræ quidem soliditatem, maris diffusionem, fluxum fluminum, aëris amplitudinem, ignis arctam celeritatem. O felicissimum, fili, spectaculum, ô beatissimam visionem! Siquidem vno luminum motu, seriem totius mundi comprehenderes, immobilemq́, factorem concitum, latentem quoq, perspicuum cerneres.* Pimander. cap. 3.

CAPVT. III.

DEI opera iudiciaq, etiam in Fulminibus, & igne & aëre, & reliquis iratis mundi elementis, esse laudanda.

I.



Am est abundans Numinis bonitas, vt non solùm in Filium ac S. Spiritum redundârit, sed etiam in creaturas, velut extra familiam, sese effuderit, hominemque condiderit, hominisque causâ, cætera omnia; vt existerent, de quibus, & in quos esset liberalis. Quòd si totus mundus, hominis causâ, factus est, partes quoque mundi, hominis causâ, erunt; cælum, terra, aqua, ignis, aër. De quarum partium pulchritudine, vtilitate, ac necessitate etsi multi tractauerunt, & vel in pueros satis constat, vitium tamen alere videntur nonnullis. Vnde & Momos habent. Quid enim? siderum noxij sunt aspectus; in aëre væsaniunt venti; colligũtur intempestiuæ pluuiæ, quæ lapides effundunt; molestissimũ est, per imbrem, facere opus: ibi humor in pestem putrescit; ibi minatur fulguratio; terrent horridæ nubes; mugiunt rauca tonitrua. In mari procellæ & tempestates commouentur, & turbo totas classes disijcit; euertit, mergit. Fluminum eluuiones, inundationesque aquarum, quas non dederunt vastitates? In terra sterilitates, ac metuendi tremores; illæ quidem homines, isti autem, & ciuitates, & homines hauserunt. Ab igne natæ sunt tot insignium domorum, tot magnarum vrbium populationes. Hæc talia imperitis DEVS, si bonus est, in mundi partibus, censetur creare, aut permittere non debuisse. (Vide Plutarch. lib. Aqua, an ignis vtilior.)

II.

Verùm, vt à fulmine & igne, velut à Ioue, incipiam, qui rectè calculum ducit, meritò canit: *Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.* Equidem liquidè intelligit, lucem Dan. 3. 66.

cem noctu, calorem in hyeme; opem in quauis arte, ab ignibus haberi; ob quam caussam Xenophon, & Philo affirmant, *ignem esse veluti generale artificiorum omnium instrumentum:* quorum posterior tradit, idcirco prohibitam fuisse, apud Iudæos, ignis in Sabbatho, accensionem, vt inde omnium opificiorum iustitium fieret. Norunt etiam docti, ex Empedocle, Hippocrate, & Varrone, ac Plinio, ignis maximum esse vsum ad medicinas; sine quo etiam Chymici sunt nulli; & durum manet ferrum; crudi cibi, frigidi senes: vt proinde Lactantius eleganter ac eruditè ignem, *lucis ac vitæ elementum*, appellârit; quo non bestiæ, quippe terrenæ & mortales, sed solus homo vteretur. Ob has caussas meritò dicimus: *Benedicite ignis, & æstus Domino.* Est enim ignis non tantùm diuinæ beneficientiæ, sed & regiæ cuiusdam maiestatis symbolum. Beneficentiæ quidem, ob plurima commoda, quæ inde petuntur: qua de caussa grauissimum est, si cui *igni & aqua interdicatur.* Maiestatis autem, ob splendorem. Vnde ignis olim Romanis & Constantinopolitanis Imperatoribus præferebatur, vti & Patriarchis & Ecclesiæ principibus, quibus *Lampadarius* (vt eum Codinus vocat) in liturgijs & processionibus, lampadem præportabat, aurea corona redimitam; cùm faces Imperatorum corolla aurea gemina insignes essent, vt Balsamo obseruat. Qui mos à Persis originem traxit, qui ignem cælo delapsum, apud se, sempiternis ferculis custodiebant: cuius portionem exiguam, etiam merâ luce, quondam præisse Asiaticis regibus dicunt, vt ait Ammianus. Significabatur his facibus, à regibus lucem, claritatem, dignitatem in alios emanare. An non & sol, & luna, & cæteræ cæli faces, & omnis, siue sub cælo, siue sub terra, ignis nobis DEI maiestatem præfert? Inde enim vera claritas, inde summa potestas. Vanus est, quisquis aliunde vult splendorem adipisci, aut calere, nisi igne diuino, aut ad diuina ducente. Sicut enim inde, non quaslibet faces, sed eas, quæ in ara Mithræ, hoc est, Solis essent accensæ, prætulerunt; ita diuina duntaxat nos ardere flamma par est, non facibus Furiarum, aut Cupidinis. Ardemus autem igne diuino, si beneficia ignis; & omnium creaturarum agnoscimus, à DEO proficisci; & celebramus, si Indos imitemur, qui ad Phraotæ regis reditum, lætitia elati, accensis, ex ara Solis, facibus obuiam processerunt, & ad regiam

Xenophon. lib.4. de dictis & factis Socratis. n.466. Philo. l.3. de vita Mosis. Plin. 36. c.27.

Lactant. li. 7. cap. 9.

Dan. 3. 66.

Amman. l.23.

Phil. lib. 2. c. 13. p. 96.

giam vſque deduxerunt, fauſtis acclamationibus proſecuti. Ad hunc modum Sancti ſolem, lunam, cæteroſque minores ignes, & flammas omnium officinarum aſpiciunt; inde enim amore ſacro inflammati, Deo acclamant: *Laudate eum ſol, & luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen. Laudate Dominum de terra ignis, grando &c:* itemque: *Benedicite ignis & æſtus Domino.* Enimuerò etiam: *Benedicite fulgura, & nubes Domino.* Quiſquis enim ſapit, ſic igneſcit, caletque amore, non furore Numinis; cùm ſciat, ſapientiſſimo artificio pariter, & pro hominum bono, mundi Machinatorem iſta condidiſſe, atque in ſua manu habere, tanquam iuſtitiæ & miſericordiæ inſtrumenta. Quod probè agnouit inuictæ virtutis Heros Iob, cùm nuncius veniret, ac diceret: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues puerosq; conſumpſit.* Sciuit enim clariſſimè, Devm nunquam, ſine iuſta cauſſa, fulmina de cælo iaculari; etſi tum fortaſſe iam non ſciret, quænam illa iuſta fulminandi cauſſa fuerit. Fuit autē profectò iuſtiſſima tum cauſſa. Nam dum ſathan ouium greges percuſſit, toti mundo oſtendit, Iobum ouibus ipſis eſſe patientiorem. Quid, non modò glorioſius, ſed etiam, vtilius fuit Iobo, oues ſeruare, an patientiæ laudem & mercedem adipiſci? cuius vt virtus per omnes numeros agnoſceretur, Devs eam velut ſcopum, de cælo, petendi (quaſi inde origo plagæ eſſet) dæmoni id ſolicitè flagitanti conceſſit; quamuis id alio fine dæmon flagitârit. Eſt enim harum rerū promus magis, quàm condus Alaſtor, qui eiuſcemodi expeditionem in Iobum, ex inuidia, inſtruxit, malus vtiq;, de theſauro ſuo, proferens mala: è quibus optimum Numen bona facit, etiam tum, quando per illum, tanquam per carnificem ſuum, in impios fulminat.

Pſal. 148. 3. Daniel. 3. 66. Iob. 1. 16.

III. *In Teutonia, circa annum Domini M. CC. L. VI.* inquit magnus Alberti Magni diſcipulus, & D. Thomæ Aquinatis condiſcipulus, *tantos ventorum, coruſcationum, tonitruorum, & grandinum fragores inualeſcere vidimus, vt homines per ciuitates, quaſi amentes incederent, & imminere diem iudicij formidarent. Circa Treuirim, vineas demolitas penitus, ſiluas & arbores antiquiſſimas funditus euerſas inſpeximus, & excelſorum ædificiorum faſtigia corruiſſe. Fuerunt autem, qui dicerent, dæmones ſe vidiſſe, & eos, quaſi beſtias, diuiſos in aëre, ſibi inuicem ex ventis contrarijs occurriſſe.* Itaque non ele-

Thom. Cantiprat. lib. 2. apum. c. 57. §. 2.

mentis duntaxat ex ingenio atque natura agentibus, ſed etiam cacodæmonibus ipſis, furore atque odio, incitatis frænum ſubinde, vel in exercitium, vel in ſupplicium noſtrum, laxat vniuerſi Rector: vnde magni perſæpe motus damnaq; ingentia bonorum temporalium exiſtunt, vt bona ſpiritualia eorum vice ſubeant. Nam diſcunt inde mortales metuere, atque exorare omnipotentem, & aliorum interitu moniti ſemper in procinctu ſtare. Ita Volſinium Tuſcorum oppidum opulentiſſimum, fulmine incenſum, omne concrematum eſt. Ita, teſte Baronio, Anno 857. Coloniæ. 17. Cal. Octobr. terribili coorta tempeſtate, ſubitò fulmen informe, igne, draconis inſtar, Baſilicam S. Petri hominibus confertiſſimam, ſcidit, penetrauit, atque ex omni illa multitudine tres homines, diuerſis quidem locis, vno tamen ictu, in mortem dejecit; alios autem ſex, eodem impetu, ita proſtrauit, vt ſemiuiui auferrentur; cæteros verò, quos non tetigit igne, perculit timore, docuitq; rebus diuinis incontaminatos adeſſe. Itaq; non impia Ethnicorum duntaxat fana, ſed religioſiſſima etiam Chriſtianorum templa ſunt de cœlo verberata. *Cur enim Dominus vniuerſorum* non poſſet ſathanæ permittere in templa, ad terrorem eorum, qui templis abutuntur, quod conceſſit illi, in Iob ſeruum ſuum, qui & ipſe *templum Dei* fuit? De Romano illo Tullius cecinit:

Baronius ad An. Chriſt. 857.

2. Cor. 6, 16.

Iuppiter omnipotens ſtellanti nixus Olympo
Ipſe ſuas arces, atque inclyta templa petiuit,
Et Capitolinis injecit ſedibus ignem.

Quod mirum non erat, dignum etenim igne fuit fanum, tot ſacrilegijs impiatum. Magis mirum id de noſtris. Nam & de ailo Chriſtiano templo, alius Author memorat: *In vigilia S. Mathiæ Apoſtoli*, Coloniæ ignem è nubibus excuſſum, in turrim S. Andreæ incidiſſe, eámque incendiſſe, illâ ipsâ nocte, (quâ, præ frigore,) aquis glacies eſt inducta, vt tantò mirabilius eſſet, ſi, vice niuis, fulmina cecidiſſent.

Cæſar. lib. 10. cap. 74.

IV. At oſtendit ea in re dominium ſuum Deus, & potentię maieſtatem. Si enim Poëtæ Ioui ſuo maiorem ſe conciliare authoritatem non putauerunt, quàm ſi eius pingerent *armatam trifido fulmine dexteram*, ipſúmque rubente manu ſacras arces jaculantem; cur non potiùs verum Numen, eodem telo, terribile præuaricato-

ribus fieri deberet, ac metuendum? Quod sanè & olim factum est, cùm Moysi legem daret, tabulis lapideis insculptam; & cùm Pharaonis contumaciam vellet frangere; itémque, quando aliàs *illuxerunt fulgura eius orbi terræ:* & quando vel Angeli facies facta est velut species fulguris; immò vel Moysis etiam radijs cornuta. Voluisse & alios Reges, hac effigie, suos fingi colossos, testatur Plutarchus. Sed, aliud fulmen, in Deo, significat, aliud in tyrannis. *Quemadmodum in vulnere priùs apparet sanguis, quàm plaga,* ait ille, *& quemadmodum priùs emicat fulgur, quàm tonitrus audiatur: ita apud Tyrannos, hoc est, Principes ferè omnes, priùs erumpit condemnatio, quàm probatio; & perijt delatus priùs, quàm coarguatur.* De quibus meritò dicitur: *Procul à Ioue, procul à fulmine.* At Dei judicia non sunt præcipitata. Nulla crimina damnat, nisi, quæ ipse oculatus testis habet probata. Quæ, vbi ad pœnam matura esse deprehendit, etiam procul ferit. Nemo enim nocens tam potest procul à Deo recedere, vt eò sese potentia illius nõ extendat; nemo ad eum tam propè adire, vt ei fulmen noceat innocenti. Quapropter longè rectiùs Deo conueniret id, quod in Antonini Pij, atq; etiã in aliquot Neronis nummis, cernere est, fulmen in thoro collocatũ: aut, quod in suis symbolis Carolus V. & Maximilianus II. vsurpârunt: in quorũ Numismatis, *Aquila fulmini insidet; cui ramus oliuæ est additus.* Ostendebatur scilicet, offendendi potestatem penes Imperatorem esse; verùm, ob illius clementiam, quiescere, & non, nisi consultò, torqueri fulmen. Appositissimè Seneca: *Quare,* inquit, *id fulmen,* quod solus *Iuppiter mittit, placabile est? Pernitiosum id, de quo deliberauit, & quod alijs quoq; dijs auctoribus misit? Quia Iouem, id est, Regem prodesse etiam solum oportet, nocere non, nisi cùm pluribus visum est.*

Exod. 9. 23. | Psal. 96. 4. | Daniel. 10. 6. | Erasm. Chil. 1, cent. 3. | Senec. Nat. q.q. li. 2. c. 43.

V.

Vt tales sint Reges, Principésque: & quicunq; magnam potentiam, inter homines, adepti sunt; vt, non quod falsus monitor, verus susurro, aut adulator, atque hinc ira, & in vindictam ebulliens superbus sanguis suggerit, sed quod æquitas, quod ratio, quod consilia sana suadent, id statuant & mandent; Devs ipse fulmina non statim expedit, *quoties homines peccant:* quæ etsi in manu habeat, ac potestate, tamen millies, atque iterum millies finit antè quiescere, quàm decernat vibrare: priùs telum ostentat, quàm in-

 gerat,

Psal. 59. 6. gerat, *vt fugiant à facie arcus* peccatores, quos mauult metu, quàm pœnis coërcere. Quod si illi differunt, si nauigationem prorogant, & cum Acessæo, lunam magis opportunam expectant, tardántque conuerti ad Dominum, & implent mensuram scelerum; tunc coruſca tela, diu librata & rotata, mittit, in contumaces, aut eos, quorum Tartaro digna facinora, omni contumaciâ, sunt detestabiliora.

VI. Tametsi enim fulmina, non Cyclopum manibus, sed in nube, ipsius naturæ industriâ, ad terram concutiendam, agrósq; fertiliores faciendos, aliósq; vsus fabricantur; censentur tamen meritò, è cœli armamentarijs promi. Vnde & *ignis Dei* appellantur; quia hic ignis est non solùm à Deo, vt cæteri ignes, sed etiã, quia de cœlo, & quia potentissimus, penetrantissimus, velocissimus, & maximè formidandus. Sæpe enim his armis vtitur Devs, ad hostes suos subigendos. Siquidem, si insolentes fuerint, *aduocabit cœlum desursum: & terram discernere populum suum. Et annuntiabunt cœli justitiam eius: quoniam Deus judex est.* Sicut fuit, quando D. Maurilius fanum diuersis idolorum cultibus dedicatum, nõ procul Andegauo, videns, humanâ vi, excindi non posse, oratione impetrauit, vt, igne de cœlo labente, quidquid simulachrorum, & immũditiæ ibi erat, momento temporis absumeretur. Tres pueros *non tetigit omnino ignis;* qui tamen *incendit, quos reperit juxta fornacem.* Quod prodigium renouatum est, in Iphigenia Ægippi AEthiopum Regis filia. Ea, D. Matthæi Apostoli colloquio, Christianorum numero addita, cùm Christo virginitatem vouisset, & iam, constructo cœnobio, multis virginibns Deo pariter dicatis præesset, neque minis, neque blanditijs moueri potuit, vt Hirtacum paterni regni successorem acciperet maritum, æterni Regis se esse sponsam dicens, nec licere sibi, illo relicto, alteri nubere. Hirtacus, amore in furorem verso, Iphigeniam, cum toto cœtu, adeoq; etiam cum ipso monasterio, cõcremari jussit. Admoto igne, flamma virginalis pudicitiæ vltrix inde se auertens, in regiam prosilit, quam, Hirtaco, cum vnico filio, vix euadente, funditus consumpsit. Hirtacum morbi impatientia, filium Hirtaci diabolus insessor interemit. Ita calido se, suósq;, elemento defendit Devs, dum libidine æstuantes hostes vltus est, in quos flammam reflauit. Quid habet hîc Momus, quid nasum corrugat

Marginalia: Vide Lucret. lib. 6. — Iob. 1. 16. — Psal. 49. 4. — Sur. Tom. 5. die 13. Septẽb — Dan. 3. 48.

corrugat Ariſtarchus? an, ſi ipſe DEO Conditori rebellat, vult, vt ei etiam elementa non ſeruiant? Num adhuc ignem accuſat, quia Satyro barbam aufert, eum intemperanter & ſtolidè ad oſculum applicanti? At ſtipitem & ſtipulam lædit, aurum non lædit, ſed oſtendit eſſe aurum, quod ſpectabilius facit. Quemadmodum enim fulmen, & ferit reos, & defendit innocuos; ita & ignis reliquus eſt, velut anceps gladius, ad offendendum & defendendum vtrinq; factus. Laurentios, Vincentios, Apollonias & Afras illuſtrat; Cræſos, & Didones in fumum ſoluit.

VII. Ferrarius 19. Ian.

Nobili loco natus adoleſcens, Spoletanus, cui Pontiano nomen fuit, Antonino Imperatore, Fabiano præſide, varijs modis, ad Chriſtum abnegandum, tentatus & cruciatus, antè, quàm idolis thura offerret, ſeipſum ignibus obtulit. Ardentiſſimis igitur prunis inambulare adactus, ita fertur Fabianum allocutus: *Ecce, in nomine Chriſti, Dei mei, illæſus prunas tuas, ac veluti roſas calco. Tu, ſi Scæuola es, vel in aquam feruentem manum tuam impone, & experire, num te Deus tuus Iuppiter ſit à dolore ac læſione liberaturus.* Vſſit hoc dictum tyranni ſuperbiam, quæ furiosè inflammata, vim omnem in Martyrem effudit, juſſitque eum, equuleo diſtentum, vngulis ferreis, toto corpore, dilacerari. Sed, vt videas, Deo, Deique ſeruis, omnes creaturas famulari, carnifices priùs, quàm Martyris conſtantia, ſunt fatigati. Quin innocens eius caro, vti à peccato, ita & à ferro integra permanſit. Et, quod mireris, dum caſtiſſimum eius corpus, velut æneum lacerari non potuit, ipſa è ferro fabricata inſtrumenta, fracta fuerunt, ac dilacerata. Potuiſſet vtique etiam ipſum ferreũ iniqui Iudicis pectus frangi, niſi crudelitas adamantina eſſet, atque omnem duritiem ferri ſuperaret, &, giganteo faſtu, cum ipſa Numinis omnipotentia certaret. Projectus eſt ergo Pontianus in obſcuriſſimi carceris tenebras; ſed adfuère Angeli, qui, diuina luce caliginem diſpulerunt. Producitur iterum, & leonibus objicitur epulandus. Sed & hæ belluæ, quantumuis fame rabidæ, Martyri pepercerunt, imò circumuolutatæ, non dubiè blandientes feritatem poſuerunt. Retrahitur in vincula Pontianus, & viginti duos dies noctéſque, abſque cibo potuque, relictus, oſtendit, hominem, *non in ſolo pane*, viuere. Cantans igitur ac Deum Matth. 4. 4.
laudans repertus, in lecticam ferream aſtrictus, ſubiectóque vehementi

menti igne, & liquido plumbo vberrimè omnibus eius membris superfuso, nihil est mali passus, vt planè immortalis videretur. Certè, in mortali corpore, immortalem DEI omnipotentiam dominiúmque luculentè demonstrauit: vt meritò dicere potuerit,
Daniel. 3. 66. *Benedicite ignis & æstus Domino, Laudate Dominum de terra, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.*

VIII. S.Greg. lib. I. cap. II. Dial. Quod verbum etiam fecit ignis, quando Martyrius omni alio vase destitutus, prunas ardentes, immo luculentum ignem pallio exceptum, longâ viâ, in montem ad fratres suos, apportauit, nullo vstionis vestigio, in arida vestis materia, relicto. Qua deinde veste leprosum obtexit, & sanauit. VVitickind. lib. 3. hist. & Baron. 10. Tō. An. 849. Witikindus scribit, Haraldum Danorum Regem, à Popone Episcopo, ab idolis, ad fidem SS. Trinitatis antè non adductum, quàm eum videret, illæsis manibus, ferrum candens gestare. Eo miraculo ita est accensus Rex, vt vnicum DEVM trinumque & ipse profiteretur, & à toto regno iuberet adorari. Quod etiam DEO tres pueri, in fornacis flagrantia illæsi, effecerunt: & effecerunt alij quoque, quamuis læsi: inde enim testes, vnde Martyres fuerunt. Niceph. lib. 7. cap. 10. Nicephorus certè tradit, in quadam Phrygiæ ciuitate, ita religionis Catholicæ zelo arsisse ciues, vt vnà cum liberis, vxoribus, & omnibus fortunis suis, ac tota insuper vrbe, maluerint in cineres redigi, quàm Maximini imperio, fidem negare. Qua de caussa eorum, tanquam heroicorum Martyrum Christi, Festum 7. Februarij die, Ecclesia celebrat. Sic ignis, vel holocausto, vel miraculo laudat Conditorem. Holocaustum etiam fuit D. Laurentius, D. Pionius, & quotquot, per flammas, ad cæleste refrigerium, transierunt. Miraculum fuit Gen. 19. Lot, è sulphureo Sodomæ incendio, eductus; & Abraham, quem Hæbræi tradunt, quia ignem, quem Chaldæi colunt, adorare noluerit, in ignem missum, à DEO liberatum. Viues in li. 19. de Ciuit. cap. 15. Vnde &, in itinerario Romano, dicitur, *de vr Chaldæorum*, hoc est, de igne *eductus*; & Prouerb. 17. 3. probatus *sicut igne probatur argentum*.

IX. Muret. lib. I. var. hist. c. 2. Ne autem fulmineam quis flammam magis indomitam esse existimet; est ea itidem à DEO nonnunquam cohibita, ne sæuiret. *Mithridates Rex Asiæ & Ponti, cùm adhuc infantulus in cunis vagiret, collapsum fulmen fascias, quibus inuolutus erat, exussit, neq; tamen, ipsum læsit, vestigium modò quoddam ignis in fronte relictum est.*

quod

quod facilè occultaret coma. Rursus, cùm iam vir esset, ita propinquum ei dormienti cecidit, vt tela in pharetra, quæ haud procul à lecto pendebat, condita conflagrârint; ipse quoq; tum intactus. Aiunt & Aquilam à fulmine non afflari, vnde & armigera Iouis, & sacra esse fingitur. Cæterùm ignem ipsum, velut *diuinum* & verè mirandum Homerus nominat. Moysi quoque *apparuit Dominus, in flamma ignis, de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Ita DEI dignitatem, splendorem, maiestatem agnouit. Sicut etiam, quando legem in monte, accepit: & sicut agnoscent, sub nouissimũ diem, homines, quando, de eadam lege seruata, aut violata iudicabuntur. Tunc enim *ignis ante ipsũ præcedet.* Certè Macarius affirmat, homines, naturali ratione, Deum esse, nosse ex fulmine & fulgure: estque ibi clarissima potentia, & potentissima claritas, quæ diuinum quid profitentur; iubar quoddam, vnà cum sonitu, tanquam diuinitatis radios, quàquà diffundentes. Sic, apud poëtam, describitur Sol, qui Phaëthontem allocuturus *circum caput omne micantes Deposuit radios, propiusq; accedere iussit,* procul consistentem. *Neq; enim propiora ferebat Lumina.*

Homer. Iliad. 12. 13. 15. & 20. Exod. 3. 2.

Psalm. 96. 3. Macar. homil. 12.

Ouid. lib. 2. Metam.

X.

Eiuscemodi coruscationes capiti hominum affusæ, vel sanctitatis, vel regiæ Maiestatis indicia semper fuêre. Quare & Angeli illius *erat aspectus sicut fulgur, & vestimentum eius, sicut nix;* & Diui quoque radiauerunt. Quin & Seruio Tullo quoque id contigisse memorant, quod Virgilius Iulo suo scribit euenisse.

Matth. 28. 3.

Plin. lib. 1. c. 170. & Plutarch. de fortun. Rom.

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Virg. Æneid. lib. 2.

Magni nimirum faciebant veteres, ab igne aliquem splendere, & non ardere, aut fulminatum, & non læsum; existimabant enim, ei, non nisi à cælo sanctitatis teste, splendorem accessisse; aut certè omen arbitrabantur, futuræ, inter maxima pericula, incolumitatis. Scopelianum refert Cardanus, dum in cunabulis esset, à fulmine occiso fratre, qui vnà cum illo natus erat, euasisse incolumem, atque, per maximos labores, ad extremam peruenisse senectutem. Hic prolem fecit admirationi esse fulmen, aliàs matrem illustrauit. Nam Marcia Princeps Romana, fulmine icta grauida, partu exanimato, ipsa citra vllum aliud incommo-

Card. de rerũ variet. lib. 8. cap. 43.

Plin. l. 2. c. 51.

dum, vixit. In fætu igitur ostendit tum natura ignis, se lædere potuisse; vt in parente doceret, se pepercisse. Cuius rei & Plutarchus exemplum tradit, militis, qui, Romæ, ædem sacram custodiebat: cuius fulmen prope delapsum ambussit calceamentorum corrigias, neque aliud quidquam incommodi attulit: ac pyxidularum argentearum, quæ ligneis inclusæ capsulis erant, argentum quidem colliquefactum & conflatum fuit, lignum intactum ac integrum inuentum. Quo loco & illud refert author, de fulmine, quod, Elide, in domum Dorothei rhetoris delapsum, multa miracula edidit, dum vinum ex dolio exhausit sitibundum, vase illæso, & hominem somno stratum transuolans, neque illum offendit, neque vestem attigit, sed eius cinctum, in quo succinxerat nummos æreos, liquefecit & fudit totum. Verè hæc fuit *Vox Domini intercidentis flammam ignis*: nam vim eius intercidit; vt, per interualla, vreret, & parceret, Deoque ad nutum obediret. Quod etiam, in miseranda illa Macliniæ conflagrantione, fecit, quæ An. 1546. ex fulmine accidit. Apud cauponem, cui nomen Croes erat, conuiuæ chartis ludebant, quibus, dum, deficiente zytho, caupo in cellam descendit, tantus tempestatis extitit impetus, vt auulsa à fundamentis domus, procul abiecta sit, & oppressi lusores, adhuc chartas manibus tenentes, reperirentur, nemine illius domus saluo, præter cauponem, qui concameratæ cellæ beneficio, inter dolia, homo fortasse non doliaris seruatus est.

Plutar. lib. 4. q. q. conuiual. 2.

Psalm. 28. 7.

Gilb. Cogn. lib. 8. Narrat.

XI. Prodest ergo, & defendit ignis innocentes, & laudat Dominum flamma, quæ ei ancillatur. At etiam offendit? etiam in cineres redigit? Vel innocentes sunt illi, quos lædit, vel igne digni. Si innocentes, Laurentios, Vincentios, Pionios, Carolos Spinolas, Apollonias, Affras, Hilarias, Eutropias, Eunomias, Dignas ex eis efficit. *Nam, sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus*; vt dicere possint: *igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Quod si verò elemento hoc vstulantur iniqui, non est id iniquum. Habent quod merentur. Sentiunt quod iustitia his verbis exigit: *Inueniatur manus tua, omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui: Dominus, in ira sua, conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Ita sæpius contigit. *Negan-*

Prouerb. 17. 3.

Psalm. 16. 3.

Psalm. 20. 9.

Sapiēt. 16. 16.

tes

tes enim te (ô Devs) *nosse impij, per fortitudinem brachij tui, flagellati sunt: nouis aquis & grandinibus, & pluuijs persecutionem passi, & per ignem consumpti. Quod enim mirabile erat: in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* VINDEX EST ENIM ORBIS IVSTORVM. *Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia, sed vt ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem. Et, quodam tempore, supra virtutem ignis, exardescebat vndiq;, vt iniquæ terræ nationem exterminaret.* Quis artifex opere se suo non defendit? suâ se hastâ protegit hastarius; suo gladio machæropeius; solus Deus mundum fecerit, quo, contra illum, homines vtantur, & ille non vtatur eodem, contra illos? Enimuerò *pugnabit cum illo orbis terrarum* Sap. 5. 21. *contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.* Quæ omnia, in aliquot tremendæ narrationis exemplis ostendemus contigisse.

XII.
Thom. Cantiprat. lib. 2. apum, cap. 67. §. 4.

Primum recenset idem, qui supra laudatus est, Thomas Brabantinus, his verbis: *Marchia, in Flandria atq; Brabantiæ districtu, villa populosissima sita est, in qua dedicatio celebrata multos, ad spectacula & ludos, traxerat. Inter quos, vt à Magistro Gulielmo bono & litterato presbytero, & de eisdem partibus nato, percepimus, quidam tibicen erat, qui chorisantes iuuenes & puellas, saltationibus & gesticulationibus suis, ad carmina obscœna & turpia, concitabat. Hinc, cælo nubibus circa vesperas obscurato, quiq; ad propria redierunt, solo autem tibicine nondum lusibus satiato, per viam ad solita remeante, & canente tibia, & saltante, & posteriorum sonitibus turpiter insonante, duo pueri pastores, vbi tonitrua & coruscationes imminere viderunt, ad dumeta fugerunt, &, eis videntibus, in tibicinem fulmen incidit, & extinxit, & eius brachium amputauit. Nec mora. viderunt pueri, quòd duo nigerrimi canes, ex insperato, venerunt, & inter se pendulum extincti brachium deportarunt. Hæc, post tonitrua, nuntiantibus pueris, amici venerunt, & cadauer mortui ad propria detulerunt; Manè autem, dicente presbytero, quia in atrio fidelium sepeliendus non esset, quem in ludis turpibus, tam notabiliter tonitruum occidisset, responderunt amici: etsi extinctus sit tonitruo, tamen ad dedicationem Ecclesiæ peregrinus, cum alijs, occurrit. Permisit ergo Presbyter, etsi dolens, vt in atrio sit*

sepultus. Et vide rectitudinem diuini iudicij. Manè facto, sepulchrum patens inuentum est, & loculus, in quo iacuerat, vacuus & eiectus, cadauer verò, vt optimè credi potest, sicut eius brachium, à Dæmonibus asportatum est. Nota ergo, lector, quia tali vindictâ digni sunt, etsi eos, parcente Deo, tales semper casus non puniant, qui, turpibus ludis & cantibus, sacra fidelium atria & Ecclesiam inhonorant. Hoc primum exemplum docet, nubibus ac tempestatibus, non solùm maiestatem Dei hominibus innotescere, sicut quondam contigit, cùm Moysi decalogus, in monte Sinai, traderetur, quando *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire mõtem;* &, quando, auditâ voce diuinâ, turba *dicebat, tonitruum esse factum:* sed etiã, coruscis his ignibus, iram Numinis ostendit, peccatores, cum authoritate, punientis. Ita minitans dixit: *si acuero, vt fulgur, gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam.* Quod in hostibus suis etiam Dauid expertus dixit: *Tonabit de cœlo Dominus: & excelsus dabit vocem suam. Misit sagittas, & dissipauit eos; fulgur, & consumpsit eos.* Quod An. Christi 1222. in quodam Saxoniæ theatro, non sine tragico luctu, spectatum est, vbi subitum fulmen homines adeò viginti, momento absumpsit; vt, leuissimo elemento, grauissimè punirentur obscœnæ leuitatis amatores; solus Sacerdos euasit, qui cæteris tamen, ob scandalum, plus videbatur, peccauisse. Sed *sæpe Deus Sacerdotibus parcit propter ordinem: sicut legitur de Aarone, quem non percussit lepra, sed sororem; cùm tamẽ non legatur, sorore minùs peccâsse: vel fortè, in eo, aliquid boni, Deus præuidit, propter quod illi pepercit. Quod verò aliquando, ob huiusmodi leuitates, Deus, Sacerdotes puniat, præsto est exemplum;* ait idem author, cuius verbis ipsa sinceritate à fabula vindicatis, vtile fuerit plura hîc apponere.

Exod. 19. 16. Ioan. 12. 29. Deuter. 32. 41. 2. Reg. 22. 14. Cæsarius lib. 10. cap. 28.

XIII. Idem Author eod. lib. 10. cap. 29.

Est villa, in Episcopatu Treuirensi, Elisatia vocata, inquit, *in qua, anno præterito, quartâ feriâ, ante natiuitatem sancti Ioannis contigit, hoc grande ac terribile miraculum. Sacerdos loci, Henricus nomine, dum sederet in taberna, facta est intemperies aëris maxima, quo festinante, cum Campanario suo, in Ecclesiam, cũ campanas pulsarent, creuit & tempestas, & nebula, & inenarrabilis strepitus aëris, in Ecclesia, vehemensq; repentè ictus turbinis prostrauit vtrumque, Clericum scilicet, & Campanarium, ita quòd Campanarius, sub Clerico, jacebat. Campanarius*

verò in nullo læsus est, Clerico extincto, cuius genitalia exusta sunt, reliquo corpore intacto, quæ filius eius accurrens, calcando extinxit, & auulsit. Ex quo patet, fornicatorem illum fuisse. Vestimenta verò eius ita sunt lacerata, vt nulla particula cohæreret solidæ parti, nec solida essent; exceptâ illâ particulâ, in qua dependere solebat manipulus, in sinistro brachio, sed stiualia sua, quæ noua erant, ita sunt dilacerata, ac si fuscinulis dißipata essent, soleæ verò sic sunt fractæ, ac si in aqua feruida fuissent decoctæ. Campanarius verò, in maximo timore & stupore jacens, vidit dæmones insultum facientes in Ecclesia: sed & capsula, quæ erat post altare, prosiliit super altare, & apertura facta est in eâ, quæ adhuc ita remanet. Sancti verò, quorum reliquiæ ibi sunt, egreßi fortiter resistebant dæmonibus, & factum est, inter Sanctos & dæmones, vehementißimum certamen: tandem deuicti dæmones, cùm corpus Domini asportare non possent, partem tecti secum abstraxerunt. Refert idem Campanarius, quòd corpus Sacerdotis, vsq; ad tectum turris, sub quâ simul pulsantes steterant, & sub quâ prostrati jacebant, violentia dæmonum aliquoties sit raptum, sed beneficio Sanctorum relapsum. Aiunt, Clericum eundem tunc de nouo acquisiuisse coronam chorisando, quam quasi victor, juxta domum, suspendit, vt ibi stulti homines luderent, ducerentq; choreas. Subiungit, his narratis, Apollonius: *Sicut in hoc Sacerdote considero, in laceratione vestium atq; calceamentorum, Deus puniuit superbiam; sic in exustione genitalium luxuriam* Respondet Cæsarius: *benè sentis, quia sæpe pœna respondet culpæ. Hoc etiam scire te volo, & probare exemplo, quòd sicut Deus, vt dictum est, malos per fulmina, atq; tonitrua de cœlo punit, ita per eadem aliquando bonis succurrit.* Dixit quidam: *Multa, ex quo fuerint commoda, eius incommoda æquum est ferre.* Commoda ergo ignis cùm sint plurima, nemo debet de illius incommodis conqueri. Quanquam pro incommodo habendum non est, si igne cœlestis judex reos plectat, cùm eâdem opera vel moneat, vel defendat innocentes. Tradunt operas mutuas, Iustitia & Misericordia Numinis. In quam rem pergit Author.

Richvvinus cellarius noster, cùm, die quadam, tempore discordiæ inter sæpe dictos Reges, de Colonia exiret, non procul ab vrbe, plures armatos ex latere stratæ publicæ, in suis dextrariis sedere conspexit, quibus visis, cùm satis timeret, vnus ex eis cursu rapacißimo ad eum veniens, equum eius per frænum tenuit; quem his verbis superbè allocutus est, XIV. Idem lib. eod. cap. 30.

 dicens:

dicens: Domine Monache, descendite, oportet me habere equum istum. Vix verba finierat, & ecce, Dominus, non verbo, sed tonitruo prædoni, pro seruo suo, respondit. Nam, cùm, totâ illâ die, nulla fuissent audita tonitrua, ictus tam validissimus inopinatè personuit, vt equus satellitis genibus terram peteret, & ipse nutantis tergo vix inhæreret: moxq́; manũ à fræno monachi retrahens, ait satis humiliter: Ite in pace, bonus enim vir estis, cui ille regratians lætus processit, diuinitus se liberatum recognoscens. Hæc mihi idem Richvvinus, ore suo, confessus est. Quàm sæpe nunc, prædones dicam, an milites, viatorem inuadunt; spoliant, neque equo duntaxat, sed omnibus, quæ secum defert, priuant? immo vitam ipsam emere cogunt, vt omnia simul eripiant? Et deest fulmen? & non tonat? nec cœlum murmurat? murmurabit aliquando, tantò truculentiùs, quantò mitiùs nunc gladium in vagina continet, vt & patientiæ alij, & pœnitentiæ prædones tempus habeant. Non desunt illi arma, nec deest caussa, *cui militat æther*, cui in conspectu sunt humana scelera; sed suâ patientiâ, patientiam nostram erudit. Quanquam, si vult plectere, aut si vult suos defendere, non opus est illi, ignem de cœlo vocare; etiam in terris ignem habet, qui illi, qui seruis illius famulatur.

XV. Ibid. cap. 31.

In Episcopatu Coloniensi, oppido imperiali, quod Dousburg dicitur, vidua quædam ceruisiam braxare ac vendere solebat. Die quadam, cùm ciuitas casu fuisset incensa, ipsumq́; incendium domui eius appropinquasset, illa, iam non habens spem in auxilio humano, ad diuinum confugit. Nam omnia sua vasa, quibus ceruisiam emptoribus mensurare solebat, ad ostium domus, contra flammas ponens, in multâ cordis sui simplicitate, sic orauit, dicens. Dominus Deus iustus & misericors, si vnquam aliquem hominem his mensuris decepi, volo, vt domus hæc comburatur, si autem feci, quod rectum est in oculis tuis, precor iustitiam tuam, vt, in hac hora, misericorditer respicias necessitatem meam, & mihi, meæq́; supellectili parcere digneris. Mira fides fœminæ, mira Dei humilitas: is, qui dixit, quâ mensura mensi fueritis, remetietur vobis, ac si oratione fidelis viduæ conclusus fuisset, flammas omnia in circuitu deuorantes, à domo eius compescuit, cunctis stupentibus, quòd ignis furens materiam cremabilem lamberet, nec incenderet. Quid erat hoc aliud, quàm iustissimæ fœminæ æquitatem, flammis illustrare? quàm multi alij caupones, aut mercatores, si sua vasa, vel mensuras, ad eundem modum in-

cendio

cendio opponerent, lustrarentur, non illustrarentur. Allicerent enim, non arcerent, illorum vasa ignem, qui illis injuriarum dicam ab hospitibus & emptoribus scriptam, perspicuè manifestaret. Nouit enim, & ignis caussas decidere, Deo jubente. Ita in manu illius est omnis creatura, sæuit, vel parcit, ad nutum Conditoris. Nec, si secum argumentis putet, meliùs eam vllus subditiuus Dædalus condere potuisset. Apparet ergo, tonitrua & fulmina, & ignes, & incendia, non naturæ tantùm, neque tentatoris duntaxat Stygij, sed etiam Dei esse, & aliquando quidem defendentis, sæpe tamen etiam terrentis, aut punientis instrumenta.

CAPVT IV.

Æquitas bonitasq́; diuina, in tempestatibus, & mundi elementis, Pharaoni, Alphonso X. alijsq́; luculentè ostensa.

Gigantes olim, cùm Iouem vellent cælo pellere, fingun- I.
tur à Poëtis fulminum iactu deturbati. Nimirum vt vel Virg. in
fictum Devm docerent, in picturis ac statuis, meritò ex- Ætna.
primi, rubente dextera fulmen vibrantem, sumpta occasione, ex
turri *Babel*, montes montibus impositos cecinerunt. Vtque vel in Gen. 11.
mortuis vindictæ esset monimentum, scripserunt, Typhoeum sepultum, quoties in latus se vertat, flammas & aquas, ex insula,
euaporare. Qua de caussa Strabo fabulam natam memorat, quòd Strab. lib. 5.
cùm Eretrienses, & Chalcidenses, in Pithecusis insulis, habitarent, terræ frugibus atque auri fossione beati, inde, ob terræ motus, ex halantes ignes, aquarum feruores, & mare inualescens, excedere coacti sint. Huius enim generis eructationes habet insula, ob quas etiam missi ab Hierone tyranno Syracusanorum coloni, paratum iam à se murum compulsi sunt deserere. Hæc natiua soli damna, eiuscemodi fabulâ Poëtæ excusauerunt. Sed non opus est ad fabu-
las confugere. *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos* Prouerb. 3.19.
prudentia: vbi voluit, posuit bitumen, sulphur, & ignes, quæ & ipsa cedunt in hominum vtilitatem. Nam & bitumine muros Se-
miramis struxisse dicitur, & aqua *bituminata & nitrosa, qualis* Plin. l. 31. c. 6.
Cutilia, vtilis est bibendo, atque purgationibus; & eiusmodi ignes de terra, aut cœlo erumpentes, vt iam olim docuit Tertullianus

Eccl. 10. 4. Iob. 11. 19. Gen. 19. 24. imago sunt inferorum. Denique *in manu Dei potestas terræ.* vnde sæpenumero *terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vsq́ ad fundamentum.* Quod factum est, quando *Dominus pluit super Sodomam & Gomorham sulphur & ignem à Domino, de cœlo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia:* item, quando Moyse virgam in Exod. 9. 23. cœlum extendente, *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura, super terram: pluitq́ Dominus grandinem super terram Ægypti. Et grando & ignis mixta pariter ferebantur, tantæq́ fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit, in vniuersa terra Ægypti.* Sed sæpe, vbi forti medicina opus est, per tonitrua concionatur, per fulgura illuminat mentes, dum cæcat oculos DEVS, quod non Act. 9. 3. solùm factum est, quando Paulum *subitò circumfulsit lux, de cœlo,* & ille *cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* voce pariter & luce percussus: sed etiam regi in cælum ferocienti, cui de ingenio atque sapientiâ suâ stulta opinio fastum fecerat, forti manu, deprimendum. Verùm operæ pretium erit, rem deductiùs narrare.

II. Roder. Santius 4. p. hist. Hisp. cap. 5. Tradit, in Hispanorum annalibus, Rodericus Santius Alphonsum X. huius nominis Ferdinandi III. filium, non minùs superbiâ, quàm honoribus elatum, eo supercilio fuisse, vt ipsa etiam diuina opera, quæ perfectissima, & cum summa sapientia, pondere, numero, & mensura creata sunt, auderet, sub censuram suam, nouus Momus rapere. Iam hoc illi, in mundo, displicebat, iam illud. Hyems nimis frigida, æstas nimis calida erat: cælum nimis altum, mare nimis profundum. Nec hominis illi satis probabatur fabrica; cornutos omnes esse voluisset magisq; nasutos. Qualis scilicet ipse erat, cui nasus fuit plus quàm Rhinocerotis. Atq;, vt videas, apud superbos, nullum esse terminum insaniendi, eò Alphonsus hic progressus est, vt sacrilego ore palam iactaret: *si ipse, à principio creationis humanæ Dei altißimi consilio interfuisset, futurum vtiq;, vt nonnulla meliùs ordinatiusq́ conderentur.* O vana! ô funesta! ô impiè superba amentia! Itáne Marsyas Ouid. lib. 6. Metam. prouocat Apollinem? discipulus docet Magistrum? homo stultissimus æternam sapientiam emendat? Aliter sapiens ille loquitur, qui Eccl. 3. 14. ait, *non possumus eis* (operibus DEI) *quidquam addere, nec auferre.* Nec

aliter alter, qui ait: *Magnificata ſunt opera tua, Domine, omnia in ſapientia feciſti.* Nimirum ſtultitiam ſuã prodit, qui ſapientiam carpit: atq;, qui ſe, cœleſtibus oculis anteponit, cæcitatem ſuam oſtendit: non ſecus, ac ſi talpa lyncem, noctua aquilam velit ducere. Qua de cauſa diligenter monet ille ſolicitus parens: *ſuperbiam nunquam, in tuo ſenſu, aut in tuo verbo, dominari permittas.* Permiſit hoc ſuperbiæ dominium, & in ſenſu, & in verbo ſuo ebullire Alphonſus; & quò eum non impulit? Ne joco duntaxat flagitioſa illa verba protuliſſe videretur, de ſuo ſenſu confidens, idem arrogantiſſimum, & ſtolidiſſimâ vanitate pleniſſimum dictum identidem repetiuit. Audijt has, in cœlo, voces DEVS. Quo ſenſu audijt? quo Apelles, quo Zeuxis, quo alius minorũ gentium artifex audiuiſſet ſutorem, abſolutiſſimum ſuum opus, etiam vltra crepidas, Theonino dente, carpentem? Si ſic Thraſo quiſpiam locutus fuiſſet, Praxitele audiente, nonne ſcapulas perdidiſſet? Nunquid Alphonſus dignus erat, cuius ſe pedibus terra dehiſcens ſubduceret? quem, cardinibus euulſis, cœlum ruens (ſi vllum illi pondus ineſt) obtereret? & cui ſe Tartarus, totis oſtijs, panderet, in mille gehennas? Digniſſimus ſanè erat. Sed mirabilis eſt diuinæ miſericordiæ immenſitas, quæ humanam inſipientiam ſæpe antè erudit, quàm ferit.

Pſalm. 71. 17.

Tob. 4. 14.

III. Miles erat, *Petrus Martini de Pampliega* dictus, cui id officium fuit, vt infantis Manuelis curam gereret, illiq; eſſet, quod Chiron Achilli, inſtructor & manuductor. Hic, præter communem militũ morem, abdicata rerũ vanitate, Numini colendo totus intentus, in ſomno, aſpectabilem habuit juuenem, cãdido amictu ſplendidum, & formâ humanâ auguſtiorem, vt facilè Angelum eſſe conijceret; ab eo hæc verba audiuit. *Lata eſt, in diuino tribunali, contra Regem Alphonſum, ſententia. Hæreditate excidet, &, ni reſipiſcat, crudeli morte, interimetur.* Exterruit hæc vox militem, qui, ſopitis adhuc ſenſibus, cauſſam tantæ comminationis cùm ſcire vellet, cauſſam Angelus aperuit, nempe licentiam loquendi, quæ ſummates, nullum ſupra ſe metuentes, eò prouehit, vt quidquid libet, dicere ſtatueréq; non vereantur; quaſi licitum ſit, quod à mortalibus non timetur puniendum. Addidit ſacrilegam eſſe temeritatem, diuina opera corrigere molientis; ab hac ni deſiſteret, atrocia mala experturum Regem; idq; ei ſignificare militem jubet, adjecta ſeria exhortatione,

pœni-

pœnitentiæ de tanta ſtoliditate non procraſtinandæ. Tantâ patientiâ pium Numen & ſuſtinet, & lucrari vult Encelados iſtos cœlum expugnare cogitantes, & in ſuperos arma mouentes, de terra natos, & in terram reuerſuros, qui, cùm vix ſint idonei, ad opus ruri faciendum, audent DEO leges dare, & recta praua facere.

IV. Miles, vt erat diuini honoris ſitientiſſimus, non diu cunctatus, illico Regem, apud Burgos commorantem, adijt, petitoque colloquio ſecreto, primùm ei expoſuit, quæ viſu, deinde etiam quæ auditu acceperat: poſtea oratione vehementi ſuadere cœpit, vt tam blaſphema verba, quæ delirando illi exciderant, etiam atq; etiam, coram iiſdem, qui audierant, retractaret. Mirare hîc, Lector, nouum (ah nimis antiquum & conſuetum) certandi genus. Summa DEI bonitas, cum ſummâ hominis malitiâ pugnat; & certat illa, vt clementiâ; iſta, vt pertinaciâ vincat. Mittit legatum offenſus ad offendentem; ſuggerit Dominus ſeruo veniæ modum; monet judex reum, vt caueat fugiatque ſupplicium. Quæ
Pſalm. 59. 6. maior poſſet eſſe bonitas? non tantùm dat *metuentibus ſe ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*, ſed & perſequentibus! At quid ille, *cui robur & æs triplex, circa pectus erat*, quid fecit adamantinus Alphonſus? quia iam præualuerat in vanitate ſua, militis monitionem, cum riſu, accepit, & acerbo ſarcaſmo. Quin illico exceſſe iuſſit, peruicaciſſimè ſacrilega illa repetens: *ſi tempore creationis humanæ interfuiſſet, plurima meliùs ordinari potuiſſe.* Olim, pro magno abſurdo habebatur, ſi ſus docere Mineruam voluiſſet: aliquid abſurdius noſtra ſæcula audierunt. Poteſtne humana ſuperbia altiùs aſcendere? olim, in Lucifero, iuxta DEVM; iam in Alphonſo, ſupra DEVM aſcendit, quem putare audet, homine minùs ſapientem. Quid hîc par fuit facere diuinam Maieſtatem? in quod non calamitatis barathrum debuit hunc Regem præcipitare? Ex æquo feciſſet, ſi eum iuxta, aut infra ipſum Luciferum, in inferni infima, & vltima, applauſiſſet, tam nouum, & impium æmulum diuinitatis.

V. At vide cæleſtis Clementiæ immenſitatem. Expulſo, cum ignominia, pio milite, ac fideli monitore, pauci ierant dies, cùm iam Rex apud Segobiam, verſaretur, Eremitæ cuidam ſanctiſſimo viro, eadem de Rege diuinitus oſtenſa mandataque ſunt, quæ priùs

militi

militi fuerant reuelata, & mandata. Eremita nihil prius habuit, quàm vt Regem adiret, eique, quę vidisset, quæ audijsset, ordine referret, hortaretúrque, ad tam detestandam, de diuina Sapientia, blasphemiam quantocyùs retractandam, pœnitentiaque exemplari diluendam. Poterat hæc iterata monitio, fidem priori facere. poterat vel corneam fibram emollire; sed verba fiebant mortuo. Alphonsus, saxo durior, tanquã alter Sennacherib, in blasphemia perstitit; velut nouus Nabuchodonosor, in superbia confirmatus, pro eo, vt diligeret Eremitam, toruo vultu, & corrugato naso, percussit, iratissimáque voce, vt insipientem, abire à se procul in malam rem jussit, iterum nefanda illa verba repetens: *Si tempore creationis humanæ interfuisset, plurima meliùs ordinari potuisse.* Nempe Holofernem aut egit, aut imitatus est, Achior increpantem, quòd soli Deo potentiam attribuisset. Væ vobis, Principes, væ Reges, si eò per fastum elati estis, vt neque primipilos militum, neque bonos consiliarios, neque viros religiosos, neq; ipsos confessarios, aut Eremitas ampliùs audire sustineatis. Obduratæ aures, obdurati cordis sunt argumentum: & obduratum cor, magnum est aut pereuntis signum, aut perituri.

Quanquam non rarò Devs misericordiæ suæ omnipotentiam, etiam in istis saxis, ostendit. Accipite enim, obsecro, quid porrò contigerit huic, tam diu Christianum Pharaonem agenti. Proximâ nocte, tenebris horrorem augentibus, tandem sese cœpit exerere diuinæ maiestatis ira. Primùm insoliti venti, & spiritus procellarum, concussis arborum ramis, & ædificiorum fundamentis vesanissimè fremuerunt. Crepabant fenestræ; tremebant ianuę, quatiebantur muri, mænia ipsa videbantur collapsura. Caliginoso & nocturno cælo inducebantur fœdissimæ nubes. Eæ inter se, Aquilonum vi, collisæ in repentinam flammam emicabant: fulguraq; metuenda identidem, è tenebris, coruscantia oculos perstringebant. Fulgura aërem incendentia, sequebantur horrenda tonitrua, quæ, abrupto fragore, ipsam mundi compagem videbantur solutura. Nec fuêre fulgura illa è pelui, sed terrifico lumini fulmina tam densa miscebantur, vt cælum cadere videretur. Nimirum *tunc intonuit de cælo Dominus, & Altißimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis: misit sagittas suas, & dißipauit eos: fulgura multi-* Psalm. 17.

VI.

plicauit, & conturbauit eos. Nam, *Qui sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent?* Nonne quorum conscientia clamat, DEVM se habere inimicum? Quid ergo tunc animi Alphonso putemus fuisse? cùm præsertim & tempestas, & circumstantes venti, & fulminum jactus, illi semper fierent viciniores? Trepidabat Rex, sed, ad salutaria stupidus, non emendabatur. Itaque propiùs censuit ira Numinis feriendum. Fulmen trisulcum in ipsum eius cubiculum destinat, quo & Regis & Reginæ vestes extempló combustæ, atque in cineres redactæ fuerunt. Ibi enim è veterno excitatus Alphonsus, sed attonitus, & vix loqui valens, cubicularios vocat, jubétq; Eremitam, ante aliquot horas, cum indignatione, abactum, actutum reuocari. Sed erat ea tempestatis vehementia, vt è palatio exire nemo posset. Repetitis igitur cæli mugientis fragoribus ictibúsque, & corusco fulmine alia super alia incendente, immensum auctus est Regis metus, vt augeretur & desiderium Eremitæ reuocandi. Quem vt tandem vidit Rex ingredientem, iam longè à se alius ad pedes eius procidens; *Ego*, inquit, *sum, qui peccaui.* Eremita verò,
Eccl. 10. 21. *Homo acharis*, ait, *quasi fabula vana.* Et: *Quis posuit in visceribus*
Iob. 38. 36. *hominis sapientiam?* Nuncquid Altissimi Consiliarius tu es? O vtinam, Rex, memor fuisses verborum Regis sapientissimi Salomonis;
Prouer. 30. 8. *Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.* Vides nunc omnipotentiam DEI? Vides, cur fulmina condiderit?

VII. Si homines diuina affectare, si Pelion Ossæ imponere, si se gigantes existimare volunt, *pugnabit cum illo Orbis terrarum, contra*
Sapi. 5. 21. *insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, &, tanquam à benè curuato arcu nubium, exterminabuntur, & ad certum locum insilient;* in intimum tuum cubile penetrabunt; pectus tuum ferient: hoc satis est Creatori, si habeat tales satellites, honorísque sui defensores.
3. Reg. 18. 38. Tales habuit Elias, & tunc, quando frustra clamantibus sacrificu-
4. Reg 1. 9. lis Baal, elicuit ignem de cælo, ad absumendum holocaustum; & tunc, quando Ochozias *misit ad eum quinquagenarium Principem, & quinquaginta, qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum, sedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, Rex præcepit, vt descendas. Respondénsq; Elias, dixit Quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaq; ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo. Rursúsq; misit ad eum*

Princi-

Principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit Rex, festina, descende. Respondens Elias, ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cælo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius. Nunquid tunc fulmen inutile fuit, quando hominem DEI defendit, & hostes DEI extinxit? sicut & Iudâ Machabæo pugnante. *cùm vehemens pugna esset, apparuerunt aduersarijs viri quinque de cælo, in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes, ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conseruabant; in aduersarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia, quingenti, & equites sexcenti.* Olim *duo fulmina belli Scipiadæ* dicebantur. Hi duo Angeli, immo quinque, an non æquiùs *belli fulmina* poterant appellari? Machabæo autem, an fulmen nō profuit? exercitum totum Israëlitarum, immo cœlū ipsum defendit, vt verè *fulminatrix legio* posset appellari. Quin & tibi, Rex Alphonse, profuit: terruit, vt resipisceres; & vel iam tonat, vt minis erudiaris. Adhuc misericordiam sperare potes, si te sinis doceri; sin in amentia tua perseueras, & fulmen, & æternos ignes expecta, in pœnam desperatorum, creatos; *Tunc demum ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Nunc tantùm præluditur. Nunc fulgurantem vidisti: nisi in tempore sapis, experieris fulminantem DEVM. Tunc idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicabitur.

2. Machab. 10. 29.

Psalm. 97. 4.

VIII.

Rex & oratione ista fulminatus, & metu tam tremendæ tempestatis iam antè perculsus, primùm cœpit, publicè, nefandas suas blasphemias retractare, ac illud: *Bene omnia fecit*, profiteri. Deinde instantis mortis gehennæque formidine, eidem Eremitæ peccata sua voluit confiteri. Mox, magno animi mœrore, ac eiulabili pœnitudine doluit, à se Numen, tantâ stultitiâ, quantâ superbiâ offensum. Secutæ sunt dolorem hūc amarissimæ lachrymæ. Stupendum dictu, quò ille vehementiùs fleuit, eò se magis fregit tempestas; quæ tantò serenior effecta est, quantò ille vberiores imbres fudit lachrymarum. Neque desijt ille insanias suas antè deplorare, quàm DEVS & cælum ad liquidum tranquillaretur. Sic fulminat misericors Dominus: vt ostendat superbis errorem suum; ad mo-

Matth. 7. 37.

deſtiam eos redigit, docétque, vel in hoc, magnam eſſe fulgurum, tonitruum, fulminumque vtilitatem. Alphonſus certè aliter, poſt illa, ſenſit, aliter vixit, piéque pœnitentiâ actâ, apud Hiſpalim defunctus, cor ſuum euiſcerari, Murtiam deferri, & in templo S. Mariæ, quod magnificè conſtruxerat, ſepeliri juſſit. æternum diuinæ potentiæ, patientiæque monimentum. Ita, qua potentia, Apollinis in Daphne idolum, ac Iuliani Apoſtatæ, contra Babylam martyrem, inſolentiam fulmen deiecit, deiecit & ſuperbiam Alphonſi.

Baron. in Martyrol. 24. Ian.

IX.

Dan. 3. Pſal. 34.

Quis hanc hiſtoriam narrari audiens, non dicat: *Benedicite fulgura & nubes Domino?* Nam coruſcationes hæ & iram, & miſericordiam Dei luculentè patefecerunt. Cùmque *ſint omnes viæ Domini miſericordia & veritas*, neceſſe eſt, mundo exhibere, non tantùm benignitatem erga homines, ſed etiam opera juſtitiæ vindicis peccatorum. Si enim vindicta non eſſet, pauci ſe cælo dignos facerent, pauci virtutem ſectarentur; ſed propè omnes in flagitij ſeſe cœno volutarent. Vtitur ergo Devs creaturis ſuis, quas armat in peccatores. Sic igne vſus eſt, quando Sodomam & Gomorrham, Adamam & Seboim, cum vicinis locis, ignis ſulphurei nimbo exuſſit. Sic, Dione & Xiphilino teſte, vſus eſt igne, quando *fulminatrix legio*, imbrem de cælo bibit, hoſtéſque Chriſtianorum, prodigiosè impetratis fulminibus, attriuit. Sic non ſolùm in fabulis, de Encelado Titani & Terræ filio, cæteriſque Gigantibus Iouem in cælo oppugnãtibus ſemiuſtis, aut in Romanis de fulmine in ipſam Neronis menſam delapſo; aut rurſum in Chriſtianis, de Olympio Carthaginenſi Arriano, Epiſcopo, in Balneo publico, SS. Trinitatem deteſtante, tribus fulminibus icto, & in cineres redacto; ſed etiam de Chuga Barbarorum in Theodoſium conſpirantium duce fulmine tacto legimus. Sic de Rege Francorum Theodorico memorat D. Gregorius Turonenſis; nam dum feneſtras atq; ianuas templi fregiſſet, vt eò receptos ſpoliaret, fulmine de cælo tactus inferni raptoris ſpolium ipſe fuit. Sic, in Peruana hiſtoria, refertur, gentem quandam giganteæ magnitudinis Sodomitico peccato fœdatam, Sodomitico etiam ſupplicio perijſſe. Deſcendit enim de cœlo, viſibili forma, juuenis, qualem Daniel deſcribit, inſtar Solis radios jaciens. Hic coruſcante manu, triſulca fulmina ſupernè in eos ſparſit, omnéſque, ad vnum, momento extinxit. Aiunt veſtigia horren-

Gen. 19.

Dio in Marc. Aurel. Baron. anno, 176.

Gregor. Turon. li. 3. c. 12. de reb. Frãc.

Ioſeph. à Coſta. lib. 1. c. 19. de Nat. noui orb.

horrendæ aduſtionis, tam in ſaxis, quàm in oſſibus interfectorum, adhuc reperiri. Pari pacto multas & ædes, & vrbes, & homines, incendia depopulantur, DEO ſcelera vindicáte, qui etiã in vindictam malefactorum, ignem æternum, *diabolo, & Angelis eius, præparauit.* Matth. 25. 41.

X. Quanquam hoc mirum non eſt, ſi vel extimulet, ad flagitia deſerenda, DEVS; vel ea deſerere nolentes, fulminibus, grandinibuſue extinguat. Miriſſimum eſt, tempeſtates non rarò malis parcere, ac ſæuire in innocentes. Cur hoc DEVS agit? cur permittit? Mille cauſſas habet, ſiue agat, ſiue permittat. Quis enim ei præſcribat, qua ratione debeat exercere innocentes, aut, è vita hac, ad ſe, in momento euocare, quod fecit, quando ſanctum illum virum, tot virtutibus ac miraculis inſignem Simeonem Stilitam fulmine de columna deiectum, ad cælum euexit. Tametſi enim Eccleſia rectè nos doceat orare: *à fulgure & tempeſtate; itémque, à ſubitanea, & improuiſa morte, libera nos Domine;* quia multos fulmen & *ſubitanea*, ac præſertim *improuiſa mors* inuenit imparatos: ſi tamen quis ad moriendum ſit paratus, atque ad extremum illum agonem accinctus, grande poteſt eſſe, & corpori & animæ beneficium *mors ſubitanea*, ſiue celeri ſagittâ, ſiue globo plumbeo, ſiue gladio ferreo, ſiue fulmine illata; antè enim, quàm mors talis ſentiatur, iam eſt tranſacta: aut certè idem eſt tangi & mori, ſentire & finire dolorem. Quantis igitur moleſtijs morborum & pharmacorũ, & hæreditatem ambientium, & inſomniorum, & tormentorum liberat mors præcipitata? quæ etiam magno compendio, abſoluit animas ad moriendum ſemper paratas. Nam quantis ea angoribus, quantis dæmonum machinationibus, quantis tentationum procellis filum incidit? Grata eſt mors mortem optantibus, ſi cita venit; & quò compendioſior; eò clementior. Solet etiam DEVS malo dæmoni non rarò poteſtatem facere, vt grandines ſpargat, vt fulmina jaciat, vt nimbis, turbinibus, pruinis agros populetur. At tunc, quid mirum eſt, ſi dæmon innocentes vexet, & ſibi ſeruientibus parcat, in ſtipendij mercedem? Notum eſt, cur Iobum, igne de cælo cadente, exagitârit. voluit ſcilicet nocentem atque impatientem facere, ex innocente: voluit DEI amicum exagitare. DEVS autem voluit amici ſui conſtantiam atq; fortitudinem toti mundo velut in theatrum producere. Neque grande beneficium

eſt, ſi malorū ſatis & pratis parcit humanæ gentis inimicus. Nunquam is parcit, niſi vt ſæuiat. *Hoſtium dona, non ſunt dona.*

XI. Thom. Cantiprat. lib. 2. cap. 17. §. 3.

In prouincia Prouinciæ, ait Epiſcopus pius, *apud Lemouicas, tempore ætatis noſtræ, Priore Fratrum Prædicatorum eiuſdem ciuitatis narrante, percepimus, tantæ magnitudinis grandines cecidiſſe, vt in vrbibus, villis, atq; campeſtribus tecta frangerentur, demolirentur vineæ, fruges redigerentur in paleas, homines extra tecta, volucres in agris, & pecora, necarentur. Qualiter autem his ſe immiſcuerit ſathanas, breuiter audiamus. Vinearum cuſtos, ſub tugurio in campeſtribus, imminentibus tempeſtatibus latitabat, & audiuit clamantium voces, in aëre:* Caue Caue. *Et alius reſpondebat:* quid cauebo? *Et primus.* Vineam Petri Richardi ne læſeris. *Sopita ergo poſtmodum tempeſtate, ſola vinea Petri Richardi immunis reperta eſt à læſura. Erat autem Petrus Richardus (ſic enim binomius vocabatur) vſurarius peſſimus, & obnoxius multis malis. Ex quo conſiderandum eſt, quia, in comitatu ſpirituum nefandorum, amicos, immò potiùs inimicos, vt ſaniùs loquar, dæmones habuiſſet, qui ei bona ſua, etſi ad vitæ ſolatium, tamen ad perpetuæ damnationis cumulum, conſeruaſſent.* Nonne huic auaro magis profuiſſet, oleum incendio demi, & fomitem ſubduci cupiditati, & adeò, pati, quàm declinare tempeſtatem? Non eſt optabilis clementia parcere, vt ſequantur atrociora. Calamitatis cauſsâ, hoſtis facit fortunatos. Sæpe grando contudit innocentis coloni ſegetem, vt patientiam meteret; ſæpe viri doloſi vites non verberauit, vt felicitate ſuâ inebriaretur. Quod aër, atq; ignis alijs quoque modis non rarò perpetrat. Siue ergo noceat, vtiliter poteſt nocere; ſiue faueat, poteſt fauere perniciosè. Immo ſiue fauere, ſiue nocere videatur, ſemper nocet ijs, apud quos virtus eſt in vinculis, ſcelus in ſolio; prodeſt illis, qui DEVM, in omni tempeſtate, venerantur.

XII. Sigon. lib. 12. Imp. Occid.

Sæpe etiam, contra naturæ ſuæ indolem, vim ſuam exſerere vetatur; vt ea non attingat, quæ Sancti attigerunt. Nam, vt Sigonius refert, cum in hoſpitio, in quo D. Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, in Britannia ægrotus iacebat, graue caſu excitatum eſſet incendium; illud vehementiùs homines mouit, quòd quæ acris hominum ſedulitas cuſtodiuerat, omnia vis ignis exhauſit: quæ verò vir Sanctus tetigit, ipſa omnino flamma non læſit.

sit. Habet nimirum DEVS cælestes quasdam salamandras, qui est *mirabilis, in Sanctis suis.* Neque tres pueri tantùm eiuscemodi Salamandræ fuerunt, sed & alij serui DEI. Vim extinguendi ignis, in salamandra, alij frigori natiuo ascribunt; alij autumant esse fabulosam. Vis domandæ flammæ, in Sanctis, ex alia flamma sancta prouenit: nec est fabulosa. Marcellinus, teste Gregorio Turonensi, Anconitanus episcopus podagra affectus, manibus gestatus alienis, vrbis incendium, ex aduerso se obijciens, derepentè cessare fecit, tam potens virtute, cum pedibus tam debilis esset. Leo IV. Pontifex incendium signo crucis extinxit, quod diu per domos Saxonum & Longobardorum vagatum D. Petri basilicæ appropinquabat, vt Sigonius testatur. Quem extinguendorum incendiorum modum meritò censeas Christianos magis decere, quàm vt, à Iudæis accepta arte, inscriptam certis quibusdam verbis, à Moyse olim pronunciatis, in ignē inijciant schedam. Iudaizant, qui à Iudæis eiuscemodi res discere malunt, quàm à Christianis. Et Iudæi rectiùs Moysis sanctitatem imitarentur, quàm potestatem. Deniq;, vt norimus vtrumq; esse in potestate Sanctorum, defendere scilicet, contra ignes, atque defendi, cùm Romæ Elphegus Cantuariensis archiepiscopus omnibus bonis exutus, & vrbe eiectus fuisset, repentino tecta incendio conflagrare cæperunt. Reuocatus est, suáque oratione incendium extinxit. O quoties sancti hominum patroni, ac præcipuè custodes Angeli non incendia solùm, aut fulmina à capitibus nostris auertunt oratione sua, sed etiam obstant, ne in æternos ignes proijciamur? At nos id tam grande beneficium non agnoscimus, per quod ad DEVM amandum inuitamur; alioqui vtique etiam in ipsis fulminibus, & tempestatibus, laudandi Creatoris argumentum reperiremus.

S. Gregor. Tur. lib. 1. Dial. cap. 6.

Sigon. lib. 5. regni Italiæ.

Marul. lib. 3. cap. 3.

XIII.

Quid quòd aliæ quoq; caussæ atque vtilitates immo necessitates, in igne, atque in aëris intemperie, reperiuntur? Quid sine pluuijs terra gigneret? An non sine ventis aër ignauus putresceret? Fulminum vis, an non omnipotentiam Creatoris manifestat? impingit in nubium latera sicca & calida terræ expiratio, motúque ita incalescit, vt, horribili cum fragore obstaculum disrumpens, omnem bellici tormenti sonitum impetumque vincat. Quid quòd *Ceraunia* (Iaspidis id genus est) nullibi, nisi in locis

fulmine

fulmine ictis, reperiatur? Quid quòd à cuneo Fulminis ramenta & rasuræ ad medicamenta vtiliter adhibeantur? Aliæ quoque vtilitates plurimæ ex igne, aut fulminibus, seu in artes, seu in mores redundant. De rebus Orientalibus memorat Olaus Magnus, apud Gothos & Sueonios, à fulmine tangi montes marmoream duritiem superantes, eorumque ictibus formari tum pyramides, tum columnas, quæ non minore arte excisæ videantur, quàm humano labore, & reliquæ à lapicidis conficiuntur. Quis non miretur hîc opificem Devm? Sed vel maximè hinc mores instruuntur. Vt taceam, Martinum Lutherum Iurisprudentiæ adhuc studiosum, in agro, cum socio deambulantem, repentè, fulminis ictu, minimo minùs, socium autem eius omnino exanimatum fuisse, Lutherumque, ex illo terrore, Monachum factum. An non superbi hîc discunt metuere? Nam sicut fulmen igne id sursum euocante, & vi, qua è nube deijcitur, deorsum premente, obliquo plerumque motu fertur, atque idcirco summos præcipuè montes, & præaltas turres ferit (adeò, vt in Italia, quondam inter Sarracinam & ædem Feroniæ, turres fieri desierint, nulla nempe non earũ fulmine deiecta) ita summa capita plerumq; citiùs, certè grauiùs, à Deo puniuntur. Sicut fulmen valentiora vehementiùs obterit, eò quòd non cedant, *ita superbis resistit Deus, qui humilibus dat gratiam*. Apud Aristotelem, in scuto fulmine icto, æs liquefactum, lignum quia exhalationi transitum dederat, nihil perpessum legitur. Nec similitudine duntaxt, sed etiam reipsâ fulmen superbiam notauit. Tradit enim Orosius, Lucij AElij Equitis Romani filiam fulminatam, omnibus vestimentis ac pectoris pedumq; vinculis dissolutis, monilibusque & annulis discussis. Ita fulmina, ita ignis, ita aër, & tempestates sunt Numinis satellites, & hominum doctores.

Olaus mag. lib 5. cap. 16.

Sur. in com. sub. annum Christi. 1517.

Iac 4. 6.

Orosius li. 5. cap. 15.

XIV. In igne, hominis Devm amantis virtutes intuemur. Vterque ignis lucidus, calidus, celer est. Vterque sursum tendit. Nam & eius, qui Devm amat, lucent opera, calet affectus, nec patitur amor tarditatem: denique cælum versus semper mouetur; nec terram petit, nisi violentiam patiatur. Quid quòd celeritas Angelici motus hinc innotescit? *quippe fulminis ocyor alis* is est. Vnde & Dominus ait: *videbam sathanam, sicut fulgur, de cælo cadentem.*

Luc. 10. 18.

Immo,

Immo & claritas eius fulgure exprimitur. Quippe boni Angeli *aſ-* Matth. 28. 3.
pectus erat, ſicut fulgur. Quin ipſius Filij hominis velocitas &
claritas pariter, cum fulgure, comparatur. *Nam, ſicut fulgur coruſ-* Luc. 17. 24.
*cans de cælo, in ea, quæ ſub cælo ſunt, fulget: ita erit Filius hominis, in
die ſua.* Et, quia *celeritatis*, atque *claritatis* ſimilitudinem habe-
mus, addamus & reliquas duas corporis glorioſi dotes, *impaſſibi-
litatem*, inquam, & *penetrabilitatem*, quæ itidem quodammodo
in fulmine conſpiciuntur. Aiunt enim, fulminis lapidem ob ve-
hementem lentæ & viſcoſæ materiæ ſiccitatem, nulla ratione li-
quari aut emolliri poſſe, tametſi duriſſimi alioqui ſilices liquefie-
ri fundíque, per artem, ſoleant. Quæ eſt vtique quædam *impaſſi-
bilitatis* imago. *Penetrabilitatis* autem longè clarior, in fulmine,
ſimilitudo reperitur. Eſt enim quoddam fulminis genus, quod *cla-
rum* vocant, ſubtile & flammeum, ita terebrans, vt per anguſtiſ-
ſima quæque, ob puram flammæ tenuitatem, effugiat, nimiaque
velocitate tranſiens, nihil denigret; imò vt dolia exhauriat, nullo
ſui veſtigio relicto, intactis operimentis; gladióſque, illæsâ vaginâ,
abſumat; aut nummos, crumena nō attaminata: quin vt ipſa ani-
malis oſſa minutatim conterat, carne integra. Certè, hunc in mo-
dum, Martia Romanorum Princeps grauida, partu exanimato ful-
minata, citra vllum aliud incommodum, ſuperuixit. Eſt & inferni
ignis in fulmine, adumbratio. Etſi enim eo nihil vrat vehemētiùs,
multa tamen fulmina habent, quod Ariſtoteles tradit, de igne in Ariſt. de admir. cap. 3.
Pithecuſis, qui non comburit; aut quod, in vino aduſto, experientia
monſtrat, quo charta, vel pannus imbutus accendi poteſt, combu-
ri non poteſt. Quid, quòd ipſum incendium fulmine excitatum,
&, vt aiunt, vix alio liquore, quàm lacte extinguibile, quemadmo-
dum & Asbeſtus lapis ſemel accenſus, quandam æterni ignis effi-
giem repræſentat? Ita res mala malis, bonis bona fit materia medi- Solin. cap. 12.
tandi; quemadmodum multi in Æthna, Veſuuio, aliiſque ardenti- & S. Auguſt.
bus, & ignem eructantibus, ſaxis ac montibus, immo in ſalis cocti, lib. 21. de Ci-
atque alijs officinis, quas Vulcanus vrit; quin omni flamma aſpe- uit. cap. 6.
cta; inferorum ſibi incendia imaginantur. Quanquam nihil ad
hanc rem cogitandam aptius fulmine.

XV.

Inter varia virtutum merita, inquit venerabilis Beda, *quibus*
inſignitus erat Ceadda, in Merciorum Prouincia Epiſcopus, in tantum S. Beda, lib. 4.

 erat

hiſt. Anglic. cap. 3. *erat timori Domini ſubditus, in tantum nouiſſimorum ſuorum, in omnibus memor operibus, vt ſi eo fortè legente, vel aliquid aliud agente, repentè flatus venti maior aſſurgeret, continuò miſericordiam Domini inuocaret; & eum generi humano propitiari rogaret. Si autem violentior aura inſiſteret, iam, clauſo codice, procideret in faciem, atq; obnixiùs orationi incumberet. At, ſi procella fortior, aut nimbus perurgeret, vel etiam coruſci, ac tonitrua terras & aëra terrerent, tunc veniens ad Eccleſiam ſollicitus, orationibus ac pſalmis, donec ſerenitas aëris rediret, fixa mente vacaret. Cúmque interrogaretur à ſuis: Quare hoc faceret? reſpondebat, non legiſtis?* Pſal. 17. *Quia intonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam, Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos; Mouet enim aëra Dominus, ventos excitat, jaculatur fulgura, de cælo intonat, vt terrigenas, ad timendum ſe, ſuſcitet, vt corda eorum, in memoriam futuri judicij, reuocet; vt ſuperbiam eorum diſſipet, & conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ille, cælis & terris ardentibus, venturus eſt, in nubibus, cum poteſtate magna, & maieſtate, ad judicandos viuos & mortuos; propter quod oportet nos admonitioni eius cæleſti, debito timore & amore reſpondere; vt quoties, aëre commoto, manum ad feriendum quaſi minitans erexerit, nec adhuc tamen percutit, mox eius imploremus miſericordiam, & diſcuſſis penetralibus cordis noſtri, atque expugnatis vitiorum ruderibus, ſoliciti, ne vnquam, quòd percuti mereamur, agamus.* Talia ſanctiſſimus Antiſtes meditatus eſt, alióſq; cælo tonante, juſſit meditari, ad timorem illum excitandum, quo homines mouentur ad rectè agendum, ſaltem vt pœnas à DEO peccatoribus conſtitutas effugiant. Quod cùm proprium ſit ſeruorum, S. Auguſtin. conc. 25. *timor iſte*, ait S. Auguſtinus, *quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſeruilis eſt:* qui non quidem ex amore DEI, ſed ex amore ſui oritur, attamen non idcircò repudiandus eſt, tanquam malus, ſed vt ſalutaris etiam ſæpe, ad peccati cautelam vel medelam, adhibendus; Matth. 10. 28. quem & ipſe Chriſtus præſcribens dixit: *Timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.* Blaſphemis igitur, & impijs vtilis eſt tonitruum & fulminum metus, immo & ſanctis quoque eiuſcemodi rerum terribilium prodeſt conſideratio. Pſalm. 118. Configit enim *timore carnes eorum*, qui ita timent offenſionem DEI, vt ſimul etiam timeant pœnam DEI, per fulmen, infligendam, vel ante oculos ponendam. Vnde plurimi, cum Ceadda, quando tempeſtas

ſtas ingruit, in ſe deſcendunt; pectus pulſant; de Numine offenſo dolent, ad preces conuolant; à peccandi conſuetudine reſiliunt. *Timor ſalutaris, & timor ſanctificationem faciens, qualis ſit vis expo-nam?* ait S. Baſilius, *cùm ad peccatũ aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud, & non ferendum Chriſti judicium. Hæc time, & hoc timore eruditus, animam à concupiſcentia ad hæc mala, velut fræno quodam relide.* Vt autem hæc cogites, è nubibus, in quibus Filius hominis veniet, mundum judicaturus, metuenda auribus tonitrua, terrifica oculis fulgura, nullo adamante excludenda fulmina pariuntur. Aëre igitur in tot minas contracto, cùm paueſcit animus, & vel vnicum horret tantopere ictum, alij ſeſe mutuo ita adhortantur: *Quis habitare poterit de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* alij non tantùm ad Hiſpanicas confugiunt, ſed & ad alias ſibi à Deo impoſitas cruces. Et quid mirum? cum ipſe ſe deſcribat D. Hieronymus, ſe, metu gehennæ, ſolitudinem & duriſſimum vitæ genus elegiſſe: & D. Ambroſius tradat, Martyres, in agone poſitos, timore gehennæ ante oculos mentis propoſitæ, vincere ſolitos earum pœnarum timorem, quæ à carnifice ingerebantur. Ad hunc timorem, quia impellunt fulmina, inde laudanda veniunt, vnde ſunt formidanda. Eſto occiderint multos puniendo, longè tamen plures non igne, ſed ignis timore ſalubriter tetigerunt. Quemadmodum flammei illi, in cælo, exercitus, quos Italia aliquando vidit, timuit, cauit, de quibus D. Gregorius Turonenſis. Vtinam hîc timor multos percelleret, qui cùm viuant in cubilibus, in impudicitijs, in mollitie, in nefandis criminibus, in ſtupris, in corruptionibus juuenum, in ſeductionibus puellarum, in fœditatibus, quæ nec inter beſtias repe-riuntur, denique, more Sodomitarum, tamen nõ metuunt ſulphur, & picem, & ignitas pluuias, & incendia Sodomitarum. Nimirum, quod non metuunt, non cauent; quod non cauent, patientur; & tantò atrociùs patientur, quantò ſunt delicatiores; qui meritò ſibi illam facere poſſent cogitationem, quàm intolerabilis ſit futurus ignis gehennæ, cùm nunc, poſt tot & tanta admiſſa piacula, ne cilicium quidem, inceſto corpore, poſſint tolerare.

S. Baſil. in Pſ. 33. hom. 9.

Iſai. 33. 14.

S. Hieronym. epiſt. 22. ad Euſtochium.

S. Gregor. Turonenſ. li. 10. hiſt. Frãc. cap. 1.

CAPVT V.

Ventos, nubes, pluuias, pruinas, grandines, lucem, & tenebras, & quidquid, in aëre, mali speciem habet, ab hominibus habere; ac Dei potentiam & æquitatem prædicare.

I. Atis dictum de aëre videri potest, postquam de tempestatibus, in aëre natis, dictum est. Sed restant multa, in compendio, percurrenda. Aër enim *reciprocandi spiritus spacium*, non solùm ad respirandum datus est, sed æquè etiam inter morborum ac sanitatis caussas refertur; &, vt Seneca loquitur, *ex aëre omnis inconstantia tumultusq; est. Eo æstuante,* ait Plinius *& concalefacto, æstuant omnia, ex eo autem frigefacto nubila, grandines, pruinæ, imbres, procellæ, turbines, & plurima mortalium MALA.* Verùm de morbis, deque pestilitate, aëris infectione, ac perustis veneno ventis, propagatâ, alius erit dicendi locus. Alios, cum Plinio, contra frigus eius; contra calorem alios, alios contra alia queri audimus. Quid tum? sunt, qui frigore delectentur; sunt qui capiantur calore; sunt, qui alterutro, sunt qui vtroque, ad virtutem durentur. De Lappis & Finnis Septemtrionalibus scribit Zieglerus, in Scondia, aëris eos frigidissimi libertate non gaudere tantùm, sed & juuari adeò, vt, quandocunque, in Sueciam, negotiorum caussa, veniunt, nunquam domos intrent, sed sub dio tantùm versentur, atque cubent pellibus inuoluti. Obesi, & alij quoque non obesi, hieme, &, dum bruma riget, sunt saniores: resque omnes frigido, quàm calido cælo diutiùs asseruantur.

Tertullian. l. contr. Valentinian. cap. 23. Senec. 2. natur. cap. 6. Plinius. lib. 2. cap. 38.

II. At ex aëre pruina descendit? Quid tum? descēdit & ros, *in teneris pecori gratissimus herbis.* In aëre *spiritus procellarum*? In aëre vapores, & ex ijs nubes; ex his pluuiæ, niues, grandines, si magis magisque constringantur? Quid tum? ibi est & officina fertilitatis: inde imbres, velut per cribrum, guttatim terram irrigant; inde niues, semina, tanquam lanæ, per hiemem, contegunt. Et qui nescit, quid sit pluuijs carere, Eliæ historiam legat, in qua inueniet has minas & pœnas: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, non erit, annis his, ros & pluuia.* Alibi autem, inter beneficia, imbres

Aristotel. lib. Meteor. ca. 9. 10. 11. 12.

3. Reg. 17. 1.

bres numerantur, precibus à Numine impetranda. *Si clausum fuerit cælum, & non pluerit, propter peccata eorum, & orantes, in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis suis conuersi fuerint, propter afflictionem suam: exaudi eos, de cælo, & dimitte peccata seruorum tuorum, & populi tui Israël: & ostende eis viam bonam, per quam ambulent; & da pluuiam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessione.* Tria indicantur hîc. Primò, pluuias suspendi, & claudi cœlum, propter peccata. Secundò hanc ipsam pœnam siccitatis esse mortalibus in medicinam, ea enim ad pœnitentiam adducuntur, & docentur, ex oculis imbres lacrymarum fundere, si velint, fundi imbres de cælo. Tertiò, pluuias oratione & pœnitentia impetrandas, tanquam beneficium. Quare, alio loco, dicitur: *Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis: quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Si pluuia beneficium est, quo modo malum? Si à Deo *imbrium pincerna*, vt Basilius Seleuciæ loquitur, quomodo, aut cur pincernæ irascimur, cum & Reges pocillatores suos ament, ac præmio afficiant? Et vel hinc agnoscant mortales, pluuiarum ac tempestatum, justam illam caussam, facilem, vincibilem, optimam.

3. Reg. 8. 35. Eccl. 35. 26. Basil. Sel. orat. 11.

III. Imo ex Elia discant, Deum subinde Sanctis suis tradere habenas pluuiarum. Exemplum est recentissimum, in nostro Iosepho Anchieta, qui aliquando *jussit apparari reditum in crastinum. Erat tempestas turbida, densus imber, grauisq; ortus sub vesperam, nunquam cessauerat: & duraturus noctem totam videbatur. Obiecit ei comes: opportunam sane, Pater, tempestatem ad iter elegisti. Cui Iosephus: Vtinam tam simus ipsi viri boni, quàm de nobis Deo curæ est; non enim tantùm die crastino, imber molestus nobis nullus erit, sed ne nunc quidem, tempestate tanta, vllus est, quà sumus cras iter facturi. Postero die iter manè ingressi, ad vicum S. Barnabæ, qui tribus inde distat leucis, quacunque iuerunt via, tota, ad latitudinem triginta passuum solum siccum, ac nullo tentatũ imbre, ad vicum vsq; inuenerunt, cùm circà loca omnia nocturnâ pluuiâ maderent.* At non omnium est hæc potestas. Vexantur pluuijs multi? ita est. Hoc hominis meruit præuaricatio. Si in originali justitia mansisset, mãsisset in Paradiso, quem locum fons, in quatuor flumina diuisus, non molesti imbres irrigâssent. Eò hominem inuitauit, & posuit; sed inde, ob repudiatam gratiam, exclusit. Faciant id homines, & Deus contemptum suum ferat? *Pe-*

Sebastian. Beretar. li. 4. vitæ Iosephi Anchietæ.

Caspar. Ens. lib. 2. Epidorp.

trus Marcus Senensis amicum, cælo admodum turbido, & non pluuias tantùm, sed grandinem quoq; minante, iter facientem amantißimis verbis, vt in ædes suas, quoad præteriysset tempestas, diuerteret, inuitarat, is verò nihilominus iter prosequens, cùm vix octauam milliaris partem emẽsus esset, tam effuso imbre, tamq; turbulenta tempestate exceptus fuit, vt pergere ampliùs non posset. Reuersus igitur ad Marci villam, fores pulsat; ac prospicienti è fenestra Marco, Amice, *inquit*, prius illud meum propositum mutaui. *&*, ego meum, *respondit Marcus: statimq; se subduxit, sic illi alibi hospitium fuit quærendum.* Voluit benignus mundi Conditor nos homines secum esse, in Paradiso, quasi in villa sua, in qua *deambulauit ad auram, post meridiem*; ibi fuissemus, ab imbre, & grãdine tuti. Sed spreuimus locum, serpẽti, quàm Deo obedientiores: idcirco nos ipsos exclusimus, cælo turbulentiore, digni. Habemus ergo, quod voluimus; & patimur tempestates. At mutauimus propositum, & vellemus nunc libenter in Paradisum admitti? mutauit igitur & Devs, propositum suum, nec vult nos ampliùs eò admittere: immo non mutauit: siquidem ab æterno, vno eodémque proposito, voluit nos iustitia originali ornatos ibi degere, spoliatos, inde in exilium pellere. Seruassemus itaque locum, si seruassemus conditionem. Amissa gratia, cur expostulemus, si cælo mitiore non fruamur, qui cælum ipsum amiseramus? Et quàm molles sumus, si aquarum aspergine lædi nos existimemus?

Gen. 3. 8.

IV. De ventorũ nominibus. Aristot. lib. de Mund. c. 3. Plin. lib. 2. cap. 47. Herod. lib. 7.

At in aëre pugnantes variorum nominum venti fremunt, qui arbores à radice extirpant; siluas ac nemora prosternunt; classes disijciunt, tecta tegulis exuunt: fenestras perrumpunt; domos ac ædificia tota, quin & mænia vrbium, turrésque ipsas aliquando euertunt. Vt alia taceam, testatur Herodotus, Præfectos Xerxis, triduana tempestate 400. naues amisisse. Quid tum? Hæc est potentia Dei, qui si leuissima exhalatione tantam vim exerit, quid poterit, si ferro & igni, contra nos, pugnet? Sed est ventorum insuper ingens vtilitas, maxima necessitas. Sunt enim etiam verriculum & vehiculum nubium atque pluuiarum, in aëre; hominum & nauium in aqua; sunt aëris & aquæ ipsius conseruatores; nam sine motu corpora ista computrescerent. Sunt laborantium refrigeratio, & æstuantium voluptas. *Nulla propemodum regio est, quæ*

S. Chrysost. in Psal. 134.

non

non habeat aliquem flatum ex se nascentem, & circa se cadentem, ait Seneca. An sine caussa? caussam vnicam è vicinia discamus, de qua vulgatissima est: *Austria ventosa, aut venenosa*. Alias caussas Seneca recenset, cùm de diductione nubium, & de diuisione imbrium agit. Ait enim *in Italiam Auster impellit, Aquilo in Africam reycit. Etesiæ non patiuntur, apud nos, nubes consistere: Iidem totam Indiam, & Æthiopiam, continuis, per id tempus, aquis irrigant. Quid, quòd fruges percipi non possunt, nisi flatu superuacua admixta seruandis ventilarentur, nisi esset, quod segetem excitaret, & latentem frugem, ruptis velamentis suis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret.*

Senec. lib. 5. nat. qq. cap. 18.

V.

Extra naturæ ordinem nonnullis Devs subinde regionibus, aut terris ventum inducit, vt cum illo, pro iustis pugnet. Qua in re beneficium maximum connectit, cum supplicio impiorum. Ad hunc modum *extendit Moyses virgam, super terram Ægypti, & Dominus induxit ventum vrentem, tota illa die & nocte, & manè facto, ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles. Quales, ante illud tempus, non fuerant, nec postea futuræ sunt. Operueruntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia.* Ventus has locustas attulit, in pœnam peruersorum, in bonorum defensionem. Quorum vtrumque bonum quoddam est. Nouit enim simul diuina potentia, *Parcere subiectis, & debellare superbos. Ecce quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra compleuit Dominus, pugnando pro Israël, in Ægyptios*, ait Rupertus. Locustæ hæ, in Ægypto, genitæ non fuerunt, sed extra, in desertis Arabiæ, vel Æthiopiæ locis. Vento igitur in Ægyptum fuerunt deportandæ, & *vento vrente*, vt scriptura loquitur, quem rectiùs Philo existimat, fuisse Austrum: cum & LXX interpretes eum *Notum* appellent; & non subsolanus Orientalis, sed *Auster sit ventus vrens*. Quàm potens tunc pariter & sapiens fuit ira Dei, contra superbiam Pharaonis, non ferro armatas, & hastato milite onustas classes aduocans; sed ita leuis armaturæ cohortes adducens, vt possent à vento portari. *Ranæ*, ait idem Rupertus, *Sciniphes, muscæ, atque locustæ fuerunt castrorum eius acies, & huiusmodi cohortibus totas contra fortes Ægyptios composuit legiones.* Singuli milites, secundùm se, breues quidem & *infirmi, verum, pro exercitibus Pharaonis, satis valentes fuêre, duce*

Exod. 10. 13.

Rupert. lib. 1. Comment. in Exod. c. 38.

Loc. cit.

imperio

imperio Dei. Nempe quod multus hominum exercitus facere non potuiſſet, iſtæ Phalanges locuſtarum ſtrenua peregêre militia. Operuerunt enim vniuerſam ſuperficiem terræ. Quamobrem feſtinus Pharao, tanquam ad deditionem, vocauit Moyſen & Aaron, duces tanti exercitus atque Primates Imperatoris Dei. Rogate, inquit, *Dominum Deum veſtrum, vt auferat mortẽ hanc à me. Hoc velut dedititius dixit.* Nonne magnus & excellens eſt Imperator, qui vento poteſt ſuos hoſtes difflare? vento milites aduehere? & tali milite victoriam obtinere? Incredibile nonnullis videtur, militem alicubi cataphractum vento, in aëra, fuiſſe ſublatum. Totos DEVS exercitus, vento, de regione, in regionem, transfert, vt expugnet ventoſos.

VI. Quin ipſa quoque maria vento difflat, vt viam faciat tranſituris. *Nam, cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi & vrente, tota nocte, & vertit in ſiccum:* ſiue tunc ventus magno impetu incurrens, ſeu percurrens ſciſſas, per medium aquas extruſerit, in vtrumque latus; viamque vndis nudârit, in parietum morem vtrinque, Angelica manu, retentis, ſiue virtute vrendi ſiccandique aquas abſumpſerit; ſiue aquis Angelorum miniſterio, in vtrumque latus, muri inſtar, erectis, humidum, limoſum & lutulentum fundum ſiccârit duntaxat. Quem ventum textus Hebraicus *Orientalem* vocat. Hebræi enim tunc iter, contra orientem faciebant, & contra mare rubrum, quod Ægypto eſt orientale. Igitur vento factum eſt, vt mare, ſine nauibus, poſſet tranſiri; & vento, vbi mare non cedit, naues impelluntur: quæ, vt in omnes partes poſſent agi, variæ ſunt ventorum ſtationes.

Exod. 14. 21.

VII. Hæc, & plura eiuſcemodi ventorum commoda, Theologi, Philoſophi, &, cum illis, Eugubinus, enarrant; vt proinde meritò illi, inter DEI theſauros enumerētur, qui *educens nubes ab extremo terræ; fulgura in pluuiam fecit: Qui producit ventos de theſauris ſuis:* ad quorum motum, & cauſſam rimandam, multi acceſſerunt, nemo adhuc penitus peruenit. Solus DEVS verus, (non Æolus aliquis, aut Neptunus,) eos habet in poteſtate; vel inde agnoſcendus viuere, ac ſpirare. Sicut, quando Chriſtus *ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Hoc ventorum

Eugub. lib 7. perenn. Philoſoph ca. vlt.
Pſalm. 134. 7.
Matth. 8. 26.

rum dominium ad solum DEVM pertinere, iam tum etiam diui- Virgil. Ceparius. De vit. B. Aloysij lib. 1. cap. 7.
næ indolis puer agnouerat, B. Aloysius Gonzaga. Siquidem *Ia-
cobum Principem, etiam tum paruulum, è fenestra prospectantem, ven-
tus vehementiori flatu incessebat: cui ille pueriliter indignabundus:*
HEVS vente, *inquit*, impero tibi, vt molestiam mihi exhibere desi-
nas. *Tum Aloysius, qui proximus astabat, opportunitate vsus:* Potes, *in-
quit*, Domine, homines, dictis obedientes nancisci, in elementa au-
tem solius DEI imperium est, cui & te parere oportet. *Rex, vti
de omnibus filij rebus solebat, ita de hoc quoque mandato, quod vento de-
derat, atque de Aloysij apophtegmate certior factus, in loco, & pruden-
ter dictum esse judicauit.* Solius enim DEI in vētos est potestas, quam Sigib. Anno 1081.
sanè luculentam ostendit, teste Sigiberto, Anno 1081. *cùm campa-
nile Ecclesiæ S. Petri Maldemburgensis, in Belgio, (quam, ipso Aposto-
lo sibi reuelante extruxerat, & consecrârat S. Vrsmarus Episcopus) ve-
hementi vento flante euulsum, inq; terram inuersum, ita in aëre pende-
ret, vt tum suiipsius, tum vicinorum omnium ruinam minitaretur, po-
pulúsque in 6. dierum, totidémque noctium spatio tractaret, quanam ra-
tione, hinc inde extractis machinis, sursum erigi posset; ecce prid. cal. Ian.
circa noctis medium tota Ecclesia intus ac foris luce ignea diuinitus im-
pletur: ipsum verò campanile totum simul erigitur, suísque in sedibus
firmissimè, campanis mox sonantibus, reponitur.* Hoc imperium in ven-
tos, solus DEVS habet. VIII.

Vel fabulosum igitur, vel Magicum fuit, quod Suidas refert,
cùm aliquando Etesiæ ita vehementer flarent, vt fruges sternerent,
Empedoclem Agrigentinum, nouo philosophandi genere, jussisse
asinos, *animal sine fraude doloq;* excoriari, & vtres fieri, eósque in
promontorijs extendi, vt ventum vtique asininum exciperent.
Quo sopito, appellatus fuit κωλυσανέμας; quasi *prohibitorem vento-
rum* dicas. Sisti enim, & excitari, si DEVS permittat, etiam dæmo-
num arte, ventos, non solùm vtres Vlyssi, alijsque dati, & nodi su-
dariolorum vincti, vel soluti, ac ventum in silentia ligantes, vel in
maria emittentes, venditi, sed ipsæ etiam diuinæ litteræ docent; in
quibus ad Iob dicitur: *ventus vehemens irruit à regione deserti, &* Iob. 1. 19.
*concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, &
mortui sunt.* Quæ, mali genij suggestione & opere, facta sunt; non
tamen antè, quàm DEVS illi diceret; *Ecce vniuersa, quæ habet, in*

 manu

manu tua sunt. E quibus, instruimur, ventos & tempestates cieri quidem à malignis spiritibus, qui ministri sunt pariter & rerum aduersarum procuratores; non posse autem cieri, nisi potestate concessa ab eo, cui summum imperium est in ventos, & omnem creaturam. Permittit autem eam potestatem, vel ad castigandos homines; vel ad probandos; vel, si peruicaces sunt, vt impleant numerum ac mensuram peccatorũ. Perinde autem est, seu immittantur, hac arte, venti, seu inhibeantur: vtroque modo nocere possunt: cùm sit & procella, & malacia nauigantibus periculosa.

IX. Rob. An. 1135. Nimirum verè *aurea* est *mediocritas*; &, in omni re, *nimis multum, & nimis parum est perniciosum.* Hinc Anno 1135. nimius ventus multas turres atque ædificia subuertit. Sed & subtractio venti est exitiosa. Quo pacto Eunapius tradit, vrbe Constantinopolitanâ in magnam rei frumentariæ difficultatem adductâ, naues in diuersas dimissas fuisse partes, quæ frumentum deueherent. Hæ, cùm onustæ redijssent, appelli ad littus, deficientibus ventis, nulla vi potuerunt. Quo cognito, populus vndique ad theatrum, sæua famis stimulatus rabie, conuolauit. Tum Constantinum M. ea de re animi anxium, & tempestatis aduersæ rationem exigentem, æmuli, Sopatri Apamensis Syri sophistæ (qui, propter insignem sapientiam, in aula Constantini ad inuidiam eminere conspiciebatur) in primísque Ablauius præfectus prætorio adierunt, atque ita eum affati sunt: *Quòd ventos votis refragari tuis vides, id scito Sopatri, quem tu tantis honoribus extulisti, peregrinâ & perniciosâ nobis sapientiâ fieri: is enim, qui Lunam potest de cælo deducere, eadem arte sua, ventos deuinxit; &, quò minùs nauibus aspirent, arcanis quibusdã verbis inhibuit.* Quâ re auditâ, ille offensus, Sopatrum properè comprehendi, duci, ac securi percuti jussit. Adeò Magicæ artes exosæ & detestabiles erant Constantino, vt eas, siue per calumniam fictas, siue veras, ne in charissimo quidem, atque doctissimo viro, vellet tolerare.

X. Spranger. lib. quinque Inquisitorum. Nec nostra ætas tolerat, apud eos, qui & justitiæ sunt amantes, & sciunt, se damnorum, per veneficos, & veneficia illatorum, vel judices, vel participes esse oportere. Narrat Sprangerus, Anno 1488. in Constantiensi diœcesi, etsi Coloni sedulò fecissent, tamen ventos, procellas, grandines, fulmina, & tempestates malas extitisse,

tisse, quæ fruges omnes in agris, quatuor milliarium ſpacio, perdiderint. Inſpexit querelam magiſtratus. Megæræ comprehenſæ ſunt duæ, Anna de Mindelen, & Agne; eæ ſeorſim confeſſæ ſunt, ſe, vno die, in agrum, cum pauxillâ aquâ, proceſſiſſe: &, quamuis vna conſilium neſciret alterius, effodiſſe ſcrobem, atque, ſub meridiem, aquam ſcrobi infuſam conturbaſſe, adhibitis coniurationum formulis, & magicis procurationibus: quibus abſolutis, ſimul ac domum reuertiſſent, procellam extitiſſe. Eant nunc homines, & dicant: *aër ventos, aër grandines parit*. ipſi hæc homines pariunt. Sed & puniunt illi, qui non conſentiunt: conſentiunt, qui non puniunt, cùm poſſunt. Nam, eodem teſte ſcriptore, alia ſaga agri Conſtantienſis, cùm videret, omnes ſui pagi incolas, in nuptijs lætiſſimè conuiuari, ſaltare, tripudiare, ægrè ferens, ſe prætermiſſam, & ad hæc gaudia non inuitatam, procurauit, vt, clara luce inſpectantibus paſtoribus, per aërem, ab Orcino hirco, ad Phryxi & ſororis eius modum, in collem exportaretur, pago propinquum. Ibi, cùm ei alia aqua deeſſet, mundiſſima Orci Nympha lotio ſcrobem impleuit, illudque pulmentum bacillo, an furcâ, in gyrum ter tertium commouens, voces quaſdam arcanas admurmurauit. Mox cælo, quod ſudum ſerenúmque fuerat, nubibus atris obſcurato, venti ac grando, in ſaltantes, vehementiſſimè ſæuierunt, &, tibicinum vice, functi, nuptiatores, extra chorum, atque ſub tecta ſaltare inuitos coëgerunt. Saga domum, cornuto equo ligneo, reuecta, indicio paſtorum, capta, viua igni fuit tradita, vt flammis lueret, quod aquis peccauiſſet. Hoc hominum genus accuſemus, ſi ad votum noſtrum non faciunt elementa, quæ bona eſſe mali non patiuntur. Ab hominibus diſcunt ſæuire. Et Bodin. lib. 2. Dæmon. cap. 8.

XI. Sapienter Seneca ait: *Non queri poſſumus, de auctore noſtri Deo, ſi beneficia eius corrumpimus, &, vt eſſent contraria, efficimus.* Et rurſum: *Si beneficia naturæ, vtentium prauitate perpendimus, nihil non noſtro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita tormentum eſt? Nihil inuenies tam manifeſtæ vtilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. Sic ventos quoque natura bonos futuros inuenerat: ipſi illos contrarios fecimus.* Neque venti tantùm irritantur, ſed etiam lucidus aër, quem tenebriones, atrociſſimorum authores facinorum, & opera tenebrarum obſcurant. Refert enim Senec. lib. 5. natur. qq. c. 18.

Vide & Cardan. de subtilit. libr. de dæmonib.

M. Paulus Venetus, Tartaros adeò pollere dæmonum præstigijs, vt quasi lumen de cælo reuellant, tenebras, cùm velint, & vbi velint, inducant, diémque ipsum extinguant, quare non neminem, à latronibus, hac arte circumuentum, vix euasisse; alios, velut loliginem sepia tectam, ita caligine velatos effugere, nec ab vllo cerni. Cui rei testis accedit Haitonus vir grauis, qui in sua Sarmatarum historia, inclinatam iam aciem Tartarorum, in prælio, vexillarij præcantatione, dum tenebras offunderet obscurissimas, restitutam, & victricem factam, litteris prodidit. Ab hominibus ipsis hæc, in aëre procurantur; sua ergo, non Dei opera, accusant, quando aërem caliginosum accusant; quia ipsi, cùm malè agant, dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, & luce, & tenebris abutentes. Nam omnia, prauis, fiunt *in arcum prauum*, qui telum retorquet in iaculantem: ita enim & illi læduntur ab vsura omnium creaturarum.

Psalm. 77.

XII.

Gen. 1. 4.

Alium in finem, alium in vsum mundi Machinator *diuisit lucem à tenebris; quando appellauit lucem diem, & tenebras noctem.* Nam vtriusque author est Deus, cui dicitur: *Posuisti tenebras, & facta est nox;* itemque: *Tuus est dies, & tua est nox.* Vnde jure alij, atque ex debito cecinerunt: *Benedicite noctes & dies Domino.* Quid ita? quia plurimas & ipsa nox habet vtilitates. Eo tempore, aër, terra, aquæ, bestiæ, & homines, à diurnis æstibus ardentes, refrigerantur. Eo tempore, mortales quietiùs dormiunt. Eo tempore, qui nauigant, stellis iter metiuntur. Eo tempore, qui orant, collectiùs meditantur. Eo tempore pisces copiosiùs solent capi. Vnde & Apostoli *per totam noctem* piscantes, laborauerunt. Eo tempore, multi opera pia exercent, quæ interdiu facere non sinerentur. Qua de caussa & Tobias *rapiebat corpora occisorum, & occultabat ea in domo sua, & medijs noctibus sepeliebat ea.* Atque vt etiam ad militiam veniam, eo tempore, tradit Frontinus, Iugurtham regem Numidarum prælia inijsse, semperque inclinato die, confligere solitum; vt, si exercitus suus fugaretur, opportunam noctem haberet ad delitescendum. Quam etiam habuerunt Christiani illi, quos Haytonus auctor est, in Georgianæ gentis monumentis proditum esse, in Alaniam compulsos, impia Sauorini Persarum regis insectatione. Imminente autem fugientium ceruicibus hostili ferro, ex-

Psal. 103. 20.

Dan. 3. 71.

Luc. 5. 5.

Tob. 2. 9.

Frontin. li. 2. cap. 1.

Sab. lib. 6. En. 10.

ro, extemporali miraculo eueniſſe, vt profuga multitudo tenebris ſit repentè obſepta, in munitiſſimi valli ſpeciem. Ita tenebræ, quos texêre, etiam protexêre. Ita bonis nox noxia non fuit. Cuius rei gloria penes Devm eſt; qui tantæ eſt potentiæ, vt non tantùm creaturas habeat obedientes, ſed ipſas etiam priuationes creaturarum; quibus ex luſcis cæcos facit: tametſi tenebræ creaturæ non ſint. *Nam lux quidem*, ait S. Gregorius Nyſſenus, *vt eſſet, diuinum mandatum expectauit, tenebræ autem extiterunt, ſine mādato,* cùm mundus crearetur. S. Greg. Nyſſen.l.Hexam.

XIII.

Quin ipſis quoque tenebris, & extraordinaria eclipſi, nouit Devs, vti ad homines illuminandos. Christo patiente, plus, quàm ad Thyeſteam menſam, ſol cohorreſcens radios lucémque reſorbuit; dies expalluit; &, *à ſexta hora, tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam. Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his, quæ fiebant* (tenebris) *timuerunt valde, dicentes: Verè filius* Dei *erat iſte.* Quod Centurioni prope crucem, id Dionyſio Areopagitæ longè diſſito contigit; qui eadem ſolis defectione *lumen ad reuelationem gentium* datum cœpit videre. Rem ipſe, cùm in Apollophanem Philoſophum inuehitur, his verbis memorat. *Quid de illo, qui tempore crucis dominicæ factus eſt, ſolis defectu dicturus es? eramus tunc ambo, apud Heliopolim, amboq́ ſimul incidentem mirabiliter ſoli Lunæ globum notabamus (non enim eiuſce coniunctionis tunc aderat tempus) ipſamq́ rurſus, ab hora nona, ad veſperam, ad ſolis diametrum, ſupra naturæ vires, reſtitutam. In memoriam autem illius, renoua etiam aliud quoddam: nempe enim, (vt ipſe non ignoras) eam Lunæ incidentiam, ab oriente cœpiſſe, & vſque ad ſolaris corporis finem perueniſſe, ac tum demum reſiliyſſe, notauimus: neq́ verò eâdem ex parte, vt aſſolet, & incidentia illa, & repurgatio facta eſt, ſed ex aduerſo diametri.* Idemque, de eadem re, ſcribens ad ipſum Apollophanem, agit his verbis. *Heliopoli tu quidem penè mihi coæuus, & ego quinque & viginti ferè annorum tempus exſoluens, vnà morantes conſederamus, cùm feria quadam ſexta, & hora etiam penè ſexta, Sol horribilibus ſubitò eſt obſitus tenebris, Luna ipſum intercurrente: quia non Deus, ſed creatura Dei, in ipſius veræ lucis occubitu, lucere non potuit. Quærebam enim tunc, apud te, qui mihi ſanè ſapientiſſimus videbaris: quid ipſe inde ſenti-*

Matth.27.45.

Dionyſ. Areopag. ad Polycarp. Baron.tom.1.

S.Dionyſ. Areop. epiſt. ad Apollophan.

sentires? tu verò mirabili prudentia subintulisti, quod vsque adeò penetralibus mentis meæ inhæsit, vt nulla obliuione deleri, nulla vnquam valeat mortis imagine deleri. Offusi enim tenebris ipsi erramus, orbem solis vndiquaque, & ex æquo occupante caligine: &, postquam repurgatio, & restitutio facta est, Luna ad Solis diametrum conuersa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridæi assumpsimus. Cumq; reperissemus, quod & erat notissimum, eo tempore, solem eclipsis molestias laboresq; minimè perpeti debuisse, ac nihilominus Lunam ab occidente solarem splendorem pullis nigrantibusq; velis obduxisse: cùm soleat ex occidua parte solem ingredi: tunc autem opifices lucis thesauros caliginibus, quas ipsa genuerat, ad occiduos vsque solis fines, peruagata (vt ipsi putauimus) occultauit: Cùm tamen, & lunæ tempus deesset, nec coitûs vicinum tempus esse, cognosceretur. Aio ad te (neque enim adhuc mysterij tantæ rei conscius eram) O ingentis prudentiæ promptuarium, quid, inquam, ô Doctrinæ speculum, Apollophanes, his secretis adscribis? Ad hæc, nescio quo pacto, diuino quodam afflatu, & non humani sensus sermone subintulisti: Hæ, ô bone Dionysi, *diuinarum vicissitudines sunt rerum. Denique verò adnotatum diligenter, feriæ diem, & annum annuntiatione, quam sacer Paulus nostris attẽtis auribus infudit, consentientibus signis conspicere, & concordare expertus, manus veritati submisi, & ex falsitatis nexibus subabsolutus, quam quidem veritatem mirificè effero, quam & tibi communico.* Hæc de se S. Episcopus Dionysius, & de Apollophane: quibus vtrisque voluit ille, *qui lucem habitat inaccessibilem*, per tenebras innotescere; & vni quidem innotuit, alter verò, quia, in ipsis tenebris, tenebras suas magis, quàm lucem amauit, veteri amico occasionem præbuit, per eas ipsas tenebras, diuinam lucem prædicandi. Itaque non solùm solis splendore, per aërem diffuso, sed ipso etiam solis defectu, & caligine vtitur Devs, ad fidei lumen mortalibus inferendum. Qui enim à luce non dependet, illi perinde est, de quauis re illuminare.

XIV. Quanquam non raro his etiam instrumentis vtitur, tam ad seruos suos illustrandos, quàm ad obscurandos hostes, & plectendos; docendósque, & quas olim in inferno passuri sint, & quas

Exod. 10. 21. iam, in animo tenebras patiantur. Quem in finem, *dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, & sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, vt palpari queant. Extenditque Moyses*

manum

manum in cælum; & factæ sunt tenebræ horribiles, in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat, vbicunque autem habitabant filij Israël, lux erat. Vbi plura sunt consideratione digna. 1. Tenebras has non accidisse, absentiâ Solis, sereno enim die, repentè offusæ sunt; quæ diurnæ, vt magis insolitæ, quàm nocturnæ, ita fuêre etiam mirabiliores. 2. Nec accidisse defectu maiore solis, seu eclipsi; conspecta enim essent tunc aliorum siderum lumina, cùm tamen Ægyptij omni lumine priuati memorentur, nec potuisset eclipsis naturalis vel vnam horam, ne dum tribus diebus perdurare. Præterquam, quòd non in Ægypto tota, sed vbique eclipsis soleat esse & generalis. 3. Verisimiliùs loqui Philonem, cuius hæc sunt: *Sereno die, repentè offusæ sunt tenebræ, continuis densisq; nubibus cælum subtexentibus, & nimia constipatione, interclusis radijs siderum, vt dies nihil differret à nocturna caligine.* Ob quam caliginosi aëris densitatem dicitur, alio loco: *Nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant, noctem illam horrendam.* 4. Hinc etiam, ob eandem spissam multorum crassissimorúmque vaporum eleuationem, aër ita fuit condensatus, vt tactum admitteret, fierétque palpabilis. Neque enim aliter tenebræ esse palpabiles potuerunt; cùm corpus esse debeat, quod palpatur, non priuatio; neque tenebræ tactu, sed visu percipiantur; oculis, non manibus, deprehendendæ. Certè ob magnitudinem obscuritatis, homines, more cæcorum, palpando parietes ingredi cogebantur. 5. Ob hanc caliginem & diurnam, diuturnámque noctem, *Nemo vidit fratrem suum:* non quia impedita erat oculorum acies, quasi essent Ægyptij cæcitate percussi, vt Sodomitis, & militibus regis Syriæ contigit. Medio enim non lucido, aut pellucido, nemo quidquam, nisi noctuæ aut felis oculos habeat, videt. Quemadmodum, in Sicilia etiam euenisse scribit Cicero, his verbis: *Nos tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam, eruptione Æthnæorum ignium, finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominem homo agnosceret. Cùm autem, tertia die, sol luxisset, tunc, vt reuixisse sibi viderentur.* 6. Ob hanc ipsam aëris densitatem, *ignis nulla vis poterat illis lumen præbere.* Adeoq; non iuuabat, faces, tedas, lucernas, cereos, aut lampades accendere, in remedium tenebrarum; vel quia omne lumen artificio-

Philo. lib. 1. de vita Moysis.

Sapi. 17. 6.

Gen. 19. 4. Reg. 6.

Cic. lib. 2. de Nat. Deor.

Sapi. 17. 5.

sum

ſum illico extinguebatur; ſicut fit in metalli fodinis, quando aër non ventilatur: vel quia caligo illa ita fuit denſa, vt cuiuſlibet lucis aſpectum auferret, nec ab vllo lumine poſſet penetrari. 7. Ob hanc cauſſam, nemo *mouit ſe de loco*, *in quo erat*, toto illo triduo. Putant nonnulli, penitus immobiles fuiſſe; alij, de loco, in locum non migraſſe; alij, de domo in domum non egreſſos; Philo, non eſſe auſos ſe mouere loco, ne offenderent; aut, ſi neceſſitates corporales vrgerent, ægrè ingredi potuiſſe, & non, niſi parietibus palpatis; ac inſtar cochleæ cornua protendentis, quauis re obuia, iterum ſub teſtam reuocāda. Quod vtique tenebris aſcribi poteſt. Craſſius illud eſt, quod nonnulli putant, tantam fuiſſe craſſitiem denſitatémque aëris, vt, cum aſpectu lucis, motum progreſſiuum impediret. Non impediuiſſet greſſum tantummodo, ſed ipſam etiam reſpirationem; cùm vel aqua ſuffocet, quam tamen poſſumus ſuperare gradiendo. Veriſſimè dicitur, Ægyptios, præ metu, ſe non auſos eſſe mouere. Metum tenebræ conciliabant, & in tenebris auditi horribiles ſonitus, & viſa monſtrifica. *Sonitus*, ait Scriptura, *deſcendens*, *perturbabat illos*, *& perſonæ triſtes illis apparentes*, *pauorem illis præſtabant*; *& tranſitu animalium*, *& ſerpentium ſibilatione commoti tremebundi peribant.* Ob has cauſſas pauefacti, metuebant, ſi ſe mouerent, ne quàm primùm perirent. Itaque *vna catena tenebrarum omnes erant colligati*: *& longæ noctis vinculis compediti tenebantur*, *in carcere*, *ſine ferro recluſi.* 8. Ne quis autem putet, in tam denſis tenebris, Aegyptios tam terrifica monſtra videre non potuiſſe, addit diuinus textus: *Apparebat illis ſubitaneus ignis timore plenus*: *& metu perculſi illius*, *quæ videbatur*, *faciei*, *exiſtimabant deteriora eſſe*, *quæ non videbantur*. *Magna ſunt enim judicia*, *tua Domine*, ait ibidem Scriptura, *& inenarrabilia verba tua*: *propter hoc indiſciplinatæ animæ errauerunt*. *Dum enim perſuaſum habent iniqui*, *poſſe dominari nationi ſanctæ*: *vinculis tenebrarum*, *& longæ noctis compediti*, *incluſi ſub tectis*, *fugitiui perpetuæ prouidentiæ jacuerunt*.

Sapi. 17. 4. — Ibid. v. 18. — Sapi. 17. 6. — Ibid. v. 1.

XV. Talibus tenebris aër contumacem ſuperbiam puniuit; cùm interea *omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine*, *& non impeditis operibus continebatur*: *ſolis autem illis ſuperpoſita erat grauis nox*. Et quod plus eſt, in ipſa *Ægypto*, *vbicunque habitabant filij Iſraël*,

Ibid. v. 20. — Exod. 10. 23.

Iſraël, lux erat. quod ingentis miraculi loco habendum eſt. Quippe Hebræi, in terra Geſſen, cum Ægyptijs permixti indiſtinctè habitabant; erantque domus eorum vicinæ contiguæque domibus Aegyptiorum; vt intelligi poteſt, ex poſtibus, ad eas domos diſcriminandas, ſanguine Agni illitis & notatis; ac cæde primogenitorum Aegypti, qui in domibus non ſignatis inueniebantur: itemq; ex ijs, quæ, ſub diſceſſum, commodatò ab Aegyptijs vicinis Iſraëlitæ acceperunt. In eadem igitur platea, hîc Iſraëlita, ibi Aegyptius; immo non è regione tantùm, ſed etiam proximè adſitis in ædibus eodem ſæpè muro fultis habitauerunt. Et tamen, cùm adeò prope, & in tam arcta permiſtione degerent, intra paucos paſſus, tantùm fuit diſcrimen, vt, vbicunque Hebræi eſſent, clariſſima, lætiſſimaque luce fruerentur; vbi autem Aegyptij, quamuis Hebræis proximi, in denſiſſimis, mœſtiſſimiſque tenebris verſarentur, Deo aëris denſitatem, & ſiderum radios ita moderante, vt Hebræi filij lucis, lucidiſſimo lumine, ac ſole amœniſſimo gauderent; Aegyptij pluſquam Cimmerijs tenebris inuoluti, mortuos, aut certè inter vmbras, ſe eſſe arbitrarentur.

Quid eſt hoc aliud, quàm Deum bonis adeſſe, & à malis iuſtiſſimè manum ſuam ſubducere? Tantáne affectum quenquam hominem eſſe audacia, vt Domino ſuo toties rebellis fieret, & Dominum ſemper conniuere oportebat? Apud Romanos, teſte Gellio, ignem à Flaminis Dialis domo niſi in ſacrum efferri jus non erat. Et canones Apoſtolorum vetant, de Chriſtianorum oleo lucernas Iudæorum, aut Gentilium incendi. Sic enim habet Canon ſeptuageſimus: *Si quis Chriſtianus oleum tulerit ad ſacra Gentilium, vel Synagogam Iudæorum, feſtis ipſorum diebus, aut lucernas accenderit, de ſocietate pellatur*. Apud Phœdrum etiam indigniſſimè factum putatur, quando XVII.

> *Lucernam fur accendit ex arâ Iouis,*
> *Ipſúmque compilauit, ad lumen ſuum.*

Phædr. lib. 4. fab. 68.

An non indignetur Devs, ſi de ſole ſuo videat acceptam lucem, conuerti, non ſolùm in vſus profaniſſimos, ſed etiam ſacrilegos? an non meritò diem extinguat? facémque illam auferat, in Creatoris laudes, non in injurias conditum ac lucentem? An Pharao, cum aſſeclis ſuis, dignus erat, quem vel ſol aſpiceret? vel qui purum

Ierem. 38. rum diem ipse intueretur? Ieremiam Prophetam innocentissimum proceres, Sedeciæ regis permissu, in fossam regis filij demiserunt, in qua collo tenus demersus est, in cœno, vt caput solùm extaret. Et alij reges, à quibus offensi sunt, eos in carceres obscurissimos conijciunt. Cur Devs Aegyptios tam præfractos in hanc Tænariam caliginem non compegisset, in qua, *vna catena tenebrarum omnes erant colligati: & longa noctis vinculis compediti tenebantur; in carcere, sine ferro reclusi?* Enimuerò potuit eos etiam mittere *in tenebras exteriores;* quemadmodum & Israëliticum populum suum luce perfudit. Qua de caussa Psaltes regius Devm ita alloquitur: *Cum sancto sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris. Quoniam tu populum humilem saluum facies: & oculos superborum humiliabis.* Quis hæc ad animum suum admittens, non malit, pro Deo, quàm contra Devm stare, & pugnare? pro quo ipse aër stat, & pugnant mundi elementa? Vsque adeò non justè duntaxat aër intemperijs agitur; verùm etiam ipsis nos intemperijs erudit, vt tales erga Creatorem simus, quales volumus erga nos esse alias creaturas.

Sapi. 17. 18.

Psalm. 17. 28.

XVII. Et tamen sunt, qui malunt Aegyptios, quàm Hebræos, Pharaonem, quàm Moysen imitari, ita quidam profundè cœci sunt, & sensibus omnibus obtenebrati. Ad quas tenebras dispellendas, idem Dauid orans ait: *Domine Deus meus, illumina tenebras meas.* Quæ vtique non erant tam densæ, vt illæ Aegyptiorum, & tamen à viro salutis amante timebantur, in exemplum eorum, qui cùm sint in rebus ad virtutem pertinentibus noctuæ, tamen se aquilis putant esse perspicaciores. Ad easdem hominibus fugiendas & detestandas, Aegyptiæ tenebræ sedulò expensæ vtiles sunt. Nam vt illæ, teste Origene, significabant extremam Pharaonis & Aegyptiorum cæcitatem, qui tot percussi plagis, tot icti prodigijs, totq; visis miraculis, nondum sapuerunt, neque Dei adhuc potentiam agnouerunt, vt voluntati imperioque eius se submitterent: ita sunt hodiéque multi, suâ malitiâ, Numinísque pœnâ adeò mente exoculati, vt tenebræ eorum, hoc est, inscientia grauis, errores phanatici, judicia falsa & peruersa, hæreses turbulentæ, tanquam nebula, palpari, & à quouis sano homine liquidò deprehendi possint. Ita namque *obscuratum est insipiens cor eorum*, vt odia justitiam,

Psal. 17. 31.

Rom. 7.

vindi-

vindictas generositatem; rapinas militiam, blasphemias elegantiam; cædes iniquas priuilegium; superbias honestatem; ebrietates quotidianas officium suum esse judicent; immo in circulis & poculis jactent. Quanta caligo, quæ cæcitas, quæ rabies mentis est, non erubescere, non videre turpitudinem furiosissimarum libidinum? nefanda flagitia, tanquam gloriosa facta, de seipso fingere, commemorare, prædicare? *Nonum præceptum est*, ait S. Augusti- S Augustin.
nus, Non concupisces vxorem proximi tui: *& nona plaga Aegypti* Exod. 20.
fuit caligo palpabilis. Nimirum magnæ sunt animi tenebræ, non esse contentum vxore sua, sed alienam appetere, alienúmque polluere torum. Est profectò palpabilis cæcitas animi non aduertentis, nihil esse, quod magis doleat patiens injuriam istam; nec, quod minùs vellet sibi fieri, qui eam facit. in qua sanè duplex est, tum intemperantiæ, tum injustitiæ crimen execrandum. Detestamur Aegyptiorum cæcitatem, quorum numina in hortis crescebant, qui lapides & ligna, & bruta, colebant, qui feles, qui boues, qui crocodilos profanissimâ religione adorabant. At quàm multi sunt, etiam non Aegyptij, *quo-* Phil. 3. 19.
rum Deus venter est? & summum bonum Venus & Bacchus? Plutus & Cupido, cæca numina, & cæcantia? in quibus, quisquis delicias & libidines facit, non homo est, sed libidinosus caper, aut *Epicuri de grege porcus.*

XVIII.

Nonne hæ tenebræ tenebras æternas merentur? Atqui istarum horrorem hominibus vt inferrent, tenebræ illæ Aegyptiæ, in diuinis litteris, tam graphicè describuntur; quæ, si horribiles fuerunt, longè profectò erunt istæ in Acherunte horribiliores. Illæ tenebræ densæ & tactiles fuerunt; erunt in inferno densissimæ. Illæ, nec absente, nec deficiente sole, contigerunt; in inferno, nullus erit, nec redibit sol, sed nox sempiterna. Illæ nubium constipatione natæ sunt; in inferno ater fumus lucem omnem eripiet; nisi quando, ad ingens damnatorum tormentum, metuendus ignis per acerbas vices, interlucebit; sicut contigit, quando Aegyptijs *ap-* Sapi. 17. 6.
parebat subitaneus ignis timore plenus: & metu percussi illius, quæ videbatur faciei, existimabant deteriora esse, quæ non videbantur. In Aegyptijs tenebris, *nemo vidit fratrem suum;* in inferno nox perpetua non aliter lucem excludet, quàm ne quidquam lætum oculis appareat; quæ tamen nox, vt dixi, suis interuallis, sulphureis crepusculis

puſculis interrumpetur, vt damnati quidquid eſt triſte videre, quidquid jucundum non videre poſſint. In Aegyptijs tenebris nulla lux poterat ſolatio eſſe, nullum accenſum lumen durare; in inferno, nulla erit diuina inſpiratio, nullum à fide diuina, nullum ab Angelo, nullum ab vllo homine lumen, nulla diei mica. In Aegypto tenebræ, vltra triduum, non durauerunt; Laponibus, quando ſol occidit, noctem vnam ducit, per tres ferè menſes brumæ; in inferno æternæ erunt tenebræ. In Aegyptijs tenebris, nemo *mouit ſe de loco, in quo erat;* in inferno, non ad triduum, ſed in perpetuum manebunt, quicumque eò detrudi merebuntur. *ſedet, æternumq́; ſedebit Infelix Theſeus. Tenebræ Cimmeriorum*, prouerbio occaſionem fecerunt, ob prodigioſam obſcuritatem, quia ibi, vt Homerus canit, ſunt

Virgil. lib. 6. AEn.
Strab. lib. 1. Geograph.
Homer. Odyſſ. li. 11.

Nubibus & cæca aſſiduè caligine tecta.
Illos haud vnquam radijs ſol aſpicit ardens,
Nec quando aſtriferum curru petit arduus axem,
Nec rurſum ad terras magno deuectus Olympo,
Sed nox incumbit miſeris mortalibus atra.

Longè triſtius eſt prouerbium, audire *tenebras exteriores*, deſperatas, ſemper duraturas. Poſſunt proinde meritò conſiderari, in Aegyptijs tenebris: immo & in Georgorum & Alanorum Scythica caligine, apud quos, pars regni, trium dierum circuitu, tam denſis obducta fertur tenebris, vt, ob tenebricoſam formidoloſamq́; caliginem, nemo locum ſubire auderet, neque cerni aliquid poſſet, in ea denſitate tenebrarum. Qui in proximo habitant, exauditas aiunt inde voces hominum, gallorum cantū, hinnitum equorum; nec horum quidquam viſum; regionem ipſam Aniſen vocari. Talis eſt ſedes damnatorum, & Luciferi. Nam poſtquam *quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ, factum eſt regnū eius tenebroſum, & commanducauerunt linguas ſuas, præ dolore: & blaſphemauerunt Deum cæli, præ doloribus, & vulneribus ſuis.* Eiuſcemodi tenebræ nobis in mentem ſunt vocandæ, quoties nox cum ſole, diem ſepelit; vt ad diem & ſolem nunquam occubiturum, tantò deſiderantiùs aſpiremus. Multos hæc meditatio, ab Orco, mortuos, in lucem reduces fecit.

Sab. lib. 6. En. 10.
Apoc. 16. 10.

XIX. Ex his conficitur, grande nos etiam ex aëre obſcurato emolumen-

lumentum capere; quia docemur & monemur, quòd sit *via peccantium complantata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Respuunt homines sæpe pulchram alioqui domum, eo solùm nomine, quia parùm luminis habere, neque satis ex dignitate eorum esse videtur. Discant hinc fugere *terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Discant, ad aërem liberiorem atque lucidum aspirare. Discant, *in qua via lux habitet, & tenebrarum quis sit locus.* Ita vtique illis & clarus proderit aër, & obscurus. Hoc pacto, per aërem, ascendent ad aëris Conditorem, Bellerophonte velociores, quem Pegasus vexit; feliciores Perseo, qui à Mercurio talaria accepit; Musæo beatiores, qui Boreæ dono fingitur volitasse; denique illo laudabiliores, de quo summus Poëta canit:

Eccli. 21. 11.

Iob. 10. 22.

Iob. 38. 19.

Pausan. in Attic.

Virgil. lib. 6. AEneid.

Dædalus (vt fama est) fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cælo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos:

Immò potiùs Magdalenæ similes, quam tradunt, cùm in solitudine esset, statis diei horis, supra cælum, ab Angelis euectam. Quod si corpore non licet imitari, fas est tamen imitari affectu. Abaris Scytha ἀεροβάτης dictus est, quòd, emissa sagitta, quam ab Apolline acceperat, cùm ea vnà ferretur, vt scribit Herodotus & Iamblicus. Fabulam hanc veram facit, quisquis, non telum, sed affectum & desiderium in cælum jaculatur; &, cōsiderata hinc caligine, inde luce exclamat: *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: Et dixi, Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Profectò, qui eiuscemodi verba, velut ignitas sagittas ad Devm sæpe effuderit: si non vnà cum illis, saltem post illa tandem, & corpore & animo sequetur. Solent corpora hominum eò trahi, quò desideria præcesserunt. Desideria autem hæc, quemadmodum cælesti luce inflammantur, ita gliscere incipiunt nauseâ tenebrarum; atque horrore caliginis efferuescunt.

Sabellic. li. 10. cap. 6. & in eius vita.

Psalm. 54. 5.



CAPVT VI.

Beneficia Dei, ab Aquis, ob quæ meritißimò eum Sancti laudauerunt; & impatientes laudare deberent.



Vemadmodum lyræ vel citharæ concentus efficitur longè dulcissimus, quãdo manus apta, ad neruorum eliciendos sonos, accedit, & fides ad rectam intentæ sunt proportionem; quòd si verò magister desit, aut fides laxatæ, necesse est, illam perire concinnitatem; quippe & ars requiritur, & temperatio, sine qua nerui vel nullum, vel absurdum sonum
Prou. 8. 31. edunt: ita DEVS *ludit in orbe terrarum*, ita ipsi etiam terrarum incolæ homines. DEVS artifex est optimus, plectrum semper rectè ducit, sed homines non sunt semper optima, & ad obedientiam facta instrumenta: vnde nec sonum illum edunt laudis diui-
Act. 5. 41. næ, quem eos edere oporteret. Quidam sanè etiam percussi, *eunt gaudentes, quoniam digni habiti sunt, pro nomine* IESV, *contumeliam pati*: atque in ipsa quoque exilia extrusi, suauissimè resonant, &
Psalm. 113. 1. canunt: *In exitu Israël de Aegypto, facta est Iudæa sanctificatio eius.* Nimirum qualis animus, talis sonus; respondétque menti vox; *&*
Matth. 12. 35. *bonus homo, de bono thesauro profert bona: & malus homo, de malo thesauro profert mala.* Vis aliam audire citharam percussam & bene
Act. 5. 40. sonantem? Iudæi Apostolis *cæsis denumerauerunt, ne loquerentur in nomine* IESV, *& dimiserunt eos: & illi quidem ibant gaudentes; omni autem die, non cessabant, in templo, & circa domos docentes, & euangelizantes Christum* IESVM. Dulcissimum hi sonum ediderunt, quia rectè, atque ex lege diuinæ harmoniæ fuerant temperati. Optimum organum pulsat, quisquis pulsat patientem. Quòd si DEVS percutiat, aut sinat percuti impatientes, in quàm absurdos illi so-
Iudic. 10. nos erumpunt? quantis Diris naturam deuouent? *Hi autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant; quæcunq; autem naturaliter, tanquam muta animalia, nôrunt, in his corrumpuntur.* Hinc mala existit musica, quia ipsi sunt mala, & non ritè composita instrumenta; licet DEVS sit bonus citharœdus; & adeò bonus, vt etiam, ad suam justitiam ostendendam, in his ipsis *vasis iræ*, rectè laudabiliterque diuinæ artem exerceat sapientiæ. Bene enim sonat justitia

Numi-

Numinis, licet malè resonet hominis impatientia. Sic contra-punctum canitur. Quòd si verò iam homines ipsos ludentes consideremus, canunt quidam benè, quia boni; malè alij, quia mali; tametsi præstantissima non illis modò, sed istis etiam instrumenta suppeditentur. Neque dubium est, exceptis prauis hominibus, optima esse omnia totius Mundi instrumenta, in quibus omnibus, & Dauid, & tres pueri, & alij Sancti Numen laudauerunt.

II. Inter hæc instrumenta, est tertia sublunaris Mundi pars, *aqua*; & quarta *tellus*: quæ duæ partes, mirabili prouidentia, inter se, loci viciniâ, & elementi vtriusq; mixturâ, cohærent. Hoc connubio omnia gignuntur, quæ necessaria sunt, ad vitam hominis sustentandam. Aridus & sterilis puluis esset terra, sicco cineri similis, nec frugis, nec ponderis quidquam ferre posset, farinæ instar, ponderi cedens, si humectata non coalesceret. Aqua igitur eam humectat, estque ei in *glutinum*, vt ait Philo. Qui, alio loco, id etiã inter admirabilia ponit, his verbis: *Nonne prodigiosum videtur, id, quod dissolubile est, contineri à dissolutiuo, videlicet terram ab aqua?* Nec contineri tantùm, sed & fructiferum fieri, scilicet, *qui facit magna, & inscrutatilia, & mirabilia absque numero*, ille etiam *dat pluuiam, super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa.* Hoc beneficium ab aquis terra, &, per terram, accipiunt mortales. Sed & vicissim terra aquas, & per has, mortales omnes, beneficio afficit, non solùm dum eas sustinet; sed etiam quia aquæ, per canales terræ, limpidissimè percolantur, extractaque salsedine ex adustis exhalationibus commixtis nata, fiunt dulces, atque potabiles, & idoneæ ad germina, sine morsu, aut vredine, nutrienda. Fuêre, qui *cunctorum originem esse* dicerent, *ignem & aquam*, apud Arnobium. In diuinis legimus: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, sub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile, secundùm genus suum.* Quo loco, per *reptile*, pisces intelliguntur, qui pedibus destituti, quasi repunt. Estque in mari tanta varietas, vt exprimat omne genus terrestrium bestiarum: tanta ad facilem conuectionem opportunitas, vt, Theodosio teste, *vnius nauis onera vix aliquot millibus jumentorum vehi possent.* Quanquam neque fluuij sunt nauiũ

Philo in Cosmop. Idem lib. de plant. Noë. Iob. 5. 9.

Arnob lib. 3 contr. Gent. Gen. 2. 20.

Theod. ser. 2. de prouid. sub finem.

impatien-

impatientes; quorum nonnulli aurum arenis miſcent. Itaque ſi eſurimus, alit nos aqua piſcibus; potum præbet, ſi ſitimus. Quin & ſi aurum, ſi margaritas quærimus, in illa reperimus. Si iter facturi ſumus, vehit nos; & ſi quid eſt lutulentum, valet ad ſordes abluendas; ſi quid intutum, ad ciuitates muniendas, diſtinguendáſque regiones, intercurrit. Neque hortos quidquam magis animat, quàm aquæ, in omnes delicias hinc de petra, inde de menſa, alibi de concha vel de ſtatua, ſalaciſſimè ſalientes. Quod ſi quis
Gen. 26. 33. Iob. 26. 8. ægrotet, vel acidulas habet, vel thermas, quibus reſtauretur. Quocirca, vt puteum quondam Patriarcha *abundantiam*, ita nos omnes aquas beneficiorum diuinorum *abundantiam* poſſumus appellare. De quarum vtilitatibus ac laude prolixè agit Petrus Damiani, Vitruuius, & Lælius Biſciola. Illud prodigij loco haberetur, niſi quotidiana experientia in contemptum veniret; quòd aqua aëre multò grauior, tamen ſupra aërem aſcendat, & in ſublimi ſuſpenſa feratur, volitetque, plumæ aut lanæ inſtar. Quam ob cauſſam à
Iob. 26. 8. Iob Devs laudatur, tanquam ille ſapientiſſimus artifex. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis: vt non erumpant pariter deorſum.* Vbi mihi videtur Iob nubes non tantùm conſideraſſe, tanquam fœcundas pluuiarum matres; ſed etiam, vt quædam picturata, & auro relucentia tapetia, veláque ſoli oppanſa ad optatam hominibus extra tecta verſantibus vmbram inijciendam: quod vix magnis ſumptibus, in theatro Romano, legimus impetratum.

III. Ob has aquarum vtilitates, vel neceſſitates, vel jucunditates, nulli mortales ſumptui, nulli labori parcunt, vt in vrbes, vicinias,
Strabo. li. 15. domóſue ſuas deriuentur. Hinc tanta, per aquæductus, Romæ olim, aquarum vbertas influebat, vt, per vrbem atque cloacas, toti amnes inundare viderentur, & vniuerſæ propemodum ædes, ſubterraneos meatus, ſiphones ac fiſtulas venoſas haberent. Quorum accuratiſſimam diligentiam M. Agrippa egit, qui vrbem pluribus alijs monumentis adornauit. Vnde, apud Suetonium, Auguſti jocus, flagitante vini largitionem populo: *Satis ab Agrippa genero*
Plin. lib. 31. cap. 3. *ſuo proſpectum dicentis, ne populus ſitiret.* Plinium audiamus. *Clariſſima,* inquit, *aquarum omnium, in toto orbe, frigoris ſalubritatíſque, palma, præconio nobis Romæ* Marcia *eſt, inter reliqua Deûm munere vrbi tributa. Vocabatur hæc quondam* Aufeia, *fons autem ipſe* Piconia.

Oritur

*Oritur in vltimis montibus Pelignorum, transit Marsos, & Fucinum lacum, Romam non dubiè petens. Mox specu mersa, in Tiburtina se aperit IX. M. Pass. fornicibus structis perducta. Primus eam in vrbe ducere auspicatus est Ancus Marcius, vnus è regibus. Postea Quintus Marcius rex in pretura. Rursúsque restituit M. Agrippa. Idem & V*IRGINEM *adduxit ab octaui lapidis diuerticulo II. M. passuum, Praenestina via. Iuxta est Herculaneus riuus, quem refugiens virginis nomen obtinuit. Horum omnium comparatione differentia supradicta deprehenditur, cùm quantum Virgo tactu, tantum praestet Marcia haustu. Quanquam vtriusque iampridem vrbi periit voluptas, ambitione, auaritiáq; in villas ac suburbana decoquentibus publicam salutem.* Hæc ille. De nostra ætate nihil attinet dicere. Oculi nobis dicunt, quanti fiant aquæ. Vino faciliùs careremus: &, ab aquis homines fieri vigilantiores, dulcioribúsque somnis, quàm vini potores, frui, docet Philostratus. Philostrat. lib. 2. de vit. Apollonij, cap. 34.

IV. Pretijs porrò aquarum, vel inimici, aut hostes subscribunt; qui, cùm aquas auertunt, aut auferunt, plurimùm se auferre arbitrantur. Isaaco *inuidentes Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore, obstruxerunt, implentes humo. Rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthijm, appellauitq; eosdem nominibus, quibus antea pater vocauerat. Foderuntq; in Torrente, & repererunt aquam viuā. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ, aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei, ex eo, quod acciderat, vocauit* calumniam. *Foderunt autem & alium: & pro illo quoq; rixati sunt, appellauitque eum* inimicitias. *Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt. Itaque vocauit nomen eius,* Latitudo, *dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.* Pro re leui non contendunt, nisi leues. Hic inter grauissimum Patriarcham, & inter Abimelech regem, ac Philistæos, de puteis lis toties mota est. Apparet igitur vel hinc, magnum eos, in puteis momentum posuisse. Quod etiam fuit videre, in Holoferne Bethuliam obsidente, qui, *dum circuit per gyrum, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum, a parte Australi, extra ciuitatem dirigeret; & incidi præcepit aquæductum illorum. Erant tamen non longè a muris fontes, ex quibus furtim videbantur* Gen. 26. 15. Iudith. 7. 6.

bantur haurire aquam, ad refocillandum potiùs, quàm ad potandum. Sed filij Ammon & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filij Israël, non in lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio constituti. Vt ergo, sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, vt non hauriant aquas ex eis; & sine gladio interficies eos: vel certè fatigati tradent ciuitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse. Et placuerunt verba hæc, coram Holoferne, & coram satellitibus eius, & constituit, per gyrum centenarios, per singulos fontes. Cumq; ista custodia, per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non esset, intra ciuitatem, vnde satiarentur, vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie. Eiusdem modi historijs strategematum libri sunt pleni; è quibus perspicuum est, magnum esse, in aquis, beneficium, grande momentum: quod tantò pluris vt fiat, sinit DEVS homines, negatione aquæ, intelligere. Valde enim charum nobis debet esse, quo tam ægrè caremus. Denique id, vbi deest, summo labore atque sumptu, effossis puteis, quærimus; quod passim alibi, & totis riuis fluuijsque diuina nobis bonitas largitur.

Theod. serm. 2. de prouid.

V. Quamobrem & ipsi sancti beneficia præstituri, fontes aperuerunt. An non enim *tulit Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine, ante petram, dixitq; eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Cumq; eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & jumenta.* Erat autem hæc alia petra, & alia percussio ab illa, quæ in Exodo memoratur. Hæc enim facta est, in Raphidim, juxta *Sinai*, anno primo vel secundo, post egressum ex Ægypto; illa autem altera, in deserto *Sin*, apud Cades, sub initium anni quadragesimi, post exitum ex Ægypto. Igitur bis hoc beneficium prodigiosum præstitit populo Moyses; sicut & alter Moyses Christus, à quo, ceu fonte perenni, aut jugi aqua omnium cœlestium & terrenorum beneficiorum, itidem legimus, duos vberrimos ac saluberrimos fontes nobis excitatos: à nascente vnum, alterum à moriente. Vt enim de dulcissimis & diuinissimis fontibus lachrymarum nihil dicam, nascente in spelunca, Christo, inibi, ad ea, quæ, vsus quotidianus poscen-

Num. 20. 9.

Exod. 17. 6.

poſcebat, è petra fluxit aqua, quæ nunquam fugit, neque potuit exhauriri; manſitque diutiùs diuinæ virtutis egregium monumentum. Siquidem adhuc Bedæ temporibus, vigebat cunctis perſpicuum & venerandum tantæ rei prodigium. Quod ipſe à teſte, qui hæc viderat, ſanctiſſimo Epiſcopo acceptum, his verbis, ſcriptis mandauit. *Hæc ſpelunca tota interiùs ſpecioſo marmore tecta, ſupra ipſum locum, vbi Dominus natus ſpecialiter traditur, S. Mariæ grandem geſtat Eccleſiam. Petra, juxta murum, cauata primùm Dominici corporis lauacrum de muro miſſum ſuſcipiens, hactenus ſeruat: quæ ſi qua fortè occaſione, vel induſtria fuerit exhauſta, nihilominus continuò, dum reſpicit, ſicuti antè fuerat plena, redundat.* Hunc fontem dedit ſalutis noſtræ fons; cùm viuere cœpit; poſtquam viuere deſijt, alium nobis fontem donauit. Siquidem *vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt*, ait S. Auguſtinus, *vt non diceret: Latus eius percuſſit, aut vulnerauit, ſed* aperuit; *vt illic vitæ oſtium panderetur, vnde ſacramenta Eccleſiæ manârunt. Hoc & prænunciarat, quod Noë, in latere arcæ oſtium facere juſſus eſt, quò intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia.* Dignatus eſt Seruator ad Samaritanam dicere: *Da mihi bibere*; cumque illa tergiuerſaretur, *reſpondit* Iesvs, *& dixit ei: Si ſcires donum* Dei, *& quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forſitàn petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Mirum eſt, tot homines non dignari petere hauſtum à Chriſto, & à Chriſto propinante ac inuitante, imò *aquam viuam* promittente. Nam profectò talem in SS. Euchariſtia hauſtum propinat; hauſtum è latere ſuo profluentem. *Itaque, quia hinc ſuſcipiunt principium ſacra myſteria*, inquit S. Chryſoſtomus, *cùm acceſſeris ad tremendum calicem, quaſi ab ipſa bibiturus Chriſti coſta; ita accedas.* Vt autem videamus, eum non ſolùm dediſſe fontes ſalubritate, atque in medendis corporibus nobiles, ſed dediſſe tunc, cùm cauſſas habuit negandi: tunc aquæ & ſanguinis fons, in latere eius, eſt ruptus, cùm homines illi, in potum fel & acetum porrexiſſent. Ita abſinthia noſtra nectare ſuo compenſauit.

Beda de locis ſanct. c. 8.

Ioan. 19. 34.

S. Auguſtin. tract. 120. in Ioan.

Ioan. 4. 8.

S. Chryſoſt. hom. 84.

VI.

Quin & alios ſalutares à Chriſto fontes promanaſſe, probæ authoritatis ſcriptores tradiderunt. Nam, ſub eius Natiuitatem,

Euseb. in chron.

vt scribit Eusebius, Romæ, è taberna meritoria, trans Tiberim oleum, è terra, erupit, fluxítque, toto die, sine intermissione. *Quo signo*, ait Orosius, *quid euidentiùs, quàm in diebus Cæsaris, toto orbe, regnantis, futura Christi natiuitas declarata est? Christus enim vnctus interpretatur.* In Ægypto quoque nobile monimentum habitationis suæ Christus adhuc admodum puer reliquit; quod & ab alijs traditur, qui eò sunt peregrinati, & à Burcardo sic describitur: *Inter Heliopolim & Babyloniam, medio fermè loco, est balsami hortus.* Et post multa: *Rigatur hortus ille ex paruulo fonte, sed vbere, in quo fama est, B. Virginem* IESVM *paruulum pluries lauisse, panniculosq; eius mundasse, cùm esset in Ægypto, propter metum Herodis: est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccasse. hæc omnia venerantur à Christianis & Saracenis.* Neque puer magis, quàm adultus, fuit, in fontibus sacrandis, munificus Redemptor. *Est vrbs Palæstinæ,* ait Sozomenus, *quæ iam Nicopolis dicitur, cuius quidem tum pagi (sic enim iam tum fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionem, eamq; Emmaus appellat. At Romani, capta Hierosolyma, & parta contra Iudæos victoria, eam Nicopolim nuncupabant, nomine, ex euentu belli imposito. Ante hanc vrbem, prope triuium, in quo Christus, propter resurrectionem à mortuis, cum Cleopha incedens, simulabat, se ad alterum pagum properè contendere, est fons quidam salutaris, in quo non homines modò, qui ægrotant, loti curantur, verùm etiam animalia, quæ varijs morbis laborant. Nam ferunt, Christum, vnà cum discipulis, quodam tempore, è via, ad fontem illum diuertisse, inq; eo lauisse pedes, & aquam ex eo tempore vim medendi morbis habuisse.* Hoc Iosephus naturali aquarum virtuti potiùs, quàm miraculo tribuens ait: *Ammaus* (est idem quod Emmaus) *si quis nomen interpretetur, aqua Calida vocantur. Ibi enim eiusmodi fons est, sanandis corporum vitijs idoneus.* Quia tamen Plinius author est, Emmauntem pluribus fontibus fuisse irriguam; idcircò, in aliquo ipsorum, ab alijs diuerso, quod scribit Sozomenus facilè potuit contingere; vt obseruat Cæsar Baronius. Quod si hæc vis medendi, à lotis Christi pedibus accessit ad fontem Emmaus; quantam vim inesse arbitrabimur illi fonti, qui ex oculis Magdalenæ exilijt, & Christi pedes, calidissimis lymphis, tam honorificè irrigauit? Quanquam & illius fontis author Christus fuit; sicut & omnium, è contrito corde erumpentium

Oros. hist. lib. 6. cap. 17.

Burcard. in descript Terræ S. part. 2. cap. 4.

Sozom. hist. lib. 5. c. 20.

Ioseph. de bello. Iud. lib. 4. cap. 3.

Plin. nat hist. lib. 5. cap. 14.

Baron. An. Christi. 34.

Luc. 7.

pentium lachrymarum: quarum vis penetrat vsq; ad animas peccatorum sanandas. Mirum est, quosdam esse tam siccoculos, &c. *sicut terram sine aqua*, vt ne vnam quidem possit ab eis Moyses iste lachrymulam impetrare, qui vel è pumice potest aquam eijcere. Et, quia *lachrymæ pœnitentium, sunt vinum Angelorum*, plus est vtique, in fletu liquefieri peccatorem, quàm aquam in vinum conuerti. VII.

Quanquam neque hac ratione abstinuit benefacere mundi Reparator. Siquidem in Cana Galilææ, oppido, vt tradit S. Hieronymus, posito in Galilæa Gentium, primum omnium miraculum Christus patrauit, cùm aquam permutauit in vinum, vt dudum Isaias facturum prædixerat. Quod, sexto die Ianuarij factum, non solùm testatur Ecclesia, quæ eum diem hoc nomine, celebrem habet, sed & complura miracula, varijs locis, solita exhiberi, de quibus S. Epiphanius hæc habet. *Post annos triginta factum est primum miraculum, in Cana Galilææ, quando aqua facta est vinum. Quapropter & in multis locis, vsque in hunc diem, hoc fit, quod tunc factum est, diuinum signum, in testimonium incredulis: velut testantur, in multis locis fontes ac fluuij in vinum conuersi. Cibyres quidem vrbis Cariæ fons, qua hora hauserant ministri, & ipse dixit: Date architriclino. Testatur & in Gerasa Arabiæ fons similiter. Nos bibimus de Cibyris fonte; fratres verò nostri de eo, qui est in Gerusa, in martyrum templo. Sed & multi, in Ægypto, de Nilo hoc testantur. Quare in vndecima Tybi* (mensis, quæ lux est apud nos sexta dies Ianuarij) *apud Ægyptios omnes hauriunt aquam, & reponunt, tum in ipsa Ægypto, tum in multis regionibus, &c.* Hæc Epiphanius. Hanc caussam cùm accolæ ignorarent, Baccho id beneficium suo tribuerunt, cui & idcirco fanum struxerunt, in Andro; vbi, Plinio teste, *in templo Liberi patris, fontem nonis Ianuarij* (vno die ab Epiphanio discrepat) *vini sapore fluere, Mutianus ter Consul tradit: Diotecnosia vocatur:* Similes his accolis sunt multi, qui non aqua modò, sed & vino suauissimo munificentissimè donati, beneficium haud Deo, sed diuitijs suis ascribũt, immemores, ipsas se diuitias à Deo accepisse; quibus vina comparant; nec vnquam soliti mentionem facere *de fontibus Saluatoris*. Qui beneficijs grati sunt, agnoscunt benefactorem. Neque enim in nuptijs tantùm, aut in illis fontibus hoc prodigium Chri-

S. Hieronym. lib. de loc. Hæbr.

Isa. 9.

S. Epiphan. hæres. 51.

Plin. nat. hist. lib. 2. cap. 103. & lib. 4. c. 12.

Cranz. lib. 6. Metrop. cap. 40.

ſtus patrauit, ſed etiam alijs temporibus. Siquidem Cranzius memorat, Isfridum Raceburgenſem, in Vandalia, Epiſcopum, miracula etiam non cogitantem expertum eſſe. Iuſſerat is, ſacra die Paraſceues, à miniſtro aquam afferri, potus gratia. Allatam guſtauit, toruoque vultu: *An non*, inquit, *juſſi, vt aquam afferres, non vinum?* Territus ille, ſanctè affirmauit, aquam ſe attuliſſe de fonte. Iuſſit iterum haurire, & tertiùm haurire, ſemper, aquæ loco, vinũ eſt apportatum. Tum reſolutus in lachrymas, oculos in cælum ſuſtulit, inquiens: *Quando tua voluntate, mirifice Creator, creatura mutatur, cedo, quia jubes. Ecce in die paſſionis Filij tui, ſumo, quod præſtas.* Monſtrant hodie fontem, juxta domum theſaurariæ in Raceburgo, vnde hauſta fuit aqua, eo die, in vinum verſa à Chriſto, quo ipſe fel in potum à mortalibus accepit.

VIII.

S. Maxim. ſer. de Epiphania.

Matth. 14. 25.

Enim verò aquas Chriſtus honorauit non ſolùm, quando eas, ad nuptias inuitatus, alijſque locis, in vinum conuertit: ſed etiam quando, *ſuſcepto à Ioanne baptiſmate, Iordanis fluenta conſecrauit;* itemque, quando, *quarta vigilia noctis, venit ad diſcipulos ambulans ſuper mare;* pedibus eius ſe permittens calcari, tanquam marmor ſolidum: & quando olim, quot annis, clariſſima illa miracula

Cæſ. Baron. Anno Chriſti. 33.

repetiuit; *dum, pleriſque in locis orbis occidentalis, Paſchali tempore, quo ſolenne baptiſma, in Eccleſia, peragi conſueuit, e ſicco aridoq́; fonte lapideo copioſum ad baptiſmi vſum aquæ exundare conſueuerunt.* Poteſt huc etiam merito ſuo referri ille fons, qui, teſte S. Hieronymo,

S. Hieronym. de locis Hebr.

ad radicem montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur, ſorbetur humo. & Apoſtolorum Acta referunt, Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopũ, in hoc eſſe baptizatum à Philippo. Maximè verò ad hunc cenſum

Sur. 2. Iulij.

Cæſ. Baron. An. Chriſt. 68. n. 22.

pertinet fons, qui, in Mamertino carcere Apoſtolorum Petri & Pauli, Romæ, ad baptizandos eorum cuſtodes, Proceſſum & Martinianum, diuina virtute, è petra promptiſſimè erupit. *Admiratione enim digna res eſt, eundem illic fontem, in hanc vſque diem perſeuerare, non tantùm rerum ibi geſtarum memoria nobilem, ſed perenni illuſtrem miraculo: quippe poſitus, in medio carceris ſtrati prægrandibus Tiburtinis ſibi inuicem inhærentibus, è perforato ſaxo, altitudine cubitali tantummodo, & palmi vnius, vel circiter latitudine, ſic aqua ſcaturit, vt nec foras exundet; nec quantumlibet hauriatur, vnquam ſiccetur. Notiſſimum eſt eius rei experimentum, dum, certis anni diebus, quibus*

carcer-

carcer ille, religionis ergò inuisitur, totius vrbis concursu, & fideles inde hauriunt aquam, & potant, & tamen fons indeficiens perseuerat.

IX.

Fontem hunc D. Petrus, qui prædictos, in carcere, milites ad Christum conuertit, precibus à Deo impetrauit, tanto maiore beneficio, quia, eo saliente, & sitis est restincta, & extincta sunt peccata baptizatorum. Quæ sanè non minima dignitas est aquæ, esse scilicet instrumentum, per quod animæ expiantur, & gratiæ cælestis in eas vita infunditur. Neque in baptismo tantùm vsus hic aquæ sacer fuit. Siquidem consueuerant antiqui Christiani etiam, ante precationem, manus abluere. Ad quem morem alludens Paulus ait: *Volo viros orare, in omni loco, leuantes puras manus.* Et apud Clementem legimus, *vt Christianus lotus oret*; significabat scilicet ea lotio manuum, operum & conscientiæ puritatem. Qua de caussa Tertullianus ait: *Quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu verò sordente, orationem subire?* Postea in eiusmodi lauacri locum successit, vt aqua sacerdotis precibus benedicta (quæ fidelibus vsui esse consueuerat, in eorum domibus, vt Alexandri Papæ res gestæ significant) in ipso ingressu Ecclesiæ poneretur, qua, ad leuiorum peccatorum expurgationem, adeuntes Ecclesiam aspergerentur. Quod etiam domi facere, vtilissimum plurimi experiuntur. Quæ maxima est aquæ gloria, non ad corporis duntaxat, sed, & ad animæ sordes abluendas, eam adhiberi. Maior tamen adhuc dignitas est, in sacrificio missæ, vinum non nisi aqua mixtum offerri, ex Dominica traditione, ac more totius Ecclesiæ Christianæ, vt S. Cyprianus testatur. Nec vtique aliter fecit, in vltima cœna, Christus, qui, tanquam temperantiæ exemplum, censendus est, vinum aquâ miscuisse. De his sacris fontibus intelligit D. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus illud Ioëlis, de Christo vaticinantis: *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.* In quæ verba ita scribit Cyrillus: *Sciendum secundùm mysticum euentum promissionem veram esse. Data est nobis, ceu pluuia, AQVA VIVENS SACRI BAPTISMATIS; & tanquam in frumento, panis viuus; & tanquam in VINO SANGVIS. Accessit item vsus DEI, qui, per sacrum BAPTISMA,* in Chri-

1. Tim. 2.
Clem. lib. 8. Constit. c. 38.
Tertullian. de orat. c. 11.
S. Cyprian. Epist. 63. ad Cæcil.
S. Cyrill. in Ioël. cap. 2.

in Christo iustificatis, ad consummationem conferret. Fontes ergo sunt sacramenta, & inter hos *aqua viua sacri baptismatis*, vnde diuina in homines gratia dimanat.

Hæc magna aquarum ornamenta beneficiaque esse, quis neget, vsque ad spiritum animámq; penetrantia; cùm magni fiant alij Sancti, qui vel ad sitim corporis duntaxat restinguendam, Moysen imitati, aquas æstuantibus fontésq; sunt diuinitus largiti? Recens est, quod de S. Isidoro Hispaniæ colono, ex historia vitæ atque imagine illius didicimus; cui idem fuit, scipione terram & fontem eruere. Refert Nicephorus, Donatum Eureæ, in Epiro, antistitem, cùm aliquando, ex itinere fessus, comites aquæ penuria languentes conspicatus esset; primùm DEVM precatum, deinde terram manu fodisse, atque illico fontem aquæ viuæ produxisse, quæ viæ comites ad itineris laborem recreauit. Quod hic manu, Antoninus (martyr Apameæ passus) virgâ fecit, quâ vbi humum percussit arentem, nec vllis aquis rigatam, illico fons exilijt, cuius potu refocillatus, iam hilarior ad martyrium cucurrit. Idem præstitit Basolus Rhemensis Abbas, in Galliæ partibus, dum montem solitarius incoleret, nec aquam haberet, fontem precando de rupe elicuit. Quod hi pro se fecerunt; idem alij impetrarunt, in gratiam aliorum. Nam D. Franciscus, dum rustici cuiusdam sitim, in solitudine, miseratur, oratione terram dirupit, è cuius vulnere, in vicem sanguinis, fons emicuit, cuius haustu, qui moribundus sicco ore vix anhelabat, restitutus sibi, saluè vixit. Cùm Haimo dux, in venatione immodicè sitiret, tetigit baculo terram Iodocus monachus, & reddita est illi extemplò aqua, ex arido solo; quasi ad cellam pulsasset, aut tanquam si dolium perfodisset. Dedicabat Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiam quandam, magna hominum multitudine confluente. Defecit populo sitienti aqua; pedo igitur terram verberauit; &, quasi testam aqua plenam rupisset, ita mox fons copiosus sese effudit, qui à Vincentio scribitur hodiernum vsque in diem manare, vt nomen quoq; Dunstani largissimè dimanet, per orbem. Quid longè excurrimus, cùm celeberrimos eiusmodi fontes, in vicinia nostra, habeamus? S. Corbiniani Frisingæ; S. Wolfgangi Ratisponæ; trium Exulum ad pagũ Oettingam? Ac, ne oleum desit, laudatissimum manat S. Quirini, in De-

Niceph. lib. 12. cap. 45.

Marul. lib. 4. cap. 2.

idem ibid.

ibid.

Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 65.

Vincent. l. 24.

in Degernsee; & Eichstadij S. Walpurgæ. Sed neque ille fons mihi tacendus est, quamuis longè petendus, qui ab Edinburgo Scotiæ vrbe, plus minùs duobus passuum millibus, scaturit, cui lucidissimi olei guttæ innatant, eâ mensurâ & numero, vt, si nihil inde collegeris, nihilo plus confluat: quantumuis autem abstuleris, nihilo minùs remaneat. Natum esse aiunt, effuso illic oleo D. Catharinæ, quod ad D. Margaritam, ex monte Sinai adferebatur. Fidem rei faciunt, fonti nomen D. Catharinæ inditum; atque in eiusdem honorem sacellum juxta, D. Margaritæ jussu, ædificatum. Valet id oleum, cõtra cutis scabritiem. Nempe, quia D. Catharina fuit vna ex prudentibus virginibus, quæ exeuntes *obuiam sponso & sponsæ acceperunt oleum in vasis suis, cum lampadibus*: idcircò voluit & illam, oleo ad sepulchrum apposito, oleoque à sepulchro eius ablato diuinus Sponsus illustrare. Similia extant complura; quorum vnum Egnatius recenset de Narcisso Hierosolymitano Episcopo: qui, cùm, Paschatis festo die, oleum defecisset, aquam, loco olei in vsum luminum infundi jussit. Quæ, quàm primùm in oleum versa, sic accensa est, vt omnibus spectaculo esset. Neq; finis fuerit, si aut olei, aut aquarum fontes saluberrimos, vel solius Germaniæ velim commemorare. E quibus satis sit clarum, miraculum Moysis, rupem in laticem soluentis, *oleumq; de saxo durissimo* elicientis; sæpiùs fuisse, etiam apud nos Christianos, restauratum. Quibus miraculis aquarum gloria, præstantiaque diuinitus commendatur.

Matth. 25. 4.

Egnat. lib. 8. cap. 1.

XI. Nec mirabiles duntaxat fuêre Sancti, dum sitientibus aquæ potum præbuerunt, sed longè mirabiliores, quando non solùm aquas frugalissimè, in Eremo, atque inter diuturna jeiunia; sed etiam cùm eas adeò copiosè hauserunt, vt suffocarentur. Clariùs loquar. Aquæ martyres fecerunt; & martyrijs sunt consecratæ. Colit, ob id, Clementem Romanum quotannis Ecclesia, quem submersum mare ipsum coluit, ad Angelicum illius sepulchrum adituris se reducens, atque iter patefaciens. Leguntur præterea & alij Martyres, per aquam, ad cælum transijsse; vt Ascla, Anastasius Aquileiensis, Florianus, Hesychius, sub Diocletiano; Theogenes, sub Licinio; Claudius Tribunus, sub Numeriano; Callixtus Papa, sub Alexandro Seuero, Symphorosa, sub Adriano: item A-

pollonius, Bassus, Antonius, Philemon, Protolycus, apud Alexandriam, Callixtus & Charisius, apud Corinthum: Iucundianus, in Africa; Palatinus, Maxima virgo, Christina, & alij, sine numero, Christi caussa in aquas proiecti, per compendium ad portum cælestem peruenerunt; docueruntque non virtutes tantùm, sed etiã beatas mortes posse haberi aquarum occasione.

XII. Quòd si artes percurrere libeat, quæ vel sine aquis nullæ sunt; vel ab aquis plurimùm iuuantur, in Oceanum quendam historiarum intrabimus. In aquis exercentur artes natandi, piscandi, nauigandi, bellandi, molendi, medendi. Vnicum, de medica vi aquæ, apponam exemplum, quo docetur, Apollonium, non alia, quàm medica arte, sanauisse adolescentem, quem rabiosus canis momorderat, postquam scilicet is *haustam ex Cydno aquam bibit. Neque verò canis curationem neglexit Apollonius*, ait eius laudator, *sed pro illo sanando, fluuium precatus* (en simulationem impostoris) *in eum coniecit canem. Is verò fluuium ingressus, cùm in eo natans aliquamdiu moratus esset, in ripa consistens vlulauit, quod rabiosi canes facere nõ consueuerunt; &, auribus demissis, caudam vibrabat, tanquã & ipse conualuisse se agnosceret. Medicamentum namq; rabiei est aqua, si eam attingere rabiosus audeat.* Repertæ sunt & aliæ artes, aquam in mensa, & è ferculo excitandi, atq; in altum iaculandi; ducendi per ardua montium; adhibendi, per siphones, ad alta incendia, sine scalis, attingenda restinguendaque; enimuerò ad expellendos è fistulis æneis globos, vice ignium: atque vt cæteras omnes prætermittam, illud non silebo, quod Proclus Geloni regi, plures autem, cum Vitruuio, Hieroni tribuerunt; qui tradunt Hieronem, Syracusis, regia potestate auctum; cùm, rebus benè gestis, auream coronam, dijs in quodam fano, votiuam constituisset ponere; immani pretio locauisse faciendam, & aurum ad sacoma appendisse redemptori. *Is, ad tempus, opus manu factum subtiliter regi approbauit, & ad sacoma pondus coronæ visus est præstitisse. Posteaquam indicium est factum, dempto auro, tantundem argenti in id coronarium opus admixtum esse. Indignatus Hiero, se contemptum, neq; inueniens qua ratione id furtum deprehenderet, rogauit Archimedem, vti in se sumeret sibi de eo cogitationem. Tunc is, cùm haberet eius rei curam, casu venit in balneum: ibiq;, cùm in solium descenderet, animaduertit, quantum*

Agricola. l. 2. de effluentib. è terra Sen. 3. nat. q.q. Proclus. lib. 2. c. 3. Vitruui. lib. 9. cap. 3.

tum corporis sui, in eo, desideret, tantum aquæ extra solium effluere. Itaque cùm eius rationem explicationis ostendisset, non est moratus, sed exiliuit gaudio, motus de solio, & nudus vadens, domum versus significabat clara voce, inuenisse, quod quæreret. Nam currens identidem Græcè clamabat, εὕρηκα, εὕρηκα. Tunc verò ex eo inuentionis ingressu, duas dicitur fecisse massas æquo pondere, quo etiam fuerat corona, vnam ex auro, alteram ex argento. Cùm ita fecisset, vas amplum, ad summa labra, impleuit AQVA, in quo demisit argenteam massam. Cuius quanta magnitudo in vase depressa est, tantum aquæ effluxit. Ita, exempta massa. quantò minus factum fuerat, refudit, sextario mensus, vt eodem modo, quo priùs fuerat, ad labra æquaretur. Ita ex eo inuenit, quantum ad certum pondus argenti, certa aquæ mensura responderet. Cùm id expertus esset, tum auream massam similiter pleno vase demisit, & ea exempta, eadem ratione, mensura addita, inuenit, ex aqua non tantum defluxisse, sed tantum minus, quantum minus magno corpore, eodem pondere auri massa esset, quàm argenti. Postea verò, repleto vase, in eadem aqua ipsa corona demissa, inuenit plus aquæ defluxisse in argenteam, quàm in auream, eodem pondere massam: & ita ex eo, quod plus defluxerat aquæ in corona, quàm in massa, ratiocinatus, deprehendit argenti, in auro mistionem, & manifestum furtum redemptoris. Hæc Vitruuius. Alij alia narrant artificia aquarum, in quibus vrinatores, Chymici, Mathematici, & quidquid est hoc hominum genus, ætatem, tempus, ingenium terunt, & vel gloriam, vel famam, vel pecuniam quærunt. Plura de aquarum mirabilibus lectu jucunda conscripsit Plinius, Frontinus, & Cyrillus Hierosolymitanus. In compendio Socrates, postquam docuit, *pretiosa tantùm esse, quæ rara*, coronidis loco, adiecit, rectè tamen dixisse Pindarum, *aquam optimam esse, licet vilissimo pretio, addicatur, passimq́; habeatur.* Atque hoc ipsum est maximè æstimandum: rem tam vtilem, tam jucundam, tam necessariam; tamen passim, &, sine vllo pretio, occurrere; hoc est, sine pretio, esse pretiosam. Atque vt videas esse pretiosam; aquâ cælum potest emi. Hoc ipse significat cæli Conditor, dum ait: *Quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et hoc obijciet, quibus cælum negabit: *Aquam lasso non dedisti.* Nemo de vilitate accuset, quod potest esse cælo dignum.

Plin. l. 2. c. 103. & lib. 31. ab initio. Frontin. li. 1. de aquæductibus. Cyrill. Hierosolym. Catech. 3. Plat. in Euthyd.

Matth. 10. 42.

Iob. 22. 7.

XIII. Vitrum. lib. 8. cap. 4. Tanta hæc sunt aquarum emolumenta, alia in homines, alia in pecudes deriuata, vt qui, apud Aegyptios, olim sacerdotia gesserunt, ad demonstrandam aquæ vim ac præstantiam, quoties hydriam tegerent, ad res sacras pertinentem, humi procidentes genibus, & manibus ad cælum obuersis, diuinæ ob eius inuentionem, largitati gratias persoluerent. Simile quid & Sancti fecere. Eorum enim vnus dixit: *Dominus super aquas multas.* Et rursus: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascua, ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me.* Alij, in medijs ignibus, cecinerunt: *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Cygni, cùm natant, alis plaudunt. Exiliunt ipsi pisces, ex vndis, in sublime. Et, quasi luderet citharâ Arion, feruntur ipsi etiam identidem Delphines, velut per chorum saltitare. Ad eundem modum, conspectâ aquarum planitie, claritate, venustate, Sancti animis exultant. *Pulchra sanè est species huius elementi*, ait S. Ambrosius, *vel cùm surgentibus albescit cumulis, ac verticibus vndarum, & cautes niuea rorant aspergine; vel cùm æquore crispanti clementioribus auris, & blando serenæ tranquillitatis purpurascentem præfert colorem.* In opere hoc artifex operis laudatur. Quare & Constantinus Magnus affirmauit, *iugem & continuum fluuiorum ex aqua, per occultos illos Dei manu firmatos tubos decursum, nocte dieq́; non intermittentem, plurimum habere admirationis, voluisseq́; Deum, in re fluxissima, æternæ & perpetuæ vitæ imaginem mortalibus obijcere.* His de caussis aqua laudabilis, potest, debet, & solet laudari à gratis, & beneficia agnoscẽtibus. Et tamen scimus, quàm vociferati sint lamentabiliter quidam, vt sibi videbantur Heroës, deplorantes, cum Agamemnone Argynum, & cum Theodamante, Hercule, ac nautis, *Clamantes, vt littus Hyla, Hyla omne sonaret;* itemque cum alio: *Me miserum, quanti montes voluuntur aquarum!*

Psal. 28. 2. Psal. 22. 2. Dan. 3. 60. S. Ambros. l. 5. Hexäem. cap. 5. Constantin. Magn. orat. ad Sanct.

CAPVT. VII.

In ipsis etiam Aquarum damnis, periculisque, Deum & iustum, & laudabilem esse.

I. Ioan. 2. 5.


Vnt etiam, qui voce, non mente, Prophetæ, clamant: *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, Circumdederunt me*

me aquæ, vsq; ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Sunt, qui mare fugiunt, qui flumina execrantur, qui, liberis fatales, puteos Diris deuouent; qui mille coaceruant, in aquam, accusationes. Descenderat Stratonicus Musicus, Pellæ, ad puteum: ibi haurientes rogauit: *Num esset aqua potabilis?* cùm dixissent: *Nos istam bibimus: Non est igitur*, inquit, *potabilis.* quia illos videbat pallidos vultu luridósque; quod interpretabatur malæ valetudinis argumentum, quam eos existimabat non aliunde, nisi ex aqua contraxisse. In effectu caussam non falsa suasione reprehendit. Quod plurimi faciunt, non solùm vini potores, & aquæ osores; sed etiam illi, quorum vel filij, cum Icaro; vel coniuges cum Othorini vxore, vel parentes aquæ nimium biberunt: vel quibus, instante naufragio, totidem videntur,

Athen. in Dipnos.

Senec. in Hercule Oetæo, Iouius in Actio. Ouid. 11. Metam.

Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes,
Non tenet hic lachrymas, stupet hic, vocat ille beatos,
Funera quos maneant: verboq; interuenit omni
Plangor, & attonito gemitus à corde trahuntur.

Expertus hoc Aeneæ tubicen Misenus, expertus Palamedes, expertus Leander Abydenus, expertus rex Ceyx; experta est vxor eius Alcynoë, in fabulis; expertus in historijs, cum conjuge honestissima, miserrimus Sosa: quorum priorem in coniugis conspectum, mare eiecit mortuum; alterum viuum expuit in maiores calamitates. Execrata est aquas, apud Herodotum, Phronime, suasu nouercæ, ab Etearcho patre, rege Cretæ, in vndas & mortem præcipitata. Execrabiles fecit aquas Machometes, Amuratis F. Turcorum rex, qui, vt refert, Chalcocondylas, cùm regni moderamen suscepisset, fratrem suum peremit, aqua infusa, spiritum eius intercludens. Quem propinandi modum, etiam Suedicus miles, nuper reduxit. Bibit & Roxana Alexandro chara, cum aqua, mortem, cùm eam æmula eius Statyra, Darij filia, M. Alexandri vxor prægnantem in puteum demersit; vt scribit Plutarchus. Atque esto, non omnes aquæ potores moriantur, cùm temperatè bibant: quot bibentibus aqua strumam, febrim, tormina, venena peperit? Fuêre, qui, cum aquis, semina ranarum haurirent, in ventre maturata, & mutata in bestias identidem ex insolita palude coaxantes? Enimuerò illi ipsi, qui iracundum mare nauigantes

Petr. Maffeius de reb. Indicis lib. vlt. Herodotus lib. 4.

Chalcondilas lib. 7. Plutarchus in Alexandro.

experti sunt. Nonne, cum Catone, statuerunt, nunquam se, per aquas, iter facturos, quod terris posset confici? Et studiosus ille, apud Hieroclem, ex aquarum periculo euadens, quàm lepido se voto obstrinxit, nunquam se ampliùs intraturum in aquas antè, quàm natare didicisset; quasi ea ars extra aquas disci posset? aut in gramine quoque nataretur? Exundationes Tiberis quantum non Horatius modò, sed & alij leguntur esse detestati? quorum agros domósque, in vicinis vrbibus subuertit? Et Poëta quidem, licet eum fluuium pro Deo haberet, tamen, per conuicium, *vxorium amnem* vocauit,

Horat. lib. 1. carm. od. 2. apud S. Greg. Turon. li. 10. hist. Franc. cap. 1. Palm. An. 717. Ciacon. in Greg. II.

Iliæ dum se nimium querenti
Iactat vltorem vagus & sinistrâ
Labitur ripâ.

H. Boethius. lib. 13.

Tantò maior luctus fuit, quando Tai & Almundi fluuiorum caduca aqua, seu inundatio Berthæ, Scotiæ vrbis, mœnia, cum magna domorum parte, euertit. Tunc enim rex ipse Guilielmus, cum vxore liberísque ac nobilibus, haud expers periculi fuit; atque ex regia familia, Ioannes regis filius adhuc lactens, cum nutrice ac duodecim feminis, ac præterea aulici duodecim tragica morte perierunt. Quod si hæc clades non sufficit; refert Trithemius, apud Flandros, An. 1014. ad 4. cal. Octobr. magnam nubium molem simul resolutam ex improuiso, cælitus delapsam, multa hominum millia suffocauisse. Quos tum gemitus, quos eiulatus putemus extitisse? Voces pereuntium non sunt laudes perimentium. Longum esset, si lachrymas vellem enumerare à sponsa effusas regis Angliȩ filia, Hartmanno II. Rudolphi Imp. filio, decimo octauo ætatis anno, prope oppidum Rhinau, in Rheno, submerso, & Basileæ cum matre Anna sepulto. Luctuosissimum fuit Othoni Luneburgico duci, cùm eiusdem nominis paruulum filium puerili curru, infantum more, vectum, & familiæ negligentia in vicinum flumen, de ponte lapsum, dictóque citiùs submersum, hæredem masculum vnicum aspexit. Vidit cadauer, & ferè oculos effleuit; nam & ducatum vidit cum eo, è familia abiturum. Quàm ille tunc nullas voluisset, in orbe, aquas extitisse, ne lachrymis eas augere cogeretur?

Trithem. de reb. Hirsaug.

Granzius l. 9. Metrop. c. 20.

II. Querelæ istorum, aliorúmque talium threni tantas caussas,

quanta

quanta damna videntur habuisse. Quæ alij latiùs senserunt. Quàm Palm. Anno
enim etiam miserandum fuit, maximè Venetijs, diluuium, quod, 586. Ciac. in
cum ingentibus tonitruis An. Christi 586. coniunctum, secuta Pelag.
est pestis sæuissima, Romæ, ob fœtorem serpentum in ripas vndiq;
eiectorum? An. 1086. tanta extitit, in Italia, aquarum inundatio, Sigebert. An.
vt quasi liquefactæ rupes, sua ruina villas complures perditum 1086.
irent. An. 1136. mare suis finibus inopinatò egressum, Belgij par- Rob. An. 1136.
tem haud exiguam, cum suis incolis, submersit. Nec, in Gallia, Se-
quana tantùm, per vniuersam Lutetiam, ita exundauit, vt, teste Genebrard.
Genebrardo, octo dierum spacio, vix per vicos iter fieri posset, nisi in Bonifacio
nauigio; sed & An. 1570. initio Decembris ita intumuit Rhoda- VIII.
nus, vt Lugdunensis, quod trans Rhodanum est, suburbij partem Gill. Caro-
diruerit, pontémque Lugdunensem ac Viennensem ex parte sub- næus Med.
uerterit. Atque, vt in compendio omnia comprehendam, commu- Annonæen.
nes loquendi formulæ, si magnum exprimendum est malum, di- in Ephemer.
cunt, aliquem *fluctibus agitari, procellam temporis non deuitasse*. Hinc
illa Liuij: *Equestrem procellam excitemus oportet, si turbare, ac statu* Liu. lib. 10. de
mouere volumus: & ista Tullij: *Procella patriæ, turbo ac tempestas* bello Punic.
pacis. Et ipsæ diuinæ litteræ, magnam tribulationem, *aquæ* meta- Cic. pro do-
phora solent significare. *Tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus,* mo sua.
ait Iob. Et alibi: *Apprehendet eum, quasi aqua inopia, nocte opprimet* Iob. 3. 24.
eum tempestas. Et Dauid: *Assumpsit me de aquis multis. Quoniam* Iob. 27. 20.
intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo pro- Psal. 17. 17.
fundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas de- Psal. 68. 2.
mersit me. Denique vbi multa & magna confluunt mala, *mare*
quoddam malorum appellamus. Hæ sunt querelæ, & caussæ que-
relarum, non iam apud mansuetissimum, & in aduersis constantis-
simum Dauid, sed apud eos, qui *contra juris formam*, vt ita loquar,
postulant, non esse, quod vident sibi noxium esse, hoc est, apud im-
patientes. At quid tandem illis rectum est, apud quos non est
rectus intellectus? Taxus arbor est, non modò funesta, sed & ve- Plin. lib 15.
nenata. Ex hac si fortè pocula confeceris, & vinum infuderis, cap. 2.
quantumuis suaue & delicatum, continuò fiet noxium & insalu-
bre. Ita amari sunt quorundam animi, apud quos, omnia amare-
scunt. Vbique inueniunt, quod illis displiceat; quia res non aspi-
ciunt, quales sunt, sed quales illis, turbato animo & judicio, vi-
dentur. At

III. Aſt aliter Sancti ſuprà laudati, aliter ratio recta, cui omnia opera Domini, vti ſunt, ita eſſe recta videntur. Vt ergo de querelis illorum cognoſcamus, ad tria capita poſſunt reuocari: *ad offenſionem ſanitatis, ad inundationes & diluuia; ad naufragia & ſuffocationes.* Ad primum quod attinet, communis ea cauſſa eſt, cum omnibus creaturis: nulla non nocet incautis. Certè de potu ſi ſit ſermo, plures nimio vino, quàm nimia aqua potanda, valetudinem amiſerunt. Et quid tandem eſt, quod abuſu non poſſit fieri pernicioſum? Ipſe ſol quoſdam, fixis oculis, eius ardentiſſimam lucem intuentes excæcauit. Quid mirum eſt, ſi & aquæ imprudentibus obſint? Habent oculos, quibus paludem pigram ac putreſcentes aquas, à fonte pellucido, diſcernant; cur ijs non vtuntur? cur canum inſtar, obuia quæq; lambunt? immò cur non canis inſtar, è Nilo bibentis, pericula cauent? ideò ratio eis data eſt, vt ea bonum à malo diſcernant; ideò mala bonis, noxia vtilibus permixta, vt homines ſe diſcernere poſſe, oſtendant. Cur obuijs vtũtur, quaſi oculis & ratione carerent? Cur illis ferino impetu vtentibus res ad alium vſum factæ non obeſſent; qui etiam ſalubria in perniciẽ vertunt? Itaq; bonis quidam aquis offendunt ſanitatem; ſed ſua culpa; ſua intemperantia: cur, Thracum more, clauſis oculis, vno ductu, vno ſpiritu amphoras vacuant, & vel vaccam amyſtide vincunt? quaſi tota velint flumina epotare? Sunt, multis in locis aquæ inſalubres? cur homines ibi habitant, vbi ſedes eſt ranarum & ſerpentum? Cur non aliò commigrant, vbi ſaliunt puri latices? vbi

Strabo. lib. 8. riui fluunt lacte dulciores? Argi, ob aridam terram, fontibus carent, puteis abundant. Quod hominum induſtria, in vno, id natu-

Marinæus l. 5. de reb. Hiſpā. ra, in alio loco compenſat, immo & alio tempore. Eſt oppidum Luſitaniæ, *Villam nouam* vocant, ibi, cùm aliæ aquæ deficiunt, fons oritur, Cal. Maijs, & ad Cal. vſq; Nouembres aquas Villænouanis abunde diffundit: poſtea verò occultatur, latétq; hieme tota, & ad ſtatum tempus, hoc eſt, ad Cal. Maias renaſcitur, atq; incolas reuiſit. Has vices temporum & locorum ſeruat natura, quæ varietate delectat: nec vult omnes vbiq; habitare.

IV. Quin etiam inſalubritas nonnullarum aquarum duplici modo penſatur. Nam primò, ſi non ſunt ad potum idoneæ, ſunt tamen idoneæ ad alios vſus medicinæ, rerúmue aliarum. Secundò

poſſunt

possunt etiam aptæ fieri ad bibendum. Egressi Israëlitæ de mari rubro *venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ: vnde congruum loco nomen imposuit (Moyses) vocans illum Mara, id est, amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum. qui ostendit ei lignum: quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Exod. 15. 23.
Hoc lignum itaque, & aquarum amaritudinem sustulit, & animorum; docuítque, esse in cælis, qui aquas possit tẽperare, & verò etiam velit, si homines eas à Deo exorare non dedignantur; aut, si Sanctos inuocent, quorum ope beneficia eiuscemodi impetrantur. Equidem sicut quidam homines morbis, ita vitijs suis quædam aquę afficiuntur, vt in eis gloria Dei manifestetur. Quod, circa annũ 1615. prope Nerishemium, in Sueuia cõtigit, vbi itidem, ad Moysis exemplum, in fontem injectum lignum, aquis ingens nomen & accursum fecit. Depositæ sunt in illis aquis multæ infirmitates. Fons Vdalricianus vocabatur. Eo abluebant alij corporis mala, alij vires bibendo restaurabant. Et confluxerant illuc ipsi heterodoxi, vt Sancti beneficio fruerentur. Ad Iericho cùm venisset Elisæus, 4. Reg. 2. 19.
dixerunt viri ciuitatis ad Elisæum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse, Domine, perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cùm attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ, vsque in diem hanc, juxta verbum Elisæi, quod locutus est. De hac re ita scribit Iosephus: *Ad vrbem Iericho largißimus fons est, rigandisq́; aruis vberrimus, juxta veterem scaturiens ciuitatem: quam* Iesvs *Naue filius, Hebræorum ductor, primam, in Chananæorum terra bello possederat. Hunc fontem aliquando ferunt, non solùm terræ atq; lignorum fructus, sed etiam feminarum partum obtundere solitum, cunctaq́; pariter morbo ac peste corrumpere. Postea verò mansueuisse, contraq́; saluberrimum ac feracißimum esse factum ab Elisæo Propheta, qui Heliæ notus fuerat, atq; successerat. Receptus enim hospitio, ab Hierichuntinis habitatoribus, quòd humaniores eos expertus erat, ipsos, & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est; progressúsque ad fontem, lagenam fictilem, nouam salis plenam in profluentem aquam misit, Iuxta deinde ad cælum dexte-* Ioseph. lib. 5. bell. Iud. c. 4.

ram tendens, fontique immergens blanda libamina, ipsum quidem precabatur: vt fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret: Deum verò, vt fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat: tamq; vbertatem fructuum, quàm successionem prolis daret indigenis; nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad iusti manerent. Ad has preces, ex disciplina, manibus quoque multa operatus, fontem immutauit: & qui antea caussa erat his orbitatis, ac famis, idem victus ac fœcunditatis auctor est effectus. Deniq; rigationis eius tanta potentia est, vt si attigerit modò terram, sapidior sit, aquis diu perseuerantibus. Vnde eo, quæ largiùs vtuntur, exiguum emolumentum habent, quæ verò parciùs, plurimum. Amplius tamen, quàm ceteri fontes spacium rigat; & septuaginta quidem stadijs longam, viginti autem latam planiciem permeat. Hæc Iosephus. Quibus docet, suos quidem etiam aquis morbos aut vitia esse; sed posse sanari; & vel idcircò esse exitiosas, vt DEVS manifestet, quàm vtiles sint Rebuspublicis serui sui, quámque salutares; vt qui ex illis exitia tollant; tollerent etiam murmurationes, si doceri se sinerent murmuratores. Quos, vel solo naturæ ductu, instruit Plotinus, qui de Mundi defectibus loquens ait: *Fortè etiã, quia nisi hæc essent, imperfectum foret & totum. Plurima namq; malorum, vel cuncta potiùs, quandam toti præstant vtilitatem; quemadmodum venenosa, quamuis plurimorum vsus & ratio lateat. Iam verò prauitatem quoq; ipsam multa constat vtilia continere, multáque reddere pulchra, pulchritudinis artificiosæ more; suscitat sæpe homines ad prudentiam, neque securiori licentia torpere permittit.*

Plotin. lib. 3. ennead. 2. cap. 18.

V. Altera, contra aquas, querela, inundationes, diluuia, populationes, & laxata fluminibus mariq; ipsi frœna accusat. His enim

Ouid. lib. 1. Metamorph.

Sternuntur segetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longiq; perit labor irritus anni.
Expatiata ruunt, per apertos flumina campos,
Cúmq; satis arbusta simul, pecudésq; virósq;
Tectaq;, cúmq; suis rapiunt penetralia sacris.
Siqua domus mansit, potuitq; resistere tanto
Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
Vnda tegit, pressæq; latent sub gurgite turres.

Hæc inundationis facies, pro impatientibus videtur perorare. Quæ tamen si oculis æquioribus aspiciatur, Dei caussam agit. Ex

inunda-

inundationibus quippe istis cognoscimus, quanta sit Numinis cura, ne sæpius exorbitent vel flumina, vel maria. Totum enim mundum perditum irent aquæ, nisi à Deo cohiberentur, vel inde laudabili, quia *ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum, & terminum circumdedit aquis, usque dum finiatur lux & tenebræ; Congregans, sicut in vtre, aquas maris: ponens in thesauris abyssos.* Estque planè mirabile, in sublimi, & supra aërem nubes & imbres, aëre longè grauiores, suspendi, nec simul ruere, nec semper. Vnde & Salomon interrogat: *Quis colligauit aquas, quasi in vestimento?* Admirationi erat, Romæ, Tuccia virgo Vestalis, incesti criminis rea, cùm aquam cribro hausit, anno 609. Quod longè maius est, in nubibus videmus aquas portari deorsum non decidentes, & non miramur? At tum demum experimur beneficij magnitudinem, cùm, rupta nube, nimbi, toto impetu, cadunt, aut flumina, vel maria limites suos transgrediuntur, omniáq; obruunt. Ex damno enim æstimamus, quid sit, damno liberari: & beneficia nubium nocumentis commendantur. Pari pacto, qui subitis inundationibus aquarum inuoluuntur, discunt agnoscere, quanti sit cohibitio inundationis facienda. Ea autem cohibitio, tot annos & sæculum, durat, & non admiramur? opus planè est omnipotentis, & naturam ipsam vndarum refrænantis. Cùm enim natura aquis locum tribuerit supra terram; nisi naturæ author aquas, velut in vtre congregasset, ijs vtique subsidentes terræ omnes vndique cooperirentur. Id ne fiat, diuina manus obstat. At, quia aquas tam diu domitas aspicimus, consuetudo nobis ademit admirationem.

Iob. 26. 8.
Psalm. 32. 7.
Prou. 30. 4.
Plin. l. 28. c. 2.

VI. Sed non ademit S. Ambrosio dicenti: *Nonne omnes Dei gratiam jure miramur, cùm aduertimus, quòd insensibilis natura, quadam sensibili ratione, suos fluctus coërceat, & fines suos vnda cognoscat?* Nec ademit admirationem S. Chrysostomo; qui cùm videret mare, intra fines suos, non esse tranquillum, sed turbatum, & ferox, & vndosum, &, in morem montium, procellis metuenda altitudine erectum, ac, resonante vnda boans, admirari satis non potuit sapientissimam diuinæ virtutis potentiam, quæ, multis locis, tantæ ferociæ, non rupes & saxa, sed fragilem duntaxat arenam obiecit; quâ tam vehemens impetus excipitur, frangitur, & eò, vnde irruit, quasi per ludum, refunditur, vt dubites, fortiúsne insultum faciat, an reci-

S. Ambros. orat de obitu Satyri.
S. Chrysost. hom. 9. ad pop.

an reciproco impetu, potentiùs cogatur resilire? Neque ipse Dauid hîc fuit sine admiratione, cuius illa sunt: *Eleuauerunt flumina, Domine; eleuauerunt flumina vocem suam. Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Secuti sunt eum & alij, inter quos, in aquarum & terræ continentis coniunctione miratur Theodoretus ineffabiles *fluctuum saltus, & prouidentiæ frænum, quod illis iniectum est, & quo impediti terras inundare nequeunt. Sed cùm contra arenam, cum impetu, feruntur, positos tamen sibi terminos pertimescunt; & dũ legem sibi à Deo latam illic inscriptam vident, instar contumacis equi, qui à sessore fræno retractus collum reflectit, retróq; cedit, refugiunt, quasi & eius facti illos pœniteat, quòd arenis appellere ausi sint.* His talibus, satis videtur Devs prospexisse damnis aquarum, immo impendio magis animus gaudebat illis, quando littora intuebantur, & vel saxeam, vel arenosam illam maris custodiam; in qua Dei curam & prouidentissimam gubernationem suspicit Basilius *nudantem aquis dorsa, quibusdam velut in cellis maria concludentem; dũ imperio in abyssum vtitur, pro claustro & arena, quasi habena formidabili mare continet, terram liberam seruans à Pelagi eluuione: esto ventorum impetu ad terram mare propellatur. Fertur illud quidem fluctibus altè elatum: vbi verò terminos attigerit, reuertit, refugitq;, & Domini vocem littoribus inscriptam, cùm intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini positorem adorat. Cúmque terram violentè feriat, referitur, ac diuini imperij memor refertur in fugam. Quare placidè purpurascens adulatur vicinæ continenti, quasi mollibus vlnis terram complecti occupet; semper Domini præcepto cohibitum, & tantùm non singulis momentis audire natum:* Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida. *Et manet præcepti memor arenâ vinctũ; nec, præ vinctoris reuerentia, vincula violat, vocémq; Prophetæ ratam facit:* Terminvm posvisti, qvem *non transgredientur.* Quod cum ita sit, an non in se omnes iras & Diras deriuant illi homines, quibus earum Conditor itidem leges posuit, quas tamen transgrediuntur, ipsis marinis fluctibus inobedientiores? Nulla eos præcepta, nulli limites coërcent; & indignantur, si fluuius inundat, & pascua arenis limoque maculat? Astricti sunt illi diuinis mandatis; nulla astrict⁹ est lege Devs, vt aquas cohibeat à nocumento: quamuis tamen

Psal. 92. 4.
Theodoret. serm. 2.
Basil. Seleuc. orat. 1.

ea

ea mortales millies meruissent pati, nihilominus vix semel eos pessumdat; sed potentiâ suâ eluuiones ab eis abarcet.

Quæ bonitas vt intelligatur, potestatem in aquas subinde, & Sanctis suis DEVS concedit; quorum vis illa, sine inundationibus, aut violentia fluctuum, non inclaresceret. Eorum autem vis est virtus DEI. Itaq; in seruis suis, ostendit Dominus vires suæ bonitatis: vt si miremur, in hominibus, quod in illis gratia est, multò magis miremur, in DEO, quod in illo natura est. Quàm stupendum fuit, Moyse populum, per mare rubrum, ducente, erectos hinc inde, murorum instar, stetisse immobiles fluctus, & siccum DEI cultoribus transitum dedisse? Quantæ admirationis fuit, cùm Iordane diuiso, & maris exemplum sequente, idem effecit Iosue? An autem hæc, in veteri Testamento duntaxat contigerunt? Etiam, in nouo, legimus, similia contigisse. Fantinus Syracusanus, Balzaniū, ob equos strigosiores, quos illi pascendos commiserat, iratum fugiens, præmissis precibus, ad cælum, Motabrum flumen, virgâ discecuit, & siccis pedibus transiuit, iramque euasit persequentis. Aiunt & S. Fridolinum Viatorem, insulam Rheni, vbi nunc Succingum oppidum est, à Clodouæo rege Gallorum dono acceptam, defuncto rege, incolis tumultuantibus, habuisse controuersam; sed precibus à DEO impetrasse, vt Rhenus à dextero, in sinistrū alueum miraculosè deriuaretur, atq; illi, cōtra Ethnicos, propugnaculum ex vndis faceret. Hoc miraculo Fridolinus incolas Christo est lucratus. Turpe enim fuisset, homines illi non cedere, cui videbant, vndas ipsas, & tantum flumen obedire. Similius est, quod de nostro Iosepho Anchieta scriptum reliquit Sebastianus Beretarius, & his verbis commemorat. *Eodem in littore, die alio, piscandi, saliendiq; operi intentis alijs, cùm se à cœtu, diuina liberius cōtemplandi causâ, subduxisset, spatio trium quattuórue horarum, plus minùs, desideratus est: eum, vestigia secutus, tandem in littore sedentem, frater illi comes inuenit; & illo ipso tempore maris æstus accedebat, qui quasi diuino imperio accepto, cùm præter eum finem, vbi Iosephus sedebat, longè fluctus eiecisset, ab eius tamen corpore ita vndas cohibuit, vt aquæ illi, & à fronte, & vtroq; ab latere, quasi in sinum diductæ, ac veluti in parietes erectæ, nullâ contactum alluuione, ac ne aspergine quidem circumsepirent. Diceres rubri maris miraculum, in transitu Hebræorum, renouatum esse:* non

VII.

Exod. 14.

Iosue 3.

Marul. lib. 2. cap. 2.

Sebastian. Beretar. li. 4. vitæ Iosephi Anch.

non audebat frater, intra vndarum hiatum, se insinuare, sed extra vltimos fluctus, quanta maxima poterat, vocis contentione, Patrem compellabat; ad vocis clamores. strepitum etiam, fragorémq; asserum addebat. Cúmq;, ne sic quidem, fremitum maris superaret, neque alto contemplationis somno consopitum, Iosephi animum excitaret, fretus & ipse diuino patrocinio; diductum intrat aquarum septum, Patremq; admonet, tempus esse hospitium repetendi, abeuntes vndæ sequebantur; præeuntéq; Patre, talos subsequentis fratris alluebant; ille territus periculo, Patrem antecessit. Eum Pater leniter verbis increpans: nescis, inquit, quia venti & mare obediunt ei? timere prohibuit. Prætergressis tandem extremam alluuionem, tum mare littore toto coæquatum. Impios aquę sequuntur, vt opprimant; Sanctos fugiunt, ne vel aspergant.

VIII. Neque verò necesse est, aquas fugere, aut fluctus in altum erigi parietem, vt Sancti transire, sicco vestigio, possint: possunt super ipsas aquas, sine pontibus ambulare. Primum id fecit Magister

Iob. 6, 19. Sanctorum. Nam Apostoli viderunt IESVM *ambulantem super mare, & proximum naui fieri, & timuerunt.* Discere hanc artem voluit

Matth. 14. 25. & Apostolorum Princeps; alio quippe tempore, *quarta vigilia noctis, venit,* ad discipulos Dominus, *ambulans super mare. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad* IESVM. *Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens, Domine, saluum me fac. Et continuò* IESVS *extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Mo-*

Ioan. 21. 7. *dicæ fidei, quare dubitasti?* Alia vice, fide firmior, adeóq; in arte hac perfectior, *Simon Petrus, cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.* Nimirum DEO fretis aquæ consistunt, & terræ in modum solidantur; sicut & terra cedit, saxáq; ceræ instar, cùm ita iuuat, molliuntur. Concessa est ea-

S. Gregor. l. 2. dial. cap. 7. dem gratia S. Mauro, de quo D. Gregorius hæc habet. *Quadam die, dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, Placidus puer S. viri monachus, ad hauriendam, de lacu, aquam egressus est: qui vas, quod tenuerat, in aquam incautè submittens, ipse quoq; cadendo secutus est. Quem mox vnda rapuit, &, penè ad vnius sagittæ cursum, eum à terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus, hoc protinus agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre,*

quia

quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: iamq; eum longiùs vnda trahit. Res mira, &, post Petrum Apostolum, inusitata. Benedictione enim postulata atq; excepta, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaq; vsq; ad eum locum, quò ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumq; per capillos tenens cursu rapido rediit. Qui mox, vt terram tetigit, ad se reuersus, post tergum respexit; & quia super aquas cucurrisset, agnouit, &, quod præsumere non potuisset, vt fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaq; ad patrem rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedientiæ deputare cœpit. At enim contrà Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: seq; conscium, in illa virtute non esse, quàm nescius fecisset. Placidus quidem litem pro Benedicto decîdit, sed nec Mauro inde sua laus adempta est; vterq; miraculo dignus fuit. Vt enim ille sanctè præcepit, ita iste prodigiosè obediuit. Calcat vndas celeritas obedien-di. Cur enim non posset celeritas voluntatis, quod veteres celeritati pedum ascripserunt, in Volsca illa sua Camilla, assueta cursu pedum *præuertere ventos?*

Virgil. lib. 7. AEn.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina: nec teneras cursu læsisset aristas:
Ferret iter: celeres nec tingeret æquore plantas.

Et, si fabulas placet audire, Orion Neptuni F. à patre Neptuno impetrasse fertur, vt tam super vndas, quàm super terras posset incedere: cur id à Patre cœlesti non possent impetrare Sancti? Et verò impetrarunt. Nam Maria Ægyptia siluicultrix pariter animo leuis, & corporea inde grauis esse desinens, Iordanem amnẽ sicco vestigio, neque semel tantùm transgressa est; qui fluuius, si sola naturæ vis inspiciatur, traijci, sine naui, non potest: vt illa proinde meritò possit Christiana Camilla appellari. Fertur & S. Conradus Constantiensis Episcopus, in lacu Acroniano, non tinctis pedibus, ambulauisse. Et Sigonius scribit, Ioannem Episcopum Bergomensem, sub Ariperto rege Longobardorum, cùm Mediolano Bergomum se referret, Abduam amnem, siccis vestigijs, pertransijsse. Nullis pontibus indigent, qui manibus portantur Angelorum. Tutiores sunt in fluctibus amici Dei, quàm inimici in nauibus, Vnde & S. Blasius Episcopus in lacum projectus illæsus exiuit,

Natal. Comes Mythol. lib. 8. cap. 13.

Fulgosus lib. 1. cap. 6.

Sigon. lib. 2. regni Ital.

Sur. 3. Febr. in vit. S. Blasij. Marul. l. 3. c. 3.

uit, qui nec natare didicerat, nec nauigare. Sed pro vtraque arte illi pietas fuit, quam veritus est lacus lædere. Quin & Nazarius & Celsus martyres in mare præcipitati, super vndas incesserunt. Quos extemplo puniendi deturbatores, orta statim tempestate, cùm conspexissent, non mergi, vt sibi subuenirent, etiam atque etiam petierunt. Sanctis ergo in nauim receptis atque orantibus, placatæ detumuerunt procellæ, posuerunt venti, & tempestas transijt in serenitatem. Sic pro Sanctis aquæ decertant; & quæ in Dei hostes exasperantur, mitigari se sinunt à Dei seruis; quibus, cùm impij homines malum facere volunt, elementa ad nutum famulantur. Ad hunc enim modum, Ioannes quoque Capistranus, Franciscanus, & Iacobus Piceus, sicut refert Bonfinius, ab Nicolao Pontifice Rom. vt Germanos, Polonos & Vngaros, ad expeditionem contra Turcas suscipiendam, hortarentur, missi, cùm Padum traijcere vellent, & ab auaro portitore pertinacissimè repellerentur (vt qui tanquam Christi pauperes, pecunia carerent, quam pro naulo darent) in diffusum super vndas pallium, cum comitibus consedêre: & veluti quadam naufragij tabula in ripam alteram, non sine attoniti stupore portitoris, diuina ope, tutò translati sunt. Varia sæpe spectacula mundo exhibuerunt Diui, sed, eo die, comœdiam dederunt palliatam: quemadmodum etiam, quando Elisæus Eliæ pallio, sibi, per Iordanem, viam fecit.

Bonfin. li. 8. Dec. 3.

4. Reg. 2. 14.

IX. Facilè video, inquies, Sanctis vndas cedere, aut velut glaciatas, ac frigore concretas non cedere, vt tanquam per pontem intrepidi transeant. Sed hoc eos parum iuuat, qui non sunt sancti, in quos, ne flumina de alueis, deq; ripis suis exitiosè effundantur, sæpissimè Sancti non obstant. Duo do responsa. Primum est, sæpe nõ prodesse, vt obstent, quando res ad exemplum pertinet, ac ita diuina justitia exigit mortales plecti; immo quando Sancti ipsi, hoc pacto, ob injurias impiè illatas vindicantur. De quo argumento mox agemus. Alterum est, quando ita Dei gloria nomenq; crescit, omnino etiam hanc Sanctis, à Domino, conferri potestatem. Imo, vt S. Gregorius Nyssenus loquitur, *Nihil obest homini fidem verè sectanti: sistuntur vbiq; flumina, ac velut seruiunt illi imperanti. Fidem rei astruit Gregorius Taumaturgus.* Cùm Lycus rapidissimi impetus fluuius incolis atrocem, quotannis, inferret cladem, agros, pecora, ipsam

S. Gregor. Nyssen. in vita S. Greg. Thaumaturgi. cap. 12.

ipsam denique gentem non carptim, sed agminatim obrueret, &, vt quæque deprehenderat, perditum iret; exeruit sese prodigiosè vbique Thaumaturgi virtus. Is, instar Moysis virga fluuios ac maria regentis, ad egurgitantem sese & omnia populantem Lycum, processit, baculumque, quo seniliter nitebatur, in ripa depanxit, confidentissimè mandans flumini, ne posthac, limitem excederet, aut datum constitutúmque inibi terminum præteriret. Dictum, factum. inuenit fides viri, in fluuio, obedientiam, atque in ligno quoque impacto virtutem viuere, ostendit. Siquidem scipio ille viruit, &, diffusis quaqua ramis, in excelsam excreuit arborē, quæ, vsque ad D. Gregorij Nysseni tempora, ab omnibus eò confluentibus, magna cum veneratione, monstrabatur, spectabatur: eratq; verè *tanquam lignum, quod plantatum est, secus decursus aquarum.* Sed cur baculus illius viri non euiresceret, cuius tantopere floruit virtus? Ad hoc exemplum Frigidianus quoque Lucanæ Ecclesiæ Episcopus, fluuium Auserim, agros longè lateque inundantem, cursum mutare coëgit, atq; ex proprio alueo, precibus, aliò deriuauit.

Et Nicephor. lib. 6. cap. 1.

Psalm 1. 3.

X. Illustre est illud, quod de S. Hilarione Sigonius recenset. Circa an. salutis 365. terræ motu totius orbis (qui, post Iuliani mortem, accidit) concussa maria, & velut exterrita egressa sunt terminos suos; &, quasi rursum Devs diluuium mundo minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delatæ montiū, in sublimi, pependerunt. Quod cùm viderēt Epidauritani, frementes scilicet, indomitos fluctus, atque vndarum moles, montésque gurgitum elatissimos littoribus inferri, verentes, quod iam partim euenisse cernebant, ne totum oppidum funditus subuerteretur, ingressi sunt ad Hilarionem, & quasi Ducem ad prælium comitantes, eum in littore posuerunt. Qui cùm tria crucis signa pinxisset in sabulo, manúsq; contrà tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit: ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsū relapsum sit. Vides hîc caussam, ob quam mundi Gubernator mari potestatem fecerit, fines suos transiliendi? Sic suam, sic Sancti sui, sic crucis patefecit vim ac potestatem; sic fidem propagauit; sic Ecclesiam auxit; sic fiduciam hominibus attulit, vt, in omni periculo,

Sigon. lib. 7. de Imp. occid.

 discerent

discerent ad diuinum confugere auxiliatorem, neque Diuorum patrocinia aspernarentur.

XI. Similem in aquis potentiam, Attala Abbas, apud Ferrarium, ostendit. Similem de Sabino Placentinorum Episcopo testatam reddit D. Gregorius. *Ei enim, dum die quadam, suus diaconus nuntiasset, quòd cursus sui Padus alueum egressus Ecclesiæ agros occupasset, totaq; illic loca nutriendis seminibus profutura, aqua eiusdem fluminis teneret, venerabilis vitæ Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade, & dic ei; Mandat tibi Episcopus, vt te compescas, & ad proprium alueum redeas. Quod Diaconus eius audiens, despexit, & irrisit. Tunc vir Dei accersito Notario dictauit, dicens: Sabinus Domini* IESV *Christi seruus commonitorium Pado: Præcipio tibi, in nomine* IESV *Christi Domini nostri, vt de alueo tuo, in locis istis, vlteriùs non exeas, nec terras Ecclesiæ lædere præsumas. Atq; eidem Notario subiungit, dicens: Vade, hoc scribe, & in aquam eiusdem fluminis proijce. Quo facto, sancti viri præceptum suscipiens, statim se à terris Ecclesiæ fluminis aqua compescuit, atq; ad proprium alueum reuersa, exire vlteriùs in loca eadem non præsumpsit. Qua in re Petre, quid aliud, quàm inobedientium hominum duritia confunditur, quando in virtute* IESV, *& elementum irrationabile sancti viri præceptis obediuit?* Cur non obediret quoque hoc elementum ipsi DEO, inobedientibus irascenti, atque aquas, de alueis suis in eos, agminis instar, emittenti? Punit iustè flammis, cur iniquè plectat vndis? cùm sit Dominus vtriusque elementi.

Ferrar. 10. Martij.
S. Greg. lib. 3. c. 10. dialog.

CAPVT VIII.

Aquas mortalibus nocentes, esse Dei iustissimè punientis instrumenta; ac sæpe etiam velut iudicia, quibus mali à bonis discriminantur; sed cum iudicio, & non sine delectu agnoscenda.

I. Inc ad tertiam querelam responsio datur, quæ duabus prioribus suapte natura cohæret. Quippe, si aquæ sunt, quæ possunt sanitatem lædere; si diluuia, quæ valent in damna hominum excurrere; procliue est cogitare, & illas reipsa, & ista nocere; enimuerò, etsi, metu ipso, grauiter affligant humanam solicitudinem, tamen insuper etiam & funera facere,

facere, atque alijs extremis malis terræ incolas mactare: & eos, qui ad naues confugiunt, allidere, ſcopulíſque inferre perituros. Neque enim *ſata læta boumq; labores*, & jumenta duntaxat diluuijs, ſed etiam tota ædificia, & ipſa denique procellis nauigia fatigantur, & fatiſcunt. Tum ſi quidam aquam & fluctus ratibus vincunt, non vincunt inediam.

Maxima pars vndâ rapitur: quibus vnda pepercit, Ouid. lib. 1. Metam.
Illos longa domant inopi jeiunia victu.

Audiui ſæpe diſputantes, plúſne aqua ſæuiat diluuijs exundans, an flamma incendijs iuualeſcens? Aiunt, qui oculis & incendia, & diluuia æſtimârunt, aquarum vim eſſe longè violentiorem; neque eſſe artem, induſtriam, aut laborem vllum, qui poſſit torrentis furorem repagulis coërcere. Ignem aqua domat, aut refrænat. Aquam ignis nullus exſiccat inundantem. Si flamma in ædes & vrbes dominatur, patet exitus in plateas, fuga in campos; ſi flumina ſe non continent ripis, fit terra ipſa, ſiue intra, ſiue extra muros,

Pars maris, & latus ſubitarum campus aquarum.

Quanti tunc ſenum gemitus, quantus juuenum ploratus, quantus virorum clamor, quantus feminarum exiſtit vlulatus? Hæ voces ſunt accuſationes; & quot lamenta, totidem audiuntur argumenta. Merguntur homines, merguntur naues; illorum & iſtarum exitium, apud inſipientes, eſt diuinæ bonitatis naufragium; nam, quia id malè factum cenſent, aiunt, factum, quod DEVS imperauit.

Si quis igitur ſcire cupit, cur DEVS iſtarum rerum ſit author? II. reſpondeo in primis potiùs peccatorem, quàm DEVM harum eſſe rerum authorem. Nam indidem pœnæ, vnde culpæ eſt origo. Rectè igitur dici poteſt pœnæ author, qui eſt author culpæ. Non enim DEVS puniret, ſi homo non peccaret. Quoties itaque, in pœnam, inundationes fluminum, eluuiones marium, aut imbrium cataclíſmi contingunt, non DEVS judex, ſed homo reus eſt accuſandus, qui diuinæ iræ juſtitiam in caput ſuum prouocauit. Quid enim? an ignis non noceat nocenti? *Vindex eſt orbis iuſtorum*, & Sapi. 16. 16. non ſit vindex Conditoris? quem iam dudum *negantes noſſe impij, per fortitudinem brachij* illius, *flagellati ſunt: nouis aquis, & grandinibus,*

dinibus, & pluuijs persecutionem passi. Vtuntur impij aquis, contra DEI milites, & non vtatur aquis DEVS, pro suis militibus, contra impios? Cùm Andreas Vngariæ rex, & Christianæ militiæ, in Palestina, imperator, expugnatâ Damiatâ, ad Nilum, vrbe, Cayrum & Babylonem, quo se Soldanus receperat, obsideret; Suldanus Melchechelchemel Nilum, sub Babylone & Cayro, altioribus solito ripis coërcuit; & cùm paucis post diebus ille, opinione citiùs, vehementer intumuisset, extemplo defossis vtrinq; ripis, inundationem amnis in hostium castra deriuauit. Effunditur, diluuij more, fluuius, & altiùs altitudine cubiti cuncta superat; ex quo intolerabile Christianis detrimentum illatum fuit. Siccine nôrunt homines vti aquis in DEI seruos, volúntque, vt aquæ à se faciant, & DEVS non submergat aquis hostes? Enimuerò fecit id strenuè, fecit cum ingenti virtutis suæ authoritate.

Bonfinius. lib. 7. Dec. 2. Simile quid narrat AEmil. lib. 5. de Dargano.

III. Hac de caussa, generali illo cataclysmo, totus mundus, præter octo homines, est obrutus. Tunc enim *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, & sensim ita in immensum excreuit aquarum multitudo, vt, quia Oceanus non sufficerat, ad tot scelerum sordes abluendas; illis temporibus, vis vndarum tandem culmina summorum montium, quindecim cubitis excederet. Nimirum multis aquis opus erat, ad abluendam tantam multitudinem fœditatémque flagitiorum. Quæ vtinam penitus, & cum stirpe abluta esset. Propagati sunt enim, post diluuium quoque, non homines tantùm, sed etiam peccatores, qui, cum peccatis repullulârunt. Cur conqueritur mundus, si, quod meruit, patitur? Meruisse diuinis tabulis probatur. Nam *videns Deus, quòd multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset, in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creaui, a facie terræ. Noë verò inuenit gratiam, coram Domino.* Hinc in Arca seruatus est. Quod neq; Ethnicos latuit. Nam, vt taceam, quod de Deucaleone Poëtæ fabulantur, in Occidentali historia, legimus, regem Nicaragua interrogasse Christianos illuc primùm appulsos, *Num haberent notitiam alicuius generalis diluuij?* &, *An simile quid adhuc esset expectandum?* Hinc verè Lactantius

Genes. 7.

Gen. 6. 5.

Iudich. in occid. hist. lib. 6.

agens

agens de scriptoribus Ethnicis: *Factum esse diluuium ad perdendam, tollendamq; ex orbe, malitiam, inter omnes constat.* Multa homines corporum vitia solent aquis curare; an non aquis DEVS curet vitia animorum? Curat enim, dum castigat. Quippe vnius supplicium, alterius est exemplum. Enimuerò etiam diluuium illud plus fuit, quàm supplicium & exemplum, quia remedium quoq; nonnullis fuit, vt D. Hilario videtur. Neq; omnes diluuio submersos æternùm perijsse, piè creditur, & D. Petro conuenienter, de Christo ita loquenti: *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam, in diebus Noë.* Licet enim riserint Noë pœnitentiæ operam prædicantem increduli, & mille confixerint sarcasmis, nullum diluuium futurum putantes; credibile tamen est, tandem ipsius rei prædictæ præsente, & ante oculos versante periculo, multos commonitos, ad seriam pœnitentiam conuersos esse, & de scopulo lachrymas antè, in assurgentes aquas profudisse, quàm aquam ipsi haurirent, & ab aqua haurirentur. Es lehrnet einer schon schwimmen / wañ jhm das Wasser in das Maul geht. Adeò, etiam per aquas, velut inter aurum & sil, bonos à malis, pœnitentes ab impœnitentibus discriminauit mundi Gubernator.

c. 5. Lactant. lib. 2. cap. 10.
S. Hilar. in Psalm. 118.
1. Petr. 3.

IV.

Quod etiam postea euenit, quando, Israëlitis in littus egressis, serui DEI incolumes euaserunt; exercitus autem Ægyptiorum omnis, cum quadrigis & caballis suis, in Erythræo mari, relabentibus aquarnm cumulis inuolutus obrutúsq; est, socio exilij & authore Pharaone. Nimirum grande pondus est impietas, vsque in Tartari ima, & ad barathrum vltimum deprimit præuaricatores. Hinc Ægyptij *submersi sunt, quasi plumbum, in aquis vehementibus:* Israëlitæ autem inter fluctus, tanquam per muros solidissimè stantes, sicci, indemnésq; transierunt. Ante hanc vltimam & capitalem Ægyptiorum cladem, multæ monitiones diuinæ præcesserũt, inter quas etiam plagæ extitêre, quarum prima fuit illa aquarum in sanguinem conuersio. Siquidem Moyses *eleuans virgam, percussit aquam fluminis, coram Pharaone, & seruis suis: quæ versa est in sanguinem.* Multis de caussis hæc plaga fuit atrox. 1. Quia omnes Ægypti aquæ, vbicunq; demum extiterint, sunt corruptæ, atq; in sanguinem commutatæ, qui velut è vulnere diuinæ percussionis

Exod. 14.
Exod. 15. 10.
Exod. 15. 19.

effluxit. Sic enim enucleatè mandauerat Devs. *Extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes & omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem, tam in ligneis vasis, quàm in saxeis.* 2. Quia etiam terra Gessen, etsi Israëlitis puros latices fuderit, Ægyptijs tamen luridum sanguinem propinauit. Nam *fuit sanguis in tota terra Ægypti.* Et quidem septem dieb9 sanguinem, loco aquarum, repererunt. *Impleti sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium.* 3. Quia tristes inde consecuti sunt effectus. Vt enim sanguis, extra corpus animalis, diu, sine corruptione, non permanet; ita illico, fontes, & lacus, & fluuius computruerunt. 4. Quia ex hac putredine pisces, *qui erant in flumine, mortui sunt.* 5. Quia aquæ ad potum ineptę ac perniciosæ factæ, ingenti Ægyptios siti cruciauerunt. 6. E tot piscibus mortuis fœtor ingens extitit, qui vnà cum tabo sanguinis Mephitim Acheronticam expirauit. Vnde aër infectus intolerabili miseros inedia affecit. 7. Sordibus quoq; omnia fœdata sunt, nihil enim inquinatis aquis, aut putrefacto sanguine mundari, sed inquinari duntaxat poterat. 8. Ad sitim fames accessit. Ait enim Scriptura, mortuos esse omnes pisces, qui erant in aquis, ob putredinem scilicet aquarum, & sanguinis partim crassitiem, partim caliditatem. Piscium autem vsus erat vulgatissimus, & communissimus cibus Ægyptiorum, tum propter copiam, tum propter pretij vilitatem; ob quam & ipsi Hebræi, in solitudine dicebant: *Recordamur pisciũ, quos, in Ægypto, comedebamus gratis.* 9. Ne sisi enecarentur, *Foderunt omnes Ægyptij, per circuitum fluminis, aquam, vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis.* Itaque fodiendo se macerarunt. Et pro quàm dulci potu? *Aqua*, inquit Thostatus, *quam Ægyptij fodiebant circa flumen, non erat vera aqua, sed erat sanguis, qui de sanguine fluminis promanans, subterraneo meatu, per arenas colabatur, & attenuabatur, & purgabatur; aliquantulum perdens sanguinis crassitiem & colorem, & saporem. Solet enim color, & sapor aquarum mutari, excolatione, & propter terras, quas pertranseunt; vt aqua salsuginosa, vel amara perdit saporem illum, transiens per aliam terram, vel in toto, vel in parte. Idq; manifestum fit frequentibus experimentis, in aqua marina, quæ salsa est; infusa enim in vasa quædam cerea, exuens salsedinem fit dulcis ac potabilis, cera videlicet salsedinem ebibente*

Num. 11.
Exod. 7. 24.

Thostat. in c. 7. Exodi.

atq;

atq; consumente. Illum igitur sanguinem percolatum, & ad similitudinem aquæ perductum, ob idq; tolerabilem in potu, bibebant Ægyptij.

Quàm autem suauis, aut sanus fuerit ille potus, facile est diuinare. Haud vtique paulo suauior, quàm Charontis nectar, quod ille è Stygia haurit palude. Legimus, & audiuimus sæpe, fœdissima quæque, sitis necessitate adactos homines, bibisse; aut fame vrgente abominanda comedisse. Quod & Scriptura testatur, in qua ille ait: *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc, præ angustia, cibi mei sunt*. scilicet *animæ esurienti, etiam amara dulcia videntur*. Quare percolatæ licet, tamen sanguineæ aquæ, etiam Ægyptijs necessitate quadam sapere debuerunt; neq; enim verè sapere potuerunt. Rectè igitur huius plagæ acerbitatem descripsit Philo, quando Nili in sanguinem descripsit commutationem, addidítque: *Idem in stagnis, fossis, puteis, fontibus, & omnibus Ægyptijs aquis euenit, vt, deficiente aqua potabili, ripas nemo peteret: & nouas venas aperiētibus, pro limpido liquore, sanguis emicaret, tanquam è vulnere. Piscium quoq; genera extincta sunt, cuncta vitali facultate versa in pestiferam; vt fœtore complerentur omnia, putrescentibus simul tot corporibus. Hominum quoq; siti enectorum magnus numerus jacebat in triuijs; non sufficientibus domesticis ad sepulturæ officia.* Itaque plagæ huius grauitatem, sanguis ipse significauit, & tam densa funera, vt deessent vespillones, aut, qui cadauera sepelirent.

V. | Iob. 6. | Phil. lib. 1. de vita Moysis.

Sensit hunc ictum Pharao, non sensit caussam, non agnouit iram Numinis. In duritie perstitit. Iustè agis cum injusto, ô Devs. *Auferuntur judicia tua à faciè eius.* Hinc impatientia, querelæ, furor, atque ex ipsa medicina morbi incrementum. Fuêre tamen vel istius quoque plagæ per aquas illatæ caussæ æquissimæ, & justitia cum Deo fecit. 1. *Quoniam*, vt ait Philo, Ægyptij, *præ cæteris rebus, honorabant aquam, tanquam rerum omnium primam, & principium; idcirco Deus eam primò ad castigandos, plectendósq; noxios adhibuit*. 2. Quoniam Aegyptij varias execrandæ impietatis cærimonias in Nilo, celebrare consueuerant, vt ibi Apim colerent, & adorarent crocodilos, cum Deo igitur aquæ stare debebant, contra Deum adhibitæ. 3. Quoniam Aegyptij Nilo ipsi, ob aliarum aquarum penuriam, & plurima huius fluminis commoda, diuinos honores sacrilegè tribuerunt. Hanc caussam indicans Theo-

VI. | Psalm. 9. | De hoc cultu Solin. c. 35. & Plin. lib. 8. cap. 46.

Theodoret. q. 19. in Exod.

Theodoretus ait: *Cur primam aquæ plagam intulit Deus? quia valde gloriabantur Ægyptij de flumine suo, & hoc, pro Deo habebant: vt, qui parem vsum illis præberet, atque nubes cæli.* 4. Quoniam Aegyptij Hebræorum infantes inclementer in Nilum projecerunt; vt ergo sceleri pœna responderet, Nilum sibi experti sunt iracundum. *Nã per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Quare loc. cit. scribit Theodoretus, accidisse hanc plagam etiam *propter pueros Iudæorum* in Nilum *demersos: fluuius enim ille mutatus in sanguinem, velut conquerebatur de cæde puerorum, per Ægyptios commissa.* Quam caussam & S. Augustinus indicat. Pœnæ huius æquitas, & illius, quæ à Ioanne est prædicta, ijsdem possunt verbis intelligi, quibus vsus est tertius Angelus, qui effudit phialam iræ Dei super flumina, & super fontes aquarum, &, facto sanguine, dixit: *Iustus es, Domine, qui es, & qui eras, qui hoc judicasti: quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt.* Non mirum est igitur, si & alij, per easdem res puniantur, quibus Deum offenderunt; atque inde maxima detrimenta capiant, vnde vtilitatem inhonestam, & illicitam voluptatem perceperunt. Saucientur, fundunt sanguinem, fundunt vitam; non querantur, cùm & ipsi caussa fuerint, vt ab alijs quoque sanguis & vita funderetur; discant itaque dicere: *Iustus es, Domine, qui es, & qui eras, qui hoc judicasti.*

Sapiẽt. 11. 17.

S. Augustin in tractat. de conuenient. plag. 10. & 10. præceptorũ.

Apoc. 16.

VII. Ioseph. lib. 2. Antiquit.

Et vide mihi justitiam diuinam, in aquis Aegypti, relucentem. Eadem siue puteana, siue fluuialis aqua, quæ malis fuit mala, bonis bona extitit. *Amnis*, inquit Iosephus, *sanguineis fluentis prolabens, ad potûs inopiam eos redegit; cùm, præter aquam fluminis, nullum fontem habeant. Nec coloris tantùm id erat vitium: sed, si quis siti coactus gustaret, confestim acri dolore corripiebatur. Eratq; talis aqua solis Ægyptijs; Hebræis verò dulcis, potabilis, & omninò pristinam naturam retinens.* Quod planè erat ingens miraculum. Eodem tempore, eodem loco hauriebant Aegyptij & Hebræi: quod illis atri coloris cruor, hoc istis limpida aqua fuit. Intelligite hinc, peccatores, si sic elementa dijudicant, quid facturus sit Dominus elementorum.

VIII. S. Hieronym. in Isa. cap. 2.

Simile judicium, & in alijs aquis, factum legimus. *Siloam fontem esse, ad radices montis Sion*, ait S. Hieronymus, *qui non jugibus aquis,*

aquis, sed in certis horis diei ebulliat, & per terrarum concaua ad antra saxi durißimi, cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos prasertim, qui in hac habitamus prouincia. Huius fontis ortum & nomen Epiphanius prodit inquiens: *Fontem Deus Siloam caussa* (& precibus Isaiæ) *Propheta effecit: quoniam priusquam moreretur, pusillũ precatus est, vti vndas illinc erumpere dignaretur. Et confestim dimisit illi cælitus aquam viuentem. Vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam; quod, si quis interpretetur, sonat* demissum. *Sub Ezechia quoq; rege, ante, quam stagna piscináq; fabricasset, precibus Isaiæ effectum, vt exigua lympha scaturiret, quod populus in obsidione hostium teneretur, ne ipsa periret vndis destituta ciuitas. Milites igitur perscrutabantur vndique, vbinam sedare sitim daretur, ignorabant enim. Vrbe quippe iam potiti, obsidebant siluam. Quandocunq; itaq; indigentes Iudæi aquatum venerant, scaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum verò nationum homines reperire nesciebant. Latex namq; aufugiebat. Eoq; vsq; in hodiernum diem eructatur clanculum, quo significetur mysterium. Ceterùm, quandoquidem Isaiæ Prophetæ istud acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, populus accuratè Prophetam isti solo, cum gloria & honore reddidit; vt per eius intercesionem, in consummationem vsq; sæculi, aquæ huiusmodi fructus impetretur, cui scilicet vsum referebat acceptum.* Huic fonti Siloæ haud valde dissimilem videri, ait Baronius, fontẽ illum, seu fluuium, item in Palæstina *Sabbaticum* dictum, à Iosepho sic descriptum. *Conspicit, in itinere,* (Vespasianus Imp.) *fluuium cognitione dignißimum. Is fluit medius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni ciuitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam, cùm sit, quando fluit, plurimus, neq; meatu segnis; tamen, interpositis sex diebus, à fontibus deficiens, siccum exhibet locum. Deinde, quasi nulla mutatione facta, septimo die similis exoritur: atq; hunc ordinem eum semper seruare, pro certo compertum est. Vnde etiam Sabbaticus appellatus est, à sacro septimo Iudæorum die sic appellatus.*

S. Epiphan. de vita & interitu Prophetar. cap. 7.

Cæs. Baron. An. 33.

Ioseph. de bell. Iud. lib. 7. cap. 24.

IX.

Quemadmodum Sabbaticus hic fons Iudæos docuit, Sabbata seruare; atque laboris cursum cohibere, vt Deo vacarent; ita ille prior Siloa dictus monstrauit, homines esse in caussa, vt nonnunquam diuinæ beneficentiæ fontes exsiccentur. Nam etsi Pater cælestis *pluit super justos & injustos*, vt doceat nos inimicis benefa-

Matth. 5. 45.

benefacere; & diligere eos, qui nos persequuntur, quod vt S. Hieronymus ait, *fecit Dauid in Saul & Absalom: Stephanus quoq; pro lapidantibus deprecatus est, & Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus;* sæpe tamen etiam delinquentibus necessaria subducit, vt ex inopiâ sapere incipiant, quos fecit abundantia recalcitrare. Quin etiam potentiam suam, ac dominium in creaturas manifestat. Nam *si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram.* Hic est gladius ille anceps, & vtrinque acutus, quo potest inimicos ferire, siue neget aquas, siue cumulet. Negat, vt oremus; cumulat, vt videamus, nos aliquid orando impetrauisse. Sic instruimur, auerti à nobis creaturas, quando nos auertimur à Creatore; & fugere pœnam, si nos ad Iudicis clementiam confugiamus. *Quando non geniculationibus & jeiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* ait Tertullianus. Et Philo scribit, de prima Aegyptiorum plaga: *Per septem dies, hoc malum durauit, donec Ægyptijs suppliciter Moysen inuocantibus, & illo deprecante, Deus misertus est pereuntium. Is enim, cuius infinita bonitas semper est exorabilis, mutauit sanguinem in aquam dulcem, redditis amni fluentis salubribus, qualia priùs fuerunt.* Igitur discrimen, inter suos, & idolorum cultores, patefecit Dominus, quando Israëlitis aquam dulcem, Aegyptijs sanguinem propinauit; & plectendo hostem pepulit ad orationem, cuius vim declarauit, dum Aegyptijs Moysen, & Moysi Deum orantibus redonauit aquarum vsum.

S. Hieron. in eund. loc.

Iob. 12. 15.

Tertullian. ad Scapulam. cap. 4.

X. Maximè verò sæpè in aquis, velut in speculo, reluxit bonorum malorumque, tanquam pulchrorum ac deformium discrimen. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Ad ripam stans Minerua, atque imaginem suam, inflatis buccis tumidam, cernens, tibiam abjecit. *Nec sum adeò informis, nuper me in littore vidi,* ait Corydon. Et, apud alium Poëtam, ita se ipsum, canit Polyphemus.

Prou. 27. 19.

Virgil. Eclog. 2.

Ouid. lib. 13. Metamorph.

Certè ego me noui, liquidáque in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitque mihi mea forma videnti.

Nimis longa fabula, quamuis elegans est Narcissi, se ipsum, in aqua licet exitiosè contemplati. Aegyptij sanè poterant suam, in sanguineo flumine, deformitatem agnoscere; atque Israëlitarum intueri innocentiam easdem limpidas haurientium. Quos tamen

Idem lib. 3. Metamorph.

Exod. 15. 19.

 & ipsos

& ipsos aquæ probauerunt. Idcirco enim ait Dominus: *Probaui te* Psalm. 80. 8.
apud aquam contradictionis; cùm aqua deesset, è silice, euocanda.
Et, alio tempore, *Dixit Dominus ad Gedeon: Adhuc multus populus* Exod. 17. 5.
est, duc eos ad aquas, & ibi probato illos: & de quo dixero tibi, vt tecum Iud. 7. 4.
vadat, ipse pergat; quem ire prohibuero, reuertatur. Cúmq; descendisset
populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint
aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem cur-
uatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaq; numerus eorum,
qui manu ad os proyciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autẽ
reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: In
trecentis viris, qui lambuerant aquas, liberabo vos, & tradam in manu
tua Madian. Omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum
suum. Cur autem illos, & non hos elegerit ad pugnandum Devs,
non solùm caussa erat, quòd illorum minor fuerit numerus, sed
etiam, quia fortior. Siquidem stando lambere aquas, manu ad os
proiectas, indicium est, hominem non admodum fatigatum aliò
festinare; pronum autem ac jacentem sorbere aquas, exhaustarum
virium, aut pigritiæ signum esse solet; adde & intemperantiæ; ni-
mis enim auidi est rebus cupitis inhiare. Legimus tale itidem ju-
dicium indiciúmque miraculo datum, apud Sigibertum. Nam Sigibert.
Gallis atque Hispanis de celebratione Paschæ inter se contenden- An. 573.
tibus, quòd Hispani, die 21. Martij, Galli verò 18. Aprilis, illud
celebrassent; prodigio luculento detexit Devs, Gallos rectè cele-
brasse. Siquidem fontes, qui in Hispania, Sabbato sancto, ad ba-
ptizandum sponte diuinitus repleri cõsueuerant, An. Christi 573.
non in Hispanorum, sed in Francorum Paschate repleti sunt: tan-
ta est abundantia veritatis, vt etiam in aquis scripta perseueret.
Cum his veritas facit; aquæ cum veracibus.

XI. Eiuscemodi quidem & alia per aquam judicia complura à
varijs memorantur; sed afflictâ fide, qualis solet esse Græca. Vnum
apponam. *Est juxta Tyana, aqua* (ait Philostratus,) *Ioui (vt perhibent)* Philostrat. lib. 1. de vit.
sacrata, quam indigenæ inextinguibilem vocant. Fons eius frigidus sanè Apollonij
scaturit. ebullit autem non secus atq; igne calefactus lebes. Hanc puris Thyanei. c. 4.
& juramenti fidem seruantibus viris aspectu placidam, & gustu dul-
cem esse perhibent; perjuris verò, & infidis palam aduersatur. Epota
namq; oculos pedésq; ac manus peierantis inuadit; pustulis ac vomicis

totum corpus inquinans. Neq; illinc discedendi facultas datur; sed ibidem permanentes, coram aqua ipsa, suam deplorant calamitatem, palam, quod peierarant, profitentes. Alij vatidici fontes, è pluribus alijs scriptoribus, afferuntur, sed vel fabulosi sunt, vt dixi, vel superstitiosi. Tametsi enim negari non potest, quibusdam aquis, supra naturæ indolem ac potestatem, ad impios plectendos, vel à Deo inditam vim prodigiosam, vel à Sanctis extraordinariam virtutem impetratam; simium tamen Dei agere conatur vbiq; diabolus; qui in mancipijs suis superbiam amans, non modestiæ & humilitatis virtutem, sed miraculorum splendorem, quo Sancti claruerunt, æmulatur.

XII. Qua de caussa, An. DCCCLXXXV. Stephanus V. Pontifex Romanus Humberto Moguntino Episcopo respondit in hunc modum. *Consuluisti de infantibus, qui in vno lecto dormientes, cum parentibus, mortui reperiuntur, vtrum ferro candenti, aut aqua feruente, aut alio examine huiusmodi parentes se purificare debeant, eos non oppressisse. Monendi sunt namq;, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in lecto collocent, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur, vel opprimantur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur. Nam ferri candentis, vel AQVÆ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent Canones. Et quod, SS. Patrum documento, sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.*

Ex Gratiano 2. q 5. c. Consuluisti. Alfons. Ciaccõ. de gestis Stephani V.

XIII. Hæc diligenter obseruanda sunt ijs, qui vel naturæ ignorant vires, vel miracula ambiunt, vel Deum tentare non verentur. Fateor, apud antiquos exempla reperiri. Sed ea si lex non damnat, sola vel simplicitas sancta, vel diuina inspiratio; vel hominum piorum alma fides, ac religio miraculis digna excusat. Vt enim laminis cãdentibus, quibus inambulauit S. Kunegundis, Henrico suam virginitatem probatam fecit; ita alij feruentibus aquis illæsi Fidei integritatem testati sunt, exemplo mirando, non imitando, qualia paulo infrà referam. Quocirca non boni æmulatores fuerunt, qui rei superstitiosæ, sanctissimarum in speciem formularum colorem induxe-

induxerunt; vt tantò plures falleret vanitas inaurata. Nam hac in probatione, aqua, apud Francos, his verbis consecrabatur. *Deus judex justus, fortis, & patiens, qui es auctor & amator justitiæ, qui judicas æquitatem: judica, Domine, quod justum est, quia recta tua judicia sunt, qui respicis super terram, & facis eam tremere. Tu, Domine, omnipotens, qui per aduentum Filij tui, Domini nostri Iesu Christi mundum saluasti: & per eius Passionem, genus humanum redemisti: Tu hanc aquam, per ignem feruentem sanctifica, qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, Abdenago, jussione regis Babylonis, missos in caminum ignis seruasti: Tu clementissimè præsta, vt, si quis innocens in hanc aquam feruentem manum mittat, sicut tres pueros supra dictos, de camino ignis eripuisti, & Susannam de falso crimine liberasti, ita, Domine, manum illius saluam & illæsam perducas. At si quis culpabilis, vel, incrassante diabolo, cor induratum, præsumpserit manum mittere: tua justissima pietas hoc declarare dignetur, vt in eius corpore, tua virtute, manifestetur, & anima illius, per pœnitentiã, saluetur.* Plures eiuscemodi formulas ac orationes exhibet Martinus Delrio. Constat etiam, hanc, per feruentem aquam, aut lapilli ex ea extractionem, fieri solitam purgationem, receptã legibus Longobardorum, Saxonum, Frisiorum, & Rhenanorum. In lege Lombard. *Si cuiuslibet hominem interfecerit, judicio aquæ feruentis examinetur, vtrum hoc sponte, an se defendendo fecisset.* In legibus Frisonum hæc habentur: *Si res grandis erit, seruũ ad judicium Dei, in aqua feruenti examinet.* Item. *Et, ad examinationem feruentis aquæ judicio Dei probandus accedat.* Item. *Et se per sacramentum judicio Dei examinandum, feruenti aqua, innocentem ostendat.* Denique, in formula pacis Alsatiæ habentur ista: *Plebeius autem, & minoris testimonij rusticus, aquæ frigidæ se expurget judicio.* Et audimus subinde, pertinaci traditione, ad hoc, vel illud aquæ judicium seruos, & ancillas, aliásque nonnullas mulierculas, præ sanè fidenter, prouocare: gnaras scilicet, id non permissum iri; alioqui vtique non prouocaturas; sed nec permittendas, vt velint, culpæ, aut innocentiæ veritatem, fortuito aquæ aut ignis euentu decidendam permittere.

Auentin. l. 4.

Martin. Delrio 4. lib. Disquis. c. 4. q. 4. sect. 4. Lombard. l. 1. tit. 10. Hotoman. de Feud. c. 44. Sax. li. 1. art. 39. Leges Frison. tit. 3. & tit. 14. c. nobilis 2. q. 4. B. Rhenan. l. 2. Germ. rer.

Etenim 1. ipso nomine damnantur temerariæ eiusmodi disquisitiones. Vocantur enim *Purgationes vulgares*, quia nullo legitimo vsu, sed vulgi quadam duntaxat vsurpatione, & obseruatione su- XIV.

perstitiosa sunt introductæ. 2. Quia eiuscemodi judiciarijs modis DEVS tentatur potiùs, quàm eius exploretur voluntas. 3. Quia temeritas est, petere, vt DEVS miraculum faciat, ad innocentiam nostram manifestandam, si non DEVS ipse id suggerat. 4. Quia hanc consuetudinem ridet Fridericus Imp. II. quam etiam iam priùs vetuerat Lotharius Imp. in legibus Longobardorum; & illo antiquior Carolus magnus. 5. Quia, præter supra dictum Stephanum Pontificem, etiam alius Pontifex, apud Gratianum, & Lucius morem istum damnauit; *judicia peregrina & inhibita* (sacris scilicet canonibus) ea vocans. Innocentius III. certè sanxit in Conc. Generali, ne vllus Clericus purgationi aquę feruentis, aut frigidę, seu ferri candentis, ritum cuiuslibet benedictionis, aut consecrationis impendat. 6. Quia non tam verba huic ritui adhibita, quæ pleraque pia erant, quàm res ipsa prohibebatur, quæ non erat tantùm tentatio DEI, sed etiam miraculi Iudaici imitatio: quæ irrepsit ad similitudinem poculi Zelotypiæ, quod Moyses, apud Iudæos, DEO authore, verbis amaricantibus miscuit. S. Hieronymus ait, Hebræos tradere, *quòd coram Domino, in eandem aquam maledicta congesta sint: &, sicut in lege mulier Zelotypa, hausta aqua, probatur, ita & idololatræ hac aqua probati sint. Hi videlicet, qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt etiam, quòd quicumque idololatra hanc aquã gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea ab inuicem idololatra separare posset.* Quæ traditio si vera est, DEO jubente, id à Moyse factum est. At solus DEVS occulta cordis nouit & indicat; solus DEVS nequit, cùm secreta cordium aperit indicátque, mentiri. Quia igitur veritatem sic se indicaturum spopondit Moysi, meritò fides ei adhibita est, & licitè potuit modus ille seruari. Iam verò eiuscemodi promissio diuina nulli aquæ facta est; præposterè itaque judicium aquæ seu frigidæ, seu bullienti committitur: stolidè creditur, aquam de se dignoscere reos atque innocentes. Genio non caret aqua, sed ingenio & judicio.

In leg. Long. lib. 2. tit. 54. Carol. Mag. in capitularib. lib. vlt. c. sententiam sang. ne cleric. &c.

Num. 5. 14.

S. Hieronym. in 1. Reg. 16.

XV. Duo hîc video, quæ, clypei modo, possunt obtendi. Primum contingere sæpe miracula in eiuscemodi judicijs, quæ etiam non Sancti instituerunt. Deinde ipsos etiam Sanctos talia judicia vsurpauisse. Vtriusque exempla præsto sunt. Primi, apud Sigonium, & Aimoinum, istud: *Ludouico Germaniæ rege, Francoforti, mortuo, Carolus*

Car. Sigon. lib. 5. regni

rolus Caluus Imp. & Franciæ rex, properè Aquas, Coloniámq; contendit, vt Lotharingiam, quæ fratris & filij eius Lotharij fuerat, occuparet. Ludouicus tres filios reliquerat. Carolomannũ, Ludouicum, & Carolum cognomine Crassum. Ex quibus Ludouicus, qui paterno funeri interfuerat, vbi patruum paterni regni fines ingressum, castra ad Rhenum posuisse audiuit, ira incensus, quòd paternum regnum inuadere esset ausus, Francofordia copias mouit, atq; ad alteram Rheni ripam è regione consedit. Ibi jure primùm, deinde gratia, per legatos, petita, cùm neutrum impetrasset: decem homines, cum aqua calida, totidémque cum frigida, decémq; alios cum ferro candente misit, jussos experiri judicio, vtri regnum illud conueniret, quod cum ipso pater suus Ludouicus, sacramento interposito, diuisisset. Qui, re tẽtata, cùm detrimentum nullum cepissent, nihil tamen æqui obtinuerunt. Manum hi in aquam feruentem injecerunt partim, partim in frigidam, partim etiam ferrum candens gestantes, nihil senserunt læsionis. Omnia pro miraculo habebantur. Vt enim naturæ Author innocentis manum, in aqua ferventi seruabat ab adustione innoxiam, ignis vi suspensa, sic in frigida aliquando nocentis manum vrebat. Perinde enim illi est, seu, frigida vrere, seu calidam, ne vrat, impedire. Exempla talia reperiuntur; sed, vt dixi, vel excusantur sancta simplicitate, vel defenduntur pio justitiæ zelo ac tacita ipsius Numinis suggestione. Neque enim miracula Sancti tantùm perpetrant; cùm miraculorum gratia, sit gratia gratis data, quæ non exigit necessariò Sanctos. Quippe *multi dicent, in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quibus Christus respondebit: *Quia nunquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Accedit, sæpe miracula videri, quæ miracula non sunt; sed glaucoma, & præstigiæ, ac fascinationes oculorum; aut certè miracula impropriè dicta. Quo pacto Moysen imitati sunt magi Pharaonis; qui, quia idem fecisse videbantur, dicebantur & ipsi similiter fecisse. *Vocauit autẽ Pharao sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi, per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter.* Quod diabolus facit, ad eleuanda miracula vera; ad decipiẽdos homines, & in errorem inducendos; ad authoritatem magicis artibus conciliandam; sæpe etiam ad reos defendendos, & opprimẽdos innocentes. Siue opera

Italiæ. Aimo-in. l. 5. histor. Francor. c. 34.

Matth. 7. 22.

Exod. 7. 11.

illa magicis artibus effecta simulata sint, siue vera; de quibus D. S.Thom.1. p. q. 114. a. 4. Thomas, *dæmones*, inquit, *non possunt facere miracula propriè dicta; quia miraculum propriè dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoq; miraculum largè, quidquid excedit humanam facultatem & considerationem. Et sic dæmones possunt facere miracula, faciendo scilicet ea, quæ homines mirentur, eorumq; facultatem, & cognitionem excedat. Nam & vnus homo, in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem & cognitionem alterius hominis, ducit alium in admirationem sui operis, vt quodammodo miraculum videatur operari. Sciendum tamen est, quòd, licet eiuscemodi opera dæmonum, quæ nobis videntur miracula, ad veram miraculi rationem non pertingant: sunt tamen quandoq; res veræ; sicut magi Pharaonis, per virtutem dæmonum, veros serpentes & ranas fecerunt. Et quando ignis de cælo cecidit, & familiam* Iob. 1. *Iob, vnà cum gregibus pecorum, vno impetu, consumpsit; & turbo domum deijciens filios eius occidit, ea fuerunt opera sathanæ non sanè phantastica, vt docet Augustinus de ciuitate Dei.*

XVI. Possunt igitur vtique & dæmones brachium, frigido humore, contra feruentem aquam, munire, vt aqua, etsi feruida, videatur vim vrendi amittere; licet reuera non in aqua, sed in vnguento sit, quod miraculi speciem potiùs, quàm rem continet. Vidimus circumforaneos succis quibusdam illitas manus liquato plumbo, sine noxa, lauare. Quod mirantur, qui nesciunt virtutem vnguenti; vti & albumine oui ligna, in flammis, illæsa in stuporem dant ignorantes. His talibus artibus nouit vtique & dæmon homines dementare; non tamen, nisi malo fine, innocentes; pessimo autem reos defendere. Quod Devs sapientissimo consilio permittit. Verè Matth. 24. enim ac eruditè S. Augustinus, in illa verba: *Surgent Pseudochristi & Pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem* S. Augustin. tract. 83. qq. q. 79. *inducantur (si fieri potest) etiam electi*, ita scribit. *Quod autem Dominus dixit, Pseudoprophetas multa signa & prodigia facturos, ita vt fallant etiam (si fieri potest) electos; admonet vtiq;, vt intelligamus, quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt: nec ideò tamen potioris loci apud Deum esse, arbitrandi sunt. Non enim acceptiores Deo, quàm populus Israël, erant magi Ægyptiorum, quòd non posset populus ille facere, quod illi magi faciebant: quamuis*

nis Moyses, in virtute Dei, maiora facere potuerit. Sed ideò non omnibus Sanctis ista tribuuntur; ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes, in talibus factis maiora dona esse, quàm in operibus iustitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibuit gaudere discipulos, cùm ait: Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subijciuntur: sed in hoc gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis. *Cùm ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt; talia quidem visibiliter esse apparent, sed ex diuerso fine, & diuerso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, hi faciunt quærentes gloriam Dei: & illi faciunt quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, vel beneficia: isti autem publica administratione, jussu eius, cui omnis creatura subiecta est.* Hæc Augustinus: quæ sufficiunt ad eam quæstionem, cur etiam non Sanctis tales subinde succedant aquarum probationes? aut cur innocentibus noceant? est enim Alastor, qui illis fauet, istis nocet, quantum quidem ei à Deo permittitur. Nam neque impijs quidem plus nocere potest, quàm ei concedatur; cum sit Dei lictor. Lictori autem non licet præscriptum judicis excedere. Luc. 10. 20.

Altera obiectio erat, ipsos etiam Sanctos tales aquarum probationes vsurpauisse. Nam memorat, S. Gangulphum martyrem, famâ turpi vxoris suæ percussum, ad hoc examen, animum adjecisse. Ita enim, in vita illius, scribitur. *Interim ad quendam veniunt fontem* (Gangulphus & vxor) *vbi his vxorem vocibus compellat: Multa quidem de te, coniux, passim feruntur fœda & indigna natalibus tuis; & adhuc quidem mihi certò non constat, verène, an falsò illa dicantur. Tum illa etiam intrepidè jurans, falsos de se rumores sparsos, ait; nec se vnquam alieno concubitu pollutam. At Gangulphus: diuina, inquit, prouidentia, quam nihil fugit, vt se res habeat, iam certis declarabit indicijs. En fons hic propositus est, nec frigidus valde, nec immodicè calidus. In hunc igitur immitte manum, & è fundo lapillum extrahe. Et, si quidem à culpa es aliena, nihil mali patieris: sin autem polluta es, non sinet Deus latere scelus tuum. Illa B. viri, sicut alios omnes, ita hos quoque sermones vecordiæ ascribens incunctanter manum iniecit in fontem. Ecce autem simul atque lapillum secum retrahere conata est, membris ferè omnibus obrigescit, & in digitis, & brachio, quousque aqua pertigit, abstracta cute, nuda caro cernitur; nihilque aliud misera illa, nisi re-*

XVII. (beside the first line of the paragraph); Surius 11. Maij.

pentinum interitum expectat. Quid inde boni euenerit Gangulpho, in tractatu de Matrimonijs, dicemus. Hinc sanè constat, aquam etiam temperatam, vim comburendi diuinitus accepisse; & virum sanctum, ab hoc genere probationis non abhorruisse, vxorémque eius ad aquæ tribunal secutam, *condictitia actione* damnatam. Et nemo vtique hîc calumniæ caussa litem intendet, vt rem dicat malis artibus procuratam. Impius sit, qui de sancto talia suspicetur. Quid ergo? num omnibus licebit, quod licuit Sanctis? nequaquam. Scribuntur illorum vitæ, vt eorum virtutes, non vt miracula imitemur. Contrarium faciunt peruersi: mores illorum fugiunt, honores ambiunt. Hinc æmulos vitæ paucos, plurimos habent dignitatis. At vera dignitas in vitæ integritate consistit, non in jactantia miraculorum. Quamuis & miraculis nonnullos Devs ornet; sed ornat, quos vult, & cùm caussas habet, fidei miraculis conciliandi authoritatem.

XVIII. Qualem habuit, Diacono Catholico, cum Presbytero Ariano disputâte, & ad fidei veritatem comprobandam, apud S. Gregorium Turonensem, sic prouocante: *Factis rei veritas approbetur, succendatur igni aeneus, & in feruenti aqua annulus alicuius proyciatur, qui verò eum sustulerit ex vnda feruenti; ille justitiam consequi comprobetur.* Feruentior fuit huic animus, quàm constantior; & forsitan scopus etiam melior, quàm modus actionis. Hinc, ne fides succumberet, miraculo Devs censuit mentem nutantis corrigendam. Acceperat enim conditionem hæreticus. Sed Diaconus, ob præcipitatam subito impetu sententiam, diffidentia têtatus, nescio quibus vnguentis brachium manúmque illeuit. Steterant iam vtrinque, ad judicium experiundum, accincti athletæ; cùm hæreticus metu pallidus repentè periculum subire detrectat: Catholicus verò brachium exserit, sed vnguentis delibutum. Quod vbi vidit alter, magnis vocibus, exclamauit: *Aduersarium magicis artibus, non Fidei, confidere. dolum subesse. conditionem cadere.* Oritur altercatio: & ferè etiam scandalum. Nam & Catholici, qui confluxerant, dicebant, sibi id genus disputandi non placere; nec miracula artibus simulanda. Ita temeraria prouocatio propemodum in periculum maximum adduxisset religionis authoritatem. Tempus ergo fuit, vt Devs malè cœpta, bene finiret, ac fortiorem huic certa-

S. Gregor. Tur. lib. 1. de glor. Martyr. cap. 81.

mini athletam succenturiaret. *His itaque litigantibus superuenit Diaconus alius ab vrbe Rauenna, Hyacinthus nomine, scitánsque, quæ esset hæc altercatio; vt veritatem cognouit, nec moratus, extracto è vestimentis brachio, in æneum dexteram mergit. Annulus autem, qui iniectus fuerat, erat valde leuis ac paruulus, nec minùs ferebatur ab vnda, quàm vento ferri posset vel palea. Quem diu multúmq; quæsitum, infra vnius horæ spacium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille, sub dolio, quò validiùs feruens non facilè posset assequi annulus à manu quærentis; extractúsq; tandem. Nil diaconus sensit in carne sua: sed potiùs protestatur, in imo esse frigidum æneum; in summitate verò calorem teporis modici continentem. Quod cernens hæreticus valde confusus inijcit manum audax in æneo, dicens: Præstabit mihi hoc fides mea. Iniecta manu protinus, vsq; ad ossium internodia, omnis caro liquefacta defluxit, & sic altercatio finem accepit.* Facta hæc, nemo inficiatur: & facta, ingenti miraculo, agnoscimus libenter; vt in eadem aqua religio vera incolumis esset, falsa autem damnaretur. Sed num imitanda? nequaquam. Non omne tempus, nec omnis locus, est tempus, aut locus miraculorum. Neque DEVS ad prodigia alligatur; potest fidem alijs quoque rebus astruere; immo, iustissimè miracula negat, vbi sunt, qui ea intempestiuè exigunt. Vnde, dicentibus Scribis & Pharisæis, *Magister, volumus à te signum videre*, respondit: *Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Et *Herodes, viso* IESV, *gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat.*

Matth. 12. 38.

Luc. 23. 8.

XIX.

Discunt hinc miraculorum intempestiui sititores, DEVM prodigia exhibere, quando ipse vult, non quando ipsi. Patrata sunt, ea quidem, per diuini spiritus viros, sed DEI iussu, non libitu curiosorum; atque ad veritatem, non ad vanitatem stabiliendam. Multa, in Sanctis suis, mirari nos vult DEVS, non imitari. Quare mirari satis non queo quorundam hominum judicia, qui, cùm à Sanctorum vita procul recedant, tamen eorum miracula non verentur affectare. Monstri simile est, Pontificiam prohibitionem apud vulgus indoctum valuisse, & tamen viros, qui sibi videntur prudentes ac eruditi, adhuc istam aquarum probationem non solùm de-

lum defendere, sed etiam ad maleficas deprehendendas adhibere. Licitũ esse mordicus contendit Arnoldus Scribonius Philosophus Marpurgensis. Sed hic hæreticus fuit. Magis miror, à Catholico calamo eandem fuisse sententiam propugnatam. Longè autem maximè stupeo, quod inter plurimos, sermone quotidiano, pro certo habetur, & ante hac, in multis Germaniæ vrbibus ac locis, maximéque Westphaliæ circulo, fuit vsitatum, in exploratione maleficarum, quas suspectas eduxerunt ad fluuium, aut lacum, atq; in aquam ita coniecerunt, vt dextra manus sinistro pedi, sinistra verò dextro esset obligata. Si supernatabat, quasi ouum inane, venefica putabatur; sin mergeretur, innocens existimata est. Quo in genere probationis multa sunt delicta. Nec enim sacri canones duntaxat eo violantur; sed ipsa etiam justitia & natura. Si enim aquæ justè judicium ferrent, veneficos mergere, non innocentes, deberent. Deinde huius farinæ homines in rogum, non in fluuium; in flammas, non in vndas sunt conijciendi. Et quæ natura aquæ vim dedit veneficas portandi, ne mergantur? An quia plerumque sunt fæminæ leuiores? Sed ea leuitas illas non attollit, quia est leuitas morum, non membrorum. Aut quia aquæ, suapte natura, malis parcunt, & sæuiunt in innocentes? quis illis dicit, hos malos, illos esse innoxios? & si scirent, quàm iniquæ essent, si bonis malè, malis bene suâ naturâ facerent? Scio esse, qui dicant, dæmonem in sagas intrare, illásque sua naturali leuitate sustentare. Atqui hæc dæmonum leuitas à Philosophia exploditur. Præterquam, quòd, si hac leuitate spiritus illi præditi essent, Gerasenorum sues natare, non mergi debuissent, quod non est factum, quando *exierunt dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.* (Luc. 8. 33.) Peccant igitur judices, qui Pontificiæ prohibitionis gnari, tam friuola aquæ probatione vtuntur; quique hac ratione DEVM tentant, quod est delictum religioni, & primo Decalogi præcepto aduersum; neque pro miraculo, sed, pro pacto magico habendum. (Vide Martin. Delrium. l. 4. disquis. cap. 4. q. 5.)

XX. Rarum ais esse hoc peccati genus? quid si est frequentissimum, quid si quotidianum? quid si inolitum vbique, etiam apud priuatos? nec iam in aqua tantùm, sed etiam in vino, lacte, cereuisia; pane, offa, & omni cibo, omni potu, seruis, ancillis & ancillario-

lariolis, opificibus, & artificibus perquam vsitatum. Quoties e-nim, inter prandendum & cœnandum, audiuntur eiuscemodi *pro-bationes & purgationes vulgares? Si hoc, vel illud non est verum, hæc me aqua suffocet? hic mihi haustus sit vltimus? hoc vinum vertatur in venenum? hoc lacte peream? hac cereuisia fiam ceritus? hoc pane stran-guler?* & similia sexcenta? Nonne hæc est *purgatio* consuetissima? & satis *vulgaris*, quia satis vulgata? Nonne hoc est, tentare DEVM? nonne hoc, miraculum petere? Quod quidem etiam non rarò se-quitur, ad tales imprecationes: non vt à DEO approbentur, sed vt audacissima mortalium temeritas puniatur, in exemplum aliorũ, qui monentur, vt caueant scopulum, in quem vident alios impe-gisse. Caueant ergo sibi malè conscij innocentiæ suæ testimonium à miraculis petere, caueant sibi ipsis pœnam statuere, quæ dilata facit nocentiores, illata misericordiam non meretur. Itaq; si exi-stimant, se exempla habere Sanctorum, non aliter eos, quàm equũ asinus, in fabulis, imitantur. Vnà iter faciebant equus & asinus, ille sale, iste spongijs onustus. Procubuit in vadoso flumine equus, &, sale liquefacto, se feliciter exonerauit. Quod vbi asinus vidit, procubuit & ipse; sed, spongijs aqua repletis, onus longè maius ferre coactus est; sensitq; vel hinc se asinum esse, vt qui non sciue-rit eadem, alijs aliter dispositis, non eodem modo succedere.

CAPVT IX.

Non posse ab hominibus Deum aquis punientem accusari, cùm aquis ipsi & alios, & se ipsos plectant.



I. SI laudabilis est justitia, laudem merentur etiam justitiæ instrumenta. At verò, teste Pythagoræo Theage, *& inter* Theag. lib. de virtute. *Deos magnam vim habet, & inter homines justitia. Totius enim atq; vniuersi, tum inter hos, tum inter illos, cõmunionem hæc vir-tus continet. Ac Themis quidem, apud superos: Dice autem, apud infe-ros: Lex verò inter homines, nuncupatur.* Huius ergo virtutis, siue cùm vitia & virtutes inter se discernuntur, siue cùm homines pro-bi defendendi improbíque plectendi sunt, instrumentum aptissi-mum esse, docuimus, aquas. His mundi Moderator oues suas refi-cit, quarum vna ait: *Super aquam refectionis educauit me.* his hœdos Psalm. 22. 2.

 suos

Osee. 5. 10. suos plectit, vnde ait: *Effundam, quasi aquam, iram meam.* Vtrumq;
Cant. 5. 12. assiduè considerat sponsa Christi. Quare *oculi eius, sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.* Videt in aquis faciem sponsi sui resplendentem, & vno quidem oculo justitiam, altero autem misericordiam eius intuetur.
Psal. 118. Quo intuitu incalescens exclamat: *Confitebor tibi in directione cordis: in eo, quòd didici judicia justitiæ tuæ.* Ast alia vox, alius clamor est coruorum, quàm columbarum. Retrahere volunt columbas à pijs suspirijs ac laudibus, & transdere in execrationes, cùm intelligunt aliquid sibi incommodi ab aquis nasci. Nimirum impunè vellent peccare: & dum DEVM identidem creaturis offendunt, nollent ipsi offendi à creaturis.

II. Quàm iniqua hæc sint vota, indignæq; cogitationes, vel à se ipsis discant. Emendant, puniunt, occidunt homines hominem aquis ad vitam sustentandam creatis; & indignantur, quando rerum omnium Conditor, aquis vtitur ad hominum scelera abluenda? Vt homines hominem exitiabilem morte multent, in mare proijciunt; vt emendent, projecturos se minantur; & Deo idem facere sit nefas? id cùm faciunt, laudari volunt; cùm DEVS facit, criminantur? Optimus est vsus aquarum, quando ijs hominum corpora curantur; & pessimus sit, quando illis hominum scelera castigantur? Intolerabilis amentia est, quando mortales sibi plus licere volunt, quàm DEO. An enim non volunt sibi id licere? Certè
Ion. 1. 14. voluerunt, qui dixerunt: *Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare.* Affinis huic historiæ est fabula Arionis, quam Poëtæ atque historici eleganter narrauerunt, declarantes scilicet, qua ratione, homo in hominem etiam innocentem aquis sæuiat; DEVS autem innocentiam defendat. Ea verò fabula, super fidicine Arione *celeri admo-*
A. Gellius. lib. 16. c. 19. *dum & cohibili oratione, vocúmq; filo tereti & candido*, vt Gellius ait, scripta est ab Herodoto.

III. *Vetus, inquit, & nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymnæus, terrâ atq; insulâ omni Lesbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatúmq; habuit, artis gratiâ. Is inde à rege proficiscitur, terras inclytas, Siciliam atq; Italiam visere. Vbi eò*

venit, auresq; omnium, mentesque, in vtriusq; terræ vrbibus, demulsit. In quæstibus istic & voluptatibus amoribusque hominum fuit. Is tum postea grandi pecunia, & re bonâ multâ copiosus, Corinthum instituit redire. Nauem igitur & nautas, vt notiores amicioresque Corinthios sibi delegit. Sed eo Corinthios, homine accepto, nauique in altum prouectâ, prædæ, pecuniæq; cupidos cepisse consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellectâ, pecuniam cæteráque sua, vt haberent, dedisse: vitam modò sibi vt parcerent, orauisse. Nautas precum eius harum commiseritum esse illatenus, vt ei necem inferre per vim, suis manibus temperarent: sed imperauisse, vt iam statim coram desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perditâ, id vnum postea orauit, vt priùs, quàm mortem appeteret, induere permitterent sua sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sui consolabile. Feros & immanes nauitas prolubium tum audiendi subit. Quod orauerat, impetrat. Atq; ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansq; in summæ puppis foro, carmen, quod orthium dicitur, voce sublatissimâ cantauit. Ad postrema cantus, cum fidibus ornatuq; omni, sicut stabat canebátque, eiecit sese procul in profundum. Nautæ haudquaquam dubitantes quin perisset, cursum quem facere cœperant, tenuerunt. Sed nouum, & mirum, & pium facinus contigit. Delphinum repentè, inter vndas, adnauisse, & dorso super fluctus edito vectauisse; incolumiq; eum corpore & ornatu, Tænarum, in terram Laconicam, deuexisse. Tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petiuisse: talemq; Periandro regi, qualis Delphino vectus fuerat, sese obtulisse: eiq; rem, sicuti acciderat, narrauisse. Regem isthæc parùm credidisse, Arionem, quasi falleret, custodiri jussisse. Nauitas requisitos ablegato Arione, dissimulanter interrogâsse, ecquid audissent in ijs locis, vnde venissent, super Arionem? Eos dixisse, hominem, cùm inde irent, in terrâ Italiâ fuisse, eúmq; illic bene agitare, & studijs delectationibúsq; vrbium florere, atq; in gratiâ pecuniaq; magnâ fortunatum esse. Tum, inter hæc eorum verba, Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in salum eiaculauerat, extitisse. Nautas stupefactos conuictósq; : ire inficias non quisse. Eam fabulam dicere Lesbios & Corinthios: atq; esse fabulæ argumentum, quòd simulacra duo ahenea, ad Tænarum, viserentur, Delphinus vehens & homo insidens.

Protrahatur hîc *in medium auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima vorago, nec habendi fructu felix, &* IV. Val. Max. lib. 9. cap. 4.

Cic. in orat. pro Quintio. Idem in Vatinium. Sallust. in Catil. Senec. ep. 108. S. Basil. hom. 21.

cupiditate quærendi miserrima. Nimirum, *nullum est officium tam sanctum,* vt rectè Tullius dixit, *atq; solenne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat.* Et: *Nemo tam firmum habuit præsidium, quod auaritia non infregerit atq; debilitauerit.* Itaque, quia, vt Sallustius ait, *auaritia fidem, probitatem, ceterásque bonas artes subuertit;* multi seruorum, domi; comitum, in via; nautarum, in mari, perfidi fiunt. Denique, Seneca teste, *in nullum auarus bonus est, in se pessimus.* Hinc Corinthij isti Arioni necem machinati sunt, sibi imperauerunt; illum in pelagus, se in nefariæ machinationis supplicium conijcientes. Plus enim sibi ipsis nocent, qui in alios sunt iniusti: quia magis hos conscientia cruciat, quàm illos damnum. *Iudex expectatur,* ait S. Basilius, *& auarus cogitat, ne in jus trahatur; ne orphanus suas lachrymas in foro palam faciat. Nocte consultat, quomodo manè quosdam aduocatos sibi præparet; quomodo, in judicio, mentiendo destitutum opprimat. Eius animam hæ curæ continuò mordaces absumunt. Canis latrat, auarus putat furem esse. Mus fortè perstrepit, & auari cor salit, quemlibet vel puerum suspectum habens: Filios iam grandes, vt insidiatores aspicit, quòd eorum iam ætas successionem expetere videatur.* Exemplum est in Arione non tam auaro, quàm opulento; qui pauper securus fuisset, diuitijs insidias allexit. Et auari nautæ feliciùs appulissent, si innocentiùs nauigassent. Nunc euasit è fluctibus Arion, & mersi sunt, qui mergere voluerunt.

V. Pausan. in Phocic. Herodot. l. 4. Ioseph. lib. 15. Antiq. cap. 3.

Publicè notum est de alijs, simili casu, dissimili euentu præcipitatis. Ierat piscatum Palamedes, sed domum non rediuit; quippe ab Vlysse atque Diomede in aquis demersus. Quin & à proprio parente Etearcho, rege Cretensium, suasu nouercæ, Phronime puella in vndas proiecta est. Refert Iosephus, Aristobulum Iudæorū Pontificem, Herodis regis dolo, in piscina, natantem, per ludi jocíque simulationem, submersum esse. Vsque adeò tyrannis ludus atque jocus est, occidere. Rem ipsam accipe. Herodes rex, cùm Aristobulum Pontificem, quia de genere erat regio, & populo gratus, è medio tollere cuperet, post prandium, comiter pertracto in opportunum locum adolescente; ostendebat se paratum in eius gratiam juueniliter colludere. Cúmq; loci eius natura esset æstuosior, citò defessi, relicto ludo, magnis piscinis, quæ ibi circa aulam erant, imminentes, frigus captabant, meridiano tempore. Ac primùm

mùm spectabant natantes quosdam è socijs & famulis. Deinde postquam, prouocante Herode, adolescens quoque eis se miscuit; quidam amicorum, quibus hoc datum erat negotium, deprimentes eum natantem, & quasi per lusum ac petulantiam mergentes, non priùs destiterunt, quàm omnino aqua præfocatus sit. Hic fuit Aristobuli exitus, anno ætatis decimo octauo, pontificatûs primo. Sic calidus juuenis aquis æstum temperáuit, vt frigidum cadauer reportaretur. Et quidem hoc isti balnenm ab Herode fuit præparatum. Sunt plures, qui lautè occubuerunt. Nam, Zonara teste, Romanus Argyropolus Imp. cùm ex hydrope conualuisset, natatorium ingressus, vt corpus lauaret, Zoës vxoris & Michaëlis Paphlagonis adulteri dolo, à quibusdam subornatis itidem capite sub aqua merso, oppressus, & pænè suffocatus, semianimis in stratū reclinatus est. Inde per os, subnigra euomens, nemine opem ferente, animam egit, cùm annos imperasset quinque, & menses senos. Adeò non homines solùm, sed tota etiam imperia aquis immergere, possunt humanæ, an potiùs inhumanæ manus. Clodomirus profectò Francorum rex, Gundebaldo, Burgundiæ rege, superato, Sigismundum eius filium, vnà cum sorore, in puteum inclementissimè demersit. Et Statyra, Darij filia, M. Plutarch in Alexand.
Alexandri vxor, Roxanam, quam Alexander quoque thori participem esse voluerat, prægnantem itidem, in puteum afflixit; solo ducta liuore, quòd Macedones præcipuis honoribus eam cumularent. Innumeri sunt virorum feminarúmq; casus & exitia ab ipsis eorum parentibus, filijs, maritis, aut vxoribus procurata. Quibus in medium allatis, agite Momi, *judicio secundùm juris formam conuenite; is, cuius ea de re notio est, æstimabit*, dicétque: Vos aquis vtimini, ad libidinem, ad æmulationem, ad crudelitatem vestram explendam; DEVS, qui aquas condidit, aquas justitiæ vindices esse non jubebit?

VI. Enimuerò jubebit, tantóque æquiùs jubebit, quia de cælo prospiciens videt, homines, ipsis aquis, aquas & flammas promereri. Quæ enim, malùm, amentia est, homines, aquas in salutem datas, sibi in exitium conuertere? &, cùm aliorum manus desunt, propriæ vitæ carnifices fieri, séque ipsos, desperatissima corporis jactura, in vndis suffocare? Nam prorsus extrema est dementia,

non expectare mortem, sed occupare. Qua de caussa vel Poëtæ cecinerunt, eos priùs in furorem actos, qui se ipsos in mare præcipites egerunt. Hinc Ilice Ibyci Lydij filia, in furorem, à Marte contempto, versa è scopulo sese fingitur misisse. Hinc Athamas Thebarum rex, furijs agitatus, dum Learchum filium morti dedit, vxor quoque eius Ino Cadmi & Hermiones filia, dolore amens, cum altero filio Melicerta, de Moluride petra, in Megarensium finibus, sese in salsos fluctus sparsit. Sappho puella ex Lesbo insula, è Leucade Epiri promontorio se jecit, quòd à Phaone mutuò non redamaretur. Anna Beli regis filia, post mortem sororis suæ Didonis, Carthaginem ab Iarba occupatam relinquens, ad Battum Melitæ insulæ regem nauigauit. Quo demum relicto, mare ingressa, ad Laurentum littus delata est; ibique ab Ænea cognita & hospitio suscepta, non sine mutui cum eo amoris suspicione, adeò vt in odium Lauiniæ veniret. Cuius insidias vt declinaret, se ipsam in Numycum fluuium præcipitem dedit. Iuturna quoque, Dauni filia, post interfectum ab Aenea Turnum fratrem, mœroris impatiens, in aquas & mortem insilijt. Alcinoë, vxor Polybi Corinthij, Xanthum Samium, relicto marito, secuta, pœnitentiáque cerita, in mari, se viuam sepelijt. Quin & Derceto, Semiramidis mater, cùm filiam ex adulterio conceptam in desertis exposuisset, tandem facti & sceleris pœnitentiâ mentis impos, in lacu furorem & vitam extinxit.

Pausanias in Atticis.

Ouid. lib. 4. Fastor.

Parthen. in Erot. cap. 27.
Strabo li. 16.

VII.

Fæminarum facilè delirantium, & extrema tentantium ista esse, aliquis dicet. Viri etiam à sensibus abeuntes fecêre. Euenus Martis & Steropæ filius, ex Alcippe Oenomai filia, Marpissam susceperat filiam. Quam ab Aphareo, in chorea, raptam, quia comprehendere nequibat, in Lycormam Ætoliæ fluuium pronus ijt, vt citò, ac compēdiaria via, veniret ad Charontem. Refert idem, qui modò narratam necem, Plutarchus, Theseo in Cretam, ad Minotaurum interficiendum, nauiganti, Ægeum patrem eius, Athenarum regem præcepisse, vt, si, confecto monstro, incolumis rediret, ad lætitiæ argumentum, candidis vteretur velis; vt prospectantibus è portu amicis, superstitis vitæ fidem præstaret. Theseum tamen cepit obliuio mandati. Quapropter, cùm atris ijsdem, quibus abierat, remigraret velis, pater de filio desperans ex

Plutarch. in Theseo.

alto in mare se deturbauit, & aquis à se imposuit nomen, vnde mare Ægæum nuncupatur. Complexus est rem eleganti carmine Catullus, cuius versus huc apponere placet.

Catull. de Nuptiis Pelei & Thetidos.

Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata priùs constanti mente tenebat:
Dulcia nec mæsto sustollens signa parenti,
Sospitem, & ereptum se ostendit visere portum.
Namq; ferunt, olim classi cùm mœnia Diuæ
Linqueret, & gnatum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juueni mandata dedisse.
Gnate, mihi longâ jucundior vnice vitâ,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua feruida virtus
Eripit inuito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati carâ saturata figurâ:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunæ signa secundæ:
Sed primùm multas expromam mente querelas,
Canitiem terrâ, atque infuso puluere fœdans:
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros vt luctus, nostræq; incendia mentis
Carbasus obscurâ dicat ferrugine Ibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis
Annuit, vt tauri respergas sanguine dextram:
Tum verò facito, vt memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec vlla oblitteret ætas:
Vt, simul ac nostros inuisent lumina colles,
Funestam antennæ deponant vndique vestem,
Candidáque intorti sustollant vela rudentes,
Quàm primùm cernens, vt lætâ gaudia mente
Agnoscam, cùm te reducem sors prospera sistet.
Hæc mandata priùs constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes

Aërium niuei montis liquêre cacumen.
At pater, vt summâ prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cùm primùm inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum è vertice jecit:
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domûs ingressus tecta, paternâ
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.

VIII. Quòd si hæc, tanquam à Poëtis narrata, in fabulis habentur, extant certiora. Nam Anius rex Thuscorum, quia filiam Saliam à Catheo adolescente raptam non potuit comprehendere, teste Plutarcho, in fluuium se furiata mente egit; quem à suo nomine fecit appellari *Anienem;* vt mortis infamia, quamuis aquis inscripta, æternùm perseueraret. Andragathius quoq; classis præfectus, qui Gratianum Imp. perfidè sustulit, Maximo tyranno, à Theodosio, victo, ex desperatione, in fluuium se præcipitem dedit, malens natare, quàm pendere. Laurentius Laurentianus Florentinus medicus, sanus simul & insanus, citra vllum corporis incommodum, citráque euidentem morbi caussam, pro haustu minimè medico, in puteum se conjecit, auctore Cælio, & Crinito: qui ait, se auditorem eius aliquando fuisse. Maluit tamen in Lycæum, quàm in puteum sequi: non enim sitiebat. Tali etiam morte se extinxit Petrus Leonius Astrologus excellens; si tamen ea in arte aliquis potest excellere, quæ alijs mentitur, sed neminem magis fallit, quàm scientem; immò pernicioso ignorantiæ genere, scire se putantem. Nec vetera repetere est opus. Mea ætate, tot memini, desperatione actos, sponte, in fluuios, & puteos cecidisse, ex omni hominum genere, vt pigeat numerum inire. Nec familiarum aut consanguineorum honor me sinit nomina eorum loqui, qui exemplum essent maximè luculentum.

IX. Vnius tamen non possum, vel sine nomine, mentionem omittere, qui, me puero, in ciuitate Imperiali celeberrima, cùm & clericus esset, & dignitate Ecclesiastica maximè emineret, tamen absque habitu & tonsura, solebat quotidie, per augustiores vrbis plateas, & ante ædes maximatum, tanquam aliquis Curtius Romanus,

manus; Remp. communi exitio liberaturus, magnificè obequitare, & omnium in se oculos pariter & digitos, & linguas conuertere. Sanguis illi è præcipua nobilitate: de cetero plures opes, quàm virtutes; & minor vitæ fama, quàm officij authoritas. Hinc obuio honoré omnes pileis magis, quàm animis, exhibebant, etiã de via cedentes. Transgresso, & iam tergum obuertenti, hæretici quidem palàm exserta lingua, medium vnguem ostendere, atque ciconia illudere amabant; pueri autem, vt gestum triumphantis imitarentur, brachijs vtrinque in latera ridiculè reflexis, & ipsi Thrasonicè ansati incedebant. Equus phaleris, eques inauratis calcaribus superbus, videbantur de gloriâ certare. Asturco poterat ille videri, ita tolutim badizabat, nõ Catonis, sed Pompei manu defrictus. Sed magis eques ipse aspicientium in se oculos rapiebat, quàm caballus. Cæsariem calamistratam contractior galerus premebat magis, quàm tegebat; nec vnquam in medio verticе visus est stare: sed sinistro semper lateri incumbens de cincinno pendere putabatur. In galero pluma identidem, ad omnes equi passus, subsultans, quàm sanè petulanter volitabat: quæ, si gemina fuisset, senio eques factus Mercurius poterat credi. Veste tota splendidus, & non raró, psittaci instar, multicolor, aulæ se profitebatur asseclam; non Ecclesiæ columnam. Officij statum in eius incessu, nemo agnouisset, nisi nomen, quo ipso tumebat, cum prodidisset. Quacunque ibat, non bonus Christi, sed vnguentorum exoticorum odor auras & plateas muliebriter inficiebat. Nam hoc ipso malè olebat, quòd homo Germanus pastillos Indicos, aut gynæcéum oleret. Denique omnia in illo apparebant pulchra, præter faciem, in qua omni cupreæ verrucæ cutim asperabant, & gemmæ lucebant non admodum pretiosæ. Siquidem vultus illi erat, qui potuisset, more piscium desquamari, scilicet vino ardens; & oculi, sine fletu, stillantes, quales solent esse lamiarum: vt mirarentur omnes, in tam deforme caput intrare posse superbam cogitationem. Quanquam cum fastu, etiam dementia fuit coniuncta, qua putauit animi fœditatem, corporis ornatu, posse vel tegi, vel compensari. Hic igitur mundi pupillus, populi stupor, puerorum simul risus fuit, & hæreticorum, dum viueret; sed illustre documentum vanitatis, dum moreretur. Diu ita sese vrbi maximæ ostenta-

ostentauerat. Sed non respondebant pectoris penetralia ijs, quæ foris apparuerunt. Oculorum judicio, poterat haberi, pro vase voluptatibus differto, aut thesauro deliciarum; intus tamen curæ, tumultus, desperatio, & mala extrema coquebantur. Et, videte, vanitatum amatores, in quem mundi pompa finem desinat. Hic tantus inter pocula victor, in plateis ouator; iste tam nobilis Messapus, tamque insignis equûm domitor, tandem aliquando, ad pristinam consuetudinem, equo gloriosè circumuectus, angulum ciuitatis extremum petijt, ibique ante præcipui viri, amplissimum hortum, equum foribus alligauit, &, pro potestate, ac more, velut animi gratia, hortum solus ingressus, remotísque omnibus arbitris, ocreatus, gladiatus, chlamydatus, in profundissimum puteum desperatissimè se dejecit; atque, vt casus faciem cælaret, in caput iuit; ibi extinctus, vnde breuior esset via ad Acherontem. Vbi vtique eum Cerberus, tanquam nouum & peregrinum hospitem, sollenniùs allatrauit; nempe *Clericum gladiatum*, & quem Æaco multa peculiaria facinora commendarent, quæ postea, de submerso, in mensis, circulis, & foro passim cantabantur. Postquam enim equus eius portæ innodatus, totam expectandi patientiam consumpsit; & nunc hinniendo, nunc calcibus terram pulsando, vel herum, vel stabulum pabulúmq; diu poposcit, & nox redeundi tempus indicauit, quæsitus, per omnem hortum, dominus, nusquam repertus est. Fuit igitur, qui suaderet, in terris non inuentum, indagandum in aquis. Accensa in puteum demittitur lucerna, nec ibi quidquam conspicitur, nisi ocrea calcaribus auro fulgentibus vincta. Hoc vestigium fuit equitis inueniendi. Cùm ocrea pes, cum pede totum cadauer extractum, ense accinctum, chlamyde velatum. Quasi cum cadauere licentia loquendi è puteo prodijsset; ita illicò, quod quisque de illo vitium sciebat, liberè vbique prodebat, omnes mortem vita dignam dicebant. Quippe hunc fuisse, qui in ganeis sæpius, quàm in templis sit versatus; in cuius manu assiduè poculum, nunquam Breuiarium sit visum; è cuius ore nihil nisi vomitus; &, quod fœdius est, nisi Veneres & meretrices prodierint; à quo parentes filias, mariti vxores abscondere, atque custodire debuerint: deniq;, qui tot flagitia fecerit, & nunquam conspectus sit ea sacerdoti confiteri; quæ ta-

men,

men, in vino, jactare, &, tanquam rem bene gestam, glorianter prædicare non veritus sit: homo indoctus, superbia inflatus, & omnis commonitionis impatiens. Nimirum hæc Dei esse judicia, aiebant, vt, qui toti ciuitati fuerit scandalum, idem etiam toti ciuitati fieret exemplum; atque ab huius exitio sapere discerent, qui, si ab Ecclesia, pecunias, & pingues census accipiant; si omnibus se anteferant; si fulgeant in tunicis, si sint in poculis fortes, nomini se suo, officióque satisfacere arbitrantur; plusque sibi licere existimant, quàm qui vel in aulis profanissimorum Principũ, aut in castris audacissimorum militum vitam agitant, sine lege, sine mente. Deniq; aquis, dicebant, meritò diluendum fuisse guttur, per quod priùs tot vini dolia fluxissent. Tali lesso exequiæ fuerunt illius cohonestatæ, qui mendosissimis moribus infamis lethi coronidem adjecit. Ita qui omnia sacra rident, in interitu & ipsi ridentur: vt ne tum quidem etiam, cum flere deberent, sine risu sint, sed alieno.

X. Hi sunt, qui, vt desperatè viuunt, ita & desperatè moriuntur. Nempe quia eundem mortis magistrum admittunt, quem vitæ habuerunt. Vtinam Chrysostomum audirent, cuius hæc sunt: *Aduersus desperantes ait Dominus: An non surget, qui cecidit? an qui auertit, non conuertetur? Et rursus: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Et: Hodie si vocem eius audieritis, &c. Et quòd lætitia sit in cælis, cùm peccator pœnitentiam agit. Multaq; huiusmodi & documenta, & exempla in Scriptura inueniuntur. Ne autem religionis nomine perdamur, illud Pauli dicendum iterum atque tenendum est: Ne nimio dolore, inquit, absorbeamur.* Diaboli enim artificio, dolor pro peccatis debitus, fit dolor nimius & immoderatus, non iam ad pœnitentiam ducens, sed trahens ad desperationem, quæ est vltimum omnium scelerum complementum.

S. Chrysost. hom. 87. in Matth.

Quantus enim furor est, ne moriare, mori?

Et morte quidem duplici vnius mortis redimere timorem? *Animæ præstantis prorsus*, ait Antiochus, *ac generosæ peculiaris conditio ea est, vt quantæcunq; tandem inundent, calamitatum procellæ, nullo vnquam pacto sinat a se auelli spei solidæ anchoram. Ob hoc enim hominis vita πειρατήριον dicitur; tentationum, seu Piratarum domicilium. At nos, ne sic quidem a Domino deficiamus, quousque tentatorem jubeat*

semo-

ſemotiùs à nobis ſecedere, & per intolerantiam atque immobilem animi rigorem, vitæ reſtituamur tranquilliori. Quod enim peccati genus vſquam inueniatur atrocius deſperatione? Iudas ille Domini proditor, quàm puſilli erat & abiecti animi? quàm rudis & expers conflictus tentationum? Ob hoc enim ſpem omnem à ſe cùm abjeciſſet, inſiliente in eum inimico, funiculo ſibi præfocauit gulam. At Petrus, ſolida illa petra, non in peccatum impegit? nec mediocre? Verùm is, tanquam, qui tales conflictus doctrinæ experientia didiciſſet, ob maleloquam negationem, ſpem neutiquam abjecit: ſed lachrymas adhibuit pacarias, apud Dominum, & conciliatrices. Huius igitur imitatione, ad aquas lachrymarum confugiamus, non inſiliamus in Barathrum deſperationis.

XI. Quanquam mihi nunc non eſt animus, vel Caios, vel Cainos agitare, aut de erigendis illis in ſpem, diſputare. Illud oſtendo, hominum peruerſa ingenia, aquas in vtilitatem maximam à mundi Conditore datas, in ſuam ipſorum perniciem conuertere, & ſe ipſos aquis plectere; cur ergo indignantur, ſi id erga illos faciat Devs, qui illos plectendi jus habet, ac poteſtatem? Illi id, cum ſcelere faciunt, Devs cum laude. Cleomenes Methymnæorum tyrañus lenas, in ſaccis ligatas, ſubmergi curabat, & laudabatur. Tot lenas, & lenones, & lenocinantes alit terra, & non plectat, aqua, judice Deo? à quo *parata ſunt deriſoribus judicia.* Auguſtus Cæſar pædagogum miniſtróſque Caij filij, per occaſionem valetudinis, mortíſque eius, ſuperbè auaréque, in prouincia, graſſantes, oneratos graui pondere, ceruicibus, præcipitauit in flumen. Quod factum inter gloriæ illius decora numerabatur. Et hæſitabimus, trutináque noſtra dignum cenſebimus, ſi quem, permittente Deo, aquis hauſtum audiamus? Quis præſcribet, vt ignibus potiùs, aut ferro vtatur, ſi quem, per aquas vult ad ſe euocare? aut in fluuio, non in rogo punire? Siquidem *judicium à Domino egreditur ſingulorum.* Quod ſi agnoſcerent aquis læſi, non eſſent muſca illa inſipientiores, impatientioréſque, quæ in carnium ollam decidit, & moriens dixit: *Ego tantum bibi, & comedi, & laui, vt hunc ſatura exitum ferre haud moleſtè debeam.* Cordati eſt, id quod neceſſe eſt, ferre, & boni conſulere.

Athenæus lib. 10.

Prou. 19. 29.

Sueton. in Aug.

Prou. 29. 26.

XII. Alia fabella eſt lepida, &, ad mores poliendos huic loco admodum

modum idonea, de domino ac seruo, vnà iter facientibus. Ibi seruus, vt sibi, apud herum, locum noménque faceret, multa admodum jactanter mendacitérque narrauit, vidisse se, cùm varias terras peragraret. Occurrit equitantibus, transuersâ viâ, fugiens vulpes: qua conspecta, *Magna erat hæc vulpes*, ait Dominus. Cui mox seruus: *Hoc nihil est*, dixit. *Ego vidi vulpem boui magnitudine parem*. Intellexit facilè Dominus, non vulpem, sed mendacium serui posse cum boue æquiparari. Sed se pressit, & velut admiratione obticuit. Silentium seruo, pro admirationis jndicio, & plausu, fuit. Quia autẽ dies paullò priùs cœperat, cõuertit se Dominus ad matutinas preces, & à Deo iter prosperum precabatur, idq; ita voce clara, vt seruus omnia syllabatim audiret. Inter ceteras formulas adjecit, petere se, vt, eo die præcipuè, sese à verbo mendacij custodiret; tunc enim satis à periculo fluminis iri se custoditum. Aduertit ea vox, & precandi ratio seruum; qui non potuit, quin auidissima curiositate interrogaret Dominum, quid sibi id genus comprecandi voluisset? Visus est initio tergiuersari herus, & inuitus ad eam quæstionem respondere. Sed vrgente magis magísq; famulo, tandem, quasi ingens arcanum detecturus, cum alto suspirio, dixit: *Flumen est nobis transeundum hodie, in quo omnes merguntur, quotquot, eo die, mendacium fecerunt.* Oppalluit ad hoc dictum seruus, & mendacij recentissimè conscientiâ ictus visus est tremere. Pergunt ire, atque non diu post ad riuum ambo perueniunt, vado transeundum. Ibi iam in ripa equitantem herum subsequens seruus rogat, vt subsistere paullisper velit. Ex subsistente scitatur. *Hicne sit ille fluuius, mentientium interfector? nolle se tentare vadum, cùm, in vulpe comparanda, putet, aliquantulum à se erratum esse; neq; enim eam boui, sed juuenco duntaxat parem fuisse.* De vulpe parum curo, ait Dominus. Ceterùm non hic est riuus, de quo dixeram, alius occurret, nihil tibi, hoc loco, metue. Hæc fatus calcaria admouit equo, & vadum, seruo tergum eius premente, superauit. Paullò post ventum est ad alium amnem, quo viso, seruus cœpit denuò trepidare, & quærere, *Hicne autem fluuius mendaciloquos morte plectere soleret?* Cúmque herus responderet, neq; istum quidem esse; addit seruus, se valentem caussam habere tam sollicitæ interrogationis: nam haud satis ampliùs meminisse

narratæ vulpis magnitudinem; existimare se nec juuenco quidem parem extitisse, sed vitulo lactente non fuisse maiorem. Salua res. intrant & exeunt, etiã ex hoc vado. Sed ad tertium tãdem fluuiũ accedunt. ad cuius cùm præripia venisset: *Hic tandem est ille veritatis defensor, & mendaciorum punitor fluuius*, ait Dominus. Ad quæ verba attonitus seruus, pænè ex equo lapsus est. Verùm vbi se viresq; collegit, veniam à Domino precatus, negauit se transiturum, eò quòd mendacij, eo die, à se conflati conscius esset: *Nam vulpem à se alibi conspectam, reliquis communibus vulpibus fuisse magnitudine omninò parem.* Hoc audito, *Et hæc quoq; aqua*, inquit Dominus, *est alijs communibus aquis par, neq; solet mendaces mergere.* Ita mendacem, aquarum minitatione, curauit, & ad veritatem promendam reduxit.

XIII. Potuerunt tantum fictæ aquarum minæ? quid non potuerunt veræ pœnæ, à Deo, per aquas inflictæ? Nam qui inflictas audit, metuit infligendas. Metuere autem initium est emendationis. Cuius rei exemplum multiplex legimus, in quarta Ecclesiæ & Christianorum persecutione, sub Antonino (non enim sub Marco Aurelio) contigisse. Antoninus enim non satis habuit, proposita capitis pœna, vetuisse, ne quis Sibyllarum versus legeret, aliósque propheticos Gentilium libros, qui multa de Christo prædixisse videbantur, adeò vt è Gentilibus non pauci Christiani fierent, vt Iustinus testatur; sed Christianos præterea, quàm plurimos, Crescentis hæretici instigatione, morti addixit; & quidem anthropophagiæ priùs, aliorúmque horribilium Gnosticis familiarium criminum, per impudentissimam calumniam, accusatos. Quàm grauiter eiuscemodi atrocitate offenderetur vindex malorum Devs, edocuit, non solùm Tiberis inundatione, sed alijs quoque varijs ærumnis, quas immisit, fame; circi ruina; terræ motu complures Rhodiorum, & Asiæ vrbes subuertente; trecentis & quadraginta insulis, aut domibus, Romæ combustis; Narbonensi ciuitate concremata, atque alijs calamitatibus vrbi & orbi inuectis. Quibus ita omnes conterriti sunt, & ipse adeò Imperator commotus est, vt expresso Rescripto, ad eundem 15. Imperij annum, quo hæc euenerunt, dato, persecutioni finem imponere coactus sit. Ita aquarum, ignium, terræque incommodis, sapientissimus

Iustin. Apolog. ad Antonin. Euseb. An. 153. Baron. An. 150.

Iulius Capitolin. in Antonino.

Vide Euseb. li. 4. hist. c. 12.



tissimus mundi Moderator peccantes multat & emendat; de ipsis malis bonus. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ. Dominus nomen est eius.* Amos. 5. 8.

CAPVT X.

Deum, vt aquarum terrarúmque Dominum, potestatem, justitiam, prouidentiámque suam ostendere, miserando Emmanuelis Sosæ naufragio, & sæculi marísq; similitudine declaratur.



I.

QVoniam autem *Dominus nomen est eius*, habet & hinc caussam aquis habenas stringendi, vel laxandi, vt dominium suum manifestet. Si enim dominium est *jus gubernandi vel disponendi de re aliqua, tanquam sua*, seu sibi subjecta, itaque deuincta, vt possit de ea, non ex commissione alterius, sed propria authoritate, sine cuiusquam injuria, disponere; profectò, cùm DEVS sit Dominus vniuersorum, nullam injuriam faciet vlli, per maria, nauiganti, si ventos immittat non à tergo spirantes; sed procellis & tempestatibus nauem adigat in scopulos, eámque allisam sinat lacerari. Illius est Oceanus; illius sunt maria omnia; illi' omnes naues, omnes regiones, omnes mortales. Ius ergo illi est, eos terra maríque gubernandi, ad suum, non ad illorum arbitriũ & votum; vt in mari ventis prosperis vel aduersis, in terra humanis aut barbaris hospitibus, denique pace, aut misero bello vtantur. Nec deest illi sapientissima ratio mundi, ad hunc modum, gubernandi. Quippe cùm sic non solùm dominium illius & potestas, sed etiam justitia, clementia, prouidentiáque hominibus innotescat. Hæc enim omnia in casibus humanis perspiciuntur. In aquis autem, naufragiísque hominum patientiam exercentibus, etiam discimus, quàm sint in hac vita fluxa omnia, itémque, quàm immanibus periculis se se objiciant, qui, vel vt Christi fidem inferant, vel vt aurum & gemmas auferant, ad Indos, Iapones, aliásque Orientales & Occidentales nationes, proficiscuntur. Cuius rei, etsi plura suppetunt exempla, vnum tamen non omittam ex illustri authore illustrissimum apponere, cuius me suprà memini, obiter mentionem fecisse: in quo pariter docetur, & nauigan-

Leonard. Less. de Iust. cap. 3. dub. 1.

uigantibus ingentia esse discrimina, & in terram ejectis, maiores sæpe ab hominum feritate, quàm ab ipsis marinis fluctibus impendere calamitates.

II. Petr. Maffæ. lib. 16. Histor. Indic.

Emmanuel Sosa, cognomento Sepulueda, qui Diensi præfuerat olim arci, vir opulentus ac splendidus, ductâ in matrimonium Eleonorâ, Garciæ Salæ tum Prætoris filiâ, tactus desiderio patriæ, pressam diuitijs rostratam excelsam, Cocini, conscendit. Sequebatur vxor, ac parui liberi; & Pantaleon Sala, & nobiles aliquot; & præter nautas, famulorum etiam ac mancipiorum turba: in vniuersum capita ferme sexcenta. Ianuarij mensis initium, Lusitaniam ex illa petentibus ora, statum soluendi tempus. ventorum id vices, ac dudum explorata nauigandi ratio postulat. Sosa cum cæteris, quòd impeditior ad Coulanum coëmptio fuerat, non nisi Februario mense profectus, circiter Idus Aprilis Cafrarium littus aperuit. Inde leni flatu profectis, circa Bonæ spei promontorium vehemens ab occasu obstitit ventus, idq; cum fulgetris, & cæli fragore, tetráque ac minaci nubium vi. Tum inhorrescens mare paulatim attolli, maioréisque in singula momenta ciere fluctus. Cùm in aduersum obnitendi, remigio destitutis, nulla esset ratio; paulisper addubitatum à nautis, vtrum demißis antennis, in salo transitum tempestatis exspectarent. Verùm Oceano magis magisq; sæuiente perterriti, simul propter anni tempus abjecta superandi promontorij spe, retro in Indiam pari consensu vela dare constituunt. Sed ne id quidem è voto successit, adeò violenti ac repentini flatus ab Oriente, diuersisq; coorti plagis, quassatæ iam nauis in perniciem conspirauerant. Horum impetu vela primùm discissa: malus deinde, mox gubernaculum, frustra fluctus euitante magistro, diffringitur. Præterea costis immodica jactatione conuulsis, multò plus accipiebatur vndæ, quàm vt exhauriri aut egeri summa turbæ naualis contentione & industria posset. Neque, præcipitata leuandæ naui bona onerum pars, auertebat exitium. per hunc modum spoliati armamentis, obuersante perpetua mortis imagine, dies aliquot in alto jactati, postremò vrgẽtibus à meridie ventis, certum ad naufragium ad terram appelluntur. neq; erat in malis potius quicquam, ni viuentes videntésq; hauriri profundo, vel in cæca vada syrtésq; adigi mallent: ad teli ergo missum jactæ ab vtraq; parte anchoræ, dum scaphis, quæ vna supererat salus, in continentem euaderent. Sosa ante alios cum vxore filijsque, & primarijs aliquot, raptim elatâ pecuniâ gemmisq;, transuecti, haud

sine

sine ingenti periculo: usque adeò immanes, toto littore, moles aquarum illisu reciproco frangebantur. neque idem effugium cæteræ multitudini patuit; scaphis, post unum alterúmue trajectum, in dorsuosa breuia impactis & comminutis. Eodem ferè temporis articulo anchorarius funis in Austrum obuersus, quamquam valido nexu & crassitudine, rumpitur. Tum qui remanserant, diuulsa nauis latera, & vasto dehiscentem hiatu alueum conspicati, erumpentia ex imo dolia, sarcinas capsasue corripiunt; seq; , incertam ad spem, quà cuique proximum est, in mare dimittunt. Miserando hinc spectaculo, immistos fluitanti gazæ mortales, & naualia instrumenta passim agi ferrique cerneres. Periêre ab ipso statim dejectu, Lusitani circiter quadraginta; ex alijs nationibus, ad septuaginta: reliqui haud semel operti fluctibus, ac turgido spumantique æstu in diuersa raptati. ad hæc, scriniorum incussu liuidi, aut clauorum squamarúmque ictu cruenti, (tantus amor est lucis) tandem semianimes in sicco vestigia posuêre. Vixdum euaserant; cùm in conspectu omnium, vacua hominibus carina subsidit; & arenis illata, duas primùm, dein quatuor in partes, ad extremum in minutissima frusta dissilijt. hæc maximè clades ad vltimam pænè rerum desperationem Lusitanos adduxit. Quippe consilium fuerat, è reliquijs naufragij subitarium dromonem intentis vectibus ad cursum aptare; atque vbi licuisset, cum delectis retro Sofalam, aut Mosambicum, opis petendæ causa, transmittere. Eam quoque sibi facultatem ereptam videbant, cùm è discerpto nauigio laceróque vix vlla fragmenta cubiti mensuram excederent. Paulatim dein, quæq; supernatauerant, quæq; obruta fuerant, pænè cuncta cum cadaueribus in littus ejecta: ipsæ quoque demum anchoræ, hastæq;, & minora tormenta, quamquam hæc quidem prorsus inutilia; sulphureo omni corrupto puluere, neq; vllo conficiendi apparatu. Inter hæc autumnus abierat: &, quòd ab æquatore in meridiem gradus vnum & triginta distat regio, refouendæ turbæ, frigore, inedia, vulneribúsq; torpenti, Sosa complures excitarat ignes. tum ex aliquot orizæ semicorruptæ modijs ac salsamentis, quæ tempestatis injuriæ superfuerant: cibaria in singulos parcè diuisa: quòd squalida circum arena, ac nullum esset cũ incolis, fera & inhospita natione, commercium. dulces tantùm in proximo scaturigines emicabant. atque ob id, connexis in orbem scrinijs, aduolutóque saxorum pondere, vti securas exigerent noctes, loco munimenta circumdata, & quatuor in partes, vt assolet, vigiliæ distributæ,

 quas

quas intempesta nocte haud semel circuibat Sosa; neque vllum, in tali calamitate, boni & ciuis & præfecti omittebat officium. Tredecim ferme dies curationi corporum dati. mox de summa rei deliberatum, quid agerent, quò se conferrent. nemini dubium fuit, quin oram tenentes, ad flumen contenderent, cui Laurentius Marchesius olim ab sancto Spiritu nomen indiderat: eodemq; Lusitani ab Sofala & Mosambico mercimonij causa commeabant. id flumen à statiuis in Orientem aberat leucas centum & octoginta. Ab hoc decreto Sosa, quamquam præcipua in clade, tamen cæteros ipse vultu ac sermone confirmat, ne asperis in rebus despondérent animos. qui se pelago committant, ijs famem, sitim, jacturas, ærumnas, omnia incommoda esse debere proposita. quæ si contingant, non ita mox cadendum, quasi ea nunquam euentura existimârint. ad hæc, pro suis quisque delictis æterna supplicia meriti; breuia ac temporalia non inuiti persoluant. Simul, eo infortunio, non quid perdiderint cogitandum, sed quòd euaserint. amisisse multa, sed perire vnà cum ijs, quæ amiserant, potuisse. monuit insuper, vt inter efferas destituti gentes, nullum deinceps nisi in conjunctione, & concordia præsidium collocarent. nemo seorsum, omnes in commune consulerent. nihil neq; dispersis & vagis tutum, neq; conglobatis & consentientibus noxium fore. Postremò precatus est cunctos, in ratione itineris, Eleonoræ & filiorum vel ætati, vel sexui parcerent; seq; validi & robusti ad infirmorum vires attemperare ne grauarentur. Ad ea succlamatum, duceret quò vellet, & quomodo: se ab eius auctoritate arbitrióque non recessuros. Per hunc modum corporibus & animis vtcumque firmatis; hoc maximè ordine capessunt iter. Præcedebat Sosa cum vxore virilis animi fæmina, liberísque propter ætatem securis, & Andrea Vasæo nauis magistro (is præcelsum Crucis vexillum ferebat) & Lusitanis alijs octoginta, seruis præterea centum. hi puerulos tergo per vices; Eleonoram informi pilento gestabant. Sequebantur cum ancillis, & imbelli turba nautici. Agmen infaustum Pantaleon, & reliqui cum mancipijs Lusitani cogebant. Modicis inde itineribus, per infesta Cafrum incursionibus, & noxijs animantibus loca progressos: inuiæ rupes, excedentia in nubes juga, despectu horrendo conualles, cœnosæ voragines, inflata imbribus hybernis flumina excipiunt. ijs dum superandis, humilia procul vada, clementesq; montium ascensus ac descensus inquirunt; littoralis spatij triginta non amplius leucas, crebro ipsi ambitu flexúque, cæcis ad hæc erroribus, in centum pror us

extendunt.

extendunt. Mensis inter hæc voluitur. simul, extrema quoque inopia, consumptis iam omnibus alimentis, conflictari capti. Sustinebant famem primò conchylia, putresq; cetorum artus, & alia maris ejectamenta. dein, vbi à littore abscesserunt, siluestria poma baccæue: tum tenerrima frondium, postremò bestiarum cadauera, & ossa qualibet igne tosta, pellesq; mollita. Nec leuiùs torquebat sitis, cùm oppidò pauci, nec nisi magna præsentis pecuniæ mercede, aquandi causa de via decederent, insidiantium ex occulto latronum impetus, atque leonum etiam ac tigrium ignota cubilia metuentes. Enormia inde aquæ pretia: vti octo interdum aureis hemina constaret. Inter quæ subinde aliqui laßitudine, inedia, siccitate confecti, deploratis viribus, Æthiopi diro, belluísque, & alitibus præda restabant, suprema ad suos mandata dantes antecedentibus: quorum in animis, vt fit, diuturni terrores, & proprium cuiusq; malum, omnem penè miserationem ac sensum alienæ calamitatis exstinxerat. Sosam tamen, chari aliquot relicti, supra modum angebant. Vxoris verò quotidiani labores, miseriæq; propemodum emouerant mente: quamuis illa quidem sese marito infatigabilem corpore pariter animóque præstaret comitem: ac baiulorum destituta ministerio, dudum suis ipsa pedibus ambularet, addens cæteris animos: & in partem oneris, teneræ proli subleuandæ succedens. Quarto mense ad amnem sancti Spiritus peruentum ab inscijs. Causa latendi fuit, quòd auditæ conceptæq; animo magnitudini haudquaquam respondebat flumen, (quippe tribus alueis ea regione decurrens, in exitu jungitur) & idonei, ad percontandum explorandúmque interpretes deerant: siquidem Æthiopicis ex alia longè regione mancipijs, quæ habebant in comitatu, nondum erat cum ijs populis tanta societas linguæ, vti per illos possent, quæ vellent, probè cognoscere. Percommodè cecidit, quòd regulus ea tenebat loca, miti admodum, præter aliorum consuetudinem, ingenio vir, beneq; in Lusitanos animatus, quòd illi placidum & æquum paulò antè commercium cum ipso Laurentio Marchesio, & Antonio Calderia fuisset. Is, peramanter acceptum Sosam & reliquos apud se, dum aliquis ab Sofala institor appareret, omni arte retinere conatus est, partim ab insita humanitate, partim etiam proprij commodi gratia, quòd finitimis implicitus bellis, tempestiuo firmóq; sibi auxilio diuinitus oblatam hanc putaret manum. Ac proinde, post multa benigni vultus incitamenta, deniq; gestu, nutibus, & incerta vocum significatione denunciat, haud procul abesse inde potentiorem se

Regem,

Regem, impium, & rapinæ adsuetum: si pergant, præcipitis consilij pœnas daturos. Nec preces, nec monita profuêre. quò liberaliùs habebatur Sosa, eò magis fraudem suspicatus, porrò abire contendit, nauiculisque ab eodem regulo impetratis fluuium traijcit. Quinto die ad medium amnis brachium processêre, leucas iam à naufragio trecentas emensi, è quingentis comitibus, ad centum & viginti varijs cladibus traducti non ampliùs. id quoq; brachium, conductis pretio lintribus, imminentiū ignari transmittunt. maiore dein vsu linguæ, per interpretes haud dubiè cognitum, id esse flumen, quod tanto tam diu labore quæsissent: & eiusdem habitus albos homines illuc nauibus itare consuesse. non longè à mari is locus aberat. salsi ex eo latices: neq; vllam dulcis aquæ venam circùm apparere constabat. ad hæc, solum planè incultum ac sterile. cùm ibi Lusitani, malis victi, sub nocte necessariò consedissent; postridie aduentantes Æthiopas ferme ducentos adspiciunt, ac primò adesse præliū rati, arma, quæ malè iam sustinebant, expediunt: reliquias virium ad repellendos fugandósque latrones intendunt. dein, postquam pacatus appropinquabat Æthiops; ac, quinam, & vnde profugi, blandè quærebat; sumpta fiducia, infortunij summam & exhaustos labores; per interpretem exponunt. Cibaria tantùm, neq; ea gratuita, iure gentium petunt, ferramenta genti expetita, conciliando commercio proferunt. Haud spernenda crescendi occasio barbaris visa. tantùm de re ex tuto aggredienda solliciti, ac toti è fraude mendacióq; conflati, respondent, nihil esse commeatus in promptu: haud ita distare oppidum: eò si accesserint, hospitaliter ac benignè cunctos ab Rege tractatum iri. Suadebat requiem vltima laßitudo, & inuentus agnitúsq; tandem exoptati fluuij terminus: væsana insuper fames vrgebat ac sitis. age sanè, ducibus ijsdem ad oppidum tendunt. iamq; successuros, per viatorem, ingressu prohibet Rex; densæ arbores in vicino adsignatæ, quarum vmbra se se vtcunque reficerent. Sex ibi dierum fuit mora, clauos ferme reuulsos è naufragij tabulis, cum carnibus nutritúq; alio permutabant: sitim leuabat in proximo fons. contracta inde cum incolis nonnulla cōsuetudine, perniciosam in spem hospitij Sosa paulatim inductus, mercatoris cuiuspiam aduentum ab Sofala, si liceat, ibidem operiri constituit. idipsum Æthiopes cùm valde hortarentur; ex ijs missi ad Regem, qui Sosæ interim, & coniugi, cæterisq;, pro instituta societate, paulò commodius diuersorium peterent. Ille, popularium haud absimilis, omnibusq; artibus ad fallendum instructus,

ctus, iubet Sosæ renuntiari, se suósq; optimo esse in aduenas & calamitosos animo: sed quò minùs eos adhuc intra oppidum admiserit, duabus maximè causis retardatum. altera, quòd magna tum annonæ penuria vno omnes loco sustentari non possent: altera, quòd ferro succinctos, & vario genere telorum, incolæ seminudi, ac sudibus tantùm adsueti, maiorem in modum extimescerent. Si animum inducant Lusitani, ad pacatæ mansionis fidẽ, arma interim apud se custodienda sine dolo, deponerẽt; se domi suæ Præfectum, primoresq; benignè habiturum: reliquos, circumfusis oppido vicis, fida in hospitia diuisurum. Dura omninò postulata visa concilio: sed recusantibus extrema necessitas & egestas instabat. Ergo nemine, præter vnam Eleonoram, dissuadente palam; Sosa, qui amicè monenti atq; inuitanti regulo priori abrogauerat fidem; repudiatis Eleonoræ precibus monitísq;, se ac sua demum omnia insidioso huic præpostera credulitate permittit. Cohors reliqua ducis auctoritatem sequi non dubitat, tradita extemplo arma præmittuntur ad Regem: Sosa cum vxore, liberísq;, & fidelibus alijs ferme viginti subsequitur. Cæteros quinos, vel senos regij præfecti varia in loca diducunt. Nec dum ad inhospitales peruenerant casas, cùm destitutos ac diremptos ab ope mutua; non peculio tantùm, si quid abditum gerebant, sed vestimentis etiam, quamquam attritis ac laceris exuunt; eáque nocte malignè admodum pastos, manè fustibus conuitijsq;, per summam perfidiam & immanitatem, tectis ac vicis exturbant. Rex, gemmis, auróq;, & argento, & quod pretiosi reliquum Sosæ & familiaribus fuerat, auidissimè rapto, corporibus tantùm, ac vestimentis abstinuit; domóq; cunctos item exegit, insuper increpans, clementia adductum se, non pro meritis tractâsse vagos piratas, & communes humani generis inimicos. Tum demum sensêre Sosa, comitésq;, quàm stultè sese inermes ignotæ ac barbaræ fidei credidissent. Neq; hic finis miseriarum fuit. namq; dum inopes consilij, solutis ordinibus, nullo rectore, nullo signifero, passim incerto errant gradu; noua repentè Æthiopum manus, præacutis armata sudibus, in Sosæ manipulum inuadit: ipsúmq; & cæteros vtriusq; sexus, nullo discrimine, vestibus nudat, obnoxios, contra ne hiscere quidem audentes. adeò, ablatis armis, ceciderant animi. Eleonora tantùm, generis memor, ac pudoris ad vltimum retinens; obniti acriter, pugnis quin etiam colaphisq; barbaros vltrò ad necem irritare: quoad mariti deniq; hortatu, & deficientibus iam planè viribus, abstitit. nec mora: detractæ direptæq; vestes; metu ac pu-

dore confusis, qui ex infelici comitatu restabant, atq; ab tanta rerum indignitate auertentibus oculos. tum verò, castæ matronæ tristior omni morte lux visa, defodit arenis è vestigio se se: quæ supereminent, soluto raptim fusóq; obtegit crine. mox ad Andream, paucósque superstites, voce suprema: vos quidem, inquit, duci vestro fidem egregiam præstitistis, optimi viri. nil vltrà opus est. ite, vobísque ipsi tandem aliquando consulite. ac, si quem patrijs olim finibus reddi contingat, renuntiate, quò loci mea me maritúmque delicta perduxerint. Mœstum inde silentium immobilis tenuit. Cara tantùm intuenti pignora, inges riui lachrymarũ denso cum gemitu profluebant. Sosæ item altus mœror ac dolor vocem incluserat. cúmque defixo in terram obtutu, aliquandiu attonito, ac stupenti similis adstitisset, paterna demum exstimulante cura, proximam in siluam quærendo qualicunq; nutrimento secedit. inde regressus, Eleonoram triduano jeiunio fletúque penè consumptam, è filiolis alterum prorsus extinctum offendit, eúmq; suis ipse manibus terræ mandauit. Postridie eodem pabulandi functus officio coniugem vnà cum filio exanimem reperit, & lamentabili circumuociferatione complorantes ancillas. Hísce confestim summotis, in dextram jacentis manum aliquandiu reclinato capite incubuit: dein, ijsdem adjuuantibus ancillis, cadauer vtrumque sepelijt, nihil vnquam effatus. Postremò se se iterum abdit in siluas. ibi laniatum à feris putant. nunquam deinde comparuit. Hunc exitum, inter paucas miseranda Sosæ peregrinatio terra marique sortita, cùm sæculi huius tertius & quinquagesimus ageretur annus. reliqui ad centum, fœdo agmine, rerum omnium inopes, diu errabundi, varijs casibus ad sex & viginti redacto numero, cùm pro captiuis haberentur, deniq; ab nauiculario Lusitano, qui eboris mercandi causa, regionem eam à Mosambico petierat, sestertijs in capita quaternis redempti. in ijs Pantaleon fuit, qui ante hoc biennium, exacta iam ætate, verùm præualens viribus, Olisipone subito neruorum stupore apoplecticus obijt. Cæterùm tanta Sosæ calamitas longè latéque vulgata misericordiam hominum ciuit: cupiditatem & audaciam non imminuit. Hæc Petrus Maffæus.

III. Talia, cum omni familia sua, Sosa Emmanuel, *terris jactatus & alto*, pertulit. Ex quibus æstimare licet, diuinam potentiam, dominium, æquitatem, prouidentiam. Quid enim ille vndipotens Neptunus, cuius jura vel Æolus ausus est violare? quem Iuno de-

cepit? contra cuius voluntatem procella extitit, cui tanta iram, tamque vehementi oratione opus fuit, ad fluctus & ventos compescendos? quid potentiæ fingitur obtinuisse? Vno verbo Christus *imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Sine veri Dei nutu, nulli ebulliunt fluctus, nulla maria vel tumescunt, vel quiescunt. Ille *vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen est eius.* Hinc nemo conqueri potest. Æquum est, quod cum re sua facit. Si caussæ aliæ deessent omnes, dominium solum sufficeret. Quis sceleris arguit videns aquam effundi ab eo, qui hausit, & haurire denuo potest? Si non modò seruum hoc crimine non arguis, sed ne illud quidem comuni vituperatione reprehendis, quòd creaturam Dei inutiliter perdat, cur ipsum aquarum Dominum vis in jus citare, si commouet maria, in quæ summam habet potestatem? Quanquam multas præterea habet caussas. 1. Putrescerent aquæ, si non commouerentur. Turbatio illis, est purgatio. 2. Sine ventis naues testudineo gradu procederent, vel omnino starent. Venti autem fluctus cient. Qui ergo optat ventos, patiatur fluctus. 3. Crudelissima gens est nautarum, & cum nauali turba, fæx plerumque vltima hominum confluit, ad naues, quas velut sentina grauat. Neque ipsi sæpe vectores primarij ac nauium domini vitijs suis carent. Alij ludis absorbentur, alij ganeis, seu scortis. Alios Erisichthonia auri fames & auaritia insatiabilis impellit ad nauigandum. Quosdam homicidij, aut grauioris facinoris conscientia in naualem fugam conijcit. Hi omnes magnam partem rerum diuinarum obliti, periculis admonentur, vt opem cælestem implorent. Qua de caussa vulgare illud circumfertur: *Qui nescit orare, vadat ad mare.* Quod vel Ethnici fecerunt, quanquam in eo decepti, quòd Castores & Polluces, & Tritones, & nescio quas ligneas Nereides & Glaucos in auxiliũ vocarent. Quam rem S. Spiritus stultitiæ conuincit, dum ait: *Alius nauigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum inuocat.* Meliùs fecerunt, melioremque Deum inuocarunt illi nautæ, qui in media tempestate *clamauerunt ad Dominũ, & immolauerunt hostias Domino, & vota vouerunt.* Quos rectè plurimi piéque, & sæpe salubriter imitantur, qui naui & sibi à naufragio metuentes, varia vota, si discrimen

Matth. 8. 26.
Amos. 5. 8.
Sap. 14. 1.
Ion. 1. 14.

crimen euadant, Deo faciunt. Et alij quidem peregrinationum, ad hunc vel illum Diuum, alij autem jeiuniorum, certis diebus, tolerandorum; alij eleemosynarum in egenos erogandarum; alij ædificandorum templorum; alij perpetuæ castitatis; alij etiam religionis ingrediendæ. Ob hos tales effectus, an non vtiles censendæ sint maris tempestates? Multorum contumaciam fregit naufragij metus. 4. Multos mersit mare, sed nocentes. 5. Quod si & innocentes talibus procellis inuoluuntur, compendium mortis habent & doloris. Minor est cruciatus vndis absumi, quàm flammis. 6. Quem non curiositas nauibus aueheret in insulas Fortunatas, aliásque nouas terras; quem non cupiditas habendi alliceret, si nauigantes non periclitarentur? 7. Quæ gloria fuisset Danao Beli filio, qui nauem primus ex Ægypto in Græciam aduexit? quæ Iasoni & Argonautis? quæ Christophoro Columbo, si nauigatio periculis careret? Maxima virtutis laus est, discrimina non horruisse: & superasse, quod fuit cum periculo laboriosum.

IV. Denique mihi & illa non postrema caussa videtur, vt habeamus in mari, veram & expressam, quamdam humanæ vitæ imaginem. Aptissimè enim pericula periculis explicantur: & quidem summa summis. *Qui nauigant mare, enarrent pericula eius: & audientes auribus nostris, admirabimur*, cognoscemúsque prorsus, in nostra vita, similes scopulos, & fluctus, & pericula occurrere. Qua etiam de caussa, rectè Clemens Alexandrinus, vbi vetat, gemmis annulorum, idolorum imagines insculpi, suadet nauim vel anchoram imprimi, nauigationis vtiq;, & vitæ humanæ monimentum. *Sint autem nobis*, ait, *signacula, columba, vel piscis, vel nauis, quæ celeri cursu à vento fertur, vel lyra musica, qua vsus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus.* Quoties piscem, quoties nauem, quoties anchoram inspicimus, illicò in memoriam venit, homines in terris, non secus ac pisces nauésque in vndis natare, aut nauigare; vitámque nostram aquæ similem esse, quæ est res fluxa, ventis & tempestatibus obnoxia. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*, ait mulier Thecuitis. De periculis, & aduersis ventis, & mille incommodis maris, & vitæ inter se comparatis, complures meminerunt.

Eccli. 43. 26.

Clemens Alex. lib. 3. Pædag.

2. Reg. 14. 14.

V. Bellissimè autem S. Augustinus hominis, per hunc mundum,

velut

velut per mare, nauigantis miserias, diuersis locis, considerauit. Qui etsi docuerit, ad illum, qui vbique est, amando veniri, non nauigando; mox tamen subjecit: *Sed quoniam etiam, in tali itinere, abundant fluctus & tempestates diuersarum tentationum, in crucifixum crede, vt fides tua lignum possit ascendere. Non mergêris, sed ligno portaberis. Sic, sic, in huius sæculi fluctibus, nauigabat ille, qui dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV *Christi.* Eandem, per crucem nauigandi artem, & vitæ huius procellas describit etiam, cùm Euangelium illud de Domino ambulante super aquas, exponit, his verbis. *Dum ille* (Christus) *orat in excelso, nauicula turbatur fluctibus in profundo: quia insurgunt fluctus, potest ipsa nauicula turbari; sed quia Christus orat, non potest mergi. Nautellam quippe istam, fratres, Ecclesiam cogitate, turbulentum mare hoc sæculum. Quando aliquis impiæ voluntatis, maximæ potestatis persecutionem indicit Ecclesiæ, & quantum in ipso est, Christianum nomen conatur extinguere, super nauiculam Christi grandis vnda consurgit. sed, in his tentationibus, erigatur antenna, vt suspensa arbori, crucem figuret. Hanc Christianus respiciat, & non deficiat, quia sicut dicit Apostolus Petrus, Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Dicit etiam beatus Ioannes: Sicut enim Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere. Huic ergo antennæ, id est, cruci Christi, simplex conuersatio, & pura confessio, tanquam candentia vela, religentur. Et vela nostra fluctibus abluantur, vestisq; tendatur, vt sine macula, & ruga, inueniatur. Quantumlibet mare sæuiat, ventus incumbat, inter fluctus & fluctus, nauis ista turbetur tantùm, non mergatur, & currit. Denique posteaquam nauis hæc ædificata est in Hierusalem, atque inde in medio pelagi huius frementis emissa est, æstuantium volumina vndarum, & furentiũ flabra ventorum, dum eam huc atq; illuc circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces, quacunq; inuenit, inuexit. Quid enim tam peregrinum, in terra nostra, quàm per pœnitentiam, remissio peccatorum, regnúmque cælorum?*

S. Augustin. serm. 2. de verb. Apost.

S. Augustin. in Matth. serm. 14.

1. Pet. 2.

VI.

Igitur habemus ex hoc sancto Patre, sæculum esse mare, tempestates insurgere in persecutionibus, nauem tutissimam eligi, si in crucem, cum Christo, ascendamus. Quò autem tendendum est? quò nauis dirigenda? *Quo modo, qui nauigant, nauem ad astra dirigunt*

Clem. Alexandr. lib. 6.

Strom.
S. Augustin. in Psalm. 13.

dirigunt, ait Clemens Alexandrinus. Neque monstra hîc marina nobis sunt metuenda. Virtute crucis pericula omnia superentur. *Quid ergo nos?* ait Augustinus. *Ad patriam, quà ituri sumus? per ipsum mare, sed in ligno. Noli timere periculum, lignum te portat, quod continet sæculum. Ergo attendite: Hoc mare magnum & spaciosum, ibi repentia, quorum non est numerus, animalia pusilla & magna. Noli timere, noli terreri; desidera patriam, intellige peregrinationem. Illic naues commeabunt. Ecce in eo, quod terrebat, commeabunt: naues natant, & non merguntur. Naues Ecclesias intelligimus: commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla & magna. Gubernator est Christus in ligno crucis suæ. Illic naues commeabunt. Non timeant naues, non valde attendant, vbi natent, sed à quo gubernentur. Illinc naues commeabunt. Quem commeatum reperiunt tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum? Commeabunt securè, commeabunt perseueranter, venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietis.* In portu tutissimum est nauigare. Ad hunc cæli portum, vt aspiremus ipsi nos fluctus impellunt, quibus, in hac vita, homines jactantur. Quod idem S. Pater alibi docens, ait: *Vniuersus iste mundus, quasi quoddam diluuium est, eò, quòd omnia, quæ in hoc mundo sunt, ad similitudinem aquæ incertis euentibus fluctuando decurrant. Vera autem fides, quæ non transitoria, sed æterna promittit, quasi à quibusdam fluctibus, sic ab huius mundi cupiditate in suprema animum tollit: & portari quidem ab aquis potest; sed mergi omnino non potest: quia ad necessitatem hoc mundo vtitur, sed eius desiderijs, per affectum non implicatur. Quisquis ergo æterna non credens sola, quæ transeunt, appetit: hunc quasi sine naui laborantem in fluctibus impetus aquæ decurrentis secum trahit. Qui verò æterna credens, transitoria diligit, hic juxta nauem naufragiũ facit: qui autem æterna bona credit & diligit, hic in naui positus fluctuantis maris vndas securus pertransit: quia qui per desiderium fidei nauem non transgreditur, iam quodammodo, in fluctibus, terræ stabilitatem imitatur.* Nunc igitur, quæ & terræ sit stabilitas, quæ securitas, quod emolumentum, aut detrimentum, videamus; de aquæ autem necessitate, vtilitate, jucunditate, in hunc similémue modum expensa, quisquis antehac fuit temerarius judex, aut superbus contemptor, posthac dicat:

S. Augustin. lib. de substant. dilectionis. c. 7.

Prô

Prô dij immortales, in aqua nunquam credidi
Voluptatem inesse tantam!

CAPVT XI.

Terræ, hominis gratia creatæ, situs, quies, rotunditas, inæqualitas, venustas, & feracitas, laude & admiratione digna.



Nfimum, inter elementa, locum terra possidet, de qua nos sumus, tanquam communi omnium matre; cuique, non iam cum Bruto illo Romano, sed cum sanctis viris, originis nostræ memores, osculum sępe ferre deberemus, nos ipsos ita alloquentes: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sed sunt non pauci, qui etiam hîc inueniãt, quod Aristarcho dignum arbitrentur, similes ijs, qui Homeri versus acephalos, id est, capite, vel cautos diminutos excerpunt, tam multa alia integra pulchráque prætermittentes. *Idem enim faciunt*, ait Plutarchus, *qui de paucis vitæ malis queruntur, dissimulatis tot commoditatibus.* Quod vitæ humanæ vniuersim, id etiam terræ conuenit. Spinas & tribulos quidam tantùm in oculis habent, hinc punguntur. Alij etiam rosas & violas intuentur, & vulnera spinis facta inungunt oleo rosarum. Quanquam & alij errant, qui omnia, in terris, plena existimant floribus esse oportere, &, quidquid calcant, rosam fieri volunt. Tutissimi vtique eunt, qui media incedunt via, & dura mollibus, alta planis, amara dulcibus temperata contemplantur. Nam, & qui spinas tantùm sentiunt, eiulant: &, qui rosas tantùm attingunt, luxuriant. Qui autem in diuinæ veritatis arcana penitiùs intrant, in vtrisque artes Moderatoris, laudésque maximas perspiciunt, canúntque identidem: *misericordia Domini plena est terra:* VERE DICIMVS, IVRATI DICIMVS. Sic laudantium plenus est chorus. Cyrus rex Persarum, teste Xenophonte, *tantum in hominum animis excitare potuit desiderium præstandi ea, quæ essent ipsi grata: vtt omnes ipsius arbitrio regi perpetuò cuperent. Tot nationes, vt ex eo ipso penderent, effecit; quot etiam enumerando percurrere fuerit operosum; quacunque scilicet ex parte à regia quis ordiatur; siue ad ortum, seu occasum, siue ad septentriones, seu meridiem.* Idem desiderium longé-

Marginal notes: I. — Liu. lib. 1. — Gen. 3. 19. — Plutarch. in Moral. — Psalm. 32. 5. — Xenophon. lib. 1. de Cyri Instit.

longéque maius excitat sapientissima Dei bonitas; vnde plurimis
Psal. 112. 3. est *à solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.*

II. Agmen ducat Anna cantatrix, quæ terram, cum fundamentis suis, & à Domino, & Domini esse, præclara illa Oda prædi-
1. Reg. 2. 8. cauit: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Et quanquam hoc præclarum opus artificis est, tamen id quodammodo
Psal. 49. 12. cum homine diuisit. Nam idem, qui dicit, *meus est orbis terræ*, &, *qui*
Psal. 113. 15. *fecit cælum & terram*, etsi vbique est, neque vllo excludi loco potest, tamen terram videtur potiùs fecisse in hominum habitationem. Quocirca mox subjungitur: *Cælum cæli Domino; terram autem dedit filijs hominum.* Illis enim necessaria est, illis data est ad vtilitatem; illis ad amœnitatem. Inde, ex humili statione, in alto venerari debent diuinam maiestatem. Qua de caussâ Ecclesia-
Eccl. 5. 1. stes ait: *Deus in cælo, & tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui.* Qui enim in alto habitat, videt omnia, quæ infra se fiunt; atque ita è cælo exsplendescit, vt ostendat, se neque terris deesse.
Eccl. 5. 8. Quamobrem idem Ecclesiastes ait: *Vniuersæ terræ rex imperat ser-*
Psal. 8. 2. *uienti.* Hinc illæ à rege laudes: *Domine Dominus noster, quàm ad-*
Psal. 47. 5. *mirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Laus tua in fines terræ. Et*
Psal. 56. 6. *in omni terra gloria tua. Iubilate Deo omnis terra.* Ita ad citharam
Psal. 65. 1. parens. Filij eius autem vox est: *Dominus sapientia fundauit terram.*
Prou. 3. 19. Et Isaias: *Laudate cæli, & exulta terra, jubilate montes laudem.* Et
Isa. 49. 13. tres pueri: *Benedicat terra Dominum: laudet, & superexaltet eum in*
Dan. 3. 74. *sæcula. Benedicite montes & colles Domino: laudate & superexaltate eum in secula.* Atque, vt sexcenta talia prætermittam, quanti terram facit Menander, in Nauclero, in hunc modum loquens?

Apud Athen. lib. 4 Dipnosoph. Victor. 5. Var. c. 20.

O charissima terra mater, quàm mortalibus
Mente non captis admodum veneranda es possessio?
Itaq; fundum à patre relictum si quis adeptus
Abligurijt, eum par est ad extremum vsq; vitæ nauigare,
Ac terræ nunquam insistere, vt sentiat,
Cui bono à maioribus accepto non pepercerit.

III. Sed satis fuit hactenus progredi. Vlteriùs progressi ciciderunt, in terram collisi. Stetissent, si terram coluissent, more colonorum: si, inquam, stiuâ eam, non arâ coluissent. Nam tanti, apud eos, Tellus fuit, vt, siderum & cælestis patriæ obliti, eam adorarent.

Terram quidam è vobis, ait Arnobius, *quòd cunctis sufficiat animantibus victum, matrem esse dixerunt magnam. Eandem hanc alij, quòd salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant. Nonnulli autem Vestam, quòd in mundo stet sola, ceteris eius partibus mobilitate in perpetua constitutis. Quod si ratione profertur & asseueratur certa, trina pariter numina, vobis interpretibus, nulla sunt: non Ceres, non Vesta deorum esse computabuntur in fastis; non ipsa denique mater deûm, quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni, dea rectè poterit nuncupari: siquidem vnius terræ hæc sunt omnia nomina, & his sola prædicationibus indicatur.* In terra, & cum terra multa atque præclara beneficia accipimus, sed dator est DEVS, non DEA, quæ nulla est; neque summum illud & sublime bonum in terris est quærendum; quia quidquid terra propinat, caducum est; cuius bonis vti, non frui debemus, qui nati sumus, vt diuinitate fruamur. *Hæc via est, quàm Philosophi quærunt*, ait Lactantius, *sed ideò non inuenerunt, quia in terra potiùs, vbi apparere non potest, quærunt.* Quos sequuntur homines terreni, hoc est, terram cælo præferentes; qui in fluxa hæc inhiant, more bestiarum. Quibus terra scandalum est, dum scabellum esse deberet; aut fulcrum: quo ad cælum scandunt, quicunque hominem carne non metiuntur. Pulchra homini ante oculos posuit DEVS, vt, ijs in victimam oblatis, pulchriora mereretur adipisci. *Qui si delicatus magis ac tener in hac vita fuerit, quàm ratio eius exposcit; si, virtute contempta, desiderijs se carnis addixerit, cadet & premetur in terram*; ait Christianus Cicero. *Sin autem (vt debet) statum suum, quem rectum rectè sortitus est, & promptè constantérque defenderit; si terræ, quam calcare ac vincere debet, non seruierit, vitam merebitur sempiternam.*

Arnob. lib. 3. contr. Gent.

Lactant. li. 6. Instit. cap. 8.

Idem Lactant. de opific. Dei. cap. 20

IV. Hac ipsa de caussa, loco infimo, creata est terra, vt quamuis vtilis, quamuis coloribus picta, quamuis auro argentóque preciosa, tamen, etiam in animo nostro, infimum locum obtineret. In compendio dicam: æstimanda est, non adoranda. Vt æstimetur, multa exhibet emolumenta; plurima tamen etiam metuenda, ne cælo anteferatur: vt adeò, illa ipsa, quæ in ea metuuntur, seruiant ad nostram vtilitatem. Sed, ne Conditori ingrati simus, vel obiter expendamus ea, quæ indidem Sanctos in DEI laudes rapue-

rapuerunt, insuper etiam potentiam magnificentiámque opificis terra laudat, suspensa ingens moles, pilæ instar, in medio aëris, & totius vniuersi. Qui situs etsi est naturalissimus, tamen eo magis parit admirationem, quia tantum terræ pondus sine alis volat, sine branchijs & brachijs natat; nec sursum in aqua, nec deorsum in aura tendit, sed subsistit immobile astrictum sua grauitate; vt centrum decet, circa quod aqua, aër, æther, sidera mouentur; quin & homines, nunquam in vna sede morari sustinentes. Quiescentem in medio liquidorum elementorum terram, & mole sua se sustinentem, quis non miretur? Teste Ruffino, Alexandriæ, in templo Serapidis, quadriga ferrea, nulla basi suffulta, nullis catenis gestata, in libero aëre suspensa, magnum intuentibus stuporem injecit, & diuinum quoddam prodigium vulgò esse putabatur. Cecidit tamen illico, & confractum est totum opus, vbi quidam seruus Dei, ad tollendam diuinitatis idololatricam opinionem, magnetem è fornice sustulit. Plinius tradit, ex solido magnete Dinocratem Architectum, Alexandriæ, Arsinöes templum concamerare inchoasse, vt in eo simulachrum eius è ferro, in aëre, pendulum videretur. Et venerabilis Beda memorat, inter cetera mundi miracula, equum Bellerophontis ferreum, inter duos magnetes, eo artificio fuisse libratum, vt in medio aëre, sine fulcro, pendulus, expansisque alis, quasi volitans videretur. Similia de columba Architæ, deq; Aquila Regiomontani scribuntur, quæ sola vi magnetica fieri potuerunt. Nam quæ de Machometis sepulchro narrantur, fabulosa esse ostendit, in sua peregrinatione Hierosolymitana Illustrissimus Princeps Raziuilus. Multóque magis fabulosa sunt, quæ Thalmud Hebræorum refert de Ieroboam, quem asserit, vitulos aureos magnete, ad hominum deceptionem in aëre suspendisse. Quasi aurum æquè ac ferrum à magnete trahatur. Immo quàm id in ferro difficile, ac penè ἀδύνατον sit, ingeniosis rationibus, ostendit noster Athanasius Kircherus. Ea tamen, quam ipse subjungit, arte, pulcherrimum in aëre volantem Cupidinem, mihi Augustissimus Imperator Ferdinandus III. Ratisponæ, in Comitijs, Anno 1641. monstrauit, oculis & admiratione dignissimum spectaculum, quod etiam maximos Imperij satrapas rapuit. Ita opera manuum hominum magni

S. Basil. lib. 1. Hexaëm.

Ruffin. lib. 2. hist. Eccl. cap. 23.

Plin. lib. 34.

Ven. Beda. lib. 3. de nat. rer. lib. de 7. mundi mirac.

Thalmud. Tract. Sanedrin. c. hegel.

Athanas. Kircher. lib. 2. art. mag. part. 4. probl. 6.

magni facimus. An non pluris is est faciendus, qui *appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere mōtes, & colles in statera?* Isa. 40. 12.
Volat, natat, sine conatu; hæret, sine magnete, ponderosa terra, in medio liquidorum elementorum. Quæ stabilis est, quia fundamentum est; quiescit, quia caderent ædificia, si ipsa moueretur; non cedit loco, quia nihil eò recideret, vnde in altum mitteretur, cùm tamen Scriptura dicat: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.* S. Basil. hom. 1. Hexaëm. Eccli. 27. 28. Lucret. lib. 5.

Ipsæ etiam volucres tranantes aëra leni
Remigio alarum, celeri vertigine terræ
Abreptas gemerent siluas, nidósque tenellæ
Cum sobole.
Sic igitur terræ concreto corpore pondus
Constitit atque omnis mundi quasi limus in imum
Confluxit grauis, & subsedit funditus, vt fæx.
Inde mare, inde aër, inde æther ignifer ipse.

Potuisset terra moueri, & minore fortasse negotio, si non minore commodo; sed maluit sapientissimus Opifex, vt immensa illa cælorum corpora, quotidie circa illam, per immensa spacia, rotarentur: quia *hic elucet*, ait Tycho, *incomprehensibilis Dei opificis imperscrutabilis sapientia, & potestas, qui cæli corporibus tam vastis, omni cogitatione celeriorem motum, eundémque simul, & vniformem, & diuisum, duplicemq; attribuere & voluit, & potuit.* Itaque Gilbertus, & alij, qui terræ vertiginem tribuerunt, fecerunt id, more laborantium vertigine, quibus, quia cerebrum turbatum est, stantia in gyrum verti videntur. Quamobrem etiam Perpendiculorum inconstantia ab Alexandro Calignono, nobili Delphinate excogitata, à Petro Gassendo commentario exornata, à Ioanne Caramuel Lobkovviz examinata, falsa reperta est. Putârat enim, *quouis die perpendiculum sic excurrere à Borea in Austrum, & recurrere ab Austro in Boream, vt ad limitem Austrinum perueniat in ipso meridie, ac in media nocte: Ad Boream verò hora sexta tam matutina, quam vespertina.* Nihil aliud obtinuit iste motus, quàm vt Mathematicos non sineret quiescere, donec & terram, & perpendiculum quiescere deprehendissent. Nimirum *oritur sol, & occidit, terra autem in æternum stat;* nec eam poterit loco mouere vllus Ar- Prodijt Louanij An. 1643. pag. 303 Eccl. 1. 4. 5.

lus Archimedes, quamuis omnes artes, vires, machináſque ſuas impendat.

V. Illud quoque in ſitu terræ, ad hominum vtilitatem neceſſarium, admirationem meretur, quòd, cùm ſua grauitate, infimum locum, ipſique adeò etiam aquæ ſubeſſe expetat, & verò etiam aquis, ab initio, tota fuerit cooperta; tamen, iubente DEO, contra naturæ indolem, extra aquas emerſerit; ita, vt quodammodo ſuper aquas fundata, firmatáque eſſe, ac dici poſſe videatur. Quo reſpiciens Propheta, de orbe terrarum ait: *ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit.* & alio loco: *Qui firmauit terram ſuper aquas.* Quod non rectè quidam voluit valida ventorum immiſſione factum, vt contigit in aquis diluuij deſiccandis, quando Dominus, *adduxit ſpiritum* (id eſt, ventum ſiccum, vt exponit Lyranus) *ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ;* & quando via, per mare, tranſituris Iſraëlitis exſiccata eſt. Ingens fuiſſet miraculum, vno die, à vento tantam vim aquarum exſiccari, miraculum autem, ſine magna neceſſitate, ponendum non eſt, vt quidam ratiocinantur. Quæ tamen ratio me tantopere non moueret, quia etiam, *cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente,* TOTA NOCTE, *& vertit in ſiccum: diuiſáq; eſt aqua.* Si ibi vna nocte id fieri potuit, cur nõ etiam vno die hîc? quantumuis tertio die, diſcoopertæ ſint plagæ terrarum. Illud maius apud me pondus habet, quòd, tertio die, non dixerit DEVS, exſiccentur, ſed, *congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: & appareat arida. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationéſque aquarum appellauit maria.* Collectæ ergo ſunt aquæ, non diſſipatæ in aërem. Quæ collectio etiam non facta eſt condenſatione, qua aquæ aliquid quidem loci relinquunt; non tamen propriè congregantur. Quanquam credibilior hic eſt modus, quàm prior. Poterant enim priùs aquæ fuiſſe ſubtiliores, quales nunc ſunt pluuiales; aut etiam his tenuiores, nempe qualis eſt vapor, aut nebula caliginoſa; cùm ipſa diuina ſapientia dicat: *Et ſicut nebula texi omnem terram,* & apud Iob, *cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud, quaſi pannis infantiæ, obuoluerem.* Talis ergo vel vapor, vel aqua, ſi totam terram operuit, vtique poſtea minorem locum occupauit craſſata in ſalſum mare, ac ſpiſſum hu-

Pſal. 23. 2. Pſal. 135. 6. Gen. 8. 1. Exod. 14. 21. Gen. 1. 9. Eccli. 24. 7. Iob. 38. 9.

ſum humorem. Quæ ſententia, ſi de nebula & nube intelligatur, cogitandum eſt, terram initio factam fuiſſe,

Non alia longè ratione, ac ſæpe videmus, Lucret. lib. 5
Aurea cùm primùm gemmantes rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina ſolis,
Exhalántque lacus nebulam, fluuiique perennes:
Ipſa quoque interdum tellus fumare videtur.
Omnia quæ ſurſum cùm conciliantur in alto,
Corpore concreto ſubtexunt nubila cælum,

VI. Verùm hæc opinio abit à ventorum proprietate. Etſi enim vapor, & nebula, vt nubes reipſa ſint aquæ, ob tenuitatem tamen ſuam, non ſolent aquæ nomine vocari. Quando ergo dictum eſt: *Congregentur aquæ*, eiuſmodi aquæ congregatæ ſunt, vt earum congregationes, non vapores, non nebulæ, non nubes, ſed *maria* appellarentur. His aquis priùs non nebula vera, ſed velut nebula aut nube circumfuſa, terra tegebatur. Quare, vt mundi Machinator terram aquis liberatam, hominibus ad habitandum præpararet, terram, quæ ſub aquis circumquaque æqualis erat, omnipotenti virtute ſua reddidit inæqualem, eiúſque & exteriorem figuram immutauit, & viſcera grandibus lacunis interrupit. Itaque (Gen. 1. 9.)

Sidebant campi, creſcebant montibus altis Lucret. loc. cit.
Aſcenſus: neque enim poterant ſubſidere ſaxa,
Nec pariter tantundem omnes ſuccumbere partes.

Seu, vt ſacer vates pſallit: *Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.* Quemadmodum ergo, ante tertium creationis diem, terra erat adobruta aquis, & *abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſtabant aquæ* (adeò multæ atque altæ erant) ita *ab increpatione tua fugient* (aquæ) ait idem vates, *à voce tonitrui tui formidabunt.* Vox tonitrui, hoc eſt, potentiſſima erat: *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in vnum locum, & appareat arida.* Hac voce dirupta eſt terra, & immenſas quaſdam effecit, tum intra, tum extra ſe, cauitates, aggeréſque, jecit; vt & moles eſſent fluctibus oppoſitæ, & foſſæ, ac profundiores aluei, in quibus aquæ priùs, per omnem terræ ſuperficiem vndiq; æqualiter diffuſæ, tanquam in vaſis ampliſſimis, reciperentur; altioréſque terræ montes, cumulos, & campos denudatos relinquerent. (Pſal. 103. 6.)

rent. Illæ enim, quasi præ formidine, in fugam versæ, statim in locum sibi à Numine paratum confluxerunt; vnde sine eius nutu non excurrunt. Qua de caussa ibidem dicit Propheta: *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.*

Psal. 103. 9.

Idem Lucret. ibid.

His igitur rebus retractis, terra repentè,
Maxima quà nunc se Ponti plaga cærula tendit,
Succidit, & salso suffudit gurgite fossas.

VII. Non enim illis subscribendum arbitror, qui censuerunt, aquas, vt terram detegerent, minúsque extenderentur, ad Conditoris vocem ac mandatum, ita refugisse, vt in celsissimam altitudinem intumescerent; adeò, vt etiam nunc terram altitudine excedant. Siquidem omnia flumina, tandem intrant in mare; quæ cùm per inferiores terræ partes semper ad ima decurrant, necesse est, mare non modò non celsius, sed terrâ longe depressius humiliusque esse. Aiunt quidem diuinæ litteræ, Deum posuisse legem, terminos, & præcepta aquis, & vectes, ac ostia, ne transirent fines suos. His tamen testimonijs non conficitur, aquas, postquam non ampliùs efficiunt propriam sphæram terræ proximam ac superextensam, nunc adeò super altitudinem terræ elatas esse, vt, nisi diuina vi coërcerentur, facilè, & suapte natura, erumperent, totámque denuo cooperirent. Licet enim naturales inclinationes creaturis ratione, immò & sensu carentibus à Deo inditę, in diuinis libris subinde *leges* (non essentialiter, sed participatiuè quodammodo) vocentur, non est tamen credibile, tales leges naturalibus rerum inclinationibus perpetuò aduersantes, fuisse datas. Alioqui mare, contra propriam naturam & inclinationem, perpetuo miraculo eleuatum deberet contineri, ne ad inferiorem locum, sua grauitate efflueret. Quod in concauis terræ finibus collocatum non facit. Ascenderet, si exiret.

Ecclef. 1. 7.

Prou. 8. 29. Ierem. 5. 22. Iob. 38. 8.

Ita S. Thom. 1.2. q.90. a.1. ad 2.

VIII. Secta igitur in varios sinus est terra, & aquæ ipsæ diuisæ sunt, in lacus, amnes, fluuios, & maria; tametsi congregatæ dicantur *in vnum locum;* in specie, non numero vnum scilicet; seu in vnius generis locum, quod idem est, ac si dictum esset, congregentur aquæ in loca terræ humiliora. Ita cùm nos locum intelligere cogunt, multa maria, in diuersis terræ tractibus separata:

quæ

quæ quidem omnia ferè cum Oceano conjuncta quodammodo videntur; attamen mare Caspium vndique est conclusum; & in Palæstina, circa regionem Sodomorum & Gomorrhæorum, mare quoque illud, in quod sese infundit Iordanes, quod Scriptura *salsissimum* appellat, ab Oceano prorsus est diuisum. Sicut & stagna, & lacus plurimi, cum Oceano non conjunguntur, nisi fortè per occultos subterraneósque terrarum meatus, per quos aquæ maris iterum ad fontes, *& ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur.* Quam ob caussam, in Genesi, non dicitur, *congregationem*, sed *congregationes aquarum appellauit maria:* & *maria*, *non mare*, multa eiusdem generis loca receptaculáque aquarum nominauit, vt eruditè annotauit Torniellus. Eccles. J. 7. Augustin. Torniell. Mundi die 3.

IX. Ex his de situ, quiete, ac diuisione, diuulsioneque terræ disputatis, quæ necessaria sunt, ad hominum in ea habitationem, etiam pulchritudo illius enitescit, quam illi conciliat rotunditas, varietas, fæcunditas. Figura enim terræ est rotunda, hoc est, vt perfectissima, ita & elegantissima, quam projectâ in Lunam vmbrâ eclipses ostendunt; & testantur, qui ex Hispanijs, occasum versus, soluentes, immensis itineribus, ad incognitas mundi partes, cursum solis, imitati, per hemisphærium huic nostro suppositum, semper recurua via, nauigauerunt. Illi enim, per Orientales insulas, tandem, toto terrarum orbe emenso, trium annorum spatio, ad idem Hispaniæ littus, vnde exierant, redierunt. Quia verò non est alia aquæ, alia terræ sphæra, vt tamen contendit Paulus Burgensis, sed vnus efficitur ex vtroque elemento globus, in quo terra aquis longè est maior, & cuius centrum est idem cum centro vniuersi; idcirco mira quædam vel ex ipsis aquarum ductibus, & tractibus terrarũ varietas existit. Fluuij enim veluti quædam venæ campos intersecant, & riui gratissimo aspectu prata distinguunt; nihilque est aspectu jucundius, quàm, ex alta arce, aut monte, tanquã fimbriata peristromata, regiones subpatentes fluminibus discriminatas intueri. Quod vel in exiguis his Mathematicorum globis agnoscere possumus, in quibus illi Europam, Asiam, Africam, Indiam, & totum hunc terrarum orbem, cum lacubus, amnibus, & ipso Oceano delineatum depictúmque curiosorum oculis consueuerunt repræsentare. Paul. Burg. super c. 1. Genes. addit. 1.

X. Sed longè inferior eſt imago veritate. Si quis te currus igneus cum Elia, aut bonus genius cum Habacuc in ſublime, ſupra terras, attolleret, vnde oculis tuis totæ ſeſe ſubijcerent nationes, longè jucundiora videres, quàm tibi proponit in tabula penicillus. Quanta inde tibi varietas, amœnitas, latitudo appareret? Hinc camporum in infinitum patentium fuſa planities. Hinc montium magnis & niualibus ſurgentium jugis erecti in ſublime vertices. Inde dejectus fluminum, & ex vno fonte in orientem, occidentemque defuſi amnes: vel ſummis cacuminibus nemora nutantia. Aliunde varij vrbium ſitus, & ſecluſæ nationes locorum difficultate. Quarum aliæ ſe in erectos ſubtrahunt montes; aliæ ripis, lacu, vallibus, palude circumfunduntur. Nec non adjuta cultu ſeges; & arbuſta ſine cultore fertilia; & riuorum lenis, intra prata, & amœniſſimus diſcurſus; & littora in portum recedentia; ſparſæque tot per vaſtum inſulæ; quæ interuentu ſuo, velut gemmæ, maria diſtinguunt. Nec ipſa te formidabilis alioqui aquarum immenſitas non oblectaret. Ex alto tibi oſtenderetur vinculum terrarum Oceanus, continuatio gentium, triplici ſinu refulgens, & ingenti licentia exæſtuans; medióque rurſus in mari nitentes ignium faces nocturno tempore: interdiu autem, quietis, & ſine vento fluctuantibus aquis, immani, & fidem excedenti magnitudine terrentia animalia, aut animalibus ſimilia ſimulachra: quædam grauia, & alieno ſe magiſterio mouentia; quædam velocia, concitatis perniciora remigijs; quædam haurientia vndas, & magno præternauigantium periculo, totos fiſtulis fluuios efflantia. Aqua enim ſpiritu acta, quaſi per diabeten, ſiphonum modo, emicat. Aſpiceres indidem nauigia, quas non nouêre, terras quærentia. Aſpiceres nihil humanæ audaciæ intentatum. Spectares vtrumque Oceani littus; & mare tanquam hoſpitium fluuiorum, fontem imbrium, deriuationem alluuionum, inuectionem commeatuum; cingulum terræ, quo ſibi diſtantes populi copulantur; limitem hoſtium, quo præliorum remouentur pericula; liquidum murum, quo barbaricus furor clauditur; ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis; gratiam in voluptatibus; ſalubritatem valetudinis; ſeparatorum conjunctionem; itineris compendium; transfugium laborantium; ſubſidium

sidium vectigalium; sterilitatis compensationem; deniq; etiam formidinem audacissimorum; laboris officinam; sedem tempestatum; patriam naufragiorum, theatrum tragœdiarum. Quorum spectaculorum tristitiâ ipsâ lætareris. Siquidem

Suaue, mari magno, turbantibus æquora ventis, Lucret. lib 1.
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quenquam est jucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.

XI. Ad hunc modum quidam terras, aquis discriminatas, sunt cum voluptate, contemplati, & verò etiam accensi ad amandum terræ marísque Conditorem. *Terræ situm considera*, inquit Theodoretus, *& multiformem eius speciem. Nec enim omnia vel supina, vel plana, aut etiam ardua sunt, sed in montes, siluas & campos tota terra diuisa est. Videas enim, in patentißimis campis, colles in altum surgere; inter montes autem medios, loca prona & plana maris sinus forma sua referre. Sed & ipsos montes, in hominum vsus & vtilitatem rerum, Conditor distribuit: quos dum vallium præcipitijs discreuit, hibernis & niualibus aquis meatus struxit, vel alueos; tum hominibus quoque, in iniquis & asperis locis, faciles viarum semitas extendit. Præterea montes quidem fabrorum arti materiam exhibent, campi verò montium cultoribus frumenti copiam & vsum retribuunt. Sed & situs ille varius non alit modo, verùm etiam intuentium oculos, mirificè delectat. Quæ enim vnam & eandem formam habent, mox satietatem sui pariunt. Dic ergo mihi, quisnam sit, qui hæc tam pulchrè disposuit? qui tantis facultatibus hæc instruxit, vt tot annorum euolutiones thesaurum hunc non potuerint consumere? quis item ille sit, qui ea, quæ in rerum natura fiunt, firma & immota conseruat?* Theodoret. serm. 1. de prouid.

XII. Amœnitatem hanc terræ multò facit amœniorem eius fertilitas & frugifera beneficentia. Nam quia pecora nobis, pecoribus gramina seruiunt, natura eam herbescente viriditate elegantissimè vestit; virorémque istum mira florum, pomorum, cerasorum, aliorúmque fructuum varietate aspergit, vt velùti Phrygio opere distincta, aut picturato peristromate decorata videatur. Sic nihil nobis in terra deest, dum illa liberaliter venusta, & pariter venustè est liberalis: *vt huic vni rerum naturæ partium propter eximia* Plin. lib. 2. cap. 63.

eximia merita cognomen indiderimus maternæ venerationis, Plinio teste. Omnia ad hanc concurrunt fertilitatem. Nam & aquæ, quæ pisces mortalibus suppeditant, terram reddunt irrigatione fæcundam: & diuitias, ornatumque maximum largiuntur. Vnde enim lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapidorum cursum torrentium aurum arenas interfluens, nisi ex aquis? vt, in Tago, Pactolo, Hermo, hodieque Indiæ nouæ fluentis, atque ora Piscaria, reperire est. Ibi etiã conchæ, quę margaritas pariunt, & purpuram fundunt: ibi vniones & lapilli totis censibus & patrimonijs æstimati. Nec ibi tantùm opes, sed in ipsis terræ visceribus, intra asperas rupes & saxa, ferrum, æs, argentum, aurum, & omnis generis metalla, mineraliáque gignuntur. Vnde meritò ille ait:

Iob. 28. 1. *Habet argentum venarum suarum principia: & auro locus est, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur: & lapis solutus calore in æs vertitur.* In siluis quoque non auium duntaxat concentus, dissonus aures mulcet, sed lepusculorum, ceruorum, aprorum, aliorumq; animalium incredibilis varietas juxta, & copia hominibus alendis & oblectandis est à DEO collocata. Atque vt nomine ab vno terra omnis discatur, apponam, quæ Xenophon de terra Attica pronunciauit, cuius regionis scribit, talem esse naturam, *quæ maximam prouentuum vim suppeditare possit. Anni tempora*, ait, *hic admodum esse mitia; fructus ipsi, qui proueniunt, testantur, Etenim quæ alibi ne pullulare quidem possent, hìc fructus suos proferunt. Atq; vt solum ipsum, ita etiam mare, quod regionem ambit, omnium rerum feracissimum est. Quia etiam, quæcunque bona dij, singulis anni temporibus suppeditant, ea bona hìc & tempestiuè admodum incipiunt, & tardissimè deficiunt. Neq; tantùm potior est ijs, quæ in annos singulos & florent, & senescunt: sed habet & hæc regio perpetua quædam bona. Nam saxi natiui perennis est, in ea, copia, de quo fana pulcherrima, pulcherrimæ aræ, signa deorum maximè decora fiunt: quod quidem saxum complures & Græci, & Barbari desiderant. Præterea solum quoddam est, quod aratum non ferret fructum: at si fodiatur, multò plures alit, quàm si frumenti ferax esset. Etenim diuino quodam munere haud dubiè, sub eo est argentum.*

Xenophon. lib. de ratio. nib. redituũ.

XIII. Atticam atque Athenas suas ita laudauit Xenophon. Nimis contracta laus est, quæ in vnum mundi angulum compingitur:

tur:

tur: *in vniuersa terra, admirabile est nomen* Domini. Etsi enim *non omnis fert omnia tellus*, & partim ob varietatem, partim ob humanam inducendam, ex mercium permutatione, societatem, alia alibi nascuntur; tamen vbique aliquid crescit, quod prosit, immo & quod pulchrum sit. Hinc iure, vt litteratus ille Iudæus scripsit, *Mater terra esse videtur. Quapropter & priscis illis placuit, vt vocaretur* δημήτηρ, *composito è matre & terra nomine. Non enim terra mulierem (vt dixit Plato) sed mulier terram imitatur: quam verè Poëtica gens omniparentem, frugiferam, Pandorámque nominare solita est: quippe caussam generationis & perpetuitatis tam stirpium, quàm animalium. Meritò igitur terra quoque antiquissima matrum, & fœcundissima natura, tanquam mammas dedit amnium fluenta fontiúmq;, vt stirpes rigentur, & omnia animalia potum copiosum habeant.* Itaque aqua pro lacte est, & plantas educat terræ permista. Quæ tamen ipsa etiam è terris reducta locum plantis dedit, cùm mundus crearetur. Quàm primùm enim, ad Dei mandatum, aqua recessit, terrámque retexit, illico omnis generis plantæ emerserunt; non quidem vi naturali seminis, in ea, sati, neque per incrementa eas ad perfectionem ducens, vt nunc fit; sed tanta erat virtus diuini verbi, vt extemplo, omnia herbarum arborúmque genera, perfectissimo statu enitentia apparerent. Vnum momentum erat, quo frondes, fructus, semina, & quidquid plantarum indoles exigit, omnia maturuerunt. Quod illa sacri textus verba indicant. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignúmque faciens fructum; & habens vnumquodq; sementem, secundùm speciem suam.* Tunc enim demum, quæ vtcunque viuunt, perfecta esse censentur, teste Philosopho, quando sibi simile possunt generare. Qui modus idcirco necessarius fuit, vt illico hominibus, ceterísque animalibus mox creandis esca posset suppeditari. Vtrum autem eadem, in omni loco, terræ fuerit facies, alia quæstio est. Potuit enim alibi, pro alia anni constitutione, vel vernare, vel hyemare solum; potuerunt arbores sine folijs, floribus, fructibúsue produci; potuerunt plantæ non actu, sed potentia atque in suis duntaxat caussis procreari, vt postea, congruis temporibus, crescerent, & ad perfectionem suam, vi naturali, peruenirent. Haud enim affirmat scriptura, omnes, vbiq; terrarum

Psal. 8. 2.

Phil. in Cosmopoeia.

Gen. 1. 12.

Arist. lib. 4. Meteor.

rarum plantas, vno atque eodem tempore, adultas esse iussas; sed vtique in locis, ad quæque gignenda idoneis. Discrimina porrò & varietates plantarum, quæ penè sunt innumerabiles, viréſque ita sunt multæ, vt numerum, & peritissimos etiam ac istarum rerum curiosissimos fugiant. Axioma est Cabalisticum: *Non est herba inferiùs, quæ non habeat stellam suã superiùs, quæ dicat ei,* CRESCE. Nimirum adeò inscrutabilis est DEI Creatoris, in vnoquoque rerum genere virtus, potentia, sapientia, & humani ingenij infirmitas, vt principes Philosophorum ignorantiam suam fateri coacti dixerint: *Maximam partem eorum, quæ scimus, minimam esse eorum, quæ ignoramus.* Hæc Sancti considerantes, in illas laudes effusi sunt:
Ps. 64. 10. *Visitasti terram, & inebriasti eam. Terra dedit fructum*
Ps. 66. 7. *suum. Omnis terra adoret te, Deus,* sed præcipuè præcipua, hoc est,
Psal. 65. 4. Paradisus, prima hominis sedes; cuius præstantia non est hîc à nobis prætereunda; vt agnoscamus, in quàm præclara parentes nostros, eorúmque, si in innocentia perstitissent, successores voluerit DEVS habitare terra.

CAPVT XII.

Paradisi terrestris præstantia & voluptas.

I. Olaus Magn. lib. 11.

REfert Olaus Magnus, apud Austrogothos, non longè à lacu Veneris, montem esse eminentissimum, vulgari gentis sermone *Kindaculle* dictum, tantæ altitudinis, vt à nauigantibus, vltra XL. milliaria Italica, in eodem lacu, quasi atra nubes, inter cæli hiatus, appareat. Ideoque multi tempestatibus, viq́ue ventorum agitati, summis viribus conantur eius pedem attingere, vbi tranquillissimum portum esse meminerunt. In illius montis summitate, mira amœnitas frondium, varietas herbarum, suauitas fructuum, copia diuersarum arborum, sua sponte nascentium, non varietate magis, quàm dulcedine, velut satarum, reperitur. Accedit auium concentus, quæ mellitissimos cantus fundunt, & totum montem exhilarant. Tota cæteroqui regio vndique aspera, hanc habet arcem amœnissimæ jucunditatis. Quantum hic mons, & Tempe illius eminent, apud Austrogothos; tantum eminet, supra omnes alias mundi terras, Paradisus voluptatis, hortus deliciarum, cum quo nulli Hesperidum, aut

aut Phœacum, aut Adonidis horti, nulli Elysij campi, nullæ insulæ Fortunatæ possunt comparari; quem DEVS eodem, quo cæteras plantas, tertio die, arboribus pulcherrimè consitum, suauissimorum fructuum vbertate refertissimum; florum coloribus pictissimum; irrigatione limpidissimæ aquæ amœnissimum, peculiari cura, concinnauit; non prope Lunæ globum, vt quidam, cum Endymione, somniârunt; sed in orientali orbis plaga, vt ex Interpretum 70. textu colligitur, qui ita locum illum Gen. 2. legunt: *Et plantauit Deus Paradisum in Eden, ad Orientem.* Regio enim Eden, ad Orientem, respectu Palęstinæ, sita fuit. Vox autem *Eden* etsi sæpe, in sacris libris, pro nomine proprio loci, seu regionis, sic dictæ ponitur, & verò hîc quoq; poni credibile est; tamen phrasi Hebraica, *delicias* significat, & nonnunquam absolutè, pro *loco voluptatis* vsurpatur: siue vox illa, ex origine sua, delitias significet; siue idcircò *Eden* cœperit pro voluptate & delicijs vsurpari, quia olim fuerit nomen loci deliciosi. Qui, probabili opinione, fuit, vbi nunc est Mesopotamia, aut non procul ab ea, cùm illæ regiones propriè, in sacra Scriptura, Orientales nominentur. Hoc ergo lætissimo loco, hæredium, hoc pomarium, &, velut suburbanus Adami secessus fuit, Adamo de tota supellectili sua cognitissimus. Cuius cognitionis testis est ipse, qui animantia *adduxit ad Adam, vt videret, quid vocaret ea*, naturis eorum congruenter. Gen. 4. 16. Ezech. 27. 23. lib. 4. Reg. 19. 12.

II. Est autem vetus quæstio, priúsne nomina suas habuerint proprias significationes, vt proinde imposita sint rebus, prout ipsarum naturis aptiùs congruere videbantur, vt Platonici voluerunt; an potiùs nomina, indifferenter, & ad placitum, rebus fuerint indita (vt Peripatetici docuerunt, & in diuisione linguarum videtur accidisse) postea autem à rerum naturis suas acceperint etymologias. Platonicis fauere videtur sacra historia, quæ innuit, nomina rebus, ab Adamo, fuisse velut consultò imposita: qui cùm, pro sapientia sibi diuinitus infusa, rerum naturas, & singularum vocum significationes optimè dignosceret, conuenientia singulis nomina accommodauit. Quod satis clarè colligitur ex illis: *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret* Gen. 2. 19.

ea, omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ. Quippe ni & plantas, & lapides, & metalla, & ipſa quoque ſidera? ſolem & lunam? quamuis vtique eis ſuperſtitioſa Deorum & fabularum nomina non dederit: cùm monſtra illa tunc nondum ex Orco in terras emerſerint; neque, ſi emerſiſſent, eorum vocabulis aſtra fuiſſet homo ſapientiſſimus, & adhuc innocentiſſimus, maculaturus: immò cùm nomina & vocamina rerum omnium, ſaltem in radicibus ſuis, à Deo, cum ſermocinandi facultate accepta, vtique contra Dei honorem, creaturis non eſſet impoſiturus.

III. Ex hac porrò nominum impoſitione docetur, quàm gnarus fuerit Adamus omnium naturarum, quarum nomenclatura ex cognitione pendet nominantis. Eam autem cognitionem diuinitus inditam, ac poſtea etiam oculis, atque ceterorum ſenſuum experientiâ confirmatam, quantæ oblectationis cauſſam non arbitremur extitiſſe? Philoni in voluptate fuit terra, quæ *irrigata vel fluminum reſtagnationibus, ſicut Ægyptus; vel annuis imbribus, exhauſtas feracitate vires reficit, & quiete modica ſe refouet, moxq́; , vt antè, alimenta largiter animantibus ſuppeditat. Quapropter, opinor, Poëtis non temerè Pandoram vocari, quaſi πάντα δωρουμένην, id eſt, omnia largientem, vel jucunda, vel neceſſaria; non his aut illis, ſed omnibus, quæcunque ſortita ſunt animam. Certè ſi cui daretur adulto verè pinnas aláſque ſumere, & è ſublimi campos colléſque inſpicere: quomodo illi herbas ferant & pabulum, hordeum & triticum, aliáſq́; ſpecies varias; vel ſatas agricolarum induſtria; vel ſua ſponte prouenientes: hi verò folia frondéſque, quibus denſent arbores, ſimúlque fructuum copiam, quibus non ſolùm arcetur inedia, ſed & laſſitudini ſuccurritur, (nam oleæ fructus medetur defatigatis corporibus; vinum modicè potum remittit vehementes dolores animi) præterea ſuaues auras exhalantes è floribus, eorúmque colores ineffabiles arte diuina picturatorum: moxq́; deflexis oculis ad arbores infrugiferas, contemplari ſeorſim ſilueſtres populos, cedros, piceas abietes, quercuum robora proceriſſima, ceteráſq́; id genus materies, quæ tum montes maximos, tum pleroſq́; pingues agros, radicibus eorum ſubjectos opacant: agnoſceret indefeſſum terræ ſemper juueneſcentis vigorem.*

Philo lib. An. Mund. ſit corruptib.

Potuit

Potuit Adamus è quatuor elementis, & (à prædominio) è terra limóque formatus, quàm primùm *factus est in animam viuentem*, (hoc est, *animal viuens*, & videns) longè omnia maiore cum voluptate tueri. Vt primùm enim spirare, atque è pigra gleba animatus ambulare cœpit, velut peregrinus aliquis hospes in nunquam visam vrbem intrans, oculos vbique circumtulit, per hoc nouum, & inusitatæ elegantiæ theatrum; sedemque hinc Angelis, inde hominibus, immo vtrinque vtrisque olim communem aspexit; deorsum virentem, sursum splendentem, & indefatigata cælestium orbium officia voluentem; nusquam non certis æternísque legibus deuinctam miratus. Ac initio quidem, naturę corporísque sui vtique fabricam secutus, vultum, ad cælestes orbes, placuit attollere, vt oculis quoque rationem caperet eorum, quæ iam lucida mēte comprehendebat. Ibi ergo in octaua sphæra, suspexit velut innumerabiles stellas, quibus sapientissimus Artifex mixtim, & tanquam sine ordine, non tamen sine consilio, & summa arte, prouidentiáque cælum vndique, & vndique, jucundissima confusione, conspersit. Ibi vidit nocturnam Lunæ successionem, à fraternis occursionibus lene remissumque lumen mutuantem; & modò occultam ab hominibus amittendam agnouit, modò toto ore terris imminentem oculis rursus accipiendam, vidit; accessionibus damnísque mutabilem, semperque proximę dissimilem futuram. Ibi obseruauit & reliqua quinque sidera ex indole sua, diuersis vijs, cælísque vagantia, & in contrarium præcipiti mundo nitentia, proprióque motu, quasi per chorum, nunc horsum, nunc illorsum tendentia, circulúmque suum completura, redituráque, per gyros, ad pristinam stationem. Nec cælestium luminum multitudinem tantùm miratus est, sed etiam varietatem, situm, dispositionem, figurámque, ad arbitrium Astrologorum, mente fabricandas. Ibi deprehendit Lunam, & apparentiores fulgores è minoribus ignibus commendari; ibi cum lætitia laudauit, minimæ magnitudinis stellas, quas vidit velut aurea quædam puncta, in cæruleo conopæo, pulcherrimè interlucere. Horum omnium siderum lucem, ex arte diuina, sensit non esse meridiani solis claritudini parem, sed leniter illustrantem: cùm ita splendor ad suauitatem temperatus, contemplantium obtuti-

obtutibus non officeret; & neque cursum astrorum olim obseruaturos, neque nauigationum mensuram inde petituros, esset fulgor nimis ardens perstricturus; stellæque singulæ virtutes suas, vel motu, vel luce, sine nocturnæ refrigerationis detrimento, possent commodiùs propagare. Laudauit tunc vtiq; Adam mundi Conditorem, cùm & posteri eius, eodem aspectu incensi, in diuinas laudes fuerint effusi. Suspexit ad astra Dauid, & canere cœpit:

Psal. 148, 1. *Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius*, qui scilicet cælestium orbium motibus præestis: *Laudate eum omnes virtutes eius;* quæ de stellis in terram descenditis, quæque plantas producitis, quarum vi maxima ac minima formantur; & ipsum adeò aurum intra celsissimos montes, gemmæ in profundissimis vndis excoquuntur. Assonant tres pueri, &

Dan. 3. jucundissimo, inter incendia, tricinio acclamant: *Benedicite stellæ*

S. Ambros. l. 4. Hexaëm. c. 2. p. 2. *Domino*. D. autem Ambrosius omnes jubet in cælum suspicere, & contueri, *quo modo per Lunæ, ac stellarum fulgorem cælum velut quibusdam floribus coronatum, ita ignitis luminaribus micet, vt Paradisū putes vernante depictum, spirantium rosarum viuis monilibus renitere. Vnde & à plerisque ornamentum cæli est nuncupatum, eò quòd sit stellarum monile pretiosum.* Seneca Ethnicus homo, *ipse mundus*, ait, *quoties per noctem ignes suos fudit, & tantum stellarum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se tenet?* Tenuit igitur vtique & primum omnium parentem, ac sine corruptionis adhuc caligine sapientem.

Senec. lib. 4. de benef. cap. 23.

V.

Sed nihil est magis tunc admiratus, quàm, quod erat in mundo clarissimum, ipsum scilicet roseum solem, qui est, vt ait S. Pater, *oculus mundi, jucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ; &* vt ait Poëta: *sereni maximum mundi decus;* qui omnia virtute implet, terras die illustrat, homines & pecudes pulchritudine recreat; *cæli spirabile lumen;* cor vniuersi; vita colorum; in cuius globum lux omnis est collecta; à quo ceu fonte fulgor omnis in lunam & stellas longè latéque dimanat. Qui *certis dimensum partibus orbem per duodena regit*, nitidus, citus, *aureus astra:* qui quotidiano cursu diei noctisque spatia signat; qui annum in æstatem hyemémque, in ver & autumnum diuidit. Motu enim diurno quidem (qui est primi mobilis) in circulos raptus,

S. Ambros. lib. cit. c. 1. Senec in Hipol. Virgil. 4. Georg.

ortu suo occasúque, diem & noctem distinguit; eo autem motu, qui ei per circulum Zodiaci, proprius est, annum terminat; eundémque duobus solstitijs, & totidem æquinoctijs, in quatuor partes, vernam, æstiuam, autumnalem, & hibernam secat; dierúmque, per suas vices, incrementa & decrementa efficit; Luna quoq; interim cursu suo, menses à mensibus secernente.

Sic vigiles, mundi magnum & versatile templum, Lucret. lib. 5. de rer. nat.
Sol & Luna, suo lustrantes lumine circùm,
Perdocuêre homines annorum tempora verti,
Et certâ ratione geri rem, atque ordine certo.

Hæc in mundum veniens primus noster genitor & oculis, & animo suspexit. Atque, vt vno verbo dicam, quidquid Chaldæi, quidquid Ægyptij, quidquid Brachmanes, quidquid Astronomi, quidquid Philosophi omnes; post Adamum, à primis mundi incunabulis, vsque in hanc præsentem horam, per tot mille annorum spatia; siue dioptris, siue radijs Mathematicis, siue longissimis tubis opticis, siue grandissimis quadrantibus, siue quibuscunque accuratissimè & faberrimè factis instrumentis; diurno nocturnóque labore, indesideſtudio, pertinaci vigilantia; vel in cælorum motibus, vel in aspectibus astrorum, vel in corniculata Veneris stella, vel in Iouis stipatoribus, vel in Lunæ lucidis interuallis, vel in maculis Solis, vel in effectibus, aut defectibus omnium siderum, obseruare, adinuenire, tam multis, tamque longis & laboratis libris comprehendere, & posteritati tradere potuerunt, poterúntque, vsque ad finem mundi, id omne, & multo plura certioráque, Adamus, scientia non ab Archimede, aut Euclide, aut in scholis hausta, sed diuinitus donata, vidit, perspexit, prædicauit; & vtique (vt diu postea D. Gregorius Nazianzenus) dixit: *Quibus verbis vtendum sit, nescio, cùm solem intueor.* S. Gregor. Naz. orat. 34.

VI.

Tale nascenti Adamo spectaculum sidera exhibuerunt. Qui neque, cùm nondum rerum supernarum aspectu satiatos in terram deiecisset oculos, in aliquid triste incurrit. Excepit enim illum rursus alia creaturarum forma, aliterque mirabilis, vt diceret: *Lætentur cæli, & exultet terra.* Nam cognitissimum illi erat, Psal. 95. Fr. Ferrar. 3. cōtr. gent. cap. 84. plantarum, aliarúmque rerum, sub Luna, existentium generationem conseruationémque à cæli siderúmque influxu dependere,

& Alex. de Angelis. 1. contr. Astrol. c.5. post Plin lib. 2. cap. 39

nec absque eorum lumine, occultisque virtutibus naturaliter produci posse; sciebat tamen, mira Numinis prouidentia factum esse, vt, in productione mundi, cæli luminaria, non ante, sed post plantas primùm conderentur; sic enim nobis constat, DEVM esse verè primarium, & omnipotentem omnium rerum authorem & conseruatorem; qui, sine vllo etiam caussarum secundarum adminiculo, solus possit, si ei placeat, omnia ex nihilo educere, neq; à naturalibus caussis concursum debeat exigere: cùm manus DEI (vtique potentior, quàm opera manuum DEI) quæ postea per caussas secundas erat factura, priùs iam fecerit sine illis. Quoniam autem opera immediatè à DEO facta, longè solent esse naturæ operibus perfectiora; consequens est, tunc terræ faciem multò fuisse pulchriorem, quàm nunc est, præsertim ibi, vbi, tertio mundi die, hortum pulcherrimis arboribus insignem Vniuersi Machinator condidit, non fodiendo, non terram colendo, non conserendo, sed verbo & sermone solo: *dixit, & facta sunt.* Cuius imperio, omnis generis, inibi, proueniebant plantæ suauiter redolentes, vmbriferæ, virescentes, aut alijs coloribus variegatæ. Tunc enim primùm, suis terra ornamentis est condecorata splendidiùs, quàm puella tenera, primúmque viro desponsa, quæ auro & vnionibus veste intertexta fulget. Vt enim, in regum viridarijs, areolę floribus consitæ, ita in paradiso vbique pulchrè omnia nituerunt: & huc quidem ingenui coloris purpurâ inuitabant Adamum, illuc diffusi odoris illecebrâ trahebant; alibi aspectum simul atque odoratum ambiguo certamine lacessebant. Renidebant venustæ rosæ diuersorum colorum: nimirum aliæ flauescentes, aliæ puniceantes, aliæ ostro accensæ conspiciebantur, aliæ subalbi coloris. Nec niuea deerant lilia, aut cæruleæ irides, nec anagallides, nec *suaue rubens hyacinthus*, nec narcissi purpura; nec quidquã eorum omnium, quæ vel primo vere proueniunt, vel adultiore æstate germinant. Flos est (violam vocant) inter aliam Zephyri sobolem, & minorum gentium flores amœnè educatus; pede modico suffultus; qui purpuream capitis cæsariem, inquieta ventilatione, cuiusuis auræ ludibrium officiosè ostentat. Ceterùm ex viridi aluo progeneratus, quatuor à se purpurea ferrugine germina diffundit. Quâ se in patriam demittit scrobem, canescentes fulcro

suo

suo infigit radios. Ea vel sola, minimáque plantula odore est tam liberali, tam suaui, colore tam grato, vt & Floræ nares inuitet, & oculos alliciat ipsarum Gratiarum, Pæstaníque ruris gloriam, comiter lacessat.

Hæc, inquam, viola terræ filia, cæli æmula, & huic innumeri pares, enimuerò & maiores molliorésque flosculi vestigijs Adami ambulantis ambitiosè passim sese subijciebant calcandos. VII.

Denique *Tot fuerant illic, quot habet natura colores,* Ouid. 4. Fastor.
Pictaq; dissimili flore nitebat humus.
Quam simul aspexit, coniux accedito, *dixit,*
Et mecum plenos collige *flore sinus.*

Tulit enim *Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Gen. 2. 15. Cùm suauior vita esse non posset, quàm inter has naturæ suauitates, dulcissima cura fuit Adami, topiariam exercere, atque agere hortulanum. De illo igitur occupando statuit DEVS, quod Poëta canit:

Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum, Manil. lib. 1.
Pallenteis violas, & purpureos hyacinthos,
Liliáque; & Tyrias imitata papauera luces,
Vernantisque rosæ rubicundo sanguine florem:
Cæruleum folijs, viridi quia gramine collem
Conseret, & veris depinget prata figuris.
Aut varios nectet flores, sertísque locabit.

Hoc fuit opus Adami: in horto eum Conditor posuit; quasi diceret: *Cinge tempora floribus Suaueolentis amaraci. Talis in vario* Catull. 62. *solet Diuitis Domini hortulo Stare flos hyacinthus;*
Mulcet vbi Elysias aura beata rosas, Propert. li. 4.
Et non sentitur sedulitate labor. Ouid. lib. 4. Fastor.

Quid delicatius potuit excogitari? habitatio hominis fuit Paradisus; opus jucunditas; labor voluptas. Inducitur in viridarium, statuitur inter flores; reclinatur in mollissimo gramine, vt in herbis capiat soporem; excitatur ad auroram; inuitatur ad rosaria; vagatur inter meras fragrantias, instar apis.

Vt modo rore maris, modò se violáue, rosáue Ouid. 12. metamorph.
Implicet, interdum candentia lilia gestet.

Nec stiua opus erat, nec sarculo. *Omnia sponte sua tellus* VIII.

inarata ferebat; fœcunda pariter & ornata. Siquidem, præter huiusmodi humiliorem telluris gratiam, & quasi vestem elegantissimam, aderat etiam maiorum copia plantarum; ramíque arborum folijs venustissimè strepentes, & fructibus gratissimè onusti. Quis stirpium fructiferarum ordines? quis succorum & balsami odoratas lachrymas? quis lignorum perpetuò virentium amœnitates, quis cælum æquantes & voluptatis caussa conditas arbores, dignè possit oculis subijcere? Ibi platanus irrigua; sublimis abies, excelsæ pinus, spirantes cupressi, vlmíque circa quas hedera serpebat nigris prædita folijs, corymbos quatiens; ibi florentes oliuæ, dulcescentes fici, amygdali pingues, quercus vmbrosæ: ibi pulchra cerasus, mellea palma, malus citrea: seu vt nunc vocant Medica; & ea, quæ aureis pomis relucet: ibi vitis racemorum mater, & palmitum implexi ordines, inter quos hærebat liuens vua succum nectareum continens, & gemmæ instar, folijs interlucens, sole in eam partem incidente. Ad hanc formosam arborum plantarúmque mixturam accedebat suauissima inumbratio viarum. Nam vicinarum rami arborum sociati, velut porrectæ manus, mutuò se contingebant, & folia sibi allubentia, amabili sese complexu, excipere videbantur. Vento autem in ramos ac frondes delato, suauissimum quoddam murmur foliorum efficiebatur; cui vitam addiderunt luscinïæ, & canore voces aliarum auicularum se alternatim prouocantium, & vincere cantu conantium. Quid verbis exprimere laboro, quod nullis sensibus satis ibi potuit percipi? Omnia in summo erant. In pratis herbæ decorem vernum; in fruticibus coriandrum, cucumeres, pepones; in arboribus rami maturos vndique fructus; in bestijs natura hilaritatem; in rebus omnibus hortus perfectionem habebat. Non extabat quidquam expers gratiæ venustatísque suæ, non quidquam imperfectum.

IX. Etsi enim quasdam arbores nominauimus non fructiferas, quas aliqui censent, vel in Paradiso non fuisse, vel fructiferas extitisse; haud tamen illis accedimus. Quis enim non verisimilius existimet, tot tamque præclaras arborum species Paradiso non defuisse? quæ etsi fructum non gignant esui humano idoneum; sunt tamen ad multa vtiles, sunt aspicientibus gratæ, sunt ceteris interſertæ oppidò elegantes. Caprifici ficus, vt scribit Plutarchus,

Beda in Hexaëm.

nunquam maturescit; sed tamen vtilis est; gignit enim culices, qui deuolantes ad veram ficum, perfosso fructum cortice, in maturitatem educunt. Xerxes in Lydia, cùm vidisset proceram platanum, diem solidum, ad eandem, exegit, nulla postulante necessitate, & castra posuit, circa illam; quin & curatorem ei reliquit, quasi custodem. Erat & Romanis hæc tam grata arbos, vt eam vino irrigârint. Quis judicet Paradiso indignam? quis vlmum, laurum, abietem inde excludat, quas regum delicatissimi, siluulis hortensibus intulerunt? Multóque incredibilius est, has tales arbores tunc fructiferas fuisse; post peccatum autem Adami, fructus ad esum aptos ferre desijsse. Si enim lapsus ille ipsius hominis naturalia bona non extinxit, cur bona arborum plantarúmque abstulisset? aut cur aliarum arborum fructus tam dulces reliquisset? suffecissent peccatoribus malua, squilla, faba, caules & glandes, asphodelus, & lupinum, si ita DEVS eos punire voluisset. Certè diuina historia affirmat, DEVM produxisse, in Paradiso *omne lignũ pulchrum visu*. At multa sunt ligna visu pulcherrima, quæ fructu carent. Nempe fructus est etiam optimus ipsa pulchritudo. Ezechiel quoque testatur, in Paradiso, cedros, platanos, & abietes extitisse. Quare cùm dicitur: DEVM produxisse *omne lignum pulchrũ visu, & ad vescendum suaue:* item: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ: itémque, ex omni ligno Paradisi comede;* ea in sensu disiuncto, non coniuncto sunt accipienda; hoc est, non de omni herba & ligno absolutè, sed de omni planta ferente fructus ad edendum opportunos. Constat profectò, aliquot esse plantarum seu lignorum genera, quæ non sunt pulchra visu, & tamen fructus admodum suaues pariunt, vt vitis, cuius lignum ad nihil valet, nisi ad ignem nutriendum. Vt ergo Paradisus palatum oblectaret, arbores habuit pomis alijsque fructibus onustas; vt oculis afferret plenam voluptatem, plantas exhibuit sola florum, foliorumque venustate blandientes.

Ælian. lib. 2. cap. 14.

Ezech. 31. 8.

X.

Ante omnes tamen arbores vnica erat omnium nobilissima; atque ea propter, tanquam cor, aut centrum, in medio Paradisi collocata, longè vtique & natura, & effectu, ab his mortalibus

nostris plantis diuersa. Siquidem illa *arbor vitæ* appellata est, non quòd ab extrinseco, & supernaturali quodam munere Dei (vt nonnulli arbitrati sunt) vim habuerit hominis ab interitu præseruandi; sed id ei ex vi propriæ naturæ eidem diuinitus inditæ competebat, vt quicunque ex ea vescerentur, quasi nectare quodam, aut ambrosia Deorum (vt postea ex hac vera historia Poëtæ fabulati sunt) vitam propagarent. Cuius rei argumentum est, quòd etiam Adamum peccato iam mortem commeritum, eiusdem ligni vis & beneficium, à morte præseruare potuisset, nisi Devs eum, adhibita Angeli custodia, deinceps de ligno vitæ sumere prohibuisset. Si igitur ponimus, hanc arbori huic virtutem fuisse naturalem, perspicuum est, eam arborem, ab omnibus his arborum generibus fuisse diuersissimam, quippe nulla eiuscemodi vi pollet, juxta vulgatum illud:

Contra vim mortis, non est medicamen in hortis.

Plin. lib. 25. cap. 4. Laudatissima herbarum est, Homero teste, quam vocari ab dijs putant *moly*; & quam contra summa veneficia valere crediderunt. Sed ea vel fabulosa fuit, vel contra vnum alterúmue veneni genus duntaxat, potuit adhiberi; mortem tamen pellere, ac vitam non potuit æternare; sicut potuit *arbor vitæ*; vt probabiliùs S. Augustinus & Chrysostomus docuerunt; tametsi præclari Doctores, & ipse D. Thomas existimârint, arbori illi vim infuisse, ad longum duntaxat tempus, non autem perpetuò hominem à morte naturali conseruaturam. Sed SS. Patrum sententia diuinis litteris magis consonat, quę clarè ita loquuntur; immo, in ijs, Devs: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitque Adam: & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni.* Quid opus fuisset hac custodia, si ligno illi, post peccatum protoplastæ, vis pristina ampliùs, & quidem perpetuò conseruandæ vitæ non infuisset? quàm apertè dicitur? *ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in aeternvm.* Certè, si virtute naturali fructus huius ligni, potuit refouere calorem

S. Augustin. lib. 13. de ciuit. cap. 20. S. Chrys. hom. 18. in Genes. S. Thom. 1. p. q. 97. a. 4. Scot. in 2. sent. dist. 19. q. 1. Gen. 3. 22.

naturalem, ac humidum radicale, ea perfectione, quæ in virilis ætatis statu esse solet, restaurare; conficitur, quotiescunque Adam fructu illo vsus esset, corpus eius semper reflorescere, atque ita eum æternùm fine senio viuere potuisse; vel, si non in peccatum lapsus esset, donec Deo placuisset ipsum ad beatiorem vitam in cælum transferre.

XI. In tali non agro, sed horto, Creator hominem initio posuit, vbi neque labor, neque senium, neque morbus, neque mors, neque tædium vllum; sed omnia terræ bona sponte & abunde proueniebant; vbi passim oculis simulq; naribus adblandiebantur panace, nepenthes, amaracus, ambrosia, lotus, rosa, viola, hyacinthus, & Elysij campi. Atque in his quidem positi delicijs Adam & Eua nequaquam à fletu sunt auspicati vitam, sed protinus decorissimo mundi aspectu exhilarati suam felicitatem; &, in hac ipsa quoque tam beata habitatione, quandam Numinis imaginem, Numinis, inquam, vndequaque beati, agnouerunt. Quanquam & alia Numinis imago homini est impressa, quam S. Bernardus etiam atque etiam monet intuendam, dum ait: *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatura, quoniam non solùm insignita es Dei imagine, verùm etiam decorata similitudine.* Et iterum: *Quid maius his tibi facere potuit, quàm ad similitudinem suã conderet factor tuus? Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandæ Trinitatis imaginem in te ipsa agnosce.* Quin, vt doceat, quid sit ista Numinis & hominis vel imago, vel similitudo, addit: *Considera nobilitatem tuam, quòd, sicut Deus vbique est totus, omnia viuificans, omnia mouens & gubernans: &, sicut Deus, est, viuit, & sapit; ita tu secundùm modum tuum, es, viuis, & sapis: & sicut in Deo tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sic tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem.*

S.Bernard. de interna domo. cap. 67.

XII. Principes si rem quampiam vel saluam volunt, vel honoratam, insignia sua illi appendunt, sigillum imprimunt, ne violetur. Ita ex diuina imagine homini à Deo impressa, intelligimus, quantum in eum diuinæ authoritatis, dignitatis, maiestatis voluerit deriuare. Sua eum imagine insigniuit, vt ei cælum & terra seruire, vt Angeli ministrare, vt bestiæ obedire non dedignarentur, vt ipsi atri dæmones nocere non auderent; denique similem eum

sibi fecit, vt esset, quem amaret, & à quo amaretur, cùm similitudo sit mater amoris. Igitur sicut DEVS Euam Adæ sociam creauit, quia nullum animal simile illi erat, cum quo societatem, amicitiam, ac familiaritatem inire posset; ita, cùm, inter omnes corporeas creaturas, nulla esset DEO similis, hominem sibi similem fecit, vt eius amicitia ac familiaritate gauderet, & quidem æternùm gauderet, nam & in hoc etiam suam, in homine, agnouit & amauit imaginem, quia fecit eum æternitatis, infinitatis, beatitudinis, & diuinitatis quodammodo capacem. Hinc etsi alias res omnes à se creatas approbârit (*vidit* enim *Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*) de nulla tamen creatura corporea honorificentiùs locutus est, quàm de homine, de quo, per Salomonem, dixit: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; DEVM videlicet vicissim diligentium. Nam, si DEVS creatam imaginem suam tantopere amat, quantopere erit ab homine ipsum increatum prototypon redamandum? Si, ob diuinam hanc imaginem, ac summæ maiestatis participationem, hominem omnes creaturæ reuerentur; quid par erit honoris ab homine Creatori suo exhiberi? Nunquid & ipse homo operam dare debebit, vt dignitatem suam, excellentiæque laudem conseruet, & venerandam Conditoris sui imaginem non contaminet? atque pro pulcherrima DEI similitudine, inducat fœdissimam similitudinem diabolorum? Iterum verbis S. Bernardi hominem alloquor. *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatura, quoniam non solùm insignita es Dei imagine, verùm etiam decorata similitudine*; sigillum hoc tibi appressit, vt te, contra omnium creaturarum insultus muniret; imaginem suam tibi ita radicitus altéque insculpsit, vt, salua tua substantia, signaculum hoc à te auferri non possit; quod, in Mineruæ clypeo, æmulari potuit, Phidias, non imitari. Hoc sigillum, hæc imago, istud signaculum te monet, cuius sis Dominatoris. Ex inscriptione, & imagine numi, Christus hanc sententiam tulit: *Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt*: tu, ô homo, ex DEI imagine in te agnita, *Da Deo, quæ Dei sunt*. Fur es, sacrilegus es, si ei te subducis. Imago animæ tuæ inscripta, dicit tibi, te non esse tui juris, sed esse quid DEI proprium. *Da Deo, quod Dei est*. Creatura vtique est Creatoris; filius Patris, seruus Domini, miles Ducis. Similitudo te monet, cuius sis. Imagi-

Gen. 1.
Prou. 8.
S. Bernard. de interna domo. cap. 67.
Matth. 22. 21.

nem Dei geris, vt filius tui Patris, cui amorem debes ac pietatem. Hæc imago, hoc signaculum, honorificum est, vt ita dicā, stigma, quo mancipium suum notauit: honorem igitur Domino tuo præsta; time eum, vt seruus, & omni studio reuerere. Hæc imago signum & tessera est tui Imperatoris, cui fidem, cui obedientiam, cui vitam debes. Ad extremum, sicut vrbium conditores, in medio ciuitatis à se extructæ, imaginem suam, è marmore, vel ære factam solent ponere, vt omnibus eam aspicientibus constet, quis fuerit ædificandæ vrbis author: sic omnipotens ille Vniuersi huius architectus, hominem, hoc est, imaginem suam, in medio mundi à se conditi collocauit, vt eam intuentes intelligerent, quisnam sit tanti operis fabricator, atque vel hinc discerent recto creaturarum vsu, ad principium suum, omnia reducere. Talem ergo Devs hominem, talem homini terram, talem domum, talem supellectilem dedit. Neque opus est alio judice, quando Devs fert judicium. Postquam hæc omnia condidit, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quin neque ipse primus homo quidquam vidit, quod non laudaret, & ad quod, non exclamaret: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* Dominum vocauit, à quo ipse in terris, dominus factus est vniuersorum; nam quamdiu Deo seruiuit, cetera omnia illi quoque seruierunt. Postquam rebellis factus est, quid mirum, si ei etiam alia cœperunt rebellare?

Genes. 1. 31. Psal. 8. 1.

CAPVT XIII.

An, & , quo peccato, Terra, Plantæ, Bestiæq́, ante, & post peccatum Adami, subiectæ vel mutatæ, hominiq́ infesta facta sint?



I. Psal. 101. 35.

Værere meritò aliquis possit, cur Propheta rex dicat: *Initio tu Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli?* An non vtrumque *initio* fundauit? cur id non dicit de vtroque? Nimirum cælum ita mansit, sicut fuit *initio* fundatum; terra autem mutauit faciem suam, aut mutasse videri potest; postquam Adam exul à Paradiso eliminatus, terram mutauit, *Initio*, cùm primus homo justus adhuc esset, Devs terram,

pro illo, fundauerat omni benedictione plenam. Postquam præuaricatus est, caussam DEO dedit, vt terra non maneret talis, qualis fuerat *initio fundata.* Quamobrem dixit ad eum Dominus:
Gen. 3. 17. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo, præceperam tibi ne comederes,* MALEDICTA TERRA, *in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerē reuerteris.* Hinc fundi nostri calamitas. *Hinc initio tu, Domine,*
Gen. 2. 6. *terram fundasti:* terram irriguam, *quia fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ;* terram floridam, terram omnis voluptatis feracem; verbo Paradisum: sed, post hoc initium, inobediens homo solum vertit & felicitatem, atque ex loco vo-
Iob. 10. 22. luptatis, fecit *terram miseriæ*, latomiam laboris, ergastulum calamitatis. Illud *initio* tam pulchrum viridarium erat ab omnipotente Creatore ita homini concinnatum, vt quacunque oculos
Psal. 103. 25. circumferret, meritò exclamaret: *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine? omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.*
Matth. 13. 25. Glebæ bonæ *inimicus homo zizania superseminauit. Homo, cùm in*
Psal. 43. 13. *honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & si-*
Gen. 3. 18. *milis factus est illis.* Hinc illi dictum est: *Et comedes herbam terræ,* sicut & Nabuchodonosori legimus accidisse; quem regijs dapibus
Dan. 4. 22. assuetum illâ sententiâ percussit: *Fœnum, vt bos comedes.* Hunc relinquunt, peccata effectum, hoc fructi, pro seruitute, à diabolo
Rom. 6. 23. mortales ferunt. Denique *stipendia peccati mors.*

II. Tradit Theopompus, in colloquio, quod inter Midam Phry-
Ælian. lib. 3. cap. 18. gem, & Silenum intercessit, à Sileno etiam hoc narratum fuisse; in Meropum finibus locum esse, *& nominari Anostum, (id est, sine reditu, seu vnde non est reditus) similem voragini & hiatui: neque verò tenebris, neque lumine insignem; sed aërem impendere obscuro quodam rubore permixtum. In eo loco duos fluuios labi, alterum voluptatis, alterum tristitiæ: & ad vtrumque arbores sitas esse magnitudine platani magnæ. Quæ ad flumen tristitiæ sunt, eiusmodi naturæ ac potestatis fructus producere: si quis ijs vescatur, eum tantum eijcere lachrymarum, vt per vniuersæ vitæ reliquum tempus, fletibus, luctibúsque diffluat, & sic vitam finiat. Alteras verò, quæ fluuio voluptatis agnascuntur,*

fructum

fructum contrarium ferre: qui enim hunc gustat, ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur; paulatimq́ue fit junior, atq; præcedentem ætatem, & iam transactam retrò agit ac resumit. Hæc Chij fabula historicam protoplasti exprimit veritatem, ostenditque, quàm felici origine nati, in quantam peccato miseriam dejecti sumus. Terra hæc, inter cælum & inferos, media, voragini similis est, neque damnatorum tenebris horrida, neque luce beatorum clara, sed alternis vicibus, nunc sole illustrata, nunc obscurata noctibus, mixtum quiddam de vtroque præ se fert. In hac terra, duo fluuij, seu gemini vitæ humanæ status fuêre: in vno extitit *torrens voluptatis*; nec enim tam copiosis aquis fons de terra, in Paradiso, quàm multis gaudijs læta felicitas, *quasi juge conuiuium*, in mentem Adami ascendit. (Prou. 15. 15.) Ad hunc gaudiorum fluuium, accreuit arbor vitæ, cuius fructu gustato, vigor, juuentus, vita omnis homini refloruisset. Sed maluit noster parens ex illa arbore fructum gustare, quæ meritò dici potest, *ad flumen tristitiæ fuisse adsita*. Nam, postquam Adamus ad eius pomum dentes admouit, ita flere illico cœpit, ac si non pomum, sed allium aut cepas momordisset. Enimverò hæc arbor coëgit *eum tantum eijcere lachrymarum, vt per vniuersa vita reliquum tempus, fletibus, luctibúsque diffueret, & sic vitam finiret.*

III. Cui igitur attribuenda est exilij nostri caussa? Numini, an homini? Innocenti sapientissimus architectus condidit Paradisum; reo decreuit exilium. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* (Psal. 48. 13.) De honore dejectus est, postquam de virtute cecidit; & illico corporis morti addictus, vbi gratiam, quæ est animæ vita, extinxit. Fatalis illa arbor ex communi Theologorum sententia, idcirco *arbor scientiæ boni & mali* est nuncupata, quia primi parentes nostri, per comestionem vetiti illius fructus, experimento didicerunt bonum, quo priùs fruebantur, maláque subsecuta, quæ, ob inobedientiam, illis sunt immissa. Hic enim mos est S. Scripturæ, vt res ab euentu appellet. (Gen. 21. 30.) Nam & locus ille, in quo Abraham puteum foderat, pro quo, Abimelech Domino terræ illius, septem agnos dedit, dictus est *Bersabea*, id est, *fons septem*, scilicet agnarũ; seu *fons*, vel *puteus juramenti*, quia ibi vterque juramento pactum

Num.11.34. firmauit. Et pars illa deserti *Pharan*, dicta est, *sepulchra concupiscentiæ*, quia ibidem interfecti sepultique sunt, qui carnes intemperanter concupiuerunt. Alij, quia arborem illam, *scientiæ boni & mali*, sic, ante lapsum hominis, bis appellauit Devs, censent, eam sic dictam ab eo, quod futurum præuiderat, qui præuidet omnia; nisi, vt sæpe quoque alibi, id, per anticipationem à Moyse relatum; aut arbor à deceptione nomen accepit, qua serpens vsus dixit: *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Quæ ipsa deceptio satis magna miseria fuit. Siquidem non solùm Adamus eo esu vitam suauem, quam in cælo, beati agitant, non est consecutus; verùm etiam, statim, reipsa, post præuaricationem, ærumnosam illam experimentalem boni & mali scientiam acquisiuit, quam habent, quicunque, bono amisso, in mala inciderunt. Itaque inde calamitosi esse cœperunt homines, vnde, *sicut Dij*, esse voluerunt. Hic, ex vetito fructu, fructus natus est. Ex vno malo, omne nobis malum germinauit. Digni sunt exilio, qui patriam cõtempserunt. Meritò in agrum, & ad stiuam mittitur, qui in horto Dominum non colit.

Gen. 2. v. 9. & 17.

IV. Igitur, si mala putatur mors, malum id Deo non est imputandum. *Quoniam Deus mortem non fecit. Impij autem manibus & verbis accersiuerunt illam. Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt;* ita homini, non hominis Conditori, caussa mortis est ascribenda. Potuisset Adamus & posteri eius, in terra, diu felix viuere, & eo modo, quo exoptat Apostolus dicens: *Nolumus expoliari, sed superuestiri*, de terrestri ad cælestem Paradisum, sine vllo interitu, aut corporis expoliatione, transire: sed, relicto vitæ ligno, de mortifera arbore comedit. Habet ergo, quod voluit; quia magis ei sapuit culina diaboli, quàm epulum Dei. Itaque arborem vitæ amisit, quando ad illud lignum curiosas manus extendit, quod serpens venenauit.

Sapi.1. 13. Rom. 5. 12.

2. Cor. c. 5. 4.

Histor. Si. p. 4. c. 17. Aiunt, non procul à Malaca arborem nasci, cuius radices cùm multæ sint, in varias dispersæ partes, diuersos effectus sortiuntur. Quæ enim ad orientem spectant, antidotum præbent aduersus venenum quodlibet, febrésque pellunt; aliásque ægritudines: at quæ vergunt ad occasum, ipsissimum venenum propinant. Tales arbores

bores vitæ, & mortis mundi Opifex posuit in Paradiso. Cur homo, Oriente neglecto, vertit se ad Occidentem? Si sudat ad aratrum; habet, quod elegit. Si terram labore subigit; habet, quod elegit. Si vescitur pane duro; habet, quod elegit. Si spinas sentit; habet, quod elegit. Si mortem timet; habet, quod elegit; cur viuere recusauit? Elegit enim pœnam, quisquis cum electione ruit in culpam.

Itaque justus Devs, qui terram in vsus & delicias hominis condiderat; eandem illi reo in pœnam conuertit. *Quia audisti vocem vxoris tuæ*, ait, *& comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi.* Vbi sensus non est, primùm, post delictum Adæ, *spinas & tribulos*, & lolium, & aconita, & alias plantas venenatas, in pœnam scilicet præuaricatoris, crescere cœpisse, rosasque ab initio, sine aculeis, enatas. Si enim serpentes, in Paradiso fuerunt, & animalia virulenta, cur nō & rubi, & spini, & rosæ hamis septæ extitissent? Non mutauit peccatum primi parentis, naturales hominum proprietates; cur mutasset proprietates rosarum, aliarúmue plantarum? Et pertinebant vtique omnes herbarum, arborúmque species ad perfectionem vniuersi. Quo pacto igitur ait summa Veritas: *Spinas & tribulos germinabit tibi* terra? Nimirum, sicut antè, quàm homines ceterásque animantes conderet Devs, plantas bonas procurauit, vt hominibus ceterísque animātibus paulò post extituris essent in cibum; ita quoque prospiciens hominis delictum, in futuram peccati illius pœnam, rosam cum spinis, tribulósque, & noxias herbas, ac virulentas bestias produxit; quæ omnia homō, si non peccasset, liquidò dignoscere, &, ob dominij, scientiæ, prudentiæ, diuinæque protectionis plenitudinem, aliásque caussas, sine vllo incommodo, deuitare potuisset: post lapsum autem hæc illi in pœnam facta sunt, quia incautiùs vitauit, & sæpius permissus est in ea precipiti cæcitate incurrere.

V. Gen. 3. 17.

Itaque, qui terræ miserias accusatis: *Audite verbum Domini, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt,*

VI. Amos, 4. 1.

runt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli. Nemo nescit culpam esse pœna peiorem: cùm peccatum sit verè & vndequaque, aut, vt loquuntur, absolutè malum; pœna autem secundùm quid duntaxat, & ei, qui eam sustinet; in se autē iustitiæ opus; quod alijs est in exemplū virtutis. Igitur imeritò Deum accusatis, si terram sinit esse spinosam, quam vos ipsi sceleribus repletis, veris, magnis, detestandis malis. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Hanc messem si Adam voluisset vitare, sementem omittere debuisset.

Gal. 6. 8.

VII. Quanquam neque herbæ illæ ipsæ, aut bestiæ multis noxiæ, adeò noxiæ sunt, vt vtilitate sua careant. Rectè ille dixit: *Non est fateri, rerum natura largiùs mala, an remedia genuerit.* Quippe cùm, vt viperæ morsus viperæ cinere curatur, ita ex ipsis venenis optimæ medicinę cōficiantur; & nosci etiamnū, ac vitari, ac ipsæ quoque bestiæ domari, magna ex parte, vel occidi possint, quæ possunt nocere. Neque enim initio tantùm, atque ante peccatum, DEVS dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra:* sed etiam post peccatum, immo post diluuium, dixit DEVS Noë, & filijs eius: *terror vester, ac tremor, sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram.* Multa sanè sunt animalia hominibus fortiora, atque ea propter metuenda; nulla tamen prudentiora; qua de caussa omnia hominem timent, cuius ingenio & industria vincuntur. Gymnetæ Æthiopiæ populi, teste Diodoro, regionem incolentes asperam, super arbores, ferarum timore, dormiunt: sub auroram, ad aquarum decursus armati prodeuntes, se abscondunt, inter arborum frondes. Sub æstum verò solis agrestes boues pardalésque, ac varia ferarum genera, cùm caloris, tum sitis caussa, ad aquas confluunt: quas aqua iam grauatas ex arboribus descendentes occidunt, perque cœtus diuisas edunt. Impuberes pueros exercent ad certum signum iacere, solis cibos præbentes ijs, qui signum tetigêre. Ideò iaculatores optimi euadunt, vrgente fame, Æthiopes isti timore testantur, feras nocere, industria ostendunt vitari vincíque posse. Initio quidem

Plin. li. 8. nat. hist. cap. 23.

Gen. 1. 26.

Gen. 9. 2.

Diodor. li. 4. c. 3. de reb. antiq.

bestiæ hominibus, nocere non potuissent; quia quàm diu Adam
DEO seruiuit, etiam illi bestiæ perfectissimè subjectæ seruierunt:
idem est dicere, ait Glossa interlinearis, *præsit piscibus maris &c: ac si* Glossa in-
diceret, Dominus sit omnium inferiorum: postea tamen, sicut ille terlin. Gen. 1. 26.
DEO, ita illi bestiæ rebellarunt. Habuit ergo, quod timeret, cùm
id peccato meruit. Ratio tamen illi relicta est, vt caueret. Ex quo
fundamento duplex quæstio soluitur, cur nempe Eua non horruerit, cum serpente colloqui? & quamobrem, etiam post peccatum,
homo dicatur Dominus bestiarum?

VIII. Ad primam quæstionem quod attinet; 1. Constat Euam à
serpente seductam. 2. Constat, non seductam à naturali serpente; qui quia ratione, & sermocinandi facultate est destitutus, cum
Eua naturaliter colloqui, & de imposito præcepto disputare non
potuit. 3. Constat, Euam à diabolo propriè ac principaliter deceptam. *Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem*, seu Sap. 2. 23.
quodammodo *immortalem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Et vt
Christus Seruator ait: *ille erat homicida ab initio;* quia primos homines ad peccatum, & per peccatum ad mortem induxit, mortiq; Ioann. 8. 44.
obnoxios fecit. 4. Constat diabolum, per os serpentis, eo modo,
locutum fuisse, quo solet aliàs, per energumenos verba humana
formare; ac loqui linguis, quas ipsi etiam arreptitij nunquam intellexerunt; aut quo pacto bonus angelus, per asinam, Balaam
malè euntem castigauit. His ita se habentibus, posset meritò quispiam scripturæ imperitus quærere. Cur serpente omni callidior Num. 22. 30.
cacodæmon, illis exuuijs aut induuijs vsus sit? Ineptè enim laruam formidabilem inducit, qui vult blandiri; neque terrere debet auceps aues, quas vult fallere. Cùm igitur serpentis aspectus
sit horribilis, incallidè posset videri fecisse insidiator ille, quando, in serpente, Euam compellauit. Sed profectò incallidè non
fecit, cùm illi cognitissimum esset, ita tunc animal omne hominis
esse in potestate, vt nullum Euæ nocere, nullum ei horrorem, aut
timorem inijcere posset.

IX. Sunt qui existiment, serpentem maximè opportunum fuisse
ad Euam deliniendam, ac jucūdissimè deuinciendam, cùm astutissimus humani generis hostis vtique non deformem aliquem, sed

vnum

vnum de venustioribus delegerit, quem Scytalem vocant, de quo Solinus tradit, *quòd tanta præfulgeat tergi varietate, vt notarum gratia, videntes retardet, & quoniam reptando pigrior est, quos assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes. Hodie adhuc in Asia circumferuntur serpentes, in quibus habitat diabolus*, ait diaboli quidam apostolus. *Bonum est, adolescentes hoc scire. Sunt quidam præstigiatores in Asia, qui circumeunt per totas insulas, & gestant serpentes, quibus saltantibus putant purgari domos; sic, vt nulli serpentes intrent, aut inficiant eas ædes (audiui ista à bonis & honestis viris, qui viderunt) ita autem agere solent. Gestant serpentes in vase cupreo, vnum atq; alterum: & cùm veniunt in domum, aperiunt vas, & incipiunt ludere tympanis, tunc paulatim assurgit serpens, & aperit rictum oris, ex quo, post incantationem, prodit caput facie virginea pulcherrima. Est imaguncula similis capiti virginis. Tandem iterata incantatione sensim retrahit serpens, & abdit caput in os. Ipse verò serpens fit languidus, & quasi exanimatus recidit, quia diabolus cruciat eum. Hæc non sunt fabulosa. Et sic diabolus transformauit se in serpentem, quando decepit Euam & Adam.* Pronâ vtique illecebrâ, si non fabulosa, & cui subscribunt quidam pictorum penicilli.

Solin. c. 29.

Philip. Melanchthon. in explicat. Euang. die Pascatis. c. 1.

X. Quanquam & illud, cum D. Augustino dici possit: *Non esse putandum, quòd diabolus serpentem, per quem tentaret, elegerit; sed cùm decipere cuperet, non nisi, per illud animal potuisse, per quod posse à Deo permissus est. Nocendi enim cupiditas inest cuiq; à se; sed potestas à solo Deo est.* Quod si quis scire velit, cur Devs non permiserit dæmoni, in leonis, aut draconis, aut alterius immanioris bestiæ larua hominem aggredi? respondent sacri interpretes, ipsum dæmonem fuisse quauis bestia immaniorem ac fortiorem, quia *non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret;* sed noluisse diuinam prouidentiam, vt homini, in statu innocentiæ, vis inferretur. Vsque adeò eum vndique muniuit, vt, nisi liberè vellet, non posset superari, aut capere detrimentum. Itaque, quem viribus non potuit vincere, fraude cepit Orcus. Ad fraudem autem aptissima erat callidissima bestiarum; ex cuius proinde intuitu solo moneri potuit Eua, vt à fraude sibi caueret. Non cauit misera: digna igitur facta est, quæ postea formidaret anguem, cui priùs dominabatur. Quam pœnam Devs ipse expressit,

S. Augustin. lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 3.

Iob. cap. 1.

pressit, cùm diceret: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Quæ non dicuntur, quasi, ante peccatum, serpens virus non habuisset homini inimicum, cui id naturale erat; sicut & super pectus reptare, & terram comedere: sed quia hæc ante maledictionem, non faciebant serpentem homini abominabilem. Siquidem, ex speciali Dei prouidentia, in statu innocentiæ, virulenta homini nocere non potuerunt. Quod cùm sciret Eua, serpentem non est auersata, sed cum eo familiariter conuersata. Post inobedientiam, &, quæ ex ea profluxit, maledictionem, cœpit serpens posse hominem veneno inficere; eáque de caussa cœpit ei esse execrabilis, de malignitate & pernicie; contemptibilis de vilitate,, vt, qui humi reptaret, & terra vesceretur: quæ vi illius maledictionis, apud homines, probro esse cœperunt; priùs ei, ex natura, sine nota, conueniebant. Gen. 3. 14.

Hæc cùm ita sint, fuerintque, ante Adami lapsum, rectè tamen, etiam post eius peccatum, homo, quantumuis nonnullas bestias metuens, & exosas habens, dicitur esse dominus bestiarum. Neque dum enim jus, & amplissimam in eas potestatem amisit, tametsi amiserit securitatem. Ius enim hoc illi, ob naturæ rationalis excellentiam, & imaginem Dei, est naturaliter datum. Quia igitur peccatum naturam non destruit, consequens est, hominem bona naturalia, ob peccatum non amisisse. Atque hæc potestas denuo homini à Deo fuit confirmata illis verbis: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ &c. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt; & omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Hinc licitum est, venari, aucupari, piscari, capere, occidere animantes, carnibus earum in cibum, pellibus in amictum, dentibus & cornibus in instrumentũ vti. Queri justè non possemus, si omni hoc dominio, per peccatum, excidissemus. Nunc adeò dominium istud nobis est relictum, vt S. Iacobus dicat: *Omnis natura bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Quod antè, quàm ostendamus, verissimum esse, fatendum est, discrimen inter perfectum illud dominium, quo gaudebat in statu innocentiæ Adamus; & quod, post admissum à primo parente delictum, XI. Gen. 9. 2. Iacob. 3. 7.

in hominibus remansit, quo ad vsum, valde imminutum ac limitatum. Siquidem Adam in priore illo statu, non solùm circumspectiùs cauere potuit, intellectu nondum obscurato, & peculiari protectione diuina munitus; sed etiam ex parte animalium longè pleniorem habuit potestatis vsum atque executionem, & obedientiam: vel quia, vt nonnulli arbitrantur, Angelico ministerio prouisum fuit, vt bruta animalia, suapte natura, imperio voluntatique humanæ, ad amussim, obtemperarent: vel quoniam tunc homo multò exactiùs nouerat proprietates, naturalésque animalium inclinationes; quas qui nouit, faciliùs vtique domat, subijcit, flectítque, & sibi obsequentia reddit; vt experientia vel hodie demonstrat. Sunt enim variæ artes industriæque, quibus animantes cicurantur; quarum qui plures callet, plures bestias mansuefacit. Hos animalium effectus, atque inclinationes, haud ita posteri Adæ, perspectas habent, vt ipse: neque nunc Angeli bestias, vt priùs, solent ad nutum facere obsequentes. Vt hoc fieret, homo caussam dedit, & exemplum. Si voluisset sibi parere bestias, Deo debuisset ipse obedire. Rebellionem sibi peperit rebellando. Hoc
Amos. 4. 1. *judicium Domino, cum habitatoribus terræ.* Præuaricati sunt. *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli.*

CAPVT XIV.

Quantum homini, etiam post peccatum Adami, in omnis generis bestias, dominium, quantaq. potestas relicta sit?

I. VT autem non lateret nos, quid peccato amissum sit, aut quàm clemẽtem judicem habeamus, dominij illius, primæque potestatis haud obscura quædam nobis relicta sunt vestigia. Neque enim dominium illud est extinctum, sed accisum. Quod penitus adimere potuit, diuina bonitas limitauit
Psal. 76. 10. duntaxat. Hoc est, quod dicitur: *Nunquid continebit, in ira sua, misericordias suas?* Immo in quibusdam Sanctis, subinde velut in solidum ostendit dominium reductum. Quis nescit, à Moyse, serpentem, sine noxa apprehensum? Nam etsi, virgâ in colubrum
Exod. 4. 4. versâ, fugit; mox tamen, vbi dixit Dominus; *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius: extendit, & tenuit.* Paulus quoque,

cùm congregasset sarmentorum aliquantam multitudinẽ, & imposuisset super ignem, vipera à calore cùm processisset, inuasit manum eius. Vt verò viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant, eum moriturum. *At ille excutiens bestiam in ignem nihil mali passus est. Diu autem illis expectantibus, & videntibus, nihil mali in eo fieri, conuertentes se, dicebant eum Deum esse.* Tanti faciebant, à vipera non lædi hominem, qui à vipera morderetur. Hoc nempe est, quod dixit Seruator: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Sicut nihil nocuit Ioanni Apostolo poculum à veneficis infectum bibisse. Sicut Philippus Apostolus draconi imperauit, vt innocuus abiret in latebras, nemini injurius. Sicut S. Narcissus, & S. Magnus draconibus & serpentibus necem, vel fugam mandauerunt. Sicut Didymus Abbas & anachoreta colubros & serpentes pedibus innocuè conculcauit. Iuxta illud: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Sicut Hypatius; non iam aurei velleris, sed auri custodem draconem, tanquam Christianus Iason, grãdi prodigio interemit. Quippe Constantio, Constantini filio regnante, immanis quidam draco thesauro Imperatoris ita incubuit, vti nemo auderet illuc aspirare. Quod si quis audentior accederet, illico vita multabatur. Imperator ergo inops consilij, fama ad se, de viro S. Hypatio Gangrensi Episcopo perlata, mittit, qui illum eant accersitum. Vbi venit, gazophylacium solus accedit, januam reserat: scipione, quem gestabat, crucem præferente, draconem icit, trahensque, velut cetum, virga captum extraxit, ingentique rogo, in foro, illius jussu, excitato, peremptum baculo, concremauit. Imperator perculsus admiratione, ne quid imposterum eiusmodi accideret, sanctam illius viri imaginem, ad ingressum ærarij jussit figi. Ambiguum esse potest, num Devs tunc ostendere voluerit, quales soleant esse thesaurorum custodes. Illud dubio caret, vim, meritumque Sanctorum, eo facto, demonstrauisse. Quibus similia plura Sanctis diuina virtute concessa leguntur, & nos alibi quædam retulimus, quæ demonstrant, quàm securè innocens Adam versari potuerit, & versatus sit, inter venenata; itemque cælestem manum ab homine iam peccatore non omnino subductam esse; sed sæpe e-

Act. 28. 3.

Luc. 10, 19.

Psal. 90. 13.

Matth. Rader. in Viridar. S.S.

De serpente li. de spe. c. 34. n. 2. 3. & 6. De leone & lupo ibid. n. 5. & 6.

tiam velut in integrum reductam, & ad Paradisi exemplum concessam. Samsonem quis nescit Hebræorum Herculem? *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hædum in frusta* (Iud. 16. 6.) *discerpens, nihil omninò habens in manu.* De se, *dixit Dauid ad Saul*: (1. Reg. 17, 34.) *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos. Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus.* Quæ non dicebat jactabundus, sed vt Dei vires in se ostenderet.

II. Qua de caussa etiam Daniel, in medio leonum, quasi inter fidissimos satellites, tutus assedit; hinc innocentia, inde Angelo eum protegente. Idcircò ait: (Dan. 6. 22.) *Deus meus misit angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inuenta est in me: sed & coram te, rex, delictum non feci.* Leonem pro imperio, de via decedere jussit Abbas Sergius, vt pecora tuto itinere irent. (In prat. Spir. cap. 125.) Zosimo quoque Abbati paruit agrestis Leo. Alius jussus capere leonem, obedientiâ adjutrice, cepit, atque velut agnum ad Abbatem adduxit. (Theodoret. in hist. Relig. cap. 6.) Simonides monachus viatoribus leones, in viæ monstratores attribuit. De admirando, per D. Franciscum, cicurato lupo, itidem alibi docui. (Loc. cit.) Certè, mandato Eustorgij Mediolanensis Episcopi, lupus jugo se submisit, & currum traxit, cuius duo jumenta violentus raptor deuorârat. Quo pacto etiam S. Corbiniani Episcopi Frisingensis Romam euntis, cùm vrsus asinum lacerasset, deuorati loco, ipse sarcinam vectauit, imperante sancto præsule, ex prædone præda factus, & patiens capistri. Helenus Abbas fatigatus sarcina, quam ferebat, onagrum jussit accedere, & dorsum oneri submittere. Paruit fera: & quàm longè sancto placuit, onus ipsum peruexit. Idem à reperto crocodilo flumen transuectus est, cùm neque pons adesset, nec portitor appareret. Hanc vim sanctitas atque innocentia meretur, & confert (Manil. lib. 4.) astrorum Conditor, non astra, vt voluit Manilius, qui mansuetarij, per siderum impressionem dari putat, (Idem lib. 5.) *Exorare tigres, rabiemq; auferre leoni.* Nam de eo, qui sub leone, & scorpio nascitur, ait:

Ille manu vastos poterit frenare leones,
Et palpare lupos, pantheris ludere captis.

Neque

III. Neque ſerpentia duntaxat, aut quadrupedes Sanctis parue-
runt, verùm etiam pennatæ volucres. Quis enim neſcit Eliam 3. Reg. 17. 4.
Thesbitem, Paulum & Antonium eremicolas à coruo; Cuthber- S. Hieron. in
tum ab aquila paſtos? Ioſephum Anchietam ab eadem Iouis ar- vit. Pauli.
migera ſuperuolitante, cōtra ſolis æſtum, velut à clypeo tectum? Bed. in vit.
Seuerus Abbas paſſerem habuit manibus eius intrepidè aduolan- Cuthb.
tem, & porrectum capientem cibum. Quod minùs mirum eſt. Ad
Maxentium Abbatem Pictauienſem, ſilueſtres aues, relicto nemo-
re, ſolebant véritare, & abſq; vllo metu è manu eius tritici grana,
& fruſtula panis, miculáſque ſurripere. Quid de illa auicula di-
cam, quæ raptum dulcedine cantus monachum, multis annis, ſine
cibo potuque, detinens, in ſilua, docuit, quanta eſſet voluptas cæ-
leſtium gaudiorum? quorum imago fuit ſilueſtris muſica, ita au-
res ſuauiter permulcens, vt etiam ventrem ſatiaret.

IV. Aëris incolas, imitatæ ſunt ſquamigeræ pecudes, incolæ a-
quarum, piſces, Diuis ad nutum obſecuti. Balæna Britannica in-
ſulæ inſtar extenſa, & ad formam firmæ terræ, vligine, immo gra-
mine, ſecundùm dorſi eminentis marginem obſita, exſcendente S.
Maclouio, è naui, & ſacrificante, ad Numinis maieſtatem cepit
contremiſcere, ac loco moueri. Qua re animaduerſa, Maclouius
belluæ imperauit, vt ſtaret, donec ſacra peragerentur, ac ſicci ve-
ctores in nauim rediiſſent. Stetit, & juſſa fecit, ad verecundiam
grandium dominorum, qui vel in templis ſæpe quieti ſtare neque-
unt, donec res diuina ad finem perducatur. De cancris quoque
mira recenſentur, inter quos vnus S. Franciſco Xauerio crucem
in mare prolapſam, ad littus, extulit, reſtituitque. S. Vdalrico
Auguſtano Epiſcopo, ipſæ ranæ obſecundârunt. Nam cùm præ-
tereunti coaxando obſtreperent, moleſtæque eſſent, juſſæ tacere,
loquax alioquin animal, tacuerunt. Ex Euangelio notum eſt, de Matth. 7. 27.
piſce ſtaterem ore Petro ferente, deque multitudine piſcium, ad
Chriſti voluntatem, in retia intrante. *Tobias exiuit, vt lauaret pe-* Ioan. 21. 6.
des ſuos, & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum. Quem ex- Tob. 6. 2.
pauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me.
Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.
Quod cùm feciſſet, attraxit eum in ſiccum, & palpitare cœpit ante pe-
des eius, qui eum venerat deuoraturus. Sed vtique id, ope Angeli,

 factum

factum est protegentis; quemadmodum, Propheticus ille Arion.
Ion. 2. 11. Ionas viuus, in ventre piscis, tribus diebus, & tribus noctibus sepultus, non modò è dentibus & faucibus, sed etiam è visceribus ceti euasit; quando *dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Nunquid hæc sunt manifesta diuinæ protectionis argumenta? Nunquid, etiam de homine, post Adami lapsum, ad Deum
Psalm. 8. 8. dici potest; *Omnia subjecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi: Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris?* Sed vno opere, ac velut in compendio, luculentissimè demonstrauit DEVS, quantam, etiam qui in Adamo peccauerant, posteri eius, cælo jubente, obtineant in omne genus ani-
Gen. 7. 8. malium potestatem, quando *de animantibus mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur super terram, duo & duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus & femina, sicut præceperat Dominus Noë.* Quis maiorem vnquam in brutis, tam multis, tam diuersis, tam immanibus & efferatis, vidit, legit, audiuit obedientiam? Quantæ molis est sæpe, vnum lupum compescere? quanti laboris vnum aprum coërcere? Tũ Noë, velut in vnum stabulum, apros, lupos, leones, tigrides, vrsos & elephantos; & quidquid est, inter animalia, vel dente, vel vngue, vel cornu, vel vngula metuendum, nullo resistente, conclusit.

V. Sed hæc omnia peculiari DEI virtute, & prodigiosè contigerunt, supráque vim hominis naturalem. D. Iacobus plus affirmans
Iacob. 3. 7. ait: *Omnis natura bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana. A natura humana*, non diabolica, inquit; qua voce excipit miracula; excludit incantationes magicas, quibus virulenti innoxiè contrectantur serpen-
Deut. 18. 11. S. August. li. 11. de Genes. ad lit. c. 27. & in Psal. 57. itemq; Delrio lib. 2. disq. q. 13. tes; & quæ, sine graui crimine, non adhibentur, vt Scriptura indicat, & D. Augustinus, qui vim venefici incantantis, non serpentis intelligentiæ, sed malo dæmoni ascribit, cui diuino consilio permissum sit, vt, ad humanam vocem, moueat serpentes, cogatque è cauernis prorepere. *Nam, quod vulgò putantur*, ait: *serpentes audire, & intelligere verba incantantium, vt, eis incantantibus, prosiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur. Diuino autem consilio fit, vt hoc magis habeat vsus, serpentes moueri carminibus potiùs, quàm aliud vllum animal.* Quare à vero aberrat Plinius, cùm ait:

Non

Non pauci credunt, serpentes ipsas incantari, & hunc vnum illis esse intellectum, contrahiq; Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete. Qua arte Orcina, vt ait Attalus, apud eundem Plinium, scorpione viso, si quis dicat (*duo*) cohibentur eæ bestiæ, nec vibrant ictus. De hac arte, tanquam illicita, non loquitur Apostolus. Fieri enim non posse censetur, quòd licitè fieri non potest. Vult igitur, virtute etiam naturæ, cuncta animantium genera subijci ac vinci posse. Quæ virtus ac potestas, non in corporis robusti viribus, sed in animi industria, & ingenij licitis artibus potissimùm sita est. Si enim corpus consideres, homo nudus & inermis nascitur: cetera animalia, varijs tegumentis, loricis, clypeis, testis, radijs, corijs, dyptichis muniuntur: varijs venenis, aculeis, rostris, fulmineis dentibus, ramosis cornibus, ferratis pedibus, velut telis ad offensam datis armantur. Neque sanè homo lyncem visu, vulturem olfactu, tactu araneam, auditu anserem, gustu apem; leonem robore, leporem celeritate, piscem mobilitate adæquat; quem etsi natando imitetur, nequit tamen auem sequi volando, nisi se in somno dædalum esse fingat, in quo ipso, non rarò Icarum agens de ruina exclamabit. Hæc etsi ita sint, tamen *omnis natura bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana,* non corporis, sed rationis, sed consilij, sed prudentiæ, sed artis, & experientiæ, quibus rebus homo omnibus ceteris animalibus antecellit, & superior existit, vti & manuum vsu ac adjumento, vt obseruauit medicorum princeps Galenus, & peculiare caput de captura leonum in Belisarij Ducis Neritinorum libro docet. Manibus enim laqueos torquet, retia texit, hamos acuit, & omnis generis arma instrumentaque fabricat; quibus frænat equos, assequitur ceruos, fallit vulpinam astutiam, ligat leones, cancellat vrsos, dearmat apros, illecebris delinit elephantos; effumigat serpentes, disrumpit ventres draconum, & in eorum cerebris gemmas quærit: nihil est tam profundum in mari; nihil tam excelsum in aëre; nihil tam abditum in siluis, nihil in montibus tam absconditum, quo hominis in animantes dominiũ non penetret. Non fugiunt illum minutissimi, in aquis, pisces; nõ superant grandia phocarum corpora; ex imis & summis vndis prædam educit; aues ex ipso cælo vel detrahit pelliciendo; vel jacu-

Plin. lib. 28. cap. 2.

Galen. lib. 9. de vsu partium. cap. 2.

jaculandis sagittis deijcit. Denique nusquam est vllum animal, in quod ratione præditum animal non exerat potestatem. Quod multis, in *omni natura bestiarum, volucrum, & serpentum, & ceterorum*, exemplis potest illustrari: quæ quia omnia nimis sunt numerosa, nonnulla delibabo tantùm; nec iam sciuros afferam, aut simios, aut Issas & catellos, sed maiorum gentium feras animantes.

VI.
Plin. lib. 8. nat. hist. c. 7. Strabo. li. 15.
De elephantis, quanta narrantur? quos *succo hordei*, educatione, beneficijs, quin & verborum blanditijs aiunt mansuefieri; immo & fame. *Inde ex captis elephantis*, teste Strabone, *eos, quos nec juuentus, nec senectus inutiles facit, in stabula ducunt, & pedibus inuicem vinctis, & collo, ad columnam bene compactam, fame domant. Deinde herba, vel arundine viridi reficiunt. Dehinc obtemperare docent; alij oratione, alij cantu aliquo, vel tympani sonitu deliniunt. Rari sunt, qui non facilè mansuescant: Quidam aurigas suos, qui in certamine ceciderint, ex prælio eximunt. Quidam anterioribus pedibus vtero suo subjectos seruauerunt. Quod si quem ex curatoribus, per iram, interfecerint, adeò illum desiderant, vt, præ mœrore, à cibo abstineant: interdũ etiam ad mortem obdurent.* Eò, corpore & animo excelsum animal potest ab homine deijci, vt Porus, quem Alexander debellauit, habuerit elephantum, qui, rectore jubente, procumberet in genua
Plin. nat. hist. lib. 8. cap. 1.
vt se submitteret: vt Curtius scribit. *Nam quod ad docilitatem attinet*, ait Plinius, *regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt, Indis arant minores, quos appellant nothos.* Minores etiam bellant. Nos, nostra ætate, vidimus, qui omninò humi se prostratum sineret calcari. Ad prælia turritos educi, apud antiquos, vsitatissimum
Idẽ. ibid. c. 9.
fuit. *Domiti enim militãt, & turres armatorum in hostes ferunt, magnaq; ex parte orientis bella conficiunt. Prosternunt acies, proterunt armatos.* Sic Antiochus *intrauit in Aegyptum, in multitudine graui, in*
1. Mach. 1. 18.
1. Mach. 6. 30.
curribus & elephantis. Sic ad successorem eius *venerunt exercitus conductitij. Et erat numerus exercitus eius, centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo, docti ad prælium.* Sic
1. Mach. 8. 6.
2. Mach. 14. 12.
Plin. lib. 1. cit. cap. 5.
Romani contriuerunt *Antiochum magnum regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantos. Sic Nicanorem præpositum elephantorum ducem*, eadem Scriptura appellat. *Antipater author est, duos Antiocho regi, in bellicis vsibus celebres etiam cognomi-*

nibus fuisse, etenim nouêre ea. Certè Cato, cùm Imperatorum nomina annalibus describeret, eum, qui fortißimè præliatus esset, in Punica acie, Surum tradidit vocatum, altero dente mutilato. Antiocho vadum fluminis experienti renuit Aiax, alioqui dux agminis semper. Tum pronunciatum, eius fore principatum, qui transisset: ausumq́; Patroclum. ob id phaleris argenteis, quo maximè gaudent, & reliquo omni primatu donauit. Ille, qui notabatur, inedia mortem ignominiæ prætulit. Nigro bellua nil negat magistro, ait ille, hoc est, omnia discit, & publicè exhibet. *Saltationes discit,* ait Plutarchus, *& choreas, & adorationes.* Item: *In spectaculis, ostendit elephas gestuum figuras & varietates, quarum copiam & concinnitatem difficile sit humanæ vlli industriæ exprimere, & memoria complecti.* Et Seneca, *Elephantum,* ait: *minimus Æthiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem.* Et Ælianus: *Elephas nouit, vbi didicerit choreas, & saltationes ad numerum obire, & audire tibiis canentes, & intelligere sonorum discrimina, & tarditates, aut celeritates imperatas exequitur, & exactus est, & non fallitur.* Huc grandes illæ bestiæ erudiuntur. Neque adorare, orare, bellare, vado transitum quęrere duntaxat, discunt; sed *intellectus* illis etiam est *sermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorúmque, quæ didicêre memoria.* Quin & *iuncti subière currum Pompei Magni Africano triumpho. Germanici Cæsaris munere gladiatorio, quosdam inconditos motus edidêre, saltantium modo. Vulgare erat per auras, arma iacere, non auferentibus ventis, atque inter se gladiatorios congressus edere, aut lasciuiente pyrrice colludere. Postea & per funes incessere, Lecticis etiam ferentes quaterni singulos puerperas imitantes: plerisque hominum triclinijs accubitu iêre per lectos, ita libratis vestigijs, ne quis potantium attingeretur. Mirum maximè, & aduersis quidem funibus subire, sed regredi magis vtiq́; pronis. Mutianus ter consul author est, aliquem ex his & litterarum ductus Græcarum didicisse, solitumq́; perscribere eius linguæ verbis:* IPSE EGO HÆC SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Ad tantam tantum animal obedientiam adigit homo: vt proinde capiendi ratio sit minùs admiranda. Quæ varia est. *Capiuntur autem in India, vnum ex domitis agente rectore: qui deprehensum solitarium, abactúmue à grege, verberat ferum: quo fatigato, transcendit in eum, nec secus ac priorem regit. Africa foueis capit, in quas deerrante aliquo protinus ceteri conge-*

Plutarch. lib. de fortun. Senec. ep. 86. Ælian. li 2. de animal. c. 11. Plin. ib. c. 1. 2. & 3. Plin. ib. c. 8.

 runt

runt ramos, moles deuoluunt, aggeres construunt, omniq; vi conantur extrahere. Troglodytæ contermini Æthiopiæ, qui hoc solo venatu aluntur, arbores propinquas itineri eorum conscendunt. Inde totius agminis nouissimum speculati, extremas in clunes desiliunt. Læua apprehenditur cauda, pedes stipantur in sinistro femine. Ita pendens alterum poplitem dextra cædit: ac præacuta bipenni hoc crure tardato profugiens, alterius poplitis neruos ferit, cuncta præceleri pernicitate peragens. Alij tutiore genere, sed magis fallaci intentos ingentes arcus defigunt humi longiùs. Hos præcipui viribus iuuenes continent, alij connixi pari conatu tendunt, ac prætereuntibus sagittarum venabula infigunt, mox sanguinis vestigijs sequuntur. Hæc de elephantorum obedientia & subjectione sufficiunt.

VII. Quod si animalium maximum elephas proximúmque humanis sensibus, humana industria capi, regi, doceríq; potest, quid de alijs victis aut vincendis dubitemus? Aiunt Catulum cerui dono datum Ptolomæo Philadelpho, qui linguâ Græcâ nutritus sit, & loquentes intellexerit; in ruborem nobilium quorundam pusionum, qui, vt pigritiæ suæ litent, stupiditatem profiteri non verentur, dum se aiunt, ingenio carere, ad Græcas litteras addiscendas. Tyrrhæo pecoris magistro ceruus fuit mansuefactus, quem

Ælian. lib. 2. cap. 25.

Virgil. 7. Æneid.

Soror omni syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatq; ferum, puroq; in fonte lauabat.
Ille manum patiens, mensæq; assuetus herili,
Errabat syluis, rursúsque ad limina nota
Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.

Ouid. lib. 10. Metam.

Et alius Poëta: *Namq; sacer Nymphis Carthea tenentibus arua*
Ingens ceruus erat, lateq; patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus vmbras:
Cornua fulgebant auro, demissaq; in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla super frontem paruis argentea loris
Vincta mouebatur, paribiq; ætate nitebant
Auribus è geminis circum caua tempora baccæ.
Isq; metu vacuus, naturaliq; pauore

Deposito

Depoſito celebrare domos, mulcendaq; colla
Quamlibet ignotis manibus præbere ſolebat.
Sed tamen ante alios Cæa pulcherrime gentis
Gratus erat Cypariſſe tibi, tu pabula ceruum
Ad noua, tu liquidi ducebas fontis ad vndas;
Tu modò texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo reſidens huc lætus & illuc
Mollia purpureis frœnabas ora capiſtris.

Ac, ne quis Poëticâ hæc fide ſcribi exiſtimet, teſtatur Plutarchus, Sertorium, inſignem illum Romanum, contra Romanos, Hiſpanorum ducem, ceruam aluiſſe, quam, in expeditionibus ſuis, ſemper comitem habebat, fingens Dianæ eſſe numen, à quo res gerendas auſpicaretur. Neque opus eſt, hanc rem planam facere teſtibus, quam experientia fere quotidiana oculis ſubijcit. Vidi ipſe eiuſmodi feras, cum pecore manè exeuntes, & veſperè redeuntes. Vidi quæ duos, tres, pluréſue dies in ſiluis abnoctarent, & ad arcem tamen reuiſere ſuam non obliuiſcerentur. Vidi, Salisburgi, annoſum & cornua alta ferentem ceruum, qui & frœnum, & ſeſſorem, & quod mirum magis, bombardæ à ſeſſore intra cornua illius collocatæ exploſionem pateretur; equitémque ad vnum fere milliare principes curru celerrimo vectos comitantem portaret, quouis equo agiliorem. Quod ſi quis vult etiam fidelitatem cerui, Mithridates Ponticus, cùm ſomnum caperet, ſui corporis cuſtodiam non modò armis & ſatellitibus excubitoribus committebat: ſed magis etiam tauro, & equo, & ceruo, quos manſuefactos habebat. Ii enim ad cuſtodiam eius dormientis aduigilantes, ſi quis accederet, illius ſenſum ex ipſa reſpiratione, quem mox percipiebant, atque ille ex mugitu, alter hinnitu; alius ſua propria voce eum à ſomno excitabat. Ælian. lib. 7. cap. 56.

VIII.

Credibiliora hæc fiunt ijs, quæ de lupis, vrſis, leonibus, ipſa tigride narrantur. Iacobus Chriſtophorus Blarer, Epiſcopus Baſileenſis, Collegij noſtri Bruntrutani Fundator, Princeps æternæ memoria dignus, lupum habuit, non ſolùm domi, atque in arce, inter canes familiariter & amicè verſantem, ſed etiam cum ijſdem canibus in ſiluas prodeuntem, nec ſegniùs, quàm canes, ceterorum luporum venationi inſtantem: adeò conſtantior, in amicitia, fuit

cum illis, quibus fœdere & educatione, quàm quibus ſanguine & origine junctus erat. Sindrigal, poſt Vitoldum, Lituaniæ Princeps, vrſam habuit, quæ, quoties manè dies fiebat, relicto nemore, domum eius accedens, fores pedibus percutiebat, apertoque oſtio porrectum capiebat cibum. De Pythagorę formidoloſa, ſed innoxia vrſa nihil dicam, quando illa magicis artibus coërcita putatur.

Ludouic. Richeom. de Valedict. animæ. c. 12.

Longa eſt narratio, de Vrſa, quam, catulorum periculo, furentem venator, per montes ac ſcopulos, cum formidine ſpectantium, in Sabaudia equitaſſe, recenſetur à Richeomo.

Plin. li. 8. nat. hiſt. c. 17. & 16.

Auguſtus *tigrim Romæ oſtendit, in cauea, manſuefactam: diuus verò Claudius ſimul quatuor. Primus leonem manu tractare auſus, & oſtendere manſuefactum Hanno è clariſſimis Pœnorum traditur: damnatúſque illo argumento, quoniam nihil non perſuaſurus vir tam artificis ingenij videbatur, & malè credi libertas ei, cui in tantum ceſſiſſet etiam feritas.*

Plutarch. in Politic. Cælius li. 3. c. 19.

Plutarchus ſcribit, Añonem coactum vertere ſolum, exilij cauſſa, quòd, in expeditionibus leonem haberet ſarcinas ferentem, veluti eſſet id argumento, eum ad tyrannidem aſpirare. Dion & Xiphilinus memorant Antonium Caracallam, Rom. Imp. habuiſſe leonem, quem Acinacem nominabat, alebatque inter complures alios. Hunc non tantùm publicè deoſculabatur, ſed ad menſam etiam, lectumque admittebat. Conſtat etiam eundem Antoninum à leone admonitum eſſe, ne domo egrederetur, cùm exeuntem dentibus teneret. Cui cùm non obtemperaſſet, interfectum eſſe.

Gellius lib. 5. c. 14. Noct. Attic.

Plin. lib. 8. in fine cap. 16. & 17.

Prat. Spir. cap. 107.

Marth. Pariſ. in hiſt. Anglic. pag. 241.

De Androdi Daci leone beneficij memore, & vſque ad prodigium loro tenui reuincto, & vrbe tota circum tabernas circumducto floridè ſcribit Gellius. Similem refert de Elpide Samio hiſtoriæ naturalis ſcriptor; & de Philini patre; ſed huic panthera, illi leo mutis precibus eſt blanditus. Et in Prato Spirituali, leo, ob ſpinam à B. Geraſimo Abbate è pede euulſam, recedere noluit, ipſoque mortuo, magno rugitu edito, & ipſe ſepulchro eius incumbens expirauit. Stupendum leonis grati exemplum refert, in hiſtoria Anglicana; Matthæus Paris; quod alio loco aptiùs dabimus. Sed quid aliunde accerſimus exempla, quæ domi noſtræ ſuppeditantur? Quis enim, me adoleſcente, non audiuit ab ijs, qui viderunt, Monachij, Bauariæ Ducem Albertum V. Germaniæ illum nominatiſſimum heroëm Sereniſſimi Ele-

ctoris Maximiliani auum, itidem ad mensam admisisse jubatissimum leonem; quem etiam Augustæ, in Comitijs Imperij, canis instar, habuit sequentem, & inter publicos consessus Principi suo, ad pedes, accumbentem, patientemque, vt sibi scabelli loco, vestigia Princeps imponeret? cùm interea ipse omnibus imposuit metum. Ne longum faciam, *hoc tale tam sæuum animal, rotarum orbes circumacti, currusq́ inanes, & gallinaceorum cristæ cantusq́ etiam magis terrent; sed maximè ignes. Capere eos, ardui erat quondam operis, foueisq́ maximè. Principatu Claudij casus rationem docuit, pudendam pene talis feræ nomine. Pastoris Getuli sago, contra ingruentis impetum, abiecto*: (cùm enim præcipua leonum vis vigorque in oculis eorum sit, fit vt lumine hebetato, aut velato ferocitas omnis decidat) *quod spectaculum in arenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente tanta feritate, quamuis leui iniectu operto capite; ita vt deuinciatur non repugnans. Videlicet omnis vis constat in oculis. Quo minùs mirum fit, a Lysimacho, Alexandri jussu simul incluso strangulatum leonem. Iugo subdidit eos, primusq́ Romæ ad currum junxit M. Antonius, & quidem ciuili bello, cùm dimicatum esset in Pharsalicis campis. non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus jugum subire illo prodigio significauit: nam quòd ita vectus est cum mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit.* Denique nonne satis clarè dominium in feras ostendit domina vrbium Roma, in qua *leonum simul plurium pugnam, princeps dedit Q. Scæuola P. filius in curuli ædilitate? Centum autem jubatorum primus omnium L. Sylla, qui postea dictator fuit, in prætura. Post eum Pompeius Magnus in circo DC. in ijs jubatorum CCCXV. Cæsar dictator CCCC.* Hæc de terrestribus bestijs Plinius, de quibus, in compendio, audi Martialem:

Plin. l. 8. hist. nat. cap. 16.

Idem Ibid.

Martial. lib. 1. ep. 105.

IX.

Picto quòd juga delicata collo
Pardus sustinet, improbæq́ tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quòd lupata cerui;
Quòd frenis Libyci domantur vrsi,
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris:
Turpes esseda quòd trahunt bisontes,

Et molles dare iussæ quòd choreas
Nigro bellua nil negat magistro:
Quis spectacula non putet deorum?
Hæc transit tamen, vt minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos;
Et securior est in ore præda,
Laxos cui dare, peruiósque rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes,
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis cùm modò venerint juuencis.
Hæc clementia non paratur arte:
Sed nôrunt cui seruiunt leones.

Seruit nimirum Cęsaris gratiæ adulator, dum eius diuinitati ascribit, ac numini, quod est humanæ arti tribuendum. Nullum enim numen erat Cæsaris, sed ea *omnis natura bestiarum domita fuit ab humana natura*; sicut & quando, teste Lampridio, Alagabalus, seu Heliogabalus *canes quaternos ingentes junxit ad currum, & sic est vectatus jntra domum regiam, idque priuatus in agris suis fecit: Processit in publicum, & quatuor ceruis junctis ingentibus. Iunxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans. Iunxit & tigres, Liberum sese vocans.* vsque adeò bestiæ *ab humana natura*, non tantùm arcentur, ne noceant, sed etiam ad luxum, & ad superbiæ triumphos, domantur.

X. Iac. 3. 7. Prou. 1. 17. Ait autem Apostolus non tantùm *omnis natura bestiarum*, sed etiam *volucrum, & serpentium, domantur, & domita sunt à natura humana.* At nunquid alibi dicitur: *Frustra jacitur rete, ante oculos pennatorum?* quo modo ergo volucres domantur? Domantur omnino. Nam 1. ibi Hebræi per interrogationem legunt, exponuntque in hunc modum: *Gratisne rete spargitur in oculis pennatorum?* quasi dicas: *minimè.* experientia enim est, cassibus tegi aues, adeóque *frustra non jaci rete, ante oculos pennatorum.* 2. Alij, sine interrogatione, legunt, aiuntque sensum esse, idcirco frustra, ante auium oculos rete expandi, quòd tanta sit stolididas earum, vt non idcirco reddantur cautiores, & aucupũ insidias euitent;

ficut & flagitiosi homines prædæ intenti, pericula non æstimant, quibus ob eam exponuntur. 3. Alij non ad vecordiam, sed ad innocentiam auium hanc sententiam referunt; vt sit sensus: *frustra*, id est, gratis, aut sine culpa atque immeritò retia tenduntur auibus, cùm neminem læserint, nulli injuriam irrogârint. Quo pacto prædones quoq;, contra jus & fas, innocentibus insidias moliuntur. 4. Alij ad aues velocissimi volatus, quales sunt vncumgues & rapaces, id trahunt, quibus tanquam noxijs non *frustra*, nec immeritò laquei sparguntur, sed ex caussa. Quare significantiùs septuaginta verterunt: *Non frustra extenduntur retia pennatis*. Quæ omnia dominium hominis, etiam in volantia confirmant. Nam etsi auium nonnullæ, vt passeres, picę, callidiores, difficiliùs capiuntur; *Quaq; nimis parent retia, vitat auis*, etiam minùs astuta; capiuntur tamen, si laquei abscondantur; si retia viridi colore gramini ac herbis similia ponantur; si illicibus cantatricibus rami vicini visco illinantur; & mille alijs modis. Quid nota testimonijs fulcio? Clamant oscines in caueis, aues altiles in cortibus, toti chori in auiarijs, capi, vinci, *domari omnem naturam volucrum* posse. Ardea, Diomedæa auis, tam altè non volat; nec aquila tam longè prospicit à solio Iouis; nec trochilus tam velociter currit per littora; nec tam citò se in aquis condit vrinatrix; nec tam cautè diem vitat vlula; nec tam forti se vngula defendit struthiocamelus, Africus, vel Æthiopicus, quin humana industria manuque capiatur, testeturque, *Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ, & quod dominari in catera possit*, hominem esse.

S.Greg. li.17. Moral. c. 18.

Ouid. lib. 1. Metam.

XI.

Capi parum est, etiam blandiri, discunt, vt passer Catulli, & Stellæ columba; quin & artes docentur; neque ad cantum modò juxta Musicæ leges temperandum, fringilla, chloris, carduelis, luscinia, passer Canarinus, & aliæ id genus aues; sed etiam sturnus, pica, cornicula, coruus, psittacus ad ipsa verba humana, sermonémque æmulandum instruuntur. Agrippina Claudij Cæsaris coniux turdum habuit, quem si audisses loquentem, & non vidisses, hominem putauisses. Fuit coruus Romæ, qui sermoni assuefactus, omnibus matutinis in Rostra & forum deuolâs, Tiberium, Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem pop. Rom. salutabat. Satyricum audiamus.

Persius in prologo.

Quis expediuit psittaco suum χαῖρε;
Picásq; docuit nostra verba conari?
Magister artis ingeniíq; largitor
Venter negatas artifex sequi voces.

Apul. in florid.

Delicatè auem hanc sermonis æmulam, his verbis descriptam dat Floridorum author. *Psittacus Indiæ auis est, guttur illi minimo minus quàm columbarum, sed nec color vt columbarum. non enim lacteus ille, vel liuidus, vel vtrimq; subluteus, aut sparsus est: sed color psittaco viridis, & intimis plumalis, & extimis palmalis; nisi quòd sola ceruice distinguitur. Enimuerò ceruicula eius circulo minio, velut aurea torqui, pari fulgoris circumactu cingitur, & coronatur. Rostri prima duritia, cùm in petram quampiam concitus altissimo volatu præcipitat, rostro se velut anchorâ, excipit. Sed & capitis eadem duritia, quæ rostri. Cùm sermonem nostrum cogitat æmulari, ferrea clauicula caput tunditur, imperium magistri, vt persentiscat, hæc ferula discenti est. Discit autem statim pullus, vsq; ad duos ætatis suæ annos; dum facilè os, vti conformetur, cum tenera lingua, vti conuibretur. Senex autem captus, & indocilis est, & obliuiosus. verùm ad disciplinam humani sermonis facilior est psittacus, glande qui vescitur: & cuius in pedibus, vt hominis, quini digituli numerantur. non enim omnibus psittacis id insigne, sed illud omnibus proprium. quò eis lingua latior, quàm ceteris auibus, eò faciliùs verba hominum articulantur, patentiore plectro & palato. Id verò, quod didicit, ita similiter nobis canit, vel potiùs eloquitur, vt, vocem si audias, hominem putes: nam quidem si videas; idem conari, non eloqui. Verùm enimuerò & coruus & psittacus nihil aliud, quàm quod didicerunt, pronuntiant. Si conuicia docueris, conuiciabitur: diebus ac noctibus perstrepens maledictis. hoc illi carmen est, hanc putat cantionem. Vbi omnia quæ didicit maledicta percensuit, denuo repetit eandem cantilenam. Si carere conuicio velis; lingua excidenda est, aut quamprimùm in syluas suas remittendus.* Vidi, audiuique psittacum meliora doctum. Nam disertissimè canebat: *Sancta Maria, ora pro nobis.* De altero audiui, qui, in Hispania, cùm à miluo de fenestra raperetur in sublime, doctus dudum à nautis S. Thomam Christi & Indiæ Apostolum laudare, intra raptoris vngues canens: *Sancte Thoma, ora pro nobis;* illico dimissus, inspectante populo, ostendit, quantum prosit hominibus inuocatio Sanctorum, quando vel volucribus vtile fuit, Diuos implorauisse.

Ne

Ne autem in voce sola existimemus auium consistere disciplinam, etiam ad venatum instituuntur. Hinc falconum, accipitrum, miluorum schola, & aucupium, occupatio & voluptas magnatum. Hinc volumen iustum extat, de auium aucupio Friderici II. Imperatoris, & Albert. M. de falconibus, Asturibus, accipitribus. Hinc & illud: XII.

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem Martial. l. 14. ep. 216.
Decipit, & captas non sibi mœret aues.

Nec venatores tantùm agunt aues; sed & tabelliones. Cecinna Volaterranus, equestris ordinis, comprehensas hirundines victoriæ nuncias amicis mittebat, cum litteris, quas earum pedibus ferendas alligabat. Columbæ epistolas pedibus annexas, obsidione Mutinensi, in castra Consulum pertulêre, D. Bruto mittente. Quod si hæc, sine auium instructione, saltem non sine earum ope, contigerunt. Marthes certè rex Ægypti cornicem habuit adeò cicurem & mansuefactam, vt quoquò jussisset ille, epistolas deferret: non ignorans, quò transuolandum esset, aut vbi considendum. Hoc, si magiæ suspicione caret, non intelligentiæ, sed longè assuetudini cornicis est ascribendum. Quid enim assuetudo, altera natura, non potest? ipsam naturam mutat; qua impetratum est, quod, nisi à compluribus oculatis fideq; dignissimis testibus audiuissem, inter incredēda putassem numerandum. Nam si fabulosum putatur, quod Strabo scribit, apud Venetos, Starbo. l. 5. duos olim lucos celebres extitisse, Iunonis Argiuæ, & Dianæ Ætolicæ, in quibus feræ ita fuerint mansuefactæ, vt cerui lupis aggregarentur; quanto fabulæ similius videri poterit, quod tamen verissimum est? In Heluetijs, locus Lucerna distat quatuor milliaribus, vbi Parochus, stupendo naturæ miraculo, solebat hospites suos, inter prandendum, oblectare. Pultem transfundebat in patinam, & certo loco constituebat. Mox, signo dato, admirabiles conuiuas, ad vnam quadram, euocabat. Prosiliebat è cauo hinc musculus, inde prodibat è cauea auis: aliunde cum cane aduentabat felis. Nec feli canis, nec muri felis, nec mus aui quidquam hostile faciebat. Summa erat inter omnes amicitia, maxima concordia; nulla inuidia. Omnes, ex vna patina, simul epulabantur. Et, absumpta dape, ad sua, vnumquodquod animal cubilia

cubilia quietè redibat: ita, vt auis ipsa sibi ostium caueæ & reseraret, & clauderet; & musculus, quoties nominatim ab hero euocaretur, de cauo suo procurreret; nec cane oblatrante, nec fele insidiante. Tantum homini adhuc dominium est à Deo relictum. Si vult, pacem amicitiamq; colunt auis, canis, & felis, & musculus quoque non respuit disciplinam.

XIII. Ne quis autem aquilam volucrum reginam arbitretur dedignari, atque seruire homini nolle, meminerit, infantem à turri deiectum, à subeunte aquila seruatum, & in proximum hortum deportatum, postea que regnum Babylonis adeptum. Quod si quis fortè putet, Angelum fuisse, qui aquilæ plumis puerum hunc exceperit, atque ad maiora seruârit, cùm dictum sit: *Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*; cogitet, eodem authore teste, puerum ab aquila sic adamatum, vt illi ministraret, vnaque cum illo moreretur: itemque consideret, quæ nos alibi, de aquila Cutberti, & Aristomenis baiula retulimus: itemque quod Callicrates Tyrius, vt est apud Vopiscum, prodidit, Aurelianum infantem, & fasciola vinctum è cunis ab aquila innoxiè leuatum, & in aram impositum, quæ iuxta sacellum fortè, sine ignibus erat. Nec fabulosum est, quod, in vita fabulatoris Æsopi, historicè recenset Maximus Planudes, his verbis. *Nectenabo rex Ægypti, cùm falsò accepisset, Æsopum esse extinctum, mittit Lycero regi Babyloniorum statim epistolam, quâ architectos petebat, qui turrim ædificarent, neque cælum, neq; terram attingentem. Lycerus Æsopo quasi rediuiuo (nam occidi iusserat, quē seruus Lyceri clam seruârat) cum Nectenabonis epistolam ostendisset, Æsopus omnes aucupes accersiuit, atq; aquilarum pullos quatuor, vt caperent, iussit: captos nutriuit ac instruxit, vt pueros in sportis vnguibus aquilarum affixis gestando in altum tollerent, atque ita obedientes pueris essent, vt, quocunq; illi vellent, volarent, siue in altum, siue in terram humi. Exacta hyeme, Æsopus cum aquilis & pueris profectus ad regem, spectaculum illud, tota admirante Ægypto, exhibuit. Rex, viso Æsopo, perculsus, attulisti inquit, qui turrim ædificent? Cui Æsopus, parati sunt, si modò ostendas locum. Postea egressus vrbem rex in planicie demonstrat dimensum locum. Adductus ergo Æsopus, ad demonstratos loci angulos, quatuor aquilis,*

Aelian. li. 12. cap. 21.

Psal. 90. 12.

Aelian. lib. 6. cap. 29. In lib. de spe & fiduc. cap. 8. & cap. 14.

cum pueris, per ſacculos appenſis, ac puerorum manibus fabrorum datis inſtrumentis, juſſit euolare; illi verò ſublimes, date nobis (clamabant) lapides, date calcem, & aliam, ad ædificationem, materiam. Quo miraculo attonitus Nectenabo, vnde, inquit, mihi volucres homines? Æſope, victus ſum. Quòd ſi quis hanc rem, de Æſopo, non veriorem, quàm ſi ab Æſopo narrata fuiſſet, obijciat, nôrit in Amphitheatro Romano olim bis exhibitam aquilam, quarum vna, puerum Ganymedis perſonam agentem extulit in aërē, & retulit, teſte Bullengero; altera ipſum Iouem ſcenicè repræſentatum, atque aquilæ inequitantem. Quò altiùs ars humana aſcendere potuiſſet? Dædalos, atque ex ipſis auibus Pegaſos facit. Bullengerus. lib. de venat. Circ. cap. 21. Martial. li. 5. epiſt. 56.

XIV.

Quadrupedum beſtiarum volucrúmque ſubjectioni addit Apoſtolus etiam dominium in ſerpentes, ait enim: *omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium domantur.* Iacob. 3. 7. Poſſet autem de his idcirco quæri, quia ſerpenti dixit Deus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius.* Gen. 3. 15. Inimicis nemo libenter obedit. Ita eſt: ſed inimicos quiſque libenter domat, & ſubijcit. Quare domandi poteſtatem Euæ, eiuſque poſteris tum Deus non ademit; immo potiùs confirmauit, quando dixit. *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo illius.* Ibid. Magnæ aſtutiæ animal eſt ſerpens; ſed maioris prudentiæ homo. Itaque cedit prudentiæ aſtutia. Quàm multi ſunt, qui probatiſſimis antidotis ſerpentes innoxiè, nudâ manu, capiunt, & contrectant? qui araneos pinguiſſimè virulentos deuorant? qui, æſtiuis diebus, corpori nudo refrigerando, angues, cinguli inſtar, circumplicaut? Quod & mulierculæ, in Italia, obſeruant.

Sic gelidum collo nectit Flaccilla draconem.

Agyrtæ, ſeu medici circumforanei, non ſolùm circumferunt ſerpentes, ſed etiam eos de collo, & brachijs ſuſpendunt, theriacis ſuis, & alexipharmacis ſiſi. Natura ipſa Pſyllos, Ophiogenes, & Troglodytas dominos viperarum fecit, Pſylli venenum innoxij ſugunt. Hinc eos Cato, per Libyæ deſerta iter faciens, ſecū duxit, vt ſerpentium ictibus mederentur, quemadmodum ſcribit Plutarchus. Hexagon Cyprius Ophiogenes, Romæ in, dolium ſerpentium, experimenti cauſâ, fuit conjectus, & illęſus inde extractus. Troglodytæ etiam vorant ſerpentes ſine nocumento. Ea natura

 eſt

est genti: non supra naturam, cum neq; rostratis animalibus hæc venena obsint, quorum antidotum potest & homini à natura dari, vt muniatur, & venenata non metuat, sed metu coërceat. Quæ non tantùm subigit timore, sed etiam familiaritate.

XV. Plin. li. 10. 74. *De aspide miraculum Philarcho reddatur, is enim author est, cùm ad mensam cuiusdam veniens in Ægypto aleretur assiduè, enixam catulos, quorum ab vno filium hospiti interemptum: illam reuersam ad consuetudinem cibi intellexisse culpam, & necem intulisse catulo, nec postea in tectum id reuersam.* Diog. Laërt. in vita eius. De Heraclide Philosopho Pontico Laërtius refert, quod cùm adhuc puer esset, draconem enutriuerit, quem, quoad vixit, habuerit deinceps domestica conuersatione. Isa. 11. 8. Poterat de hoc dici: *Et delectabitur infans ab vbere, super foramine aspidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suã mittet.* Aelian. lib. 13. var. hist. c. 46. Quod & alij conuenit. *Ciuitas est, in Achaia, nomine Patræ. In ea puer* (Thoas ab alijs nominatus) *draconem paruulum emebat, magnaq; eum cura educabat. Cumq; creuisset, loquebatur, quasi cum intelligente, ludens, ac dormiens cum ipso. Quum verò ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à ciuibus est dimissus. Post, cùm puer adolescens factus, reuersus à spectaculo quodam, cum aliquibus æqualibus, in latrones incidisset, & clamorem extulisset, ecce draco præsto est, & alios in fugam vertit, alios interimit, ipsum verò saluum conseruat.* Vides educatos in familiaritatem serpentes, immo dracones, sed, postquam nimium excreuerunt, in loca sola eliminatos. In serpente, explicato ex Diodoro Siculo, lib. 3. bibliothec. hist. n. 36. De alio xxx. cubitorum serpente capto, Alexandriam peruecto, ac fame cicurato, alibi historiam prolixè recitaui. Cic. lib. 1. de diuin. De L. Roscio Fabato Tullius ita scribit: *Quid amores, ac deliciæ tuæ Roscius? num aut ipse, aut pro eo Lanuuium totum mentiebatur? qui, cùm esset in cunabulis, educareturq; in Selonio (qui est campus Lanuuini) noctis lumine apposito, experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu, quo aspectu exterrita, clamorem sustulit. Pater autem Roscij ad aruspices retulit, qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.* Suetonius in Tiberio. Nempe quia & Herculem serpentes in cunis clarum fecerunt. Legimus & Tiberium Cæsarem serpentem draconem in delicijs habuisse, eique ex consuetudine, manu sua cibum ministrare solitum; quem cùm is corrosum à formicis reperisset, monitus est, cauendam sibi esse vim

mul-

multitudinis. Formicas enim populi significatum habere, non fabula tantùm Pelei Thessaliæ regis, verùm & prodigiosa somnia declarant. Nam & Nero paulò antè, quàm extingueretur, visus est sibi per somnium pennatarum formicarum multitudine oppleri. Vterque igitur & Roscij, & Tiberij serpens innoxius, vterque fatidicus fuit; quamuis fortasse, non sine superstitiosa credulitate. Quemadmodum & ille draco, quem impostor quidam per Pontum circumduxit, vulgoqae persuasit, eum esse Pellæum Æsculapium, certáque responsa dare solere. Deridebant Christiani eam imposturam, & præstigias detegebant. Qua de caussa, si vellet oracula sua instituere, Atheniensium ritu, denunciatio fiebat talis: *Si quis impius, aut Christianus, aut Epicureus mysteriorum explorator accessit, discedat.* Sub hæc protinus expellebantur, illo præeunte, dicenteque: FORAS PELLANTVR CHRISTIANI. Non poterat nimirum, his præsentibus, fatuos homines fallere Orcus, Christi virtute eneruatus: sicut & Paulus spiritum Pythonem è puella expulit. *Videntes autem domini eius, quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram.* Falsi sunt ergo potestatem hominibus dari non in serpentes modò, sed etiam in pythones & dæmones serpentum moderatores, & rectores. Quamobrem magnum adhuc nobis relictum est in bestias dominium; & verè dixit Iacobus: *omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Miriora Lucianus de dracone Alexandri Pseudomantis; & plura Casaubonus, curis secundis ad Suetonium, Torrentius in Tiberium Suetonij. Iustinus certè tradit, ita olim Hannibale authore, contra Eumenem, regi Prusiæ serpentes profuisse, vt nouo commento victor existeret. Nam omne serpentium genus in fictiles lagenas conijci jussit, medioque prælio in naues hostium misit. Id primùm Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi serpentibus naues repleri cœpére; ancipiti periculo circumuenti, hosti victoriam cessére.

Lucian in Alexandro.

Act. 16. 19.

Iac. 3. 7.

Iustin. lib. 30. 32.

XVI.

Cur autem addit, *& ceterorum*? num aliud restat genus animalium? Restat vtique, nempe piscium. At de his maior est dif-

ficultas, cùm pisces nec membra auditus, nec foramina habere doceat Aristoteles, & cum eo Plinius. Audire tamen eos, testatur vterque. *Pisces quidem*, ait Plinius, *auditus nec membra habent, nec foramina, audire tamen eos, palam est: vtpote cum plausu congregari feros ad cibum consuetudine, in quibusdam viuarijs spectatur: & in piscinis Cæsaris, genera piscium ad nomen venire, quosdam singulos. Itaque produntur etiam clarißimè audire mugil, lupus, salpa, chromis, & ideò in vado viuere.* Nec sensum duntaxat disciplinæ habent pisces, sed disciplina quoque vtuntur. Hinc de vitulis marinis ait idem author: *Accipiunt disciplinam, voceq; pariter & visu populum salutant incondito fremitu: nomine vocati respondent.* Quo credibilius euadit illud Martialis:

Aristot. li. 4. animal. Plin. lib. 10. c. 70.

Plin. lib. 9. nat. hist. c. 13.

Martial. l. 10. epig. 30.

Natat ad magistrum delicata Muræna:
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse jußi prodeunt senes mulli.

Apud Athenæum lib. 8.

Subscribit *Nymphodorus Syracusius*, qui, *in suis circumnauigationibus refert, in Eloro fluuio, lupos esse anguillasq; magnas, tam cicures, vt ex illorum manu, qui offerunt, panem sumant. Ego verò*, ait Athenæus, *in Chalcidis Arethusa cum admiratione vidi, quemadmodum & fortaßis vestrum plurimi, Cestros mansuefactos, & Anguillas aureis argenteisq; ornatas inauribus, qui & quæ tum obiectum cibum à spectatoribus acciperent, tum à sacerdotibus victimarum exta, & mustleum caseum.* Hæc ille. Venit in testimonium & Ælianus, cui⁹ hæc sunt: *Pisces quoq; cicures & mansueti euadunt; &, cùm appellantur, intelligunt, & è manu largientium cibos capiunt, vt anguilla sacra in Arethusa. Muræna etiam Craßi Romani omnium prædicatione celebrata. Sic inauribus & gemmis distincto monili, velut puella ornabatur, & appellantis vocem Craßi agnoscebat, ad eumq; adnatabat. Cumq; ei cibi quippiam porrigeret, prompta capiebat, quam ille mortuam affecit honore sepulturæ.* Eiuscemodi cicuratos pisces aluit & Domitianus, de quibus illa intelliguntur:

Aelian. lib. 8. de animal. cap. 4.

Martial. li. 4. epig. 30.

Sacris piscibus hæ natantur vndæ,
Qui nôrunt dominum, manumq; lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius.
Quid quòd nomen habent, &, ad magistri
Vocem quisque sui, venit citatus?

Mira sunt, quæ de Delphinis Iasensibus, Baianis, Tænarijs, & Corinthiacis memorantur; & quæ de Crocodilis mansuetis narrat Ælianus. Sed illud vnum, ex omnibus sufficiet, quod Petrus Martyr Mediolanensis, & ex eo Raderus recenset. *Vallis Atici dicitur, cui regulus praeest, Caramatexius nomine, piscatu delectatus, in cuius retia piscis catulus incidit, de genere piscium immanium, qui dicuntur Manati ab incolis. Minime notum arbitror genus id monstri per nostra maria. Est namq; testudineæ formæ quadrupes: squamis tamen, non choncha munitus, corio durißimo, ita vt neq; sagittam vereatur, mille ferrucis armatus, tergo autem plano, & capite penitus bouino. Aquatilis est, & terrenus piscis, mitis, iners, vti elephas, vtique delphin hominibus sociabilis, sensu mirabili. Infantulum piscem domi regulus aluit dies aliquot, pane patrio; ex iucca & panico, puta, confecto, radicibus etiam alijs, quibus homines vescuntur. Adhuc paruulum projecit piscem in lacum suis ædibus proximum, tanquã ad viuaria, qui lacus & ipse suscipit aquas, nec illas euomit. Liber in aquis piscis annos vagatus est viginti quinque; adoleuit in immensum &c. Pisoni nomen est impositum Matum, quod significat generosum, aut nobilem. Quando ergo ex reguli familiaribus ei notis præcipuè in lacunæ ripa, Matum, Matum, id est, generose, generose, clamabat, humani beneficij memor, caput eleuans, ad vocantem pergebat; pascebatur hominum manu. Si verò quispiam transfretandi cupidus signa dabat, prostratu suo trajecturos inuitabat. Decem aliquando monstrum conscendisse, vno receptu, transportatósque omnes fuisse incolumes, psallendo & cantando, compertum est.* Hæc hisque plura Petrus, è quibus clarissimè perspicitur, ita esse, vt dixit S. Iacobus, *omnem naturam bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum* quoque, vt sunt pisces muti, & ad discendum stupidi, *domari, & domita esse à natura humana*, non extraordinaria & diuina tantùm, sed etiam naturali hominis vi, industria, & potestate; juxta illud, ad Noë & filios eius dictum: *Terror vester ac tremor, sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram*, qualia sunt, quæ serpunt; immo & quæ mouentur in aquis; è primo hominis priuilegio, ad similitudinem Dei dominantis facto: *Præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra.*

Aelian. lib. 8. cap. 5. Petr. Mart. dec. 3: lib. 8. de reb. Oceanicis. & ex eo Matth. Rader. in l. 4. Martial. epigr. 23.

Iacob. 3. 7.

Gen. 9. 2.

Gen. 1. 26.

CA-

CAPVT XV.

Iniustam esse, contra bestias, querelam; justam autem Dei contra homines bestijs inobedientiores, ac proinde meritò puniendos,

I. Ot, tamque manifestis exemplis tria demonstro. 1. Nullam posse esse justam, contra animalium injurias, querelam. 2. Erubescendum hominibus, Deo non obedientibus, cùm videant sibi bruta animalia, & quidem fortissima etiam, atque alioqui ferocissima, tam exactè, & ad amussim obedire. 3. Dignos esse proinde, & meritò à bestijs puniendos, quicunq; contra Deum delinquunt, & ipsis bestijs sunt obstinatiores. Ad primum enim quod attinet, nonne cauere potest dentes, vngues, cornua, aut venena bestiarum, qui oculis præditus est, quibus videat, pedibus quibus fugiat, manibus quibus repellat, ingenio, quo vincat, quidquid est vel dente noxium, vel vngue metuendum, vel cornu formidabile, vel veneno insidiosum? Vnde ergo tanta hominis impatientia? vnde querimoniæ? vnde murmurationes & execrationes? Erumpunt in indignationem nonnulli delicati, si quando eos non leo, non lupus, non rabidus canis, sed vel pulex aut musca momordit? quid si vipera, quid si panthera in eos dentem fixisset? sentiunt se morderi, vt homines se esse meminerint; vt discant cauere; vt assuescant aliquid pati; vt agnoscant, quantum sit beneficium, à belluis defendi; in quarum vngues & fauces quotidie incidere possent. Et incidunt aliquãdo, quia id meruerunt; cùm ob leuissima incommoda murmurauerint; vt Israëlitico populo contigit, in quem igniti serpentes sæuierunt. Itaque *custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest; & in omnibus gratias agite.* In vsum datæ sunt vobis bestiæ, immo & in seruitutem. Magnum dominium hoc, magnum est beneficium. Quando pro eo, gratias egistis? Nocuerunt quandoque bestiæ, sæpius profuerunt. Nocuerunt bestiæ hominibus? sed nocentib⁹, sed incautis, sed malo dignis nocuerunt. Ægrè fertis, si agros vestros deuastant apri? si in segetes cerui intrant, & sata depascuntur? si oleam lambendo capra linguâ contigerit, coëgeritq; sterilescere? si in vineam hœdus irrupit, si vitium palmites defoliauit?

Num. 21. 6.
Sap. 1. 11.
1. Thessal. 5. 18.

Plin. lib. 15. cap. 28.

liauit? Indignum esse putatis, vt damno vos afficiant animalia in vtilitatem creata? vt martes columbas jugulet, vt vulpes gallinam, lupus ouem auferat? vt vrsus equum, aut bouem occidat? vt scorpio filiolum percutiat? ob hæc talia iracundiam reprimere; & ad vos redire non potestis? Nimirum per ista vult vobis Deus ostendere, quo ipse in vos animo esse debeat, qui & ipsi longè peruicaciùs Domino vestro rebellatis. Nihil à vobis bestiæ, vos omnia à Deo accepistis: non ergo illæ vobis, sed vos Deo obligati estis. Longè igitur justiùs ille de vobis; quàm vos de bestijs, conqueri potest ac dicere: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Isa. 1. 2.

II. S. Ambros. lib. 6. c. 4. Hexëam.

Quid de canibus loquar, ait S. Ambrosius, *quibus insitum est natura quadam, referre gratiam, & solicitas excubias, pro dominorum salute, prætendere. Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ seruant memoriam, tu non seruas salutis acceptæ?* Assonat Basilius, *Memoria beneficiorum animantis huius*, inquiens, *beneficiorum immemorem non pudore asperserit? Iam quidem & interfectis à latronibus, in solitudine, domitis complures à cadaueribus canes non recessisse, sed ibidem expirasse memoriæ traditur. Nonnullos etiam cæde adhuc recente duces illis fuisse, qui latrones inquisiuerunt, & ad pœnam maleficos rapi fecerunt. Quid hîc dicent, qui nullo suum opificem, altoremq; Deum prosequuntur amore?* Qui, pro tot pecoribus, pro tot jumentis sibi datis, gratias nullas agunt? qui, ob minimum damnum à bestia illatum, in furorem vertuntur; &, in creatura, Creatorem ipsum execrantur? Nimirum agunt ipsi pro affectu, nec ratione cohibent impetum animi; & vellent ratione carentes bestias, nec irasci, nec se vindicare de inimicis. Enimuerò Deus, qui illis naturam dedit, dedit vt irascerentur, & in vindictam efferuescerent; quamuis ne tum quidquam vlli inferre possint damni, sine prouidentia, certóque judicio illius, sine cuius voluntate ne capillus quidem de capite nostro perit. Quis miretur vulneratam belluam in vltionem conciliari? Natura cuique dictat vindictam. Si ergo gladiator ignoscit antagonistæ seu cæsim, seu punctim se defendenti; cur tu belluam feris, & velles, vt non referiret? Admirationem, non

Basil. hom. 9. in Hexaëm.

indignationem apud hiſtoricos meretur, quod Iubæ regi Maurorum fertur contigiſſe. Hic rex, cum exercitu ſuo, aliquando, per Africæ deſerta, rerum ſuarum componendarum ſtudio proficiſcebatur. Erat in eius comitatu præſtantiſſimi animi juuenis, qui ex itinere obuium leonem ſagitta percuſſit. Saucius leo in ſiluam ſe recepit. Multum temporis ierat, cùm Iuba, rebus ex voto compoſitis, eádem via copias domum reduxit. Ibi idem ille leo, excuſſo telo, & ſanata iam diu cicatrice, obſeruauit tranſeuntes, atque è tam magno equitum numero, illum ſolum juuenem, qui vulnus inflixerat, ex omni multitudine, violentiſſimo curſu petiuit, hoſtilitérque aggreſſus, nulla confluentium militum vi cohiberi potuit, quin vnguibus correptum, dentibus dilaniaret. Ea vltione contentus, neminéque alio læſo, in nemoris interiora receſſit. Quæ in reliquos clementia multò vtique magis eſt admiranda; quàm, quòd ſe leo de vnico hoſte vindicârit. Multi homines non contenti ſunt inimicum perdere, ſed ſæuiunt etiam in amicos inimici. Atque hæc de primo ſatis.

III. Senec. li. 2. de ira. c. 31. Sed ad ſecundum venio, &, cum Seneca, dico: *Aſpice elephantorum jugo colla ſubmiſſa, taurorum pueris pariter ac fœminis perſultantibus, terga impunè calcata, & repentes, inter pocula ſinusq́ innoxio lapſu, dracones, & intra domum vrſorum, leonumq́ ora placida tractantibus, adulantesq́ domino feras, pudebit, cum animalibus permutaſſe mores.* Quis enim rubore non perfundatur, ſi videat, humanam quodammodo in belluis manſuetudinem, in ſe autem animum ad ferinos mores, ad indomitam obſtinationem obbrutuiſſe? *Officia,* inquit idem Seneca alibi, *etiam feræ ſentiunt. Nec vllum tam immanſuetum animal eſt, quod non cura mitiget, & in amorem ſui vertat. Leonum ora à magiſtris impunè tractantur.* Et homo ſe non ſinit tractari à Deo? Elephas collo jugum ſubmittit; & homo excutit à ſe *ſuaue jugum* Chriſti, dicens: *Non ſeruiam?* Certè Iob teſtatur, eſſe, *qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt Omnipotens, vt ſeruiamus ei? & quid nobis prodeſt, ſi orauerimus illum?* Patitur leo frænum hominis, & homo nulla ſe ſinit lege frænari? Tauros ſtimulo impellit modicus puer, & homo ſeſe à Deo non ſinit, ad virtutem extimulari? *Super aſpidem & baſiliſcum* ambu-

Marginal notes: Senec. lib. 1. de benef. c. 3. — Matth. 11. 30. — Iob. 21. 14. — Pſal. 90. 13.

ambulat homo, & conculcat *leonem & draconem* , & ipse vult à Deo in manibus portari? Denique *omnem naturam bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domari, & domita esse ab humana natura* scimus, & nos domare Deus non potest? Non ferimus leges, præcepta contemnimus, obedientiæ nullam audire volumus mentionem; cùm interea videamus nobis accipitres, falcones, aquilas in aëre, delphinos, murænas, ipsas balænas in aquis obedire. Iacob. 3. 7.

IV.

Nulla ars absque magistro discitur, ait S. Hieronymus, *etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues vnam sequuntur, ordine litterato. Imperator vnus, Iudex vnus prouinciæ. Omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator. In domo vnus dominus. In quamuis grandi exercitu, vnius signum expectatur. Et, ne plura replicando fastidium legenti faciam: per hæc omnia, ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum.* Tibi bestiæ subsunt, vt tu discas Deo subesse. Dum illis imperas, tuam inobedientiam accusas. Bestias regis, ne errent, & tu vis, instar bestiæ errare, dummodo nemo te regat? Aliter rex ille fuit affectus, qui dixit: *Vt jumentũ factus sum apud te: & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me.* Citiùs & rectiùs ad metam decurrit equus, qui patitur sessorem, quo excusso, in incertũ vagatur. Ita neque ad cælum perueniet homo, qui se non sinit, è cælo dirigi. *Ecce Dominus super murum litum, in manu eius trulla cæmentarij*, hoc est, perpendiculum. Vbi LXX. sic legunt: *In manu eius adamas.* Tametsi enim soleat trulla, seu perpendiculi pondus plumbeum esse; Dei trulla adamantina est. Quia perpendiculũ Dei, lex est Dei. Nam, sicut perpendiculo admoto ædificia explorantur, murique, num recti stent, an obliqui in ruinam se inclinent; ita S.Hieronym. ep.4. ad Rustic. Psal. 72. 23. Amos. 7. 7.

Apposita incuruos ostendit regula mores,

& lex Dei declarat, quis sit homo Dei. Porrò ea lex, in quorundam hominum manu, plumbea est, & cedere cogitur, flectiturq; in omnes partes, ad libitum & libidinem peccatoris, qui mandari sibi cupit, quod ipse vult. In manu autem Dei, & hominis Deum amantis, lex diuina regulaque non plumbea est, sed ada-

mantina, quia non cedit, sed voluntas obedientis cedit illi: quia
Psal. 1. 2. *in lege Domini voluntas eius*, vnde ait: *Domine, quid me vis facere?*
His talibus bestiæ, quæ domantur, fiunt in exemplum; contumacibus autem, & dura ceruice jugum Domini à se proijcientibus, in metum & supplicium.

V. *Cor suum posuerunt, vt adamantem, ne audirent legem &c.*
Zach. 7. 12. *& facta est indignatio magna à domino.* Quia igitur bestijs, non in
Psal. 57. 5. obedientia, sed in truculentia pares fiunt, estque *furor illis, secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas; quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter, Deus conteret dentes eorum, in ore ipsorum.* Sicut eques conterit dentes equi frænum mordentis. Quo autem justiore modo obstinatos plecteret, quàm, vt rebellibus immitteret rebellionem? *Quia frequenter & grauiter peccaui tibi*, ait vir sanct⁹, *meritò armatur contra me omnis creatura.* Sic, quia Eua se à serpente decipi est passa, inimicitiæ inter illam & serpentem insidiæque sunt positæ, vt idem esset punitor, qui fuerat seductor. Sic induratus Pharao ranis, sciniphibus, muscis, locustisque est punitus. Per *sciniphes* Hebræi, & cum illis Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, Caietanus, pediculos intelligunt, quibus, vt postea Herodiana crudelitas, ita priùs Pharaonica tyrannis est castigata: alij rectiùs id negant, cùm pediculi è corpore humano, non è puluere terræ generentur, quod hîc tantùm docet Scriptura. Vbi autem nos legimus: *immittam in te, & in seruos tuos, & in populos, & in domos tuas, omne genus muscarum*, vertit Chaldæus, *mixturam bestiarum nociuarum*, Pagninus, *omne genus ferarum.* Hebræi quidam, *incursionem leonum, pardorum & luporum* intelligunt. Quia tamen S. Hieronymus cum 70. & Aquila melius *arob* miscellam, seu turbam variarum muscarum interpretatur, dubium non est, tantam esse Dei potentiam, vt vel è musca facere possit immanem tortorem. Sicut & locustæ grandi Ægyptũ plaga percusserunt. Deuorarunt enim, quidquid erat virens in terra. Quin & domos ingressæ eas impleuerunt: & in oculos quoque & corpora Ægyptiorum insilierunt, hominésq; virulento morsu suo, necauerunt, vt ait Scriptura. *Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum*

Margin notes: Thom. de Kemp. lib. 3. de imit. c. 41. — Gen. 3. 15. — Exod. 8. & 10. — Ioseph. lib. 2. Antiq. — Exod. 10. 21. — Sap. 16. 9.

lorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari. Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes. Quod, vt minùs mire- Plin. lib. 11.
ris, hæc de illarum regionum muscis scribit Plinius: *Grandiores* cap. 29.
cernuntur. & tanto volant pennarum stridore, vt aliæ alites credantur, solémque obumbrant, solicitè spectantibus populis, ne suas operiant terras. Longinqua maria transeunt, continuata plurium dierum fame, vt externa pabula petant; dira nube messes contegunt, multa contactu adurentes, omnia morsu erodentes.

Sic, murmuratione facta, *misit Dominus in populum ignitos* VI.
serpentes, ita dictos, quia ab ijs morsi aduri videbantur, &, vt alibi Num. 21. 6.
dicitur, *in solitudine magna atque terribili* fuerunt, *in qua erat ser-* Deuter. 8. 15
pens flatu adurens, & scorpio ac dipsas. Itaque *cum illis superuenit sæ-* Sap. 16. 5.
ua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur. Sic, quando rex Achab regi Syriæ Benadab pepercit, cùm 3. Reg. 20. 36.
posset & deberet occidere illum, *tunc vir quidam de filijs Prophetarum dixit ad socium suum, in sermone Domini: Percute me: At ille noluit percutere. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumq; paululùm recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit.* Alterum autem non percussit, qui
Prophetæ obediuit. Leone, in vltionem, etiam alia vice vsus est 3. Reg. 13. 24.
Dominus, aduersus Prophetam inobedientem, quem *inuenit Leo in via, & occidit: & erat cadauer eius projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadauer.* Leone hic Deum vsum esse in pœnam, Propheta alter ostendit, qui ei pœnam prædixit. Ostendit & ipse Leo, qui non asinum, sed sessorem occidit; & id se fame impulsum non fecisse, ipsa abstinentia demonstrauit. Neque enim de occiso quidquam gustauit, sed juxta eum asinumque permansit, vt, contra aliarum ferarum impetum, eos custodiret.

Sic non leonibus tantùm, sed & vrsis vsus est justissimus ju- VII.
dex, ad petulantiam malè educatorum puerorum plectendam.
Ascenderat Eliséus in Bethel, *cumq; ascenderet, per viam, pueri* 4. Reg. 2. 23.
parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, Ascende calue. Qui, cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Tanti erat ludere. Sic jocum puniuit di-

uina juſtitia. Habent ergo parentes, quid mereantur, apud diuinum tribunal, ſi liberis ſuis indulgent, ſi diſſimulant ſarcaſmos, ſi etiam ad dicteria jacienda eos inſtruunt; vt ſenes caluaſtros, vt rugoſas anus, vt ſeruos & ancillas conuicijs aſpergant; vt illos cæcos, ſurdos, mucoſos, illas veneficas, vetulas, Cerberi ſponſas aut Silicernia; hos maſtigias, verberones, nebulones; has meretrices, proſtibula, pabula Orci appellent. Eliſéum caluum vocauêre; & pueri erant; & in campis nugabantur; & tempore exiguo, ac vix bis ſcomma hoc effuderunt in tranſeuntem; & ecce, Deo judice, *quadraginta* parentibus ſuis chariſſimi filij, deliciæ matrum, ſpes poſteritatis; quodque eſt miſerabilius, *pueri parui*, ab vrſis non occiduntur modò, ſed etiam *lacerantur*, vt nullius cadauer poſſet dignoſci, nullius corpus in patrium ſepulchrum inferri, ſed neceſſe fuerit, confuſa inter ſeſe membra, in vnum cumulum, velut Abſyrtum, colligere, plangeréque etiam hoc, quòd ibi, vbi ſciebat eſſe, nemo ſuam prolem poſſet inuenire. O quale tunc ſpectaculum fuit parentibus, & cognatis, exire in campum, recente, & adhuc fumente filiorum, nepotumque ſanguine cruentatum! calcare gramina hinc tabo purpurata, inde exanguibus, & à ceruice ſua reuulſis vultibus pallentia! Vidiſſes hic matrem brachium, ibi patrem oſſa humero malè hærentia tollentem, & explorantem, an notæ ſibi tunicæ aptari poſſent! Alij, velut lymphat, per totam ſtragem ſurſum ac deorſum currebant, vt volante oculo deprehenderent gnatum adhuc palpitantem; alij per ſingulos, ordine, quærebant, vt, quod quærebant, non præterirent: ita, quid ſinguli paſſi ſint, viderunt in vniuerſis. O quis tum, quantúſq; luctus fuit, qui gemitus, quæ ſuſpiria in cælum miſſa? quàm ingens vis lachrymarum in terrã cadentium, aut lacerata paruulorum membra lauãtium! Quàm ſeria fuit accuſatio, in vrſorum feritatem vibrata? quanta execratio belluarum? Sera eſt hæc veſtra querimonia, ô parentes. erratis accuſando. Vos ipſos, non vrſos, accuſate. Si voluiſſetis liberos veſtros ad ſenectutem peruenire, docendi fuiſſent, ſenes non contemnere; non ridere Prophetam, ſanctis non illudere, ſed reuerentiam exhibere: cur ab vrſis exigitis humanitatem, qui *pueros paruos* docuiſtis feritatem? Nunc quia, veſtra vel negli-

gentiâ,

gentiâ, vel indulgentiâ, vel socordiâ, in Eliséum linguas stringere didicerunt; Dei sententiâ & mandato, belluæ, in illos, dentes debuerunt stringere; vt mordacitas eorum, vrsinis morsibus plecteretur, & justissimo Numinis judicio lacerati docerent, sanctos viros contumelijs non lacerandos.

Abeant nunc ad vulgi opinionem, & querantur contra bestias, ad bestias à Deo damnati. 1. Opificem sapientissimum, in opere exquisitissimo reprehendunt. 2. Patefaciunt suam dementiam, vt, qui velint, sibi belluas parere, cùm ipsi suo Conditori obedire recusent. 3. Ostendunt se dominij plenitudinem, cum innocentia perdidisse. 4. Sibi plus licere volunt, quam Domino suo supremo, quem, ad scelera plectenda, nolunt vti creaturis, cùm ipsi reos equis distrahant, camelis conculcent, vrsis objiciant ambedendos, leonibus deuorandos. 5. Adeò cæci sunt, vt non videant diuinam protectionem, adeò surdi, vt non audiant comminationem. De præuaricatoribus enim dicit: *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Vel, si audiunt, cur non metuunt; si vident, cur non cauent? Ideò enim iteratò ait: *Immittam in vos famem, & bestias pessimas, vsq; ad internecionem.* Sed non mouentur minis saxea corda. 6. Inde mentem amittunt, vnde eos sapere, & mundi Rectorem agnoscere oporteret, cuius justissima gubernatione, bestiæ in reos irruunt, quæ non audent tangere, aut libare innocentes. Aut certè, dum nocentes lædunt, innocentes defendunt. Quo pacto, cùm aliquando hostes, noctu, nauibus appulissent, & arcem Neapolitanam occupaturi, muros, scalis clam appositis, magno silentio transcendissent, præter opinionem, inciderunt in leones, qui multos ex illis dilacerarunt, & suo rugitu, vigiles excitârunt, ita, vt non paucis desideratis, irrito conatu discedere coacti sint. Contrarium, apud Megarenses euenit. Apud eos, Cassius leones, quos Ædilibus ludis præparauerat, reliquit. Cùm ergo ciuitas, per Calenum, caperetur, Megarenses, ferarum carceres effregerunt, vinculis eorum relaxatis, vt irruentibus hostibus objectæ negotium tantisper facesserent, dum sibi, per moram aliquam consulere possent. Verùm longè aliter euenit, quia leones in-

VIII.

Deuter. 32. 24.

Phil. Camer. cent. 1. Hor. sub cap. 22.

Plutarch. in vita Bruti.

ciues ipſos truculenta ſœuitia conuerſi, tantam inermium ſtragem edidêre, dum obuios quoſque adoriuntur, ſternunt, atque dilacerant, vt ſpectaculum illud fuerit vel ipſis hoſtibus miſerandum. Hæc judicia Dei ſunt machinas in ipſos authores vertentis. Sed in ſacris exempla non deſunt.

IX. Sap. 16. 9. Clariſſimum eſt, quod ſupra de Ægyptijs attuli: *illos enim locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inuenta ſanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiuſmodi exterminari. Filios autem tuos* (ô Deus) *nec draconum venenatorum vicerunt dentes.*

Dan. 7. Atque vt in leonibus quoque id appareret, nonne Daniel, in lacu leonum, lapide & annulis regis ac optimatum, tota nocte, clauſus fuit, *& nulla læſio inuenta eſt in eo? jubente autem rege, adducti ſunt viri illi, qui accuſauerant Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt; ipſi, & filij, & vxores eorum: & non peruenerunt vſq; ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt?* Ex quo facto perſpicitur, leones, qui Danieli pepercerunt, fuiſſe famelicos, fuiſſe liberos, nullo pallio obuelatos, nulla conſuetudine cicuratos, nullis beneficijs delinitos, nullis blanditijs permulſos, ſed diuinæ potentiæ miraculo cohibitos, ne in Prophetam irruerent. Vnde ipſe ait: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi*; etiamſi leones è lacu non amouerentur, etiamſi oculi eorum nõ faſcinarentur; etiamſi altiſſimo ſomno non ſopirentur, Angelus à Deo miſſus ſatis fortis fuit, vt os illis obſtrueret, vt vngues cohiberet, vt famem ſuſpenderet, vt feritatem mitigaret. Quemadmodum autẽ diuinâ prouidentiâ leones à Daniele cohibiti ſunt, ita & ſunt in impios calumniatores incitati, vt, mutatâ phantaſiâ, illis Danielis æmuli, interiore ſenſu, repræſentarentur vel tanquam ipſis contrarij, & à quibus lædi poſſent; vel tanquam eſca conueniens & pertinens ad Paſtum. Eodem igitur loco, atq; per eaſdem belluas, mundi Moderator demonſtrauit, beſtijs ſe vti ad hominum vel defendendam innocentiam, vel plectendam impietatem. Quod ſi autem etiam permittit Sanctos, & ſibi chariſſimos, in theatris, tyrannorum imperio, à belluis lacerari; &, ſicut Antiochenum illum Ignatium, à leonibus occidi, maximo illos beneficio honorat. Tametſi enim, etiam per illos, poſſet

Vide Ariſtot. lib. 9. de hiſt. anim. c. 44.

obturare ora leonum, affectè nihilominus, & peculiari amore, eos bestijs sinit obijci, vt de atrociore prælio clariorem obtineant victoriam, & maiores triumphos mereantur. Non infert injuriam, qui offert meliora. Panis Christi fiunt, qui, Christi caussa, moluntur dentibus bestiarum. Deniq; sic in martyres euadunt, quo maius, in terris, nihil possunt adipisci, & quod ipsi flagrantissimis votis desiderauerunt.

Illud hìc iteratò mihi dicendum est, retinuisse quidem hominem, etiã post patratum ab Adamo delictum, in omnes bestias dominium, non tamen ita plenum ac absolutum, vt priùs, & cum discrimine bestiarum. Etsi enim capere, occidere, & in victum, aut vestitum, aut pharmacum, aliúmue in finem, omnes potest; non potest tamen omnes perinde domare, ita vt, quemadmodum vellet, cicurentur, & ad nutum illi famulentur; & penitus molestiam non creent. Excederet hæc felicitas miseriam exulantis. Qua de caussa, ait Hugo Victorinus: *Dominari quidem debuit homo omnibus animantibus, sed per peccatum amisit dominium, & in maximis, & in minimis. Retinuit tamen dominatum in medijs.* Perfectiorem scilicet. Nam equos, & asinos, & boues, & oues, & capras, itemque aues domesticas, & subsidiaria jumenta satis habet in potestate; maiora his animalia difficiliùs adigit ad parendum; minima minimè. Nam quis vnquam, vsque ad molestiam, alioqui familiares muscas cicures vel fecit, vel vidit? *Nullum animal,* inquit Plinius, *minùs docile, quàm musca, existimatur, minorísue intellectûs.* Annue, abige centies, centies redeunt: vel ferendæ sunt, vel feriendæ. Culices doma, si potes. Interdiu indignanti aculeum profundè infigunt: noctu auribus obstrepunt buccinãdo, & dormire vetant. Iube eos tacere, si potes; vel aculeũ condere in vaginam, si tanta tibi est authoritas. Ad viliora veniamus. Pediculis impera, ne te mordeant. Quàm diu viuunt, tam diu corpus tuum est illorum pratum. Ibi pabula carpunt, quo neque Apollo Admeti boues adigere ausus fuisset. Ius hoc illis hæreditarium est. Ibi natale solum. Dente illuc redeunt, vnde corpore toto prodierunt. Quod si de pulicibus sit loquendum, totæ possent Iliades recitari. Nam licet ars illis catenas cuderit, & retia, quibus capiantur, fabricârit, Vulcanijs illis

X.

Hugo annot. in Genes.

Plin. lib. 17. c. 6. nat. hist.

 subti-

subtiliora; licet multi ijs venandis multas horas impendant; haud tamen hanc celerem pestem à se possunt amoliri. Bestiæ sunt exiguæ, sed in pungendo acres, in fugiendo veloces; in sanguine sugendo insatiabiles. Coguntur etiam eas tolerare delicatissimæ cutis Poppææ & Cleopatrę, quę quò graciliùs sese stringunt vestiendo, eò permittunt illis licentiùs grassari, cùm manus non possit accedere ad pabulantes. Atque, vt humani dominij intelligentiùs consideremus diminutionem: Ponamus ante oculos militiæ ducem, eúmque non è communibus & obuijs vnum, sed Hectori, aut Achilli parem; aut, qualem diuinæ litteræ descri-
1. Reg. 17. 14. bunt, Goliath de Geth; qui erat *altitudinis sex cubitorum & palmi: & cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur: porrò pondus loricæ eius, quinque millia siclorum æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius, hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium, ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri.* Hunc talem Polyphemum, quo incedente, terra, sub pedibus eius, tremebat; quo vociferante, concutiebatur aër, resonabant montes, siluæ trepidabant; pulex audet aggredi, morsu lacessere, & vsque ad impatientiam exagitare. Non illum cassis ærea, non lorica squamata, non ocreæ & clypeus solidissimo metallo graues, non hasta validissima, contra animal, quod visum fugiebat, defendere potuerunt. Vincitur à pulice, qui totos exercitus solus prouocauit.

XI. Si ergo Deus hominem constituit præfectum omnium animalium, quando dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra;* Si, etiam
Gen. 1. 26.
post originale delictum vniuersorum, Dominus pronunciauit:
Gen. 9. 2. *terror vester ac tremor, sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram:* quade caussa minutissima illi animalia non obediunt, sed ad impatientiæ verba vsque infestant? Nimirum etiamnum homo harũ est Dominus terrorque bestiarum, quas capere callidè, & occidere licitè potest. Verùm etiam ab illis cruciari potest, vt habeat, vnde se agnoscat mortalem, & supercilium ponat, quando videt vel muscam regi in oculos inuolare, & in ipsa Cæsaris fronte sedere,

sedere, sine vlla reuerentia maiestatis. Hac ipsa de caussa sapientissimus mundi gubernator in tumidum illum Pharaonem, qui supra nubes sibi gradi videbatur, non leopardos, aut balænas, aut elephantos, sed ranas & muscas emisit. Quia excellentior est gloria victoris, & ignominiosior dejectio victi, si rebus minimis superbia maxima cedere cogatur. *Quæret fortasse aliquis*, ait Philo, *cur Deus tam minutis & vilibus animalibus ad vindictam vti maluerit, quàm vrsis, pardis, & leonibus, ceterisq; feris carniuoris: aut, si hæc nō placebant, saltem familiaribus Ægypto aspidibus, quarum morsus, & subitam, & ineuitabilem affert mortem? Is, si nesciat, discat, Deum voluisse Ægyptios castigare, non è medio tollere. Nam si eos omnino delere voluisset, non opus erat animalibus, sed diuinitus immissa fame, aut pestilentia. Homines quidem, cùm bella gerere volunt, auxilia sibi consciscunt potentissima, quibus suam infirmitatem suppleant. Deus verò omnipotens, & nullius egens, si quando vult, tanquam instrumentis quibusdam vti ad exigenda supplicia, non valida eligit, sed vilia, paruáq; ; atq; ita noxios plectit. Quod tunc etiam Ægyptijs accidit. Quid enim sciniphe vilius? Tamen tantum effecit, vt tota Ægyptus deficiens, exclamare cogeretur: Hunc esse Dei digitum: manus enim eius, ne à tota quidem terra, quanta, quanta est, immo nec a mundo vniuerso sustineri posset.* Hæc Philo.

Philo lib. 1. de vit. Moysis

XII.

Qui etiam, ne quis à paruis, paruam molestiam oriri duntaxat, existimet, secundam Ægypti plagam ita describit. *Vix Aaron manum extenderat, cùm ranarum tanta vis prorepsit, vt non solùm fora compleret, ac loca subdiualia; verùm & domos, & villas, & cuncta ædificia tam sacra, quàm profana; tam priuata, quàm publica; haud secus ac si genus hoc aquatilium missum esset in diuersi elementi coloniam; natura mutante rerum vicissitudines. Terra quippe contraria est aquæ. Itaque cùm nec foras progredi possent homines, vijs oppletis, nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, & ad summas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam desperationem redacti sunt.* Nullus igitur fuit sensus, qui à vilissima hac bestia non miserè infestaretur. In oculis aspicientium spina erat tam immensa vis, multitudo, & deformis figura, ora vsque ad aures diducentium, ventrésq; trahentium ranarum. Auribus Ægyptiorum nulla quies erat, à continuis earum clamoribus,

Phil. loc. cit.

cùm velut de choro ad chorum identidem moleſtiſſimè coaxarent: & velut cachinnantes populum illum irriderent. Guſtui quoque cruciatum maximum pepererunt. Nam ijs refertus erat fluuius, vt aqua inde non, niſi ſanie ranarum vitiata, hauriri poſſet, immorientibus earum pleriſque, atque putreſcentibus. Quin & domeſticum victum fœdabant, in eſculentis atque poculentis nuſquam non repertæ, quæ omnia conſpurcabant & corrumpebant, teſte Ioſepho. Odoratum verò teterrimo fœtore, quem exhalabant vel mortuæ ac putentes, vel viuæ, turpi limo, è quo enaſcebantur, & in quem reſoluebantur, plenæ, per omnia cubilia paſſim oberrantes. Quas tangere etiam abominabile erat, cùm præſertim plurimæ earum noxiæ eſſent ac venenatæ, neque fœdarent tantùm contaminarentúe tangentes, ſed etiam inficerent.

XIII. Fuit ſanè id tum diuinæ omnipotentiæ miraculum, in Ægypto: ſed etiam extra Ægyptum, abſque miraculo, nonnunquam integræ vaſtatæ ſunt ciuitates, populíque toti per ranarum importunitatem, patrijs natiuíſque ſedibus exterminati. *Heraclides Lembus libro vigeſimo primo hiſtoriarum narrat, in Pæonia & Dardania, tantam vim ranarum è cælo delapſam, vt publicas vias, priuatáſque domos implerent: primis autem diebus incolas paſſim eas occidiſſe, ædibúſque occluſis, aliquandiu patienter eam moleſtiam pertuliſſe. Sed cùm nihil proficerent, domeſticaq́; ſupellex illis tota obtegeretur, ac cum cibarijs elixas aſſaſq́; ranas offenderent, aquarum erepta commoditate; &, quia coaceruatis illis non erat pedem vbi ponerent, mortuarum odore ad extremum vexati patriam deſeruerunt.* Plinius quoque Varronem laudat auctorem, à quo proditum ſit, à ranis, quandam, in Gallia, pulſam eſſe ciuitatem. Quin & Paulus Oroſius memorat, Caſſandro, poſt mortem Alexandri Magni, Macedoniam tenente, Abderitas, intoleranda ranarum multitudine, patrio ſolo exactos, & antiquis ſedibus expulſos, nouas in Macedonia ſedes à Caſſandro petijſſe. Hæc talia indicant, à paruis non parua ſæpe ſupplicia in homines erumpere, ſi, quod magnitudini deeſt, multitudine compenſetur. Tanto etiam manifeſtiùs potentiæ ſuæ maieſtatem Devs aperit, quanto, per res paruas, maiora legitur perpetraiſſe.

Apud Athenæum lib. 8.

Plin. lib. 8. nat. hiſt. c.29 Paul. Oroſ. lib. 3. c. vlt.

Quam-

Quamobrem etiam in ipsis sese muscis mirabilem declarat. XIV.
Qui potuisset plus quàm duodecim legiones Angelorum, contra Pharaonem mittere; is ait: *Ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum: & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra, in qua fuerint.* (Exod. 8. 21.) *Omne genus muscarum*, ait, quarum aliæ sunt communes; aliæ virides & fœtentes, quædam valde crassæ & sonantes; aliquæ è mortuis aquis generatæ; nonnullę jumenta maximè inuadunt infestantque; quædam etiam morsu virulentæ. Qua de caussa S. Hieronymus existimat LXX. interpretes non vertisse κυνομύιαν, id est, *Caninam muscam*, sed κοινομύιαν, id est, muscam, vt omne muscarum genus comprehendit. (S. Hieronym. ep. 135. ad Suniam & Fretelam) Sed licet LXX. interpretes tribus locis verterint κυνομύιαν, *Caninam muscam*, (Exod 8. Psal 77. & Psal 104.) nō idcirco alia muscarum genera excluserunt; sed *caninam muscā* potiùs nominare voluerunt, quòd ea, propter insignem audaciam, violentiam, & molestiam tantò memorabilior, quanto odiosior esset: quippe quæ pertinaciùs inhæret acriúsq; mordet. Itaque hæc plaga, vt Philo scribit, *fuit per animal omnium audacissimum, cynomyiam, cui veram appellationem imposuerunt periti nominum, vt erant sapientissimi, compositam videlicet è duabus impudentissimis animantibus, musca & cane: altera vincente omnes volucres temeritate; altero omnes terrestres quadrupedes. Accurrunt enim intrepidè; &, si quis arceat, non cedunt peruicaciter, donec satientur carnibus & sanguine. Ac cynomyia particeps amborum audaciæ, & mordax, & insidiosum animal est. Nam è longinquo, in teli morem, magno impetu aduolat, infixaq; cuti, hæret pertinaciter. Tunc verò diris exagitatæ, multò erant molestiores, vltra natiuam sitim sanguinis, armatæ diuinitus, ad vltionem, contra homines impios.* (Philo lib. 1. de vita Moysis.)

Grauitas huius pœnæ, non è molestia tantùm & vexatione, XV.
sed etiam ex pernicie & effectu, exemplísque potest æstimari. Hinc Aegyptij Ibes suas, contra serpentium aduentum, & Elei Myiagron (sicut Olympij Myioden) deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, inuocauerunt. (Plin. lib. 10. nat. hist. c. 28.) Quale etiam, teste S. Hieronymo, *Beelzebub idolum est Accaron, sic vocatum, in quarto Regum volumine, quasi dicas, Idolum muscæ. Principem autem dæmoniorum, ex spurcissimi animalis vocabulo appellabant Iudæi, quod* (S. Hieronym. in cap. 10. Matth.)

musca dicitur, propter immunditiam, quæ exterminat suauitatem olei. Hebræi odio & detestatione Accaronitarum, qui illis diu infesti fuerunt, principem dæmonum, Beelzebub, solebant vocare, eadem scilicet voce, qua illi summum suum deum nominauerunt. Nominarunt autem sic, vel quia illum ad muscarum calamitatem auertendam inuocauerunt; vel quia multo victimarum sanguine illud Idolum aspersum, semper muscis plenum, obsidebatur. Tanti fiebat ab illis gentibus muscarum vexatio, vt ad eam auerruncandam proprium Numen destinandum judicarent: rectiùs facturi, si verum Numen non offendissent, quod muscas scelerum vltrices excitauit.

XVI. Fortunat. Presb. in vita S. Medardi. & Sur. tom. 3.

Sed in exemplis, quà sacris, quà profanis videamus, quid muscæ possint. Inter quas & apes computantur, & vespæ, & crabrones, & denique minorum gentium examina. De apibus illud tradit Fortunatus presbyter. S. Medardi Ecclesia, inter ruris opes, apum aluearia habebat, ea nocturnus fur rapacissimis manibus tollebat. Apes, etsi alioqui, in tenebris, quietæ, tamen vbi lauernionem senserunt, facto agmine, nebulonem aggressæ in fugam verterunt. Neque contentæ, eum à stationibus suis repulisse, fugientem aculeatis stimulis sauciantes pertinacissimè sunt prosecutæ, nec à puncturis antè destiterunt, quàm reus plagis vndique tumidus, & apibus, toto corpore, circumseptus, ad ipsum D. Medardum, nolens volens peruenisset. Itaque ad sancti pedes supplex prouolutus, crimen fatetur, veniam precatur, opem flagitat. Non sunt ad ignoscendum difficiles Diui. Quare & Medardus facilè veniam dedit efflagitanti, manuq; extensa, vt Episcoporum mos est, & signo crucis ducto, absolutionem, benedictionemque impertijt. Mira res. Eadem cærimonia Præsul & crimen aboleuit, & abegit apes. quæ illico, homine relicto, ad aluearia sua redierunt. Ita in apibus diuina justitia suppliciũ furanti constituit, & quid Sanctorum virtus posset, demonstrauit.

XVII.

Demonstrarunt & homines sęculi, tam exiguam esse mortalium potentiam, vt etiam toti exercitus possint vel ab apibus profligari. *Verum enim* est, vt Ammianus Marcellinus ait, *quòd in distinctis necessitatibus nihil tam leue sit, quod non interdum etiam, contra sperata, rerum afferat momenta magnarum.* Ita Themiscyrenses,

rensés, contra oppugnationem Luculli, se defendisse testatur Appianus Alexandrinus, *Pars exercitus, contra Themiscyrenses turribus vtebatur & aggeribus, & cuniculos tam amplos fodiebant, vt in eis pugna committerentur subterranea. Hos oppidani supernè aperiebant, & per foramina demittebant in operarios vrsas, aliasq; bestias, & apum examina.* Quod si ad vrsas potiùs irritandas, quàm ad expellendos hostes apes hîc seruijsse putentur; memoriæ tradidit Iouianus Pontanus, cùm rex Vicarum oppidum occupare constituisset, primóque impetu, vallo eruto, fossam transgressi milites, alij muros missilibus oppugnare, alij scalas applicare cœpissent; oppidanos, quanquam repentino regis aduentu perculsos, nihilo tamen segniùs armatos, subitò, in muro apparuisse, ac transilire conantes lapidibus repulisse. Cùm autem regij acriùs instarent, nec à muro repelli possent, complura apum aluearia, quæ fortè paulò antè ex agris, metu hostium, intra castellum, congesserant in muros, arrepta in hostes deuoluerunt. quorum fragore irritatæ apes, cùm circumuolarent, non solùm os atque oculos oppugnantium incessebant, verùm etiam sese armis, & interioribus tunicis inferentes, eos maiore quadam molestia, & malo afficiebant. Atque hoc modo, sese, & oppidum diu tutatos esse, donec vi maiore, subrutis mœnibus, in deditionem venirent. Consimilia de apibus plura leguntur. Nam & Hieronymus Osorius scribit, in Africana expeditione, Barrigâ, Lusitanorum duce Xiatimenses fortissimè oppugnante, reque ad vltimum discrimen adducta, innumerabilia aluearia apum, quibus abundabant, incensa atque è mœnibus fuisse præcipitata. Itaque Lusitani & aluearium flammis ambusti, & apum aculeis stimulati, receptui canere, & oppugnationem deserere coacti sunt. Idé aiunt Turcis, in Hungaria, & Episcopi Agriensis ditione, contigisse. Si homines, aluearia in castra, & apes in milites conuertere possunt; cur non & Deus eiuscemodi acie vtatur, quam natura spiculis armauit?

Appian. Alex. de bello Mithridatico.

Iouian Pontan. de gestis regis Alphonsi I.

Osor lib. 8. de reb. Africis & Indicis.

Phil. Camerar cent. 1. Hor. subsec. cap. 8.

XVIII. Enimuerò vtitur, & vsus est. Quippe de vespis & crabronibus, sacer codex ita loquitur, immo in eo, ad Israëlitas, Deus, hostes eorum de terra promissionis eiecturus: *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem* Exod. 23. 27.

ingre-

ingredieris: cunctorumq; inimicorum tuorum, coram te, terga vertã: emittens crabrones priùs, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introëas. Per crabrones igitur hostes in fugam vertit. Sed & occidit, & latentes, veluti, per venaticos canes, indagauit. Hoc promittens, ait: *Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ, quàm ego, quomodo potero delere eos? noli metuere, sed recordare, quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptijs, plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & signa atq; portenta, manumq; robustam & extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus; sic faciet cunctis populis, quos metuis. Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint.* Quod se fecisse, absque illorum labore alibi affirmat: *Misi ante vos crabrones, & ejeci eos, de locis suis, duos reges Amorrhæorũ, non in gladio, nec in arcu tuo.* Cur autem crabronibus ac vespis vsus sit ad puniendum, misericordiæ fuit opus, vt alio loco indicatur; vbi scriptura recensitis nefarijs sacrificijs ac cædibus, alijsq; flagitijs incolarũ terræ illius, ostendit, meritò fuisse puniendos, & addit: *Sed & his, tanquam hominibus, pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras, in bello, subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro simul exterminare: sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ.* In Christianis quoque historijs Sapores rex Persarum, à Nisibis vrbis, quam nonnulli Antiochiam Migdoniæ vocãt, ab obsidione crabronum & culicum copijs plus quàm militaribus repulsus est. Quod inopinatũ auxilium S. Iacobi Nisibiensis Episcopi precibus attributum est. Nimirum Deo & Diuis non opus est ferro; non fundis Balearicis, non machinis grandibus; neque indiget magnis bellatoribus, aut validis rebus, vilissima animalia potest contra hostes suos armare. Quoties iratus classicum canit, toties omnes creaturæ in armis præsto sunt.

Deuter. 7. 17.
Iosue. 24. 2.
Sapi. 12. 8.
Theodoret. in. Eccl. hist. lib. 2. cap. 30.

XIX. Isa. 7. 18.

Hinc est, quod per Isaiam minitans ait: *Et erit, in die illa: Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuersis foraminibus.* Vsque adeò nullum tam est exiguum animal,

mal, quod non possit hominis superbiam compescere, Conditore Deo robur illi addente, vel frænum laxante. Ille si vult, ex elephante muscam, ex musca verè facit elephantem. Narrat Baronius ex Annalibus Hispanorum, Anno Seruatoris 1286. Carolum Siciliæ, & Philippum Francorum reges bellum fecisse Petro regi Aragonum, in eoque bello Gerundam cepisse. Ibi milites victoria insolentes, vi templis illata, ausi sunt sacrilegis manibus D. Narcisci patroni & tutoris illius vrbis sacrum tumulum inuadere, &, vt spolia legerent, diripere. Nemo putet, mortuos impunè violari, præsertim Sanctos, pro quibus Deus pugnat. Igitur & tunc, è D. Narcisci sepulchro repentè eruperunt tota muscarum examina, magnitudinis & formæ antehac inauditæ: vt & aspectu terrerent, & nocerent morsu. Nam muscæ, magno impetu, quà data porta, sese effuderunt, & in obuios milites vndique, furiosissimè inuolantes, eos venenatis aculeis ita conuulnerarunt, vt, intra paucos dies, hominum plus quadraginta, & equorum plus viginti quatuor millia ea pestis absumpserit. Quin etiam Petrus ipse Aragonum rex, in epistola ad Sanchium Castellę regem data, scribit equos, ad quadraginta millia perijsse. Neq; multò post rex ipse Galliæ mortuus est Perpiniani. Ex hoc diuino sacrilegorum militum supplicio, MVSCÆ S. NARCISCI in prouerbium abierunt. Quia autem hoc miraculosè contigit, simile quiddam accidit Seuero Imperatori, in expeditione contra Atrenos, vt docet Herodianus. Obsessi enim à Seuerianis, nō solùm sagittis lapidibúsque, sese audacter defenderunt; sed etiā vasa fictilia, volucribus quibusdam, venenatísque bestijs oppleta deuoluêre; quæ cùm aut in oculos inuolarent, aut in detectas corporis partes sensim obreperent, grauissimè singulos sauciauerunt. Deniq; si quis vult nosse maxima damna etiam à minoribus bestijs in homines corriuata, meminerit Anium scribere, veterē vrbem, ad Volsiensem lacum, *Contenebram* appellari solitam, à formicis deletam, & locum illum vulgò *Castrum formicarum* fuisse nominatum.

Surita lib. 4. cap. 69. Baron. in Martyrolog. ad 18. Martij.

Herodian. lib. 3.

Anius in Quæstionibus de Tuscia.

XX. Ex his intelligi potest, vti Deum animalibus terræ aliquando ad scelerum vindictam, non solùm justè, verùm etiam clementer. Quare miri nihil est, bestias quasdam & molestas esse homini-

hominibus, & perniciosas. Homines Deo molesti esse non verentur, & molestia ipsi nulla volunt affici? Nec enim sine caussa Isaias ait: *Nunquid parũ vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo?* Illud itaq; magis mirandum est, tã insanæ homines esse audaciæ, vt Deo molesti esse non vereantur; quem vel in minimis bestiolis experiuntur, tam multa, immò innumera habere instrumenta, per quę injurias suas de nobis vlciscatur. Túne, contra omnipotentem, superbis, Pharao? Tu Eliséum irrides, pusille, qui prætextam nondum posuisti? Tu cælo minaris Nabuchodonosor? Tu rapinis, cædibus, adulterijs, odijs inueteratis, blasphemijs, contumelijs ad iram prouocas Dominum Vniuersi, miserande peccator? O quantis te periculis, quanto aduersario obijcis? Non sustinebis, si vel muscam contra te excitet, qui contra te potest omnes armare creaturas. Si te erigis, tot aduersus te habiturus est aduocatos, tot procuratores, tot pugnatores, quot sunt in aëre volucres, in mari pisces, animalia in terris. Quid tumes, ô stulte? culex potest esse carnifex tuus. Quid te effers, Pharisæe? musca potest te occidere. Quid te jactas, Thraso? crabronem aut vespam non potes pati circa aures tuas sonantem; quo modo fremitus Inferni, & Auernales belluas, in Orco sustinebis?

Isa. 7. 13.

CAPVT XVI.

Quàm bonam Deus suis, & in Ægypto, & in Palæstina, terram assignârit seruis?

I. Erræ spinas & tribulos, noxiásque homini è Paradiso exulanti bestias parientis, aut alentis incommoda, vel non esse tanta, quanta rudes fingunt, vel justis de caussis euenire, dixi vsque, superque, quàm satis est. Restat, vt de terra ipsa disseramus. Quam sanè, sicut omnia Conditoris nostri opera, bonam esse, nemo dubitat, nisi malus. Nam præter ea, quæ suprà commemorauimus, multa alia beneficia illius expendunt, qui Cyceonem ebiberunt, & ex cista Cereris sumpserunt, vt dici solet; hoc est, qui illotis manibus & pedibus ad hæc sacra non veniunt. Equidem cùm terram non vbique sibi similem, sed alibi siccam & arenosam, alibi irriguam; & (sicut in corpore

animalis

animalis alibi carnem, ossa alibi) esse alibi mollem, alibi lapidosam oporteat; hinc *non omnis fert omnia tellus.* Est itaque vna fertilior, feliciorque, quàm altera. Sed non perinde vtile est, homines ac agros discriminare. Viuunt passim mali & scabris saxis cædendi, permixti bonis, & bona terra dignis; vt hi ab illis accipiant patientiæ ac virtutis occasionem. Non igitur debent terris separari; sed sapientissimè, & justus Iob in terra Hus, & odio dignus Esau in fertili solo Chanaan permittitur habitare. Quippe & mali in loco bono, mali; & boni, in loco malo, boni esse possunt. Hæc est bonitas Dei, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.* Quia mala malis sunt in admonitionem, bonis in ansam merendi: bona autem bonis in stimulum; malis in præmium; qui, si quid boni gerunt, in hac vita, accipiunt mercedem, sicut Abraham de epulone affirmauit. Quæ idcirco memori mente tenenda sunt, ne quis offendatur, si videt aut sterilem justi agrum, aut fertilem impij glebam.

Matth. 5. 45. Matth. 6. 2. 5. 16. Luc. 16. 25.

II. Quanquam, vbi res fert, neq; in hoc suorum obliuiscatur cælestis Pater. Et quædam est Paradisi imago, si homines cum locorum amœnitate consentiant. Hac de caussa, quisquis alteri optimè vult, in optimo quoq; eum vult esse loco. Amauerat Iosephum, & Iosephi caussa patrem ac fratres eius. *Dixit itaq; rex ad Ioseph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te. Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen. Ioseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto, in optimo terræ loco, Ramesses, vt præceperat Pharaò.* Quod peculiari Dei erga Israëlitas cura factum sacra monstrat historia, cùm fratribus suis dixerit Ioseph: *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Biennium enim est, quòd cœpit fames esse in terra: & adhuc quinq; anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitq; me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Dum ergo cogitaret scelerum summus vindex, fame plectere mortales reliquos, quodammodo solicitus fuit de seruis suis; certè terram illis prospexit, in qua, ceteris alibi inedia pereuntibus, alerentur; & quidem terram optimam.

Gen. 47. 5. Gen. 45. 5.

III. Quod postea longè apparuit manifestiùs, quando in eadem

terra, tyrannica seruitute afflicti gemuerunt. Ait enim se descendisse Deus, vt liberaret populum Hebræum, & educeret *de terra illa, in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle; ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Iebusæi.* Cuius beneficij magnitudinem ex sequentibus possumus æstimare argumentis. 1. Quia consceleratas illas gentes, ea terra indignas judicauit; quas (etsi sine omni culpa potuisset inde eijcere, tanquam supremus Dominus) in flagitiorum pœnam ex illa regione sustulit. 2. Quia ex angusta habitatione, eduxit eos in terram Chanaan, quæ cum terra Gessen comparata fuit *spatiosa.* Quamuis enim eam S. Hieronymus *à Dan vsque Bersabee, vix centum sexaginta milliarium in longum spatio tendi* putet, latitudinis verò, qua ab Ioppe maritima vrbe, vsque ad Bethlehem extendebatur, non ampliùs quadraginta sex milliaria habitabilis fuerit (vlteriora enim inculta fuêre) tamen Hecatæus Abderita, cum Alexandro Magno nutritus, & cum Ptolomæo Lagi commoratus, ita scripsit: *Penè decies trecenta millia jugera terrarum optimarum, vberrimæ prouinciæ possidere noscũtur* (Iudæi) *Iudæa namque est huius amplitudinis.* Est autem jugerum, spatium terræ, quantum vno die arari potest vno jugo boum: & longitudo eius est ducentorum quadraginta pedum, latitudo centum viginti. In hoc spatio cùm habitare potuerint septem gentes, multò, quàm Hebræi erant, numerosiores, meritò terra illa Hebræis promissa appellari potuit *spatiosa;* de cuius angustijs nunquam sunt questi. Quanquam & hanc ipsam regionem se vsque ad Euphratem propagaturum promiserat Deus, si illi ita crescerent, & in diuino cultu legumque obseruantia perseuerarent. Quod & Dauidis ac Salomonis ætate factum. His enim regibus omnis Syria, aliæque regiones vsque ad Euphratem sub tributo seruierunt. Et, tempore Dauidis, inuenta sunt quindecies centena millia bellatorum. Multitudo autem bellatorum, in prouincia aliqua, censetur, tanquam quarta pars totius multitudinis hominum: præcipuè apud Hebræos, qui, nisi à viginti annis, & supra, non conscribebantur ad militiam, exceptis omnibus junioribus, & feminis, quarum plures sibi conjugio copulabant Hebræi, & ijs, qui ob senilem ætatem ad bellum idonei non erant,

Exod. 3. 8.
S. Hieronym. ep. 129. ad Dardan.
Apud Ioseph. lib. 1. contr. Apionem.
Gen. 15.
2. Reg. 8. & 3. Reg. 4.
Perer. in c. 3. Exod. disp. 10.

erant. Quod si igitur tanta Iudæorum multitudo, in tam angusta regione, lautè viuere potuit, necesse est, terram fertilissimã extitisse. Quod magis confirmatur; quia ante Hebræos, longè ibi plures vixerunt, quando adhuc septem ibi gentes diuersæ habitauerunt. Gentes porrò septem ibi priùs habitasse, etsi varijs de caussis alibi plures, alibi pauciores, in diuinis litteris nominentur, rectè ostendit Pererius. Perer. in c. 3. Exod. disp. 10

IV.

3. Beneficium huius terræ Israëlitis à Deo datæ demonstrat eximia eius fertilitas. Quam licet Strabo, tanquam loco, intra sexaginta stadia, circa Ierusalem, (quam Iosephus totius Iudææ optimam fuisse affirmat) petroso, arido, & sterili neget; Scriptura tamen, & luculenti alij authores prædicant. Quid enim aliud ille loquendi modus significat, quo terra illa lacte & melle fluens nominatur; quàm vberrima pascua, quibus ingens lactiferorum animalium copia aleretur? & abundantiam florum, odoriferarum herbarum, & arborum, quæ idoneæ sunt ad mellificandum? Cuius indicium est, quòd non in saltibus duntaxat, & cauis arboribus, sed passim etiam in foraminibus petrarum apes cubilia sua mellariáque collocârint; &, velut ad aluearia, examina earum, longa vua, ad rupium cauernas consederint. Hoc est, quod dicitur: *Vt sugeret mel de petra.* De siluis autem, quæ apiarijs abundabant, historia Ionathæ, testis est. *Ingressus est populus saltum, & apparuit fluens mel, nullúsque applicuit manum ad os suũ: timebat enim populus juramentum. Porrò Ionathas non audierat, cùm adjuraret pater eius populum: extenditq́, summitatẽ virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Terræ huius vbertatis testimonium attulerant etiam exploratores verbis, & rebus. verbis, cùm Moysi dicerent: *Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest.* Ita enim re quoque ipsa & oculis testati sunt, quanta esset bonitas terræ, quando abscissum palmitem, cum vua sua, vix duo viri, in vecte apportauerunt. Sed nullo alio disertiùs loco Scriptura terram sanctam depingit, quàm vbi ait: *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, & aquarum, & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi: terram* frumen-

Strabo. li. 16.

Deuter. 32.

1. Reg. 14. 26

Deuter. 8.

frumenti, hordei, ac vinearum: in qua ficus, & mala granata, & oliueta nascuntur; terram olei ac mellis. Vbi absque vlla penuria, comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur: vt, cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi.

V. Hæc ex oraculis sacris. Meminerunt & alij scriptores, atq; in primis Iosephus, in Iudæa natus, & educatus, Iudæus ipse, & cum dignitate ac imperio in ea regione versatus, qui sui temporis (fuit autem Christo coæuus) fertilitatem, hunc in modum, describit. *Iudææ natura talis est, vt videre liceat campos magnos, & frugum, & fructuum feracißimos: qui collati ad aliam terram, admodum vberes videri possent: Quod si ad Ierichuntinum, vel Hierosolymitanum agrum conferantur, iam nō magni pretij videbuntur. Cùm hi tamen agri parui sint, & bona ex parte montani. Sed quantum ad fertilitatem attinet, nullis alijs secundi.* De agri verò Ierichuntini vbertate, hæc alio loco tradit: *Optimos habet Paradisos; palmarumq; irriguarum genera tam sapore, quàm nominibus varia: quarū pinguißimæ, calcibus pressæ, plurimum mellis emittunt, non multò deterius alio melle. Quanquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carißimus est fructus ibi nascentium: itemq; cyprum, & myrobalanum gignit. Ergo qui diuinum esse illum tractum dixerit, nequaquam errauerit. Quippe ibi & larga, & optima generantur, quæ sunt carißima. Sed nec in alijs ei fructibus aliqua facile, toto orbe, regio certauerit: adeò multiplicatum, quod satum est, reddit.*

Ioseph. lib. 5. Antiquit.

Idem lib 5. de bell. Iud.

VI. Iosepho consentit antiquior author Hecatæus, Alexandri Magni æqualis; qui testatur, optimæ terræ decies trecenta millia iugera Iudæos possedisse. Sed copiosiùs hanc glebæ felicitatē describit Aristæas, is ipse, qui historiam de translatione Scripturæ, per septuaginta duos interpretes conscripsit; & illos ex Iudæa in Ægyptum, ad regem Philadelphum perduxit, vt proinde meritò, & huius calami authoritas sit magna. Sic scribit. *Regio eorum consita est arboribus oliuarum, & ferax omnis generis frumenti, & leguminum. Adhæc vineis, & mellificio abundat. Palmæ verò, & aliæ frugiferæ arbores sunt innumerabiles, apud ipsos. Item iumenta & pecora omnis generis multa, & pascua vberrima, Præterea immensa*

copia aromatum, & lapidum pretiosorum, & auri importatur eò, per Arabes. Nam regio ad cultum, & negotiationem est idonea, & ciuitas abundat arcibus, non deest ei quidquam eorum, quæ mari aduehi solent, cùm habeat portus opportunos, qui abundè suppeditent res, & Ascalona, & Ioppæ, & Gaza, similiter etiam Ptolemaidis. In horum locorum quasi medio sita est ipsa ciuitas, per se ipsa abundè habens omnia; cùm sit irrigua vndiq; aquis, & ad magnam securitatem munita. Nam Iordanis fluuius ille perennis circumfluit ipsam, in se ab antiquo continentem non minùs aruorum, quàm sex millia myriadum. Deinde ex vicinia sexaginta myriades hominum in ipsam peruenerunt, qui singuli possessionem centum iugerum agri sunt consecuti. Fluuius autem perinde, vt Nilus, circa tempus exundans, multum terræ irrigat. Sic agros laudat Aristæas, qui Iordane prætexuntur, & olim à Deo illis dati sunt, pro quibus religio, cultus diuinus, & virtus, æquitas, innocentia steterunt.

VII. Sed addo his testem Brochardum, quem etiam Pererius tanto magis æstimat, quia non solùm, ante trecētos annos, postquam Iudæa sub imperium Saracenorum subjecta est, vixit; sed etiam totum decennium consumpsit in ea regione diligentissimè perlustrāda. Is ergo Brochardus oculatus testis, terræ sanctæ nobilitatem his coloribus depinxit. *Non est credendum quibusdam contrarium nunciantibus; neq; enim eam diligenter considerarunt. His oculis vidi, quanta fertilitate terra benedicta fructificat: frumentum enim vix terra exculta, sine stercore & fimo, mirabiliter crescit & multiplicatur. Agri sunt velut horti, in quibus feniculum, saluia, ruta, rosa passim crescunt. Ibi bombyx affluit, cannamelæ abundant, ex quibus saccharum extrahitur. Sunt ibi cedri, citri, limones, anarangi, suauissimi & optimi odoris; qui per anni circulum, continuè seruantur in arboribus. Sunt & quædam poma citrina magna, ex quibus electuaria pretiosa valde conficiuntur. Sunt & fructus dicti poma Paradisi, penitus admirabiles. Porrò hæc crescunt in modum botri vuæ; & est botrus ille interdum magnus, vt cophinus, seu sporta: habet grana interdum centum, & nonnunquam plura in modum vuæ: sunt autem longa, ad quantitatem sex digitorum; & nonnunquam sphærica ad quantitatem oui gallinæ; saporis verò delicatissimi, & dulcis, vt est mel. Grana intus semen non habent, sed tota eorum substantia comestibilis*

Benedict. Perer. in c. 3. Exod. disp. 11.

Brochard. in lib. de terra sanct. part. 2. cap. 1.

bilis est. Fructus iste vix vno anno crescit, & maturatur. Arbor citò deficit: est enim eius periodus trium annorum, vt plurimùm: qua inarescente alia ex radice prodire incipit: & hac iterum postea arescente, procedit tertia, & sic deinceps. Folia eius arboris longa sunt instar hominis staturæ: lata vsque adeò, vt duo totum hominem contegant. Vinum terræ sanctæ pretiosum valde est, & suaue, præcipuè circa Bethlehem, & nonnullibi eadem vitis, ter, in anno, fert vuas, & maturat omnes, suo tempore. Ficus, malogranata, oleum, mel, pepones, citruli Babylonici, & omnium generum legumina, & frumentum optimum, in terra sancta, optimè colliguntur. Panem adeò sapidum & delicatum non comedi, qualem in Hierusalem. Sues siluestres, lepores, capreoli, damæ, perdices, coturnices, quantum ibi abundent, penè est incredibile dictu. Plurimùm est ibi leonum & vrsorum, aliarumq; ferarum; camelorum autem incredibilis multitudo: quorum ego in vno genere pascentium vidi tria millia, pluresq; etiam dromedarios. Vidi vnicornios. Deniq; illic extant omnia mundi bona; & verè terra illa fluit riuis lactis & mellis.

VIII. Quis non putet eiuscemodi verbis describi Paradisum? Quis terram talem non judicet diuinæ promissioni conuenientem? In qua non nisi Numinis serui & amici digni fuerunt habitare: hostes autem Dei ac scelerati idololatræ meritò inde sunt exturbati; & rursum, commerentibus Iudæis, Saraceni intromissi. Sub quibus, cùm eadem extiterit fertilitas, intelligimus eam fertilitatem è soli bonitate cælique naturali benignitate; non autem, præter naturæ ordinem, atque prodigiosè, profluxisse. Quare, nec amisso Paradiso, terra spinas & tribulos germinans illiberaliter est aspernanda; quæ adhuc faciem tam amœnam retinet; & hominibus, tanquam mater, præbet alimenta. Vt proinde contemnenda sint sellulariorum opprobramenta, ex plebeia fæce, contra terram, tanquam nouercam, ausu facerrimo vociferantia. Nouerint illi, se terræ filios, agnoscant suam vilitatem, & cælo se submittant, omnia, quæ illis necessaria sunt ad vitam, submittentur. Si insolescunt, meritò illis pabulum subducit mundi Rector, sicut equo ferocienti. Qua de caussa etiam, in ipsa terra illa lactea, & mellea regione, diuina prouidentia, singulari judicio, Israëlitis, quando Deum coluerunt, & mandata eius

eius religiosè obseruarunt, paulò ante commemoratam vbertatem abundantiùs indulsit, & auxit. Quòd si verò à religione ad idololatriam prolapsi, diuinas leges insuper habuerunt, scelerosamque cœperunt agitare vitam; ex ipsa illa terræ vbertate subtracta, per sterilitatem, eis ostendit, steriles illos esse ad virtutem pietatemque exercendam. *Si obedieritis mandatis meis, ait Dominus; dabo pluuiam terræ vestræ temporaneam, & serotinam; vt colligatis frumentum & vinum, & oleum, fœnúmque ex agris, ad pascenda jumenta, & vt ipsi commedatis ac saturemini. Cauete, ne recedatis à Domino, seruiatisq́ dijs alienis, & adoretis eos; iratusq́ Dominus claudat cælum, & pluuia non descendant, nec terra det germen suum, pereatisq́ velociter de terra optima, quam daturus est vobis.* Et rursum. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias, temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absq́ pauore habitabitis in terra vestra. Comedetis vetustissima veterum, & vetera, nouis superuenientibus, proijcietis. Sin autem non obedieritis mihi, dabo vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam. Consumetur in cassum labor vester; non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.* Peculiaris hæc Dei prouidentia & compensatio, inde quoque, stupenda ratione eluxit: quia, ne soliciti essent Hebræi in annum octauum, & penuriam metuerent, eò quòd anno septimo terram colere, vetarentur, annus sextus triplicatos fructus produxit. Clarè id indicant verba sacra. Quòd si dixeritis; *Quid comedemus, anno septimo, si non seuerimus, neq́ collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis in anno sexto, & faciet fructum trium annorum: seretisq́, anno octauo, & comedetis veteres fruges vsq́ ad nonum annum: donec noua nascantur, edetis vetera.* Hoc tam admirabile Dei beneficium, declarauit, quàm nihil negligatur in temporalibus, si Deo non subducatur, quod Dei est. Sed & rursus, quia hoc eodem beneficio, tempore Machabæorum, priuati fuerūt Iudæi, patuit, terram diuino se nutui, hominumque moribus accommodare. Facta est enim deterior, postquam & Iudæi facti sunt deteriores.

Deuteron. 11. 13.
Leuit. 26. 3.
Leuit. 25. 20.
Machab. 6.

IX. 1. Disce hinc, ô querule, qui oracula ex coquina, non cortina fundis; disce digito impietatem compescere labiorum, & de terra non quiritari. Tu canem inutilem non alis, & te seruũ inutilem alat Deus? qui non es dignus, quem terra sustineat, terra vt tibi delicias faciat, cupis? Ingrato beneficium secundũ negandum existimas; & à tuo Creatore beneficium exigis centies repeti, postquam centies ei, pro bono, malum reposuisti? Audire vis, quid dicat? *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Quo eum sensu esse debere existimas? *Dic mihi*, ait S. Ambrosius, *num si aliquid de tuo cuicunq; largiris, expectas, vt tibi gratias agat, vt benedicat domum, de qua ei humanitas sit tributa? Qui si fortè gratias non agit, quemadmodum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat, qui nos pascit, Deus, vt pro præstitis ab eo escis illi gratias referamus, & saturi, donis ipsius laudes ei dicamus. Ceterùm si accipientes diuina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur.* Vide ergo, mi homo, qui pro crastino solicitus dicis: *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?* vide, quid sit agendum, & à magno Magistro disce modum hæc acquirendi: *Quærite*, ait, *primùm regnum Dei, & justitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis.* Si regnum, si religionem, si Ecclesiam, si cultum & honorem Dei; si non fucatam illam mundi, sed veram Dei justitiam quæreretis, vbique esset terra benedicta; scit enim Pater vester cælestis, vos his indigere. Cur illis vineas vitibus, vites vuis impleat, qui se vino ita implent, vt dubites, hominésne sint, an ambulantia, aut titubantia hominum simulachra? qui vino abutuntur ad ebrietatem, ad insaniam, ad rixas & pugnas, ad cædes & lanienas, more Thracum? qui potitant, vt ructent, vt blasphement, vt incestu se inquinent? vt Sodomam & Gomorrham secum circumportent? Nam *ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius; & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Quis medicus, non subducit ægro nocitura? Desperat de eo, cui concedit, quod perimit. Si ergo Deus suos liberaliter pascit, paternè facit; si parciùs tractat inimicos, justè facit; iratissimus est; si sinit impios omnium rerum copia abundare. Quis fertilitate agrorum dignũ arbi-

Isa. 1. 2.

S Ambros. serm. 42.

Matth. 6. 31.

Ezech. 16. 49.

arbitretur eum, qui plaustra manipulis onerat, & sequentem, post messores, Ruth spicas legere prohibet, quibus sinum impleat? Meretúrne ille granaria frumenti aceruis referta habere, qui sedenti ante fores Lazaro panis micas negat? Aliter boni vtuntur bonis. Vt dent accipiunt, non vt habeant. Ita bonam glebam imitantur. Quippe, vt S. Ambrosius ait: *Humanitatis exempla ipsa terra suggerit, spontaneos fructus ministrat, quos non seueris: multiplicatum quoq; reddit, quod acceperit.* Iubet hoc terræ exemplum sequi ipse Christus, cùm ait: *Date, & dabitur vobis.* Atque hoc est primum, quod S. Terræ fertilitas docet.

S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 31.

Luc. 6. 38.

X.

2. Disce, terrenam illam Iudææ vbertatem, quæ partim à loci genio, partim etiam à singulari Numinis prouidentia illi obuenit, longè maioris figuram fuisse benedictionis, à qua verè sancta fuit appellata. Dixit olim ad fratricidam Cain Deus: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* In terra sancta occisus est, ab ijs, quos fratres esse suos voluit Christus, alter Abel, verus ouium pastor; cuius vt sanguinem susciperet, aperuit terra sæpius os suum. Suscepit, cùm circumcideretur; cùm sudor eius fieret, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram;* cùm virgis flagrísque cæderetur; cùm spinis contextum sertum sacratissimo illius capiti imprimeretur; cùm grauissimum crucis truncum saucijs & exulceratis humeris impositum, per saxis asperas vias, ad montem Caluariæ traheret; tunc enim, velut è botro in torculari presso, sanguis vndiq; è tuberibus illius prorupit, & plateas purpura signauit. Suscepit denique sanguinem illius terra, & cùm concreta vulneribus tunica, per sacrilegos lictores, à virgineo illius corpore, barbara immanitate reuelleretur; & tum potissimè, cùm clauis grandibus manus pedesque diuini pertunderentur; quin & cùm lancea latus illius iam extincti transuerberaretur. *Vox sanguinis* Abel ad Deum *de terra* clamauit; *Vindicta, vindicta!* quam vocem secuta est altera illa vox: *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinē fratris tui de manu tua.* Quid clamauit vox sanguinis Christi ad Deum Patrem de terra?

Gen. 4. 10.

Luc. 2. 21.
Luc. 22. 43.

 Pater

Luc. 23. 34. *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Et quia illa fuit hostia pro peccatis nostris, sanguis ille identidem clamat ad Deum: *Misericordia, Misericordia.* Quemadmodum panni ergo muricis sanguine tincti pretium ingens trahunt; ita terra illa, Seruatoris sanguine tam copioso imbuta irrigataque, facta est sancta, & benedicta, ostroque, in oculis Dei, pulcherrimo nobilitata. Hinc fructum tulit, & multiplicem, & longè, terrenis illis Palæstinæ fructibus, excellentiorem. Magni æstimatur balsamũ, è terra sancta, allatum, adhibetur enim vtilissimè à vulnerarijs, ad plagas, vt coalescant. Nullius balsami præstantia potest, cum Christi sanguine satis comparari. Nam hoc sanata est lethalis plaga toti generi humano imposita. Hoc perfusæ ipsæ alioqui immortales hominum animæ, ad vitam spiritualem, ad Numinis gratiam, ad cælestis hæredij jus sunt reuocatæ.

XI. Hinc tanti terra illa, à pijs Christianis, semper est æstimata, vt ad eam visendam venerandámque, ex toto terrarum orbe, proficiscerentur. Si enim Marathonius campus, ob taurum à Theseo ibi superatum, aut ob Miltiadis victoriam gloriámque frequenti spectantium concursu est celebratus; cur non eò confluant mortales, vbi cælum, cum Orco; Deus cum diabolo conflixit, & totius generis humani capitalem hostem profligauit? Immò tanta fuit antiquorum Christianorum, erga eam terram, in qua Christus est conuersatus, passus, & sepultus, pietas, vt eam magnis templorum ædificiorúmque molibus illustrârint; & vel tenuem puluisculum inde sumptum, magno honore, domum reportârint. Nec magno honore tantùm, sed etiam magno emolumento. Quippe & corporibus sanandis, & locis spectro infestis, Furiáque Auernali liberandis is puluis profuit. Siquidem ex illa terra, aqua admixta, formari consueuisse tortulas quasdã, easdémque, per diuersas mundi partes, transmitti solitas, ad morbos curandos, aliásque diuinas gratias impartiendas, testatur D. Gregorius Turonensis. Terram certè sepulchro Domini propinquam, è Christi corpore ibi collocato, eam virtutem hausisse constat, vt eam peregrini cupidissimè, ad morborum curationes, fugationésque dæmonum, inde solerent auferre. Magnus & locuples testis id confirmat D. Augustinus, ita de Hesperio viro

Cic. 4 Tuscul. Strabo. lib. 9.

S. Greg. Turon. de glor. mart. cap. 7.

S. Augustin.

viro tribunitio loquens: *Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, vbi sepultus Christus, die tertio, resurrexit; eamq́; suspenderat, in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At vbi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutiùs in cubiculo suo, reuerentiæ caussa, habere nolebat. Fortè accidit, vt ego, & collega meus Episcopus Sinicensis Ecclesiæ Maximinus in proximo essemus; vt veniremus, rogauit, & venimus; cumq́; nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atq́; ibi orationum locus fieret, vbi etiam possent Christiani, ad celebranda, quæ Dei sunt, congregari.* Vide, mi Lector, an non terra illa verè sancta, vereque sit benedicta? quam diuina bonitas, non inquilinis dedit duntaxat, sed etiam largita est peregrinis. lib. 22. de ciuit. Dei. c. 8.

Quemadmodum etiam aliam terram benedictam, cuius illa pariter figura fuit: nempe illam, cui dictum est: *Benedicta tu in mulieribus*; itemque: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Nulla vnquam terra fuit fertilior, quàm quæ protulit, de radice Iesse, IESVM Nazarenum, *floridum* illum, & florem omnipotentem, florem sidera, mundique regna omnia odore suo recreantem: *& plenitudo à fructibus illius.* Quippe cùm & in escam sit, & in medicinam. Qua de caussa, *Medicina*, inquit Cæsarius, *B. Virginis nihil est efficacius, nihil est salubriùs. Nec mirum, ipsa medicum genuit, ipsa medicinam generis humani ex se produxit. Vnde scriptum est: Germinet terra herbam virentem, secundùm genus suum; id est, Maria Christum hominem, qui animatũ corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est. Item expreßiùs in Ecclesiastico; Altißimus de terra creauit medicinam, id est, ex carne Virginis Mariæ Saluatorem. Iesus interpretatur* Saluator, *siue* Salutare; *quia Saluator medicus, & salutare medicina est. Quòd Maria terra sit, testis est Isaias, qui dicit: Aperiatur terra, & germinet Saluatorẽ. Quòd de hac terra sit, idem Propheta dixit, in persona Patris: Ego Dominus creaui illum. Et Apostolus dicit, eum factum ex muliere. Quid ergo mirum, si apud ipsam sunt medicamenta sanitatum, quæ hortus est aromatum? Considera Rupem Amatoris* (templum est) *& alia loca in honorem ipsius dicata, & non miraberis si parata fuerit ad medendum, & efficax ad sanandum.* Eiuscemodi templa nomine Dei

XII.
Luc. 1. 28. & v. 42.
Eccli. 1. 20.
Cæsar. lib. 5. cap. 15.
Gen. 1.
Eccli. 38.
Isa. 45.
Gal. 3.
Cant. 6.

Matris sacrata passim sunt in Bauaria, & tota Germania; vt de Laureto & Italia, Gallia, Hispania nihil dicam; in quibus terra ipsa & locus, diuinam quandam virtutem accepit, sanandi morbos, pellendi spiritus immundos, varijsque malis pressos leuandi, vt meritò possit terra benedicta, terraque sancta nominari, à terra illa promissionis multis retrò seculis significata. Quamobrem eximium mortalibus beneficium à Deo datum est, in illa terra, quæ fuit benedicta fructuum vbertate, Christi sanctitate, Matris Christi imagine; quin & repræsentatione cælestis patriæ, quæ est terra viuentium, terra benedicta, terra promissionis, terra sancta & Sanctorum. Hæc *aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter*, vt Tertullianus loquitur, Conditorem traducunt, quasi homines è Paradiso transuenas, omnes ad Caucasum relegârit.

Tertullian. lib. de cult. femin.

CAPVT XVII.

Etiam alias terras bonis, & laborem non fugientibus bonas esse.

I. ESse ita, vti diximus, indubitatè fatebuntur, quicunque diuinis literis credunt. Sed obijcient, Non esse omnem terram *sanctam*, neque omnem posse, ab ea felicitate, vocari *benedictam*: Vt igitur, inter hirundinem & lusciniam, ita & inter terram & terram discrimen magnum interuenire. Aliter enim vitam in Tibure, aliter in Sardinia agitari. Saxosos esse, plurimis in locis, agros; arida prata, solum sterile; paludosos campos; arenosas regiones; irrito labore in cautibus seminari. Et ibi quoque, vbi pinguis est gleba, nihil sponte prouenire. Denique omnem messis spem sudoribus irrigandam. Nimirum omnis querela, aut impatiens est, aut stuporata. Stupidæ enim mentis est, omnia ab vno loco exigere. Alibi Ceres, alibi Bacchus; alibi panis, vinum alibi quærendum est. Neq; spicas de vinea vellere, neque vbi seminatum est triticum, racemationem facere oportet. *Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Alia alibi feliciùs proueniunt, vt commercijs sit locus, & caussa humanæ societatis. Nemo foris emeret, si omnia domi nascerentur. Et, vt videas, omnia prodesse, ipsa etiam saxa aliunde.

Matth. 7. 16.

aliunde aduehuntur. Tu alteri pannum mittis, vt corpus vestiat; alter tibi columnas mittit, quibus domum fulcias. Sic tibi lana, illi lapides, immò vtraque vtrique prosunt. Rusticus è pago lac & butyrum fert in vrbem; ex vrbe refert instrumenta agriculturæ. Vtiliter igitur aliquid deest in vno loco, vt id, quod superest, ad alterum locum exportet, & amicitiam gignat necessitas commeandi.

At hæc sudore constant? &, vt dicitur, dij omnia laboribus vendunt? Hoc primus noster parens nobis meruit, cui dictum est; *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vescêris pane.* Culpam sequitur pœna. Sed pœna vtilis, quia labore parta vitam sustentant; immò & pœna leuis, quia multis labor est jucundus, cùm ignauia naturæ aduersetur; & homini nihil tristius sit, quàm otio torpere. *Homo* enim *nascitur ad laborem*, sicut *auis ad volatum*. Quia igitur, vt S. Hieronymus ait, *Nihil sine magno labore vita dedit mortalibus*, & hoc ipsum homini natura suaue, vtileque facit, & deses cibo indignus censetur, juxta illud: *Si quis non velit operari, nec manducet*, non solùm mirandum non est, si non sint vbique Elysij campi, aut Thessalica Tempe, sed etiam inter diuinæ prouidentiæ beneficia numerari potest, si quibusdam Deus sterilitate loci offert occasionem laborandi. Quin & plurimi Sanctorum deliberatis consilijs, loca aspera, atque inculta elegerunt; vt ibi virtus tantò securiùs regnaret; vbi nec terra, nec homines possent luxuriare. Sic vixerunt illi, *quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ.* Sic in Ægypto deserta loca coluerunt discipuli S. Marci Euangelistæ. Sic eorum posteri & imitatores Eremitæ. Sic S. Bruno ab Vgone Episcopo Gratianopolitano montes totius Diœcesis asperrimos, quos Carthusianos appellant, impetrauit habitandos. Nimirum ad sidera seriò tendentibus aspera in vias vertuntur. Quemadmodum etiam ad Tartara currentibus via expeditior est, per pascua pinguia. Plerumque enim vbi magna rerum, ibi non parua scelerum est abundantia. *Hinc felix illa Campania*, ait Plinius, *ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis, succo, per omnes*

II.
Gen. 3. 17.
Iob. 5. 7.
S. Hieronym. ep. 13. ad Paulinum.
2. Thessal. 3. 10.
Hebr. 11. 38.
Plin. li. 3. c. 5.

omnes terras, *inclyto*, *atq; vt veteres dixêre*, *summum Liberi patris cum Cerere certamen.* Quid in ista tam beata regione creuit? Lolium. Vt enim felicitatis comes solet esse superbia, ita ausa est Capua cum Campania de principatu certare; adeò vt Campana arrogantia in prouerbium venerit; & ex intoleranda ferocia, teste Tullio, ad inertissimum ac desidiosissimum otiû perducta sit. Nam, neruis vrbis omnibus exectis, vrbs ipsa soluta ac delicijs debilitata est. *Qui locus*, vt ait idem, alio loco, *propter vbertatem agrorum, abundantiamq; rerum omnium, superbiam & crudelitatem genuisse dicitur.* Immò luxuries Annibalem ipsum Capuæ corrupit, & exercitum illius effæminauit. Adeò quem non potuit ferrum emollire, quem nulla vis telorum frangere, nec fortissimus hostis quiuit fatigare, succubuit amœnitate terræ superatus. Quamobrem prouidè olim monuit legislator ille: *Obserua, & caue, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque judicia, & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie: ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisq; armenta boum, & ouium greges, argenti & auri copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui.* Itaque adeò inter mala non est numeranda mala terra, vt etiam beneficium; & terra fœcunditate nobilis, præcipitium virtutis esse possit, induceréque in Dei obliuionem.

Cic. in orat. pro Rullo.

Cic. in orat. ad senat. post reditum.

Deuter. 8. 11.

III. Quanquam nec illud mihi propositum est, retractare, quod suprà dixi, Paradisum, terram Gessen, & regionem Chanaan, à beneuolente Deo Hebræis esse consignata. Multis Deus dicit, quod Isaac dixit ad Iacob: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.* At dixit Isaac etiã ad Esau: *in pinguedine terræ, & rore cæli desuper erit benedictio tua.* Pari pacto Deus nunc malis, nunc bonis bonam; & non rarò etiam bonis & malis malam largitur terram. Bonâ boni vtuntur, mali abutuntur. Ex mala boni bonam faciunt; mali ostendunt se malos. Quo pacto ait Salomon: *Per agrũ hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ;* quas aratro contundere debuisset; vt agrum subactum fimoque saturatum in fructum educeret. Sed *de stercore boum lapidatus est piger*, qui cùm haberet, vnde agros pingues redderet, maluit inopiam pati. Siquidem *omnis*

Gen. 27: 28.

Ib. v. 39.

Prou. 24. 30.

Prou. 10. 5.

Prou. 20. 4.

piger

piger, semper in egestate est. Ast homo sedulus, in sterili solo, demonstrat, industriam remedium esse sterilitatis. Et, quia, vt Serenus Abbas, apud Cassianum, ait, *Nulla virtus sine labore perficitur*, [Cassian. collat. 7. cap. 6.] homo sedulus eâdem operâ & virtutem aratro, & agrum exercet: inde diues, vnde desidiosi egestatem patiuntur.

IV.

Rusticus plures liberos, quàm nummos habebat. Morti vicinus omnes conuocauit, eosque circa lectum flentes ita affatus est. Ego, ô mei charissimi, à diuturno labore tandem vocor ad quietem. Antè igitur, quàm à vobis in terram abeo, hæreditatem vobis vestram indicabo. Nec verbis multis vtar. Nam in vnica quidem vinea, tamen thesaurum vobis relinquo. Dixit, & vixit. Filij à funere vix regressi, vertere pala cespites, offringere glebã, sarrire terram, & totam adeò vndique circumfodere vineam cœperunt, vt thesaurum reperirent. Sed thesaurum quidem non inuenientes, vineam fertilem fecerunt, quæ illis, magni instar thesauri, fuit. Plinius, postquam Manij Curij retulit dictum: *perniciosum intelligi ciuem, cui septem jugera non essent satis*; [Plin. nat. hist. lib. 18. cap. 3.] itémque postquam addidit: *Hæc autem mensura plebei, post exactos reges, assignata est*, hanc quæstionem subjunxit: *Quænam ergo tantæ vbertatis caussa erat?* & respondet: *Ipsorum tunc manibus Imperatorũ colebantur agri (vt fas est credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore, siue illi eâdem curâ semina tractabant, qua bella, eâdemq; diligentiâ arua disponebant, qua castra: siue honestis manibus omnia lætiùs proueniunt, quoniam & curiosiùs fiunt. Serentem inuenerunt dati honores Serranum, vnde cognomen. Aranti quatuor sua jugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato viator attulit dictaturam, & quidem, vt traditur, nudo, plenoq; pulueris etiamnum ore. Cui viator, vela corpus, inquit, vt proferam Senatus populiq; Romani mandata.* Ab his non inuita, nec indignè ferens, aut surda colebatur tellus. Immò olim de cultura agri præcipere, principale fuit. *Siquidem & reges fecêre, Hiero, Philometor,* [Idem ibid.] *Attalus, Archelaus; & duces, Xenophon, & Pœnus etiam Mago.* Quin & M. Cato, D. Syllanus, M. Varro, qui octogesimum primum vitæ annum agens; de ea re prodendum putauit. Catonis oraculum est: *In re rustica operæ ne parcas.* [Idem cap. 5.] Qui etiam inter prima spectari jubet, *vt operariorum copia prope sit*. Vt ager sit *bene*

ædifica-

ædificatus & cultus. Nihil enim est damnosius deserto agro. *Idemque Cato interrogatus, quis esset certissimus quæstus, respondit. Si bene pascas. Quis proximus? si mediocriter pascas. Inde illa reliqua oracula:*
Idem cap. 6. *Nequam agricolam esse, quisquis emeret, quod præstare ei fundus posset: Malum patrem familias, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset, nisi in tempestate cæli. Peiorem, qui, profestis diebus, ageret, quod feriatis deberet* (Nimis hoc Ethnicum præceptum seruant, quidam Christiani rustici, sacrum omne lucro postponentes). *Pessimum, qui sereno die, sub tecto potius operaretur, quam in agro.*

V.
Plin. loc. cit. *Nequeo mihi temperare, quo minus vnum exemplum antiquitatis afferam, ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuisse, qualiter defendi soliti sint illi viri. C. Furius Cresinus è seruitute liberatus, cùm in paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quamobrem à Sp. Albino curuli, die dicta, metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (vt ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos. Postea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere, lucubrationes meas, vigiliásque, & sudores. Omnium sententijs absolutus itaque est. Profectò, operâ, non impensâ, cultura constat. Et ideò maiores fertilissimum, in agro, oculum Domini dixerunt.*

VI. Quæ quia ita sunt, se ipsum de pigritia accusat, quisquis accusat terræ sterilitatem. Non Creantis, sed villicantis culpa est, si ager nihil parit. Non est dignus metere, quisquis non dignatur seminare. Quid Paradisum exigis, homo, vnde exulas? quid terram, clamas, esse maledictam, qui benedictionem ipse repudias? qui ipse, si vis laborare, potes fœcundam facere? Nonne vides segetem? non intelligis abiecti in arua seminis vberem vsuram?
Tertullian. lib de resurr. carnis. c. 12. *Seritur solummodo granum, sine folliculi veste,* ait Tertullianus, *sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi; exurgit autem copia fæneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu minutum, & vsquequaque vestitum.* Neque hæc experientia est hodierna duntaxat. A condito orbe terra gignit, & non fatigatur;

dat,

dat, & non exhauritur; expectat aratrum, vt præbeat fructum. Denique, teste S. Ambrosio, *faeneratum restituit, quod acceperit, & vsurarum cumulo multiplicatum. Homines sæpe decipiunt, & ipsa faeneratorem suum forte defraudant. Terra fidelis manet. Et, si quando non soluerit; si forte aduersata fuerit, frigoris inclementia, aut nimia siccitas, aut immensa vis imbrium, alio anno, superioris anni damna compensat. Ita & quando prouentus spem destituit agricolæ, nihil terra delinquit; & quando arridet vbertas fæcundæ matris, se partus effundit, vt nunquam vllum dispendium suo inferat creditori.* Nemo itaq; dicat, non esse se in Palæstina; non habitare multos in terra Gessen; nusquam extare ampliùs Paradisum. Palæstina fieret etiam trans Iordanem, si non deessent, qui vellent Iordanem inducere irrigando; aut gnauâ operâ cultuq; terram Gessen facere. Denique multis vnius jugeris fundus fit Paradisus, qui modico contenti, ferunt laborem, & metunt benedictionem. S. Ambr. l. 3. Hexaëm. c. 8.

Qui autem citra arationem citráq; sementem, quod aiunt, volunt pinguescere, meritò esuriunt. Illum terra alit, qui terram colit. Nam, vt Socrates dixit: *quemadmodum nec mulier sine viro; sic nec bona spes absq; labore quidquam parit.* Viuunt enim homines multi, contenti ijs, quæ sunt ab alijs parata, quod pigri est ingenij, & tantùm fruges consumere nati, ac Dei ope indigni. Quia, vt Sallustius loquitur, *vbi socordiæ atq; ignauiæ te tradideris, nequaquam deos implores: irati infestiq; sunt.* Cum Deo enim manum mouere oportet, qui non vult desides nos esse, atque otiosos. *Nimis homo nihili est, qui piger est.* Qua de caussa Anaxarchus dicebat, si quis alterum audiret imprecantem sibi manus & pedes inutiles, iratum illi, procul dubio, fore: diuites autem, cùm re ipsa manus suas pedesque faciant inutiles, interim ob hoc ipsum se beatos existimare. Nec diuites hoc tantùm agunt, sed plurimi quoque egeni, qui mendicare malunt, quàm laborare; immò esurire potiùs, quàm opera haud esse parci sua. *Abscondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* Quid ergo sequitur? *propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* Itaque *omnis piger semper in egestate est.* Quod vel Ethnicus agnouit, cuius notum est illud dictum: *Vbi pro labore desidia, pro continentia atq; æquitate libido & superbia inuadunt, fortuna simul cum*

VII. Stob. serm. 108. Sallust. in Catilin. Plaut. Rud. Stob. serm. de otio. Prouerb. 19. Prou. 20. Prou. 27. Sallust. in Catil.

moribus mutatur. Quis enim vel hominem eum judicet messe dignum, qui non solùm ipse à labore abhorret, sed etiam industriam in alijs detestatur? Qualis fuit ille Sybarita, qui iter faciens, per agros, cùm videret quosdam fodientes, dixit: *Se spectando illos fodientes rupturam capere.* Quid illi contigisset, si ipse sarculum sumpsisset in manus? non ruptus modò, verùm etiam diruptus fuisset, mediúsque crepuisset. Quis talibus terram mollem precaretur? quis agrum fæcundum optaret? Si enim ab hominibus, Tullio judice, *contemnuntur hi, qui nec sibi, nec alijs prosunt; in quibus, vt dicitur, nullus labor, nulla industria, nulla cura est;* cur Deus desidiosis bona vltro cogatur suppeditare? Cessat terra, quia ipsi cessant. Non igitur illi agrorum, sed agri illorum inertiam imitantur. Itaque penes illos culpa est, penes quos est caussa sterilitatis. Non vbique frumentum, vbique tamen terra fert emolumentum; etiam ibi, vbi montosa est, nam metalla fert; aut, si neque ista, saxa præbet, quæ pretijs venduntur, in statuas, aut columnas elaboranda. Denique in id varia est terra, vt alibi materiam suppeditet ædificandi, alibi medicinas subministret, alibi jumentis pabulum, alibi hominibus cibum pariat, ac ipsa hac varietate delectet.

Athen. li. 12.

Cic. in Offic.

VIII.

S. Basil. orat. 9.

Hac de caussa D. Basilius docens, quocunque oculos quis circumferat, beneficentiæ fontes semper patentes videre: ad terram denique aspiciens, affirmat eam hominis pedes pro fulcimento subire, at fructus omnes vni tandem homini gignere. *Nam etsi bestiæ in huius muneris cõmunionem veniunt,* ait, *homini tamen principaliter mensa telluris adornata est. Ideoq; Lyricen Propheta nouit, dum lyram pulsat, producens, inquit, fænum jumentis, & herbam seruituti hominum. Bestiarum genus alit, & hominis famulitium, quòd eorum alimenta, hominis sint honestamenta.* Idem, in his omnibus plurima Dei beneficia, ac hominis jucundas vtilitates agnoscens, ait, alio loco. *Si quando latius arridet vitæ institutum, illam depromamus Dauidis vocem: Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Ex nihilo effecit, vt essemus, ac produxit; dono rationis ornauit; inuentum artium ad vitam tuendam gratitudo contulit. E terræ visceribus alimenta eduxit. In ministerium dedit omnigenum pecus. Propter nos imbres, sol, montana, campestrisq; regio pulchre exculta,*

Idem Basil. hom. 5.
Psalm. 115. 12.

culta. Propter nos amnes fluunt; promanant fontium scatebræ; mare ad negotiandum naues admittit; è fodinis effodiuntur opes. At quid opus est, hæc persequi? Deus ipse salutis nostræ caussa, inter homines conuersatus est; Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; sol ipse justitiæ medius eorum factus est, qui sedent in tenebris. Vita ipsa venit ad mortem, mortem autem crucis: ob mortuos resurrexit; Spiritus S. charismata distribuit: multiplices coronas promisit; delicias Paradisi; regni cælestis gloriam; & cetera, quæ numerari non queant. meritò vt exclamemus. Quid retribuemus Domino, pro omnibus, quæ retribuit nobis?

CAPVT XVIII.

Varij modi, variaq́; caussæ, ob quas terræ elementum indolem mutat, & verò, suapte natura immobile, tremit.



MAgnum diuinæ beneficentiæ argumentum est terra, cuius muneribus, quia non solùm æquissimum est priuari ignauos, sed multò etiam justius plecti quosdam, qui in ea, in ignominiam Conditoris, viuunt: meritò eadem etiã subinde fit diuinæ justitiæ & speculum, & instrumentum. In ea enim nonnunquam Numinis ira luculentè apparet. Neque vnus est per illam puniendi modus. 1. *Terra relinquetur deserta*, ait Prophetes. Vbi nemo habitat, ibi nemo arat, nemo metit. *Quæ incolas habet, regio*, inquit Xenophon, *magni pretij possessio est; eadémque, si ab hominibus deserta sit, etiam commodis ipsis caret.* Terra ergo deserta deserit & ipsa: ac sæpe preuenit, vt deseratur. Nam 2. Etiam si sint, qui stiuam torqueant, qui vomere lacunam faciant, qui sulcum imprimant, qui semen jactent; immò qui centum aratris terram vertant, tamen nonnunquam *aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.* 3. Aliquando aquæ penitus nullæ sunt, *si clausum fuerit cælum, & non pluerit, propter peccata* mortalium. 4. Aliquando nimiæ sunt, vt computrescant semina; & tantæ, vt terram non rigent, sed mergant: sicut in diluuio accidit. 5. Aliquando imbres frigore concrescunt, vt percutiant: sic sata verberantur, *longiq́; perit labor irritus anni. En pluam cras*, ait, *hac ipsa hora grandinem multam nimis.* 6. Aliquando iam flaua Ceres manus & falcem postulat, cùm noxiæ animantes spem propin-

I.

Isa. 6. 11.

Xenephon. lib. 4. de Institut. Cyri.

4 Reg. 2. 19.

3 Reg. 8. 35.

Gen. 7. 4.

Exod. 9. 18.

Exod.10. 4. quam depopulantur. *Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat; sed comedatur, quod residuum fuerat grandini.* 7. Aliquando ira incensus Deus terram cælestibus flammis vastat. Sic *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham, sulphur & ignem à Domino de cælo.* Nihil vtique tunc viruit, in illis campis; in quibus vel ipsa poma, etiā hodie, leui pressu, in vagum puluerem fatiscunt. Nec opus est pice; sole potest mundi Gubernator solum exurere: quo jubente, aliàs & præsentia huius astri salubriter calefacit, & absentia vtiliter refrigerat; aliàs siue absens sit, siue præsens, omnia deuenustat; vt vel bustū fiant, vel obscurum chaos, & facies nocturna; eclipsi lumen eius obuelante. Quanquam enim ista sæpe suas, etiam in natura caussas habent; falsum est tamen, *nihil horum Deos facere, nec irâ numinum cælum concuti, aut terram*; vt Stoicus præsumere animo jussit.

Gen.19.24.

Senec. lib. 6. nat. q. q. c. 3.

II.

Senec. in Thyeste.

Apud veteres tragœdos, Atreo Mycenarum rege, Thyesti fratri suo filium epulandum præbente, fingitur sol, facinoris immanitatem abominatus, radios suos resorbuisse; immò, ne pollueretur, aufugisse. Ita tenebris terras operuisse erubescentem naturam, canunt Poëtæ, qui sibi videbantur irati Dei offensionem grauiùs exprimere non posse. Nimirum, vt pictor excellens tabulæ à se pictæ cortinam obduxit, ne à sutore, vltra crepidam sapiente, aut alio Momo opus carpente aspiceretur: ita Deus quoque texit olim in Ægypto, nona plaga, terras; &, Filio suo moriente, trium horarum interuallo, cæli lumen extinxit, vt ostenderet, vel naturam pati, vel naturæ authorem; eáq; propter indignos esse mortales, qui lucem, qui orbem, qui orbis Conditorem intuerentur, quem crucifixerunt. *Eodem momento dies*, ait Tertullianus, *medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium vtiq; putauerunt, qui id quoq; super Christo prædicatum, nō sciuerunt. Et tamen eum mundi casum relatum in archiuis vestris habetis.* Scilicet, quia nihil deformius est peccato, debebat ea deformitas significari, per terram quoque deformatam. Vt enim lux rebus omnibus videtur colorem gratiámque affundere; ita nox, cum die, aufert omnem terris venustatem: &, velut domum, ob funus Principis in luctum conjectam, pullata atraque facit vniuersa,

Tertullian. Apol. aduers. Gent. c. 21.

quæ

quæ comprehendit. Ita enim in magnatum aulis, quando ibi Domini cadauer depositum baiulos & sepulchrum expectat, parietes, scamna, mensæ, famuli, ipsi etiam currus & equi, tristi nigredine vestiuntur. Quanquam non lux & color tantùm, sed & fertilitas, & pulchritudo ipsa terræ adimitur, si diuinus Iudex, terrenas, & cælestium inanes animas hoc elemento vult plectere. Siquidem circa Sodomam olim omnia mortua, & postea etiā ipsius terræ sanctæ amœnitas, & fœcunditas, vnà cum templo & natione, euanuit; vt tradunt probati authores: adeò vt balsamū soli Iudææ à Plinio attributum, nec nisi in Ierichuntinis viridarijs nasci solitum, in Ægyptum sit translatum, vbi non alia irrigatum aqua crescit, quàm illius fontis, qui B. Virgini Mariæ, Filioque illius scaturijt exulanti. Plin. lib. 12. Nat. hist. c. 25 Genebrard. l. 2. chron. in Tito, ex Paulo Iouio l. 17. hist.

III. Ne quis autem existimet, caligine tantùm, aut luminis subductione, vel siccitate, ac sterilitate terras deformari, deformantur & igne, & motu, quando diuinâ irâ percussæ contremiscunt. Tametsi enim nihil *aliud est in terra tremor, quàm in nube tonitruum; nec hiatus aliud, quàm cùm fulmen erumpit, incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente:* vtitur tamen natura Deus, & in perniciem impiorum frænos laxat elementis. Hinc illa: *Quia dies vltionis Domini, annus retributionis iudicij Sion, conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur: & erit terra eius in picem ardentem.* Quo pacto Vesuuius mons, teste Eusebio, Anno Christi 83. rupto vertice, tantam flammarum copiam euomuit, vt finitimæ regiones vrbésque, vnà cum hominibus, incensæ fuerint ac desertæ. Circa annum 1135. tantus in Gallia calor, tantáque siccitas extitit, vt terra ardere, & flammas, cum ingenti populi terrore, emittere inciperet. Quod varijs in locis euenit, igne exustis à Deo, quando *ascendit fumus in ira eius, & ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.* Sic ignem igne compensat. Ardent homines auaritia, ira, odio, libidine: incendunt pauperum casas, innocentum domos, pagos, ciuitates, contra promissa, & fidem datam: hæc incendia, cur incendijs non puniantur? cùm etiam, Politicis legibus, ad rogum damnentur, qui domum alterius malitiosè inflammauerunt. Plin. lib. 2. nat. hist. c. 79. Isa. 34. 8. Euseb. An. 83. Vign. An. 82. Palm. An. 1135. Robert. An. 1137. Psal. 17. 9.

IV. Nec minus terrificum est, quod præcedit. *Commota est, & contre-*

tremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt; quoniam iratus eſt eis. Vt enim omittam naturales terræ motuum cauſſas, præcipua, cur terræ quatiantur, cauſſa eſt Deus, *quoniam iratus eſt eis.* Non poſſunt quieſcere, qui vehementer iraſcuntur. Vnde & Aſſuerus *rex iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus conſitum.* Ex quo motu & Aman *intellexit, à rege ſibi præparatum malum.* Concionatores quoque, cùm volunt eſſe vehementiſſimi, oculos, vultum, manus, brachia huc vertunt & illuc, & totius corporis motu, motum volunt excitare animorum. Ita, Deo irato, mundus concutitur, & ipſa terræ fundamenta contremiſcunt. Nec contremiſcunt tantùm, ſed etiam velut os in rictum diducunt, vt deuorent peccatores, quorum nefaria facinora Numen ſolent ad iram, & extraordinarias pœnas inferendas, prouocare. Atque hæc eſt altera cauſſa, priùs memoratam antecedens. Sequitur enim culpam pœna. Ob illam fulmen ſtringit, ob illam terras concutit. Quod legimus, factum, quando Core, Dathan & Abiron, Moyſi principatum, Aaroni ſacerdotium auferre conati ſacrilegam ſeditionem concitauerunt. Tunc enim *dirupta eſt terra, ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum deuorauit illos, cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntq́; viui in Infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Quorum culpam, cùm multi imitentur, mirum eſt, quòd non formident & pœnam. Inuolant enim in Eccleſiaſticam poteſtatem, libertatem, immunitatem, per fas & nefas, ac vt ſuis bonis parcant, hæreditatem Chriſti diſſipant, deuorantque, quid mirum, ſi & illos terra deuoret? Omittam Trophonium, mox, vbi fratri, ne in caſſes Hyriæi lapſus, tanquā ærarij illius compilator, agnoſceretur, caput præcidit, eo ipſo in loco, tanquam compilator, & fratricida, terræ hauſtus eſt hiatu. *Notus humi merſis Amphiaraus equis.* Notus Valerius Gonatus, qui cùm ſecundùm quietem capere ſe ſacerdotis ornamentum vidiſſet, & in conflictu multos trucidaſſet, ad patefaciendas ſomnij, honoréſque ſomniantium vanitates, & ſacra illotis manibus, affectantium inſanias, repentè terrâ abſorptus eſt. Hos ſecuta eſt impia illa Furia Vradiſlai Ducis Bohemorum, quam alij Drahomiram, alij Drabonuciam vocant. Quæ ægrè ferens, maritum

[Margin notes: Eſther. 7. 7. — Num. 16. 31. — Pauſan. in Boeoticis. — Plutarch. de Græcor. & Roman. comparat. — Æneas Sylu. in hiſt. Bohem.]

ritum ex testamento matri Ludmillæ feminæ integerrimæ regni administrationem, quoad filij adolescerent, reliquisse: immissis satellitibus, socrum strangulauit, Boleslaum filium idololatram, in necem fratris Wenceslai sanctissimi iuuenis, inter epulas, armauit, aliáque multa nefanda fecit. Igitur ipsa, indigna quam terra sustineret, non multò post, apud arcem Pragensem, hiatu terræ absorpta interijt, curru ad Proserpinam vecta, ne tardiùs eò perueniret. Aiunt nonnulli, aurigam eius mirabiliter euasisse. Nam cùm eo loco transiret, vbi Missæ sacrificium mysta peragebat, audiens tintinnabuli sonitu signum dari, ad Christum in hostia sublimata adorandum, consueta pietate, ex equo desilijt, atq; in sacellum intrauit. Ibi operæ pretium tulit. Nàm eo vix ingresso in ædem sacrã, Furia illa moras trahenti aurigæ irata, in abyssum cecidit. Quo tempore, vtique diuinus judex voluit terrã, velut cribro, triticũ à palea subcernere. Aliàs vno casu inuoluit, qui scelere vno impliciti, sicut delictis juncti fuerunt, ita meruêre etiam supplicio copulari. *Carura, in Phrygiæ Cariæq; confinio vicus diuersoria habuit, & feruentes aquas in Mæandrum exeuntes. Ibi fama est, Leonem, cum magno scortorum grege, in diuersorio hospitatum, facto, per noctem, terræ motu, cum omnibus perijsse.* Nimirum Ambubaiæ thermis indigebant, quibus vitæ sordes abluerent; si tamen ablui potuerunt, quæ nimis insederant. Nec Leo, tot flagitijs obrutus, obrui mitiùs debebat. Iacet, apud quas voluit, non quo voluit, sed quo meruit pacto. — Idem cap. 61. Asiæ.

V.

Hæc vel singulos, vel paucos duntaxat pleraque tetigerunt. Pontanus refert, in Hirpinis, grauissimo terræ motu, tota oppida non quassata tantùm, sed etiam funditus euersa. Ea strage, in Samnio, Lucania, atque illa Campaniæ parte, quæ cis Lirim est, ad quatuor & viginti hominum millia ceciderunt. Diodorus memorat, circa Olymp. 78. Spartæ, complures domus magnis terræ motibus concussas, funditus corruisse; supraque viginti millia Spartanorum ruinis obtrita interijsse; ac deinceps assiduè, per longum tempus, vrbe ita terræ motu concussâ, ruentibus ædificijs, multa mortalium corpora cadentium murorum mole obruta expirasse: rerum etiam opumque, & supellectilis cuiusque generis haud exiguam quantitatem soli tremore absumpta. Ex — Pontan. de Fortitud. heroic. li. 1. c. 8. — Diodor. li. 11.

Sabell. lib. 3. En. 6. Trogo narratur, cùm Tigranes Armeniæ rex Syriam occupasset, eam crebris terræ motibus fœdè vastatam esse. Qua clade centũ septuaginta Syrorum millia multæque vrbes vnà interierunt. Quod prodigium mutationem rerum, quæ postea secuta est, portendere, aruspices responderunt. Sed videtur potiùs terra nouos incolas auersata, ad eorum aduentum cohorruisse. Qui enim terra non sunt contenti sua, digni fiunt, vt pereant in aliena; quæ sæpe, vt Alexandri equus sessorem, indignum possessorem excutit.

VI. Ranulphus lib. 7. cap. 15. Quamuis nonnunquam, terra quoque ipsa ad alios migrat digniores. Quo pacto, in Italia, cùm terra, per quadraginta continuos dies quateretur, villa quædam mota, Anno 1117. ad alium procul dissitum locum transuolauit. Et sæpius ita tellus tremuit vibrauitque. Talis enim motus *abstulit insulas mari, junxitq; terris: Antissam Lesbo, Zephyrium Halicarnasso, Ethusam Mindo, Dromiscon & Pernen Mileto, Narthecusam, Parthenio promontorio.* Aliæ multæ insulæ à Plinio recensentur, loco motæ, vel absorptæ, vel interruptæ haustæque. Quin etiam nascuntur, hoc modo, *terræ, ac repentè in aliquo mari emergunt, velut paria secum faciente natura, quæq; hauserit hiatus, alio loco, reddente.* Vsque adeò etiam prodesse potest terræ tremor, vt terras reddat. Sed nulla maior vtilitas, quàm quòd homines doceat timere Deum terras concutientem. Cùm Christus, in cruce infami interfectus esset, obstupuit natura, *& terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Non caruit fructu suo motus ille. Siquidem *Centurio, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* E terræ motu *docibiles Dei,* Deum agnoscunt, omnipotentiam illius intelligunt, iram metuunt, de peccato, velut de sepulchro resurgunt. Idcirco enim terram concutit Deus, vt petræ & saxea impiorum corda scindantur. Quæ si obstinatè pergunt ire in scelera, & Seruatoris contemnere passionem, calcare sanguinem, Dei se misericordia indignos faciunt, eiusque sanguinem cogunt in cælum clamare. Quod, apud Moscum, Georgius Abbas, in Palæstina vidit, testatusque est, cùm extra ordinem auditus esset eiulare; eò quòd vidisset iratum in sublimi throno Christum, die quodam

Marginal notes: Plin. lib. 2. nat. hist. c. 89. — Ibid. cap. 86. — Matth. 27. 51. — Moscus Euirat. in Prat. spir. cap. 50.

quodam Iouis sancto, neque à sanctis, neque ab ipsa Matre sua flecti potuisse; ac postea ipso die sancto Veneris, ingenti terræ motu, hora nona, tot vrbes ac populi ceciderunt. Ita passio Christi in salutem data, impijs fit in injuriarum recordationem; Deumque, quem hominibus bonæ voluntatis placat, duris ceruicibus ad iram inflammat; in terrorem sceleratorum. Nam quid alijs fieri possit, exemplum in alijs fecit; quando varia hominum flagitia, horrendis terræ cladibus, vindicauit. Quod enim cælestis Pater fecit terram concutiens, Christo in cruce interfecto; id etiam postea sæpius repetiuit, cùm eundem hæretici è diuinitatis solio deripere conarentur. Tantus & elemento horror, & ipsi Deo inest odium blasphemiarum.

VII. Car. Sigon. lib 5. Imp. Occid.

Anno 343. sub Constantino Imp. Ariano, Neocæsarea vi terræ motûs, mari absorpta: & An. sequenti Rhodus insula penè tota subuersa est: posteroque Dyrrachium totum procubuit. Quin etiam Roma, per triduum, magno cum periculo, tremuit: & duodecim Campaniæ vrbes funditus, eodem impetu, corruerunt. Atque An. 364. cùm moreretur Constantinus Imp. Mopsucrenis, magno terræ motu, bona pars Constantinopolis diruta est. Apud authores non dubitatur, quin Deus, tot terræ motibus, qui acciderunt, sub hoc Imperatore, testatus sit, sibi Arianas blasphemias aduersus Filium Dei omninò displicere. Esse verò in pœnam talia, monstratum fuit, An. secundo Mauritij, juxta Chronicon Sigeberti, quando Antiochia pessumdata est. Vidit enim quidam ex ciuibus vir pius & liberalis, largúsque in erogandis eleemosynis, venerandum senem albo indutum vestimento, cum duobus socijs, in vmbilico vrbis stantem, sudariúmque, quod in manibus tenebat, excutientem super mediam ciuitatis partem, quæ subitò cum ædificijs & mœnibus euersa est. Vix autem retineri poterat à duobus socijs, latus stipantibus, quò minùs sudarium super reliquam quoque vrbis partem, quæ incolumis stabat, effunderet. Placatus ergo, postquam hunc ipsum virum ac pium ciuem, blandis verbis fuit consolatus, videri repentè desijt. Qua in re patefactum est, vnde judicij tam metuendi veniret executio; & quid apud Deum, possint pij deprecatores, quibus, vt olim Abrahæ, in perdenda Pentapoli, consiliorum suorum & fu-

Eutrop. li. 11.

Psal. 147. 8. roris diuini arcana reuelat. *Non fecit taliter omni nationi; & iudicia sua non manifestauit eis.*

VIII. Apollon. in hist. mirabili. Pherecydem narrant, in Scyro insula, sitientem aliquando, aquam à discipulorum quopiam petijsse: quam cùm bibisset, pronunciasse, terræmotum, post triduum ea in insula futurum. Quod dictum, vt exitus probauit, magnam ille gloriam reportauit. Item, *præclara quædam esse & immortalis in eo (si credimus) diuinitas perhibetur Anaximandro Milesio Physico: quem ferunt Lacedæmonijs prædixisse, vt vrbem ac tecta custodirent: instare enim motum terræ: cùm & vrbs tota, eorum corruit, & Taygeti montis magna pars, ad formam puppis eminens, abrupta cladem insuper eam ruina pressit. Quæ si vera sunt,* ait Plinius: *quantum à Deo tandem videri possunt tales distare, dum viuant?* Qui tamen, paulò infrà, ipse docet, & quo modo è puteis, & qua ratione, ex alijs signis, venturi terræ motus cognosci possint. Ait enim: *Nauigantes quoq; sentiunt, non dubia coniectura, sine flatu, intumescente fluctu subito, aut quatiente ictu. Intremunt verò & in nauibus posita, æquè quàm in ædificijs, crepituq; prænunciant. Quin & volucres non impauidæ sedent. Est & in cælo signum, præceditq; motu futuro, aut interdiu, aut paulò post occasum sereno, ceu tenuis linea nubis in longum porrectæ spatium. Est & in puteis turbidior aqua, nec sine odoris tædio.* Talis ergo & Pherecydis Pythagoræ doctoris conjectatio fuit, aut esse potuit.

Plin. lib. 2. nat. hist. c. 79.

Idem ib. c. 81.

IX. Gen. 18. 17 Aliâ viâ, Sancti vel præsentem alijs, ipsi absentes, vel futurum terræ motum cognouêre. Nam, vt tres Angeli Sodomitarũ excidium Abrahæ detexerunt; ita suprà memorati tres viri ciui Antiocheno & sudario, tanquam missione mappæ, se signum erupturæ labi dare, & precibus diuinæ vindictæ manum inijci posse ostenderunt. Zosimas quoque Sindenus, Phœniciæ monachus, miraculis clarus, quamuis procul abesset Antiochia, tamẽ terræ motum Antiochiæ, qui septimo anno Iustini senioris accidit, sciuit, ac in ipso momento, non per turbidam putei aquam, sed Deo reuelante sensit, subitò enim consternatus, gemebundus, tantúmque lachrymarum fundens, vt ipsam terram rigaret, totoque illo tempore, quo Antiochia terræ motibus concutiebatur, in terram prostratus Deum placauit. Arcesilao autem quæ-

Euagr. lib. 7. cap. 4.

renti: *Quæ huius subitaneæ tristitiæ esset caussa?* respondit: *Ruentis Antiochiæ fragorem aures suas repleuisse.* Arcesilaus, & qui simul aderant, hæc audientes obstupefacti, horam annotarunt: ac postea diligenti inquisitione, rem sic se habere deprehenderunt. Amor amato etiam secretissima pandit. Quare vel ipse Deus ait: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Hac de caussa etiã compluribus alijs eiuscemodi atroces clades terris instantes, non per cometem tantùm, sed alijs quoque portentis ostendit. Narrat Paulus Diaconus, sub Anastasio Imp. quendam militem, non procul ab vrbe Neocæsarea, iter facientem, paulò antè, quàm ea terræ motu concuteretur, in aëre suprà eam duos conspexisse milites, & alterum à tergo clamantem: *Conseruate ædes, in quibus, sepulchrum extat Gregorij* (Thaumaturgi) facto autem terræ motu, maximam partem ciuitatis collapsam, & euersam fuisse, illæsa manente Gregorij domo. Et Sigonius quoque refert, Neocæsarea An. 343. vi terræ motus mari absumpta, Ecclesiam & Episcopum tantum incolumes extitisse. Nimirum nouit Dominus, qui sint eius; & potest à tritico zizania separare. Quod quia nec peccatores ignorant, semper metuunt, ne terra sub pedibus eorum discedat, & ad omnes passus trepidant, cùm interea sanæ conscientiæ homo semper animo sit constanti & erecto, nec se deijci sinit, etiamsi *fractus illabatur orbis.*

Gen. 18. 17.

Paul. Diacõ. lib. 15.

Car. Sigon. lib. 5. Imp. occid.

X.

Quoniam autem vehementer animat, mortalésque inflammat ad Deum colendum diuinæ protectionis experientia, non omittam apponere, quod de alio terræ motu recensetur, qui An. 1509. die 14. Septemb. incipiens, decem & octo continuis diebus, murum Constantinopolitanæ vrbis, qua parte mare spectat, cum omnibus adjacentibus domibus disiecit, & fossas ruderibus impleuit, ac terræ æquauit. Arcem, in qua gazophylacium Imperatoris quinque turribus munitissimis custoditur, & insignis domus, in qua leones, tanquam in viuario nutriuntur, destruxit. Cuniculos, qui per montes, ac longa itinera è Danubio aquas in vrbem inuehunt, maximis & laboribus, & impensis fabricatos, concussit. Sinus autem maris inter Constantinopolim & Peram violentia terræ motus adeò infremuit, vt in vtramque ciuitatem mare vltra muros aquam inijceret. Domus tributaria, juxta mu-

ros Constantinopolis, in mare tota decidit, vt nullum illic appareret vestigium. Maxima item pars turris plumbeæ, in Pera, corruit. In Callipoli munitissima arx penitus rupta est; neq; vlla domus illic integra mansit, totámque Græciam, ad Danubium vsque hic terræ motus longè latéque peruagatus est. Feruntur Constantinopoli tredecim millia hominum interijsse. In tanta ira suæ misericordiæ recordatus Deus ostendit, quid, & quos peteret illa clades. Nam, vt, in mari rubro olim, Israëlitis innoxiè transeuntibus, Ægyptij perierunt; ita & hîc inter sacra & profana magnum discrimen est demonstratum. Mirissimum enim fuit, quòd cùm corruerit sepulchrum Machometi patris Baiazeti, maximis extructum impensis, multæque Turcorum sacræ (quid sacras voco?) profanæ ædes, quas suâ linguâ *Moschetas* vocant, collaberentur; Christianorum tamen templa illæsa manserint; ingensq; illa Sophiæ ædes nihil mali sensit, præter turrim à Turcis, post captam vrbem, templo, in fine, ornatus gratia annexam, quæ tota præcipitata perijt. Sed & illo terræ motu calx & cementum, quo beatorum imagines, post captiuitatem vrbis, copertæ fuerant, ita separatim ab imaginibus ciderunt, quasi arte noua iam primùm suo splendori essent redditæ. Hæc mira sunt, & tantò miriora, quia neque à Cuspiniano tacentur. Ostendunt autem, timendum quidem Omnipotentem mundi Rectorem, sed non sine fiducia, ab ijs, qui ad eum, velut sacram anchoram recurrunt. *In timore enim Domini fiducia fortitudinis*, ait Salomon. Vos ergo, qui non timetis, Dominum offendere, timete Dominum punientem, & terras sursum atque deorsum vertentem. Efficax est, in metu, peccati frænum. Sed vos, quibus culpa formidabilior est, quàm pœna, & *qui timetis*, more filiorum, *Dominum, sperate in eum;* quia *oculi Domini ad timentes eum;* & *misericordia eius, à progenie in progenies timentibus eum.* Cadent muri, & vos stabitis. Corruent tecta, & vos non tangent. Inter Scyllam & Charybdim, inter ipsas mundi ruinas, incolumes euadetis.

Prou. 14. 26.

Eccli. 2. 9. Ib. 15. Luc. 1. 50.

XI. Hoc multi terræ motus demonstrauerunt; sed luculentissimo prodigio ille, qui, An. Christiano 528. à priore Antiocheno terræ motu tertius fuit numeratus. Etenim, vt Euagrius, ac Nicephorus, ac post eos Baronius, testantur, eadem rursus ciuitas grauio-

Euagr. lib. 4. ca. 6. Niceph.

grauioribus motibus agitari, direque admodum concuti cœpit. Cùm autem ea res sit, inter maximè formidanda, ijs tamen magis videtur metuenda, qui timorem non ex auditu, sed experientia hauserunt. Tremente igitur denuo terra, Antiocheni præteritorum malorum recenti memoria penitus consternati, cùm in humanis nullum superesset subsidium, ad diuina patrocinia confugerunt: rati eiusdem esse, *percutere & sanare*. Est sæpe necessitas magistra pietatis. Ea itaque quid hominibus ipsâ terrâ magis trepidantibus suaserit, Nicephorus his, in compendio, verbis refert: *Vnusquisq; ciuium Christi nomen præ foribus inscribens, eo modo terræ motum dispulit; cùm Deus religioso cuidam homini oraculo hæc verba foribus inscribere præcepisset:* CHRISTVS NOBISCVM, STATE. Ita, cuius sanguine ac meritis totius mundi salus stetit, steterunt & mœnia, & ædificia pulcherrimæ ciuitatis; ac ipse hominum Redemptor, qui, *die tertia*, vt Tertullianus ait, *concussa repente terra, & mole reuelata, quæ obstruxerat sepulchrum, & custodia pauore disiecta*, resurgens de morte triumphauit, clarè ostendit, *datam sibi omnem potestatem in cælo & in terra*. Quæ potestas magnam nobis fiduciam parit. Cùm enim dixerit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi*, meritò & foribus, & cordibus nostris inscribimus: CHRISTVS NOBISCVM, STATE. Naues, in fluctibus, anchorâ fulciuntur, ac, ne à portu abripiantur, ad rupem religatæ seruantur. Sic, quassata terra, spes nostra Christus, & portus noster esse debet. Quæ pulchrior esse caussa grauiorque potest; quàm vt terræ motibus moueamur ad Christum quærendum, quem pericula à capitibus nostris depulsa clamant, esse totius naturæ Dominum & Gubernatorem? Quo protegente, multi sancti homines, cùm mente essent in cælo, nō senserunt, quid fieret in terra. Adeò nonnunquam terra contremiscens, non ex ira magis Numinis contremiscit, quàm in testimonium sanctitatis. Maria Victoria Cælestinarum virginum fundatrix, adeò, inter diuinas preces absorpta erat, vt legatur, in choro, cum ceteris Deo dicatis Virginibus officio diuino præsens nihil omninò sensisse aut animaduertisse, cùm haud exiguo terræ motu, reliquæ sociæ omnes, & ipsi adeò etiam muri chorúsque totus concuterentur. Quod vbi sociæ, finita re diuina inuicem

lib. 17. cap. 3. Baron. tom. 7. An. 528. num. 22.

Tertullian. in Apolog. cap. 21.

Matth. 28 18.

Ibid. v. 20.

Ferdinand. Meltio. lib. 2. de vita eius. cap. 10.

uicem ingenti trepidatione narrarent. Victoria mirata est, quæsiuítque, quando, & quàm diu id accidisset? Adeò nimirum mens & conuersatio illius in cælo fixa fuit, vt nesciret, quid in terra ageretur. Quàm longè leuiore brachio alij diuina tractant, quos vel mus, vel musca potest ab oratione dimouere?

XII. Philipp. Alegambe in Indiæ Martyr. Soc. Iesu num. CCLVIII.

Addam adhuc recentius, quod ex vita P. Marcelli Francisci Mastrilli Hispanicè & Gallicè edita compendio refert Philippus Alegambe. Is Mastrillus, non sine prodigio, à lethali vulnere, per S. Franciscum Xauerium sanatus, ad Indiam atque martyrium inuitatus, ardentissimis votis eò contendit. *Incredibiles illi difficultates in itinere Dæmon conciuit; admirandis eum prodigijs seruauit honestauitq́, Deus. Clam tandem delatus in Iaponiam, fumi ab igne, quem excitârat, sublati indicio comprehensus, terra contremiscente, Nangasachi dirißimè priùs cruciatus, gladio demum percussus est. Primùm diductis cruribus per contortum funem suspensus, capite in aquā demerso, retexente se fune violenter rotatus est. Dein scalis supina facie adalligatus, infusa in faciem magna vi aquæ penè suffocatus est. Tum candente ferro virilia vstulatus est; sed inuerecundam barbariem detestatus, aquæ cruciamento rursus admotus est. Demum, prælata mortis caussa, quia fidem per terram venisset prædicatum, jumēto eductus, catenatus, os densato constrictus lupato, capitis partem dexteram rasus, læuam minio probrosè infectus, capite in scrobem genuū tenus depresso, pedibus suspensus in quartum vsque diem, post illa depositus, tertiò acinace obtruncatus est, die 17. Octobr. ac rursum terra validè intremuit;* martyris scilicet testata sanctitatem, & barbarorum immanitatem detestata. Ita Deo, ad defensionem & offensionem seruit hoc elementum. Quod etiam, quando D. Agatha olim fuit tormentis agitata, ita contremuit cohorruítque, vt tota ciuitas Catanensium concuteretur, ac duo muri conciderent, qui Quintiani Prætoris amicissimos duos Siluinum & Falconium ruina oppresserunt; & populum omnem in crudelissimi judicis vindictā excitauerunt. Ita terra Diuam tutata heroicis eius virtutibus applausit; quibus etiam, post mortem obitam, ignis (elementorum potentissimum) est obsecutus. Nam velum, seu cortina de sepulchro eius accepta, flammam vbique repulit, cùm incendijs obtenderetur.

Sur. 5. Febr.

Contra

XIII. Tertullian. lib. 6. aduers. Iudæos. c. 6.

Contra Iudæos, docet Tertullianus, *inprimis quærendum, an expectetur nouæ legis lator, & noui testamenti hæres, & nouorum sacrificiorum sacerdos, & nouæ circumcisionis purgator, & æterni sabbati cultor: qui legem veterem compescat, & nouum testamentum statuat, noua sacrificia offerat, & cerimonias antiquas reprimat, & circumcisionem veterem, cum suo sibi sabbato, compescat, & nouum regnum, quod nō corrumpatur, adnunciet. Nam etiam nouæ legis lator, sabbati, spiritalis cultor, sacrificiorum æternorum antistes, regni æterni æternus dominator, quærendum an iam venerit, necne;* vel venturus adhuc speretur? E Prophetis omnibus constat, venturum fuisse; nobis certum est, venisse, quia tempora, & modus, & lex noua, & Christi regnum vbique porrectum, & omnia congruunt, quæ prophetæ cecinerunt. Iudæi venisse negant, & tanquam hiantes corui adhuc Messiam suum expectant. Vt ergo & illos doceret, legem Mosaicam, veteresque ritus, & sacrificia, ac ceremonias esse antiquatas, Christo Seruatori authoritatem cælestis Pater, mirabili terræ motu, alijsque prodigijs seuerè confirmauit. Ita enim Iudæi calcitrones erant capistrandi: qui si frænum morderent, si contra stimulum tenderent; saltem exemplum ad nos instruendos erat transiturum.

XIV. Niceph. Callist. lib. 10. hist. Eccles. cap. 32. & 33.

Narrant id complures, ego è Nicephori historia recensebo. Iulianus Imperator, qui, ob desertum Dei vnius, & veræ Ecclesiæ cultum, Apostatæ nomen obtinuit, quantus quantus, ex imis vnguibus ad verticem summum ex impietate concretus, Iudaicæ superstitionis in tantum promotor, in quantum persecutor Christianorum, Hebræis potestatem fecerat, vt, ex prædictione Christi dirutum, Hierosolymis, templum à fundamentis denuò extruerent, quo stante, Iudaismus stare videbatur. Iudæi, potestate obtenta, velut perrupto aggere torrens, effusi, summo studio, in templi structuram incubuerunt, vt pristinum ritum renouarent, atque cum templo sacrificia Mosaicæ legis restaurarent. Hoc in opere duo acciderunt, quæ ad Christi gloriam illustrandam maximè pertinent. Nam & eius vaticinium ipsi Iudæi impleuerunt, & prodigio ingenti demonstratum est, non esse consilium contra Dominum, quod habeat successum. Siquidem discipulis Christo ostendentibus *ædificationes templi, ipse respondens* Matth. 24. 1.

 dixit

dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Cœpit ea Prophetia fieri, Tito & Veſpaſiano Hieroſolymam affligente; impleta eſt, Iudæis hoc opus aggreſſis. Stabant adhuc rudera quædam, & ſaxa templi etiamnum in fundamentis jacebant, intacta, quia infoſſa. Hoc ſolùm deerat, vt ne ſub terra quidem *lapis ſuper lapidem relinqueretur.* Iudæi ergo, vt ſolum penitus repurgarent, omnes veteris ſtructuræ reliquias, ex imis fundamentis, effoderunt. Ita prorſus, ipſorummet operâ, dirutum eſt, quod in integrum reponere voluerunt, conatu improbis conſueto, qui ſemper, Siſyphi more, in irritum cadit, juxta illud: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Atque hoc primum eſt, quo Chriſti prædictio & gloria fuit illuſtrata. Acceſſit & alterũ maius. Erudera erant iam omnia, foſſiſque grandibus factis, architectationis initium in procinctu videbatur eſſe. Statuto igitur die, magnis gaudijs, magnâ frequentiâ, magna ſolennitate, conuenerant, ad deſignati templi locum Iudæi; nimirum, vt primum fundamentum, cum pompa & tripudio jaceretur. O ſpes humanæ! quàm ſæpe fallitis? ô conſilia hominum, quoties vobis promittitis, quæ nunquã eſtis conſecutura? ô Principes, quoties palatia magnificè ædificatis, in quibus alij, quàm putatis, habitabunt? immò, quæ interrupta relinquetis? Nunquam audiuiſtis, qui dixerint: *Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen noſtrũ?* Nunquid gigantes illi, Pelion Oſſæ imponere, & in cælum conſcendere cogitantes, abjugaſſere equos, & ab opere incepto deſiſtere debuerunt? Idem Iudæis contigit. Etenim, cùm conuolâſſent vndique ad primum templi ſui lapidem, cum triumpho, jaciendum, lætitia in luctum ceſſit, Deo receptui canente. Nam ecce, dum circumſtant, dum inhiant, dum manum machinis applicant, exiſtit repentè adeò vehemens terræ motus, vt terribili concuſſione, lapides ex ipſis fundamentis eijcerentur, ac, velut tormento acti, magnam ſtragem ederent, Iudæis, qui vel ſpectatum venerant, vel ædificium curaturi erant, vndique diſſipatis. Quin & publicæ ædes templo viciniores, fluctuante identidem terra, ſolutæ atque cũ impetu collapſæ,

Pſal. 126. 1.

Gen. 11. 3.

quot-

quotquot in eis erant, oppresserunt, domicilium in sepulchrum mutantes, antè tumulati, quàm mortui. Qui autem de vestibulis, aut officinis, aut areis effugere voluerunt, eorum quidam semineces jacuêre; alij cruribus, vel manibus, vel alijs membris, pro eo atque clades ferè quemquam comprehendit, repentino casus impetu fuerunt mutilati. Tam graui plagâ icti non sapuerunt. Vix enim desierat moueri terra, cùm & ipsi quiescere desierunt. Tanta vis est pertinaciæ. Igitur, qui reliqui erant, vt, quod tantopere cupiebant, perficerent, simulque, ne Imperatorem architecturam etiam constitutione vrgentem offenderent, opus rursum aggressi, nihil pensi habuerunt, quid priùs accidisset. Erant nimirum ex eorum censu, de quibus dici poterat: *Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo. Non recogitant in mente sua, neq; cognoscunt, neq; sentiunt:* quorum nonnemo ad eam confessionem adactus est, vt diceret: *Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi.* O quàm multi reperiuntur tales, qui non habent aures audiendi, quando vel de cathedra, vel de priuata amicitia monentur? imò nec sentiunt, dum vident alios, ob sceleratam vitam, è medio tolli; aut si vel ipsi graui morbo correpti à Deo moneantur. An tales misericordia digni? an non merentur à terra absorberi? Certè Iudæi tunc, impedimento tam atroci diuinitus objecto, satis apertè intelligere potuerunt, Deum instituto ab eis operi, Superósque indignari. Ast illi, quasi ad se nihil pertinerent diuinę admonitiones, denuo admota manu, conati sunt, quod perficere nequiuerunt. Cùm enim iterum structuram experirentur, alius ignis ex ipsis fundamentis exiliens, alius de cælo decidens, plures, quàm antea, consumpsit. Sunt qui aiant, iam tum, cùm sacrum locum adirent, flamam illis obuiam, id, quod dictum est, peregisse. Ignis porrò de cælo jactati tanta fuit vis, vt *mallei, scalpra, serræ, secures, asciæ & quæcunq; ad ædificationem commoda operarij comportauerant, celeriter in cinerem redigerentur.* Quod tale ac tantũ incendium, die integro est grassatum. Itaque Iudæi, maximo correpti pauore, vel inuiti Christum verum Deum esse sunt professi. Miraculum extorsit veritatem; sed perfidiam non vicit. Tam dura enim est ceruix Iudaica, vt etiam, post hanc plagam, non sa-

Isa. 44. 18.

Prou. 23. 35.

perent, sed in veteri errore suo contumacissimè perseuerarent. An non terræ hiatu digni erant isti? an non abyssum merebantur, qui moueri se non sinebant, vt crederent, Messiam aduenisse, cùm vel ipsa terra, in testimonium eius, moueretur? *Sed & aliud, quod ad hæc accessit, miraculum eos ad fidem non perduxit, quod prioribus & manifestius fuit, & admirandum magis. Nam proxima nocte, sua sponte, vestes eorum crucis signis, radiorum instar conformatis, sunt consignatæ. Ita omnes vestitum, tanquam stellis variegatum, & lanifica arte atq; solertia distinctum habuêre. Quo, illucescente die, viso, eluere & detergere crucis notas conati, nihil egêre.* Quemadmodum autem *crucis notæ* ineluibiles fuêre in vestibus Iudæorum; ita in manibus pedibúsque, & latere Christi, vulnerum nunquam delebuntur cicatrices: *Videbunt, in quem transfixerunt;* quando *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate.* Quem secundum quoque eius Aduentum mortalibus patefacient insoliti tremores. Cur enim terra non trepidaret, si *virtutes cælorum commouebuntur?* Est itaque terræ motus, etiam quædam futuri judicij imago, vtilis ad timorem Domini ac Iudicis, in peccatoribus excitandam. Cuius judicij terrorem, vt vel in vmbra delineemus, non pigebit huc apponere recentem & luculẽtam tragœdiam, politiore calamo narratam, quam nec passim, in Germania nostra, scio haberi, & à multis audiui sæpius desiderari, diuinæ iræ prouidentiæque potens exemplum.

Ioan. 19. 37.

Matth. 24. 30.

Ibid. v. 29.

CAPVT XIX.

Ex Congeminato Nuntio, de nouo in vniuersa Calabria terræ motu, à Iulio Cæsare Recupito S. Iesu conscripto, & Neapoli edito 1638. quædam notatu digniora.

I.



Em ita contigisse, vt subyciam, ex Auctoribus fide dignis compertum. Dies intercurrebat Martij mensis vicesimus septimus, qui in sabbatum inciderat, nobilem à palmis appellationem sortitum, ne palmæ sine cædibus forent, mox funestandum. Hora data iam erat prima supra vicesimam, sole ad occasum vergente, quasi luctuosum spectaculum auersaturo: cùm terra repente mota Calabriam tum citeriorem, tum vlteriorem, celeberrimi Neapolitani regni Prouincias, quà concussit, quà diruit: Messana vrbe finitima & damno

non exempta, Neapoli non è metu. Terræ motus non vno tenore stragem edidit: sed alicubi sæuiùs, clementiùs alibi: diuina, credo, dextra moderatrice, & veluti circumducente cladem.

Hanc in primis passa Consentia, Calabriæ citerioris caput, altera regij magistratus sedes, vrbs nobilitate ciuium, & antiquitate percelebris. Magnificentius hic grassata calamitas, multæ domus dirutæ, quassatæ omnes. Duæ castri turres planè solo æquatæ. Neq; multò minor in palatio regio jactura. Neq; aut templa fuêre immunia, aut tutiora cœnobia. Turris, Christiano ritu, regia munificentia, ad ingentis Tympani loculamentum extructa, Archiepiscopalis templi ornamentum, supra ædem sacram decubuit, alamq; disiecit. Duo præterea Patrum Franciscanorum cœnobia corruerunt. Collegium Societatis Iesu occupauit ruinam, quam non multò post vetustas tulisset: tribus tamē cubiculis, quæ firmiora erant, adhuc stantibus, sed rimosis. Quod vitium in alijs etiam apparet ædibus. Habuit hæc suum ruina spatium, & terræ motus initio lentior monuit incolas, vt in apertas planities, atq; in loca tutiora profugerent. Viginti vici oppressi periêre, numerus in tanta eius vrbis celebritate peregrinus. II.

Vni tamen fuga mortem aut maturauit, aut intulit. Mercator cùm ad officinæ fores nescio quid negotij perageret, ac terræ motu obstrepente, in ampliorem se plateam quanta maxima poterat celeritate proriperet, in deciduum parietem incidit: ac magnificarum ædium ruinis elisus splendidè occubuit, incolumi tectulo, vnde prodierat. III.

Hunc lethi fuga ad lethum impulit: alteri pietas memorandum posteris exitum dedit. Barbara Telesia clari generis fæmina, primo terræ strepitu territa, conuulsæ domus egressa limen in tutum se eduxerat. Sed mox, vt animum recepit ex metu, mentem subijt filius inter mortis fauces desertus, cui per ætatulam nec consilium, nec vires suppetebant ad fugam, per ruinas eò interrita redijt, vnde pauens profugerat. Verùm dum mater puero inconsultiùs consulit, quàm res poscebat, improuiso tecti delapsu in mutuo complexu vterq; perijt: suffocata etiam prole, quàm mulier nondum enixa conceperat. Quatuor sanè in vnico euentu portenta. Barbaram peremit pietas. Vnius quæsita incolumitas tria capita extinxit. Vni mors obtigit ante vitam. Huic vterus euasit in tumulum. In scholis etiam, quas vocant pias, tres aut quatuor pueri occubuêre, qui inter ipsa ætatis primordia, cùm prima legendi rudi- IV.

menta discerent, extrema pati didicerunt: inter elementa Grammaticæ, duriore hausti elemento. Patres tamen, qui tam pio vacabāt operi, omnes integri, illæsiq́; Consimilis Dei prouidentia in Patribus nostræ Societatis eluxit. Nam ij omnes, quorum cubicula conciderunt, foras prodierant: eorum, qui intus aderant, cubicula substitêre.

V. Inter hos ille, qui hoc anno in Archiepiscopali templo summa cum laude concionabatur, cùm ad insequentis diei concionem totus incumberet, terræ motu ab ea cura diuulsus, aliò cœpit cogitationem, ac pedem auertere. Mirum dictu, quocunq; ille gradum fecisset, illico parietes, tecta, scalæ relictæ à tergo ruebant; quasi tantummodò exspectaretur ad horum ruinam aliena incolumitas.

VI. Magister ex ijs vnus, qui Grammaticam in eo Collegio docebant, terræ motu exaudito, discipulos præiuit ad fugam. Interuallum datum, vt omnes pedem efferrent. Cùm ad januam accurrerent, ædificij pars ante fugientiū oculos corruens fores obstruxit. Territi regredi, ac referre cursum, vnde diffugerant. Sed inter eundum ex altera parte primò superstans cubiculum, mox & schola vacua cecidit. Occluso vndiq; exitu, nullus iam supererat transfugio locus; perdurante adhuc terræ motu, atq; identidem ingrauescente: ita vt consistere non possent, progredi non auderent. His vndiq; circumsepti periculis, dum ex omni parte fugam adornant, ex omni etiam ruinarum objectu intercluduntur, animaduertit magister subjacentem scholæ adhuc integræ angustißimum fornicem: qui submißis ingredientium ceruicibus, quatuor aut quinq; vix caperet. Eò ipse sese celerrimè contulit: quodq; incredibile videbatur, viginti discipulos (nam fortè cæteros ad suum quemq; pagum dimiserat) in eundem angulum sibi hærentes retrusit. Tectis hinc, inde, alijs ruentibus alijs nutantibus, & iam iam incumbentibus ad ruinam, mentis inopes pueri flere, conclamare, magistri opem deposcere, congeminatis his vocibus, perimus, Pater, perimus. Iam excitatus collisione casuq́; lapidum puluis vsum oculorum abstulerat; nec, quà euadi posset, vlla ex parte apparebat: cùm fortè audita vox magistri alterius eum, qui delitescebat, quasi extinctum flebiliter appellantis. Ille, in circumfusa caligine, eò gradum direxit, vnde sonus accipiebatur: ac per aggestos obices & saxa vndiq; collabentia, non tam ambulando, quàm reptando, tandem ad plateam erupit, puluerulentus, ac semiuiuus. Mox sequaces pueros voce, manu, ope eòdem perduxit integros

tegros

tegros sospitesq́; ne vno quidem vel mutilato, vel læso. Hæc ita narraui, vt ab eodem accepi, minutiùs quidem, quia vera & comperta: Dei numine non parum prodente se, vel in paruis.

Non minor in alterius incolumitate admiratio. Nam dum Philosophiæ magistro & schola corruit & cubiculum, ipse vtriq; calamitati subducitur. Cæterùm cordatè hic, cùm ad ruinosi templi fores terræ motus initia præsensisset, nihil moratus ad plateam euasit, vbi multos reperit lymphatis similes, & iam consternatos in fugam: qui, sacerdote conspecto, noxarum solutionem lamentabili voce, nec sine lachrymis petiêre. Ille alienæ magis memor salutis, quàm suæ, singulorum culpa raptim audita (quod in rebus extremis licet) singulos ocyissimè etiam ab omnibus expiauit. Ita, breuissimo temporis spatio, centum circiter confessiones excepit. Quod alij Patres inter fugam pariter præstitêre. Profectò vnus terræ tremor cunctis tremorem incusserat: atq; inter allisiones lapidum corda saxea scindebantur. Ingerebantur oculis pulvereæ è ruinis elatæ nubes, quæ sereno cælo diem obtexerant: ita, vt non juuare, non videre quemquam liceret. quod in immani alio terræ motu, sub Traiani Imperio, contigisse testatur Dio. Exaudiebantur dissonæ voces hinc expectare, hinc ire jubentium. Feriebat etiam aures ædium vndequaq; cadentium fragor, qui terræ motui adstrepebat: & puerorum vagitus, eiulatus mulierum, virorum clamor, timoris index ac doloris omnia latè loca compleuerat. VII.

Planities, ad quam ciues, quasi dato signo, aduolauêre, paradisi tunc simulacrum quoddam exhibuit, cùm nihil ibi, nisi preces, imploratio numinis, scelerum detestatio, suspiria, lachrymæ, Christianæ deliciæ. Nam cùm eò ciues, vt dictum est, ac Societatis Patres vndiq; confluxissent, à vicesima prima hora ad noctem vsq; dimidiam noxis confessione eluendis vacatum. Viginti quatuor terræ motus identidem numerati, quasi ferali sonitu diem irâ furiales horæ distinguerent. Ita nox inter terræ fremitus pauoremq́; mortalium transacta lamentis, clamoribus, precibus. Vbi illuxit, stragem dies ostendit. VIII.

Commouit omnium animos miserabilis patriæ vrbis aspectus, in qua viduata iam ciuibus nihil aspicerent, præter fragmenta lapidum, & dirutas aut semirutas ædium potiùs vmbras, quàm ædes. Accesserat ad doloris cumulum fames, dirissima inopum carnificina. Nam ex vicinis oppidis plurimi, qui bonorum omnium jacturam fecerant, confugere IX.

gere coacti ad vrbem, seu verius ad campos, ad quos asportata vrbs videbatur. His religiosorum Patrum industria, ditiorum liberalitate, commeatus ad victum suppeditati: ne conficeret incolumitas, quibus ruinæ pepercerant.

X. Hæc fermè mihi de vrbe Consentia luculentissimi testes, qui interfuêre, narrârunt. Sed nescio quo pacto terræ motus in vrbe quodammodo se gessit vrbaniùs, larium magis exitio, quàm hominum: in oppida vires totas effudit. Altilia, Delsitum, Apilianum, Figlinũ, Mottæ duæ, Dominici duo, S. Petrus, S. Stephanus, S. Hippolytus, S. Benedictus, Collaria, Pedacium, Petra ficta, Spezzanum duplex, Mangonum, Paternum, Zompanum, Carpenzanum, Roblanum citius periêre, quàm narro. Cæteri vrbis pagi, qui octoginta quinq; in iisdem collibus numerabantur, magna ex parte diruti, tantummodo non deleti. Ingens in his mortalium strages, malo velociore, quàm fuga. Murgantia penitus cladem accepit planè consternata tota, maxima cum internecione ciuium. Illæso quidem Episcopo, sed ad tantam egestatem redacto, vt tres tantùm nummuli superessent. Durissimè omnium cum Sciliano actum, vbi censa incolarum capita supra quinq; millia cũ laribus partim oppressa, partim absorpta, in immanem terra subitò dehiscente voraginem.

XI. Nulla tamen res magis saluti fuit, quàm in tetra procella cæli serenitas. Hæc multos ex vrbibus oppidisq; ad suburbia ac villas allexerat: quo colonos omnes ferialis diei minimè feriatus labor impulerat. Campis tamen clades impar, par metus. Turbatum quoq; ac trepidatum in agris. Conspexêre, qui aderant, herbas repente, arbores, syluas integras circumduci; quasi iam ex his extructa nauigia marinis fluctibus æstuarent. Turres, quæ ruralibus casis impositæ, atq; inter plantas per interualla, dubium an consitæ, an conditæ, colles mira varietate distinxerant, ita funditus cecidêre, vt ne vestigium quidem extet posteris indicaturum, vnde turres assurgerent. Terra quippe non diducta in latera, sed rectà sursum, deorsum assiliebat, ita ædificia conuellens, vt in seipsa subsiderent. Quocirca, sub terræ motûs initia, quidam Consentiæ è nostri Collegij fenestra, herbas vidit, & arbores, subsultantes, quasi choreas saltibus agerent, faustum ad speciem exordium in funestissimam tragœdiam desiturum.

XII. Vt deuentum non iam ad vrbes & oppida, sed ad reliquias vmbrati-

braticas oppidorum, atque vrbium, lapidum tumuli commonstrauêre cladem. Tum verò, metu in misericordiam verso, sublatus ad cælum clamor, lares, patriam, parentes, liberos, coniuges lamentantium. Tum ad effodiendas ruinas incubuêre. Quisque architectum, quisque fabrum murarium, quisq; manipulum agebat. Refossa humo, multorum corpora educta adeò lacera, vt vix vlla pristinæ formæ imago appareret. Alia modicè elisa, oris habitu, post recens fatum, inter vitam ac mortem ancipiti. Calentibus adhuc membris relictus in vultu stupor, & quidam acer ad assurgendum conatus, sed irritus. Extracti nonnulli spirantes, inter supremos singultus, luce accepta, quam mox amitterent, vt, paruo interuallo, bis perirent. Non paucis etiam intempestiuè subuentum, quos ruinæ non tam obtinuerant, quam obtexerant. Ibi reperti superuixêre periculo, plerique aliqua corporis parte mutilati, pauci integri. Illorum planè miseranda conditio, qui tunc omni ope deserti, nec subita morte defuncti, aliquamdiu inter ruinas vixêre, vt eò atrociùs interirent, quò lentiùs. Quænam porrò mens illis fuit, cùm mole lapidum obruti, nec extincti, in terræ visceribus tumulati, ante fatum, nocte oculis circumfusa, nec liberè inter angustias meante spiritu, susq; , deq;, & à latere circumsepti, neq; aditum haberent, quo sibi opem ferrent, nec quo deponerent?

Admirabile id, quod ab oculato teste accepi, repertam prope XIII.
Nicastra, inter ruinarum monimenta, mulierem, dubium an metu exanimatam, an fame: infantulum verò in eiusdem vlnis viuum, appressis labellis ad vbera, & hausto vitæ periculo è mortua. Incredibile id meritò videri posset, nisi recentissimo exemplo attestaretur antiquitas. Nam post ingentem Antiochiæ terræ motum, sub Traiano, neminem, inquit Dio, viuum inuenire potuerunt, præter puerum, qui matris mortuæ sugebat vbera. Aliam præterea refert seruatam, quæ suo se lacte pauerat, ipsa sibi nutrix & infans. Traditur quoq; de alijs in casu consimili, incisâ dentibus venâ, aliquamdiu suo se sanguine sustentâsse: cùm resorberent, quem fuderant.

Illud tamen præterire non possum commemorare dignissimum, XIV.
quòd non nemo ex ijs vmbris, flammæ maleficio veriùs, quam beneficio euasit in lucem. Quidam, ruente æde sacra, trabibus fortè superstantibus, in fornicato aliquo intercolumnio incolumis seruabatur. Sed profectò judicia Dei abyssus multa. Nam cùm ij, qui lapidum ag-

geres perſcrutabantur, cadauera, quæ commodè poſſent, efferrent, reliqua concremarent, ne eo halitu è motu terræ lues aëri gigneretur, tabulata, ac ſtramenta igne concepto, & flamma latè fuſa, ſedem corripuère, cum qua is ea jactatione deſederat. Infelix incendio abſumptus: & quodammodo ſibimet aduerſante natura, quem terra demerſerat, ignis extinxit.

XV. Huic, de quo diximus, ignis exitio, alteri aqua ſaluti fuit. Ferunt paſtorem, patefacta eo terræ motu voragine, illico voratum cum grege: ſed cùm eodem tempore (fidem liberent, qui oppignerarunt: equidem plura tranſcribo, quàm aſſero) torrentem ex hiatu terra ſummitteret, eodem impetu reductum ad auras cum pecore, quod terra rapuit, aqua reddidit, aër recepit. Conſimile de Garzia Toleto Neapolitanæ arcis Præfecto à maioribus noſtris accepimus. quem aliquando claſſe vectum prior vnda è puppi ad mare proripuit: poſterior è mari ad puppim reduxit, ex congeminata ſæuitia incolumem. Ita non diſpari euentu de duplicato veneno, quod vim prioris inhibuit, Auſonius ſic lepidè cecinit:

Et cùm fata volunt, bina venena juuant.

Neque in terræ motibus inſolens, nouas aquarum erumpere ſcaturigines. Nam in monte Coryco, poſt terræ concuſſum, nouas fontium exiliſſe ſcatebras, Theophraſtus teſtatur. Quod etiam in bello Mithridatico prope Apameam Phrygiæ vrbem eueniſſe traditur à Conimbr. in Met. tr. 11. c. 8. Nunc quoque hunc terræ motum ſequutos, nouos extitiſſe amnes prope Lametiam, incertus rumor vulgauerat, omnia in maius tollente fama, ſed facilè idem fluuius ruinarum obicibus aliò deriuatus, noui ſpeciem præbuit.

XVI. Iam locus admonet, vt à citeriore ad vlteriorem Calabriam gradum tandem hæc narratio faciat. Huius caput Catacium, altera magiſtratûs regij ſedes, vrbs & celebritate ciuium, & quod Gallorum obſidionem pæne ſola diſpulerit, fideliſſimæ appellatione pernobilis. terræ motibus plerumque obnoxia, ac ſæpius hoc defuncta periculo: nunc grauem in ædibus paſſa perniciem, leuem in ciuibus. Quinque tantùm ex hoc terræ aſſultu capita deſiderantur. Cæterùm multæ domus proſtratæ, concuſſæ reliquæ: adeò vt hîc quoque vacuis tectis, ligneas in campis ædiculas effinxerit ingenioſa neceſſitas. Adhuc poſt duos ferè menſes elapſos, dum hæc ſcribo, degunt plerique extra lares, alij

extra

extra vrbem, ante patriæ aspectum velut exilio mulctati. Hîc quoq; supplicationes decretæ, quemadmodum de Consentia diximus: itúmq; ad lachrymas, ad precationes, ad vota.

Maior in reliqua prouincia strages, quàm vt apud exteros re- XVII.
pertura sit fidem. Nicastrum, quod paulò antè in Calabria ostentabatur, nunc vbi fuerit, quæritur. Hæc vrbs funditus euersa cum ciuibus exitum habuit vbiq; terrarum deflendũ. Intererant in Franciscanorũ templo horarijs precibus mulieres promiscuè, ac viri fermè sexcenti, musicos inter concentus: cùm resonante aliter terra, templum, turres, tecta, muri, vrbs denique tota corruit, primò exiliens, tum decumbens, demum in se sepulta. Consepulta magna pars ciuium. tria millia perhibent. Non plura in bello funera, cum magna clades infligitur. Viros etiam, ac finititima vrbi oppida idem turbo corripuit. Perlegi quandam eorum Epistolam, qui diuino beneficio euasere; vnus sub fenestræ, alter sub portæ fornice, tertius capite in foramen ingesto: omnes, reliquo collabente ædificio. Quidam præterea, cùm per arenam ambularet arci subiectam, hancq; susPiceret pronam iam, ac præcipitem, pueris duobus, qui fortè tum suberant, acceptis in brachia, tantum planè spatij habuit ad suffugium, quantum moræ datum est ad ruinam, & ne saxorum fragminibus pateret, occuluit se, purosq; sub saxo. Episcopus, quasi nutu diuino præsagiret euentum, animi causa egressus ad prædium, suo capiti consulebat. Prærepti quoque ab exitio alij. Hi non metu, non periculo territi, obmurmurante adhuc tellure, irrupère in ruinas. Sed, dum vita functos quæritant, incurrunt in viuos. Accipiebantur ex cauo tenuissimæ voces veluti lamentantium. Quamobrem sollicita sonos aure captare: & sicubi gemitus audiretur, illic solum ferro proscindere. Pars opus vrget imperio, pars consilio, pars ligone. Tandem perruptis obicibus, ad caueas factus est aditus. Pauci ad auras extracti semimortui, qui tumulati fuerant semiuiui. Duo præterea inde traduntur non prætereunda silentio sed posterorum memoriæ consignanda. Alterum, in ipsis ædium fundamentis inuentos passim globos cinereos, quasi vrbs non tam terræ motu hausta, quam incendio abijsset in cineres. Alterum memoratu dignum, Lametum fluuium prope Nicastrum, visum rubricatis aquis, veluti sanguine, currere. Inter cæteros, qui egesta humo è ruinis viuentes eruti, eductiq; sunt, eximia Laura Aquinas, Principis Castilionis, Nicastro etiam

imperitantis vxor, nobilitate clara, pietate clarior, vtero grauis: vt in vnius salute duo capita seruarentur. Fato tunc erepta, infracto animo, effracto crure, malum in tam ingenti clade leuissimum. Non eadem Principi fortuna fuit. Nam cùm in gestatoria sella, Iubilei caussa, sacras ædes obiret, decumbentibus vndiq; tectis, obrutus, nec sellæ, nec cadaueris per plures dies vllo extante vestigio. Maxima profectò in tanto infortunio felicitas, quòd mors illi obuenerit ritè confesso, percepta etiam Eucharistiâ. Idem plerisq; contigit, quos ea occasione sacramentis munitos mors subita deprehendit. Cæterùm Episcopi omnes seruati: ne in hoc rerum articulo ouibus pastores deessent. Hos, obsecundante Numine, intactos clades præteriit, latè in vrbes ac populos debacchata.

XVIII. *Mileti vrbs pæne deleta: Domus Episcopalis corruit, Episcopo viæ limen egresso, & ruinæ prærepto. Non multò felicior Medama, grauem quoq; in tectis passa perniciem. Rhegij terræ motus minax, sed mitis, solo fragore contentus. Nouo tamen terræ motu ferè post mensem elapsum sæuiùs integrato, tantus ciues terror inuasit, vt deserta vrbe, vix consilij compotes multò grauiora præsentibus expectarent. Indicta celeriter supplicatio. Francisci Xauerij, noui eius vrbis patroni statua circumducta: quam comitati ciues ferè omnes saccis, crucibus, flagris instructi. Manabat è tergo sanguis, ex oculis lachrimæ: & glomeratis in vnum vocibus misericordiam implorantium repercussæ valles, ac litora responsabant. Nec silendum, quod inde nunciant recentissimæ litteræ. Pagi Rhegini in tres distributi regiones accolæ ad eiusdem Francisci ædem sacram turmatim ibant, terræ motum deprecaturi: cùm vna pars viæ tædio substitit, duabus reliquis persequutis iter, quod cœperant. Dispar consilium, dispar etiam quà damnauit, quà probauit euentus. Nocte proxima terræ motus atrox eorum tantùm ædes inuasit, qui re infecta redierant: ab ijs, qui Xauerij templum inuiserant, ne auditus quidem. Hæc ex vrbe Rhegio.*

XIX. *Idem Tropianæ terror, idem periculum, ijdem sensus animorum, supplicationes, cruciatus, preces. In consimili discrimine, sors non dispar Sacrorum, S. Christinæ, Hipponij; nisi quod huius oppidi pagi tres cecidêre. Socianum planè indemne: nec dubium, quin D. Dominici beneficio. Napitiæ incolumis tulit incolumitatem prodigium. Ferunt terræ motu impendente, visum è vicino littore ad duo passuum millia mare*

decedere: arescentibus repente vadis, quæ modò superfusæ vndæ occupauerant. Eo spectaculo paganos malum imminens odoratos, destitutis confestim laribus, ad syluas, montesq; immigrâsse: insolito aquæ motu terræ motum prænuntiante.

Luctuosissimus omnium antiquæ Lametiæ, nunc S. Eufemiæ exitus. Qui pagus, commune nauigantium hospitium, vnde rates soluere, quo solebant appellare, ita cum accolis repente disparuit, vt vix, XX.
aut ne vix quidem saxula manserint, monimenta, siue recentioris ruinæ, siue anterioris fortunæ. Lachrymabilem eius solitudinem narrauit, qui spectauit nostræ Societatis Sacerdos, natione Germanus, germanæ, id est, probatissimæ fidei.

Hi è Calabria tum citeriore, tum vlteriore nuncij. Non his ta- XXI.
men se continuit finibus tam vasta calamitas, sed traiecto freto Messanam tenuit, septem tantùm exanimati. Inter quos mulier ruente per interualla templo, vix tum soluta culpis, vita & corpore soluitur. Confessario tamen intacto, cui seruando duæ trabes, cùm ruerent, obliquauêre se in fornicem: ne mors illi inferretur in vitæ munere. Tres quoq; pueri, dum inconsultè trepidant, vnusq; alteri festinando fugam moratur, omnes præuolauêre ad superos acerbissima ætate: maturante fatũ immaturitate consilij. Cæterùm in fugam effusi. Messanam terræ, Panormam aquæ motus jactauit. Neapolim terræ motus non tam afflixit, quàm attigit, velut ex longo itinere debilitatus, ac fractus; ita sensim, vt non paucorum sensus atq; aures effugerit. Sub idem tempus, in vicino Abellæ oppido ingens arborum strages vi ventorum: ne tunc erumpentes è terra halitus innoxij volitarent. Campania reliqua intacta, ne felicis nomen amitteret. Lucania finitimo malo correpta. Nam paucorum dierum interuallo Marateæ adeò terræ motus inualuit, vt vbiq; conspicerentur parietes discissi, disiitiq; inter se: mox tamen eodem impetu coaluêre.

Cæterùm, quo terræ non peruasit motus, metus irrupit. Astra XXII.
terrorem incussêre ijs, quibus terra non potuit excitata quippe his cladibus eorum industria, qui siderum cursum scitè norunt inspicere. Astrologos appellant, genus hominum inane & ventosum, duces promissis onerans, vulgus terroribus, in vtroq; mendax: Ambigitur, an inter hoc recensendus Petrus Paulus Sassonius, natione Calaber, munere medicus, qui hac serpente clade, cœpit magis horrenda præcinere. Terræ

motum imminere sæuiorem non vni prouinciæ, aut regno, sed toti ferè orbi terrarum. Mare littoribus aut conscensis, aut effractis ad duo passuum millia exundaturum, maritimarum euersione vrbium. Grandines eodem tempore quinque librarum pondere ruituras è cælo, quibus animantia ac tecta subruerentur. Et, ne quod fingi posset aliqua ex parte perfugium, flammas erumpentes è montibus cætera vastaturas. Iudicium imminere mortalibus, non quidem supremum, sed supremi quasi prænuncium, ac prodromum. Excepta hæc primò credulis auribus ab imperita plebecula, tum traducta etiam ad proceres, non sine suspicione veri. Fidem conciliabat rumor, quòd is tum Vesuuianum incendium, tum terræ motum hunc recentissimum longè antè prædixerit. Appellabantur probatissimi testes, idq; à multis etiam cordatissimis creditum, cùm illud tantùm in controuersiam vocarent, an id obseruatione astrorum, an ope Dæmonis, an numinis afflatu resciuerit. quippe ille diuinam sibi sapientiam astare iactabat. Quouis modo id prænosset, exitum pertimescendum putabant. Res eò deducta est, vt in tota fermè Calabria incolæ secessionem, ac fugam meditarentur: quasi ibidem deberet repetita calamitas recrudescere. Quanta etiam hîc in vrbe regia facta sit eo nuncio consternatio animorum, credi vix potest; præteriti vaticinij fama fidem faciente mendacio. Irridebantur quidem ea præsagia à paucis, metuebantur tamen à non paucis: plurimi, vt dicam leuissimè, non contemnenda censebant. Recolebatur ab Historicorum peritis, ætate Francisci Petrarchæ, consimile vaticinium, tanto populorum terrore, vt Ioanna adolescentula regno potita, nudis pedibus, ædes sacras obierit: tanta etiã euentus vaticinio respondentis fide, vt prænunciato die horribilem terra boatum ediderit: mare Neapoli exundârit, voratisq; in portu nauigijs ædiculas litorales demerserit, magna mortalium strage: dies quoq; noctem effuderit, extincto sub ortum sole; cælo, terraq; mundi interitum conclamantibus. Grauiora nunc timebantur, recentissimo Calabriæ exemplo. Hæc passim in triuijs, in angulis, in foro, in aulis sermone omnium ferebantur: territis semel animis ad metuenda deteriora pronis. Damnabatur censorio supercilio ab Aristarchis credulitas; ab alijs, par huic vitium, securitas. Itaq; ad montana loca diffugere nonnulli cœperant, alij decreuerant: exundatione maris maiorem incutiente metum, quàm montis flamma, cui assueuerant. Trepidatum præterea in toto regno, quò celerrimè rumor manauerat.

sed

sed profectò tam vasta mendacia mole ruunt sua. Captus ille jussu regij magistratûs, ac Neapolim perductus. vbi vocatus ad quæstionem damnatus est ad triremes: vt in lignea arca se clauderet, qui diluuium præmonebat, mare remis sollicitaturus, vt exundet, juxta præsagium. Ductus publicè per plateas, inter confertissimam multitudinem exceptus sibilis, probris, pugnis, calcibus, vulneribus à turba antea metuente, postea indignante metum: ita vt magno satellitio septus vix vulgi manus, ac furorem effugerit. Nec deerant, qui vatē eum suspendio destinarent; quasi laqueo mendacium strangulaturi. Cæterùm quòd is præteritum terræ motum prædixerit, pernegant aliqui: cùm pleriq; id generis hominum post euentum diuinent. Sed si res ad veritatis trutinam expendatur, pro comperto id habitum apud multos, qui suo testimonio aliorum fidem extorquent. Equidem ita censeo, ex Almanaco, vt appellant, Benincasæ, in quo terræ motus hoc anno prænunciatur, à Sassonio Calabriam, in qua degebat, quod terræ motibus esset obnoxia, designatam, postea euentu animosiorem redditum, temerè adjecisse maiora, perfecto fortasse præsagio eodem: in quo mensis Maij dies quintus periculosus edicitur. Hæc de metu ex causa planè inani, ac penè ridicula.

Sed grauiora non deerant, quæ timorem inijciebant non leuem. XXIII.
D. Ianuarij sanguinem, vrbis huius thesaurum nullo capitis occursu exhibuisse se spontè mollem, ac liquidum claris auctoribus traditur. Quod est, vt sæculorum experientia docuit, in ipsomet prodigio prodigiosum, nec sine calamitatum indicio. Nam vt de cæteris sileam, cùm aliquando inter Paulum Quartum Romanorum Pontificem, & Philippum Secundum Hispaniarum Regem atrox bellum arderet, Duce Aluæ Neapolitano Prorege cum exercitu aduolante ad vrbem, atq; obsidionem minante, tam diu hic sanguis contra naturæ leges, extra venas se liquidum præbuit, quamdiu bellantium animi præbuêre se duros. Tum eodem die atque hora concreuit, quo pax firmata, atq; obedientia Pontifici reddita. Verùm cùm Ianuarius non Neapolitanæ tantùm vrbis, sed totius etiam sit regni patronus, sanguis nunc vltro eliquatus ad præsentem Calabriæ cladem referri potest; quæ nondum planè detonuit. Additæ quoq; vaticinationes aliæ, in magnis cladibus magna etiam ementiendi lientia. Dæmonem humana specie per varias Calabriæ vrbes, ac pagos veluti concionabundum vagari, ac supre-

mum mundi diem denunciare, parente mendacij, tam abstrusæ veritatis præcone. Energumenum præterea Exorcismis coactum aperuisse, crimina, quibus tanta clades infligitur, eaq; publico chirographo consignâsse: adiectis minis, nisi resipiscant, grauiora imminere. Rhegij Deiparæ imaginem exudare visam, sponte tumescente vultu; quasi clementiæ parens tantis cladibus illachrimasset.

XXIV. *Narrantur etiam inter tot diuinæ iræ argumenta, alia quædam eximiæ beneuolentiæ pignora. Redonatam cælo è ruinis, post tres, & eò amplius exactos a terræ motu dies, cum filijs duobus mulierem Octauij Parisij sororem, hanc exanimem, illos spirantes, vegetósq; ; nullo nec doloris, nec famis indicio. Admirabundi, qui aderant, sciscitari quanam vi in terræ cauernis, ac veluti inter sepulchrales tenebras conditi tot diebus sine cibo, potuq; traductis, euasissent tam integri, valentesq;. Affirmant illi quotidie iuuenem eleganti aspectu, atq; aureo amictu fulgentem apportasse fercula, panes vermiculos farinaceos minutatim concisos, pisces, omnia bene condîta; frigidam etiam ad potum: quibus recreati ac refecti dies ibi, noctesq; nullo cruciatu, nulla fame transegerint. Suspexêre omnes diuinæ clementiæ munera: nec dubitatum, quin hæc eius Angeli ministerio contigerint, qui alterutrum ex ijs custodiendum susceperat. Nec reticendum, intra quadragesimales dies, non nisi eos cibos allatos, quibus juxta Ecclesiæ præscripta vesci liceret: Angelis ipsis, contra Hæreticorum perfidiam, solemnis ieiunij jura nouo miraculo contestantibus.*

XXV. *Enimuerò superioribus annis, terræ motus occœpêre in Calabria, iactato Catario, non sine ædium injuria, luxato Girifalco, non sine voragine. Non multò post deflexêre in Apuliam, vrbe S. Seueri, & oppidis dirutis non ignobilibus. Paucis post annis transmisêre Neapolim, imitati Vesuuianum incendium, euersis Herculano, & Pompeijs, vexata Neapoli, perturbata Campania, perterrefacta Italia, metu etiam vltra periculum. Postremò atrociores remigrauêre in Calabriam, iam non pagum aut vrbem, sed integras Prouincias depopulati, nondum exaturata clade. Adhuc ibidem impunè bacchantur, quicquid primò furori integrum demoliturі. Inde corripuêre Lucaniam; tranauêre Tarentum: iamq; in ora Salentina vrbem Neritum terræ ingenti motu iactatam, postremis nuncijs accepimus. Quota regni pars Luctu vacat? Clades nobis creatur ex clade. Incendium terræ motu, terræ*

motus

motus incendio feritur, exitiali quadam fæcunditate. Pleraque regna Mars vexat, nostrum pax: & cùm externis viribus non pateat, in exitium suum armatur. Dedimus tragœdiam orbi terrarum, deflendam lachrymis sæculorum: omni malo vexati, nullo perdomiti. Triginta circiter millia hoc terræ motu interempta. Tanta internecione mortalium diuinæ iræ litatum. Non plures, justa acie, iniquo Marte, vnico bello, pluribus prælijs, cecidissent. Non hoc extinctorum, quem recensui, numero eos complectar, quos ex terræ motu vel saucios, vel bonis omnibus spoliatos aut vulnus, aut ærumna confecit: præteritis etiam ijs, quos distracta in campos domo, contractus morbus sustulit. Minor tamen fuit hominum strages, quàm pro vrbium atq; oppidorum ruina. In Vesuuiano incendio quinque millia capitum periére, duobus oppidis euersis, pago vno, vel altero. Nunc dejecta Consentia, quassatum Catarium, Prouinciarum metropolis, absumptum Nicastrum, Calabriæ ornamentum, ac gemmula; deleta Murgantia, afflictum Miletum, Terina semiruta. Messana, Roscianum, Besidiæ, Tropiana, Medama non sine querela. Rhegium, Locri, Tarentum, Macatea, Neritum periculo affinia. Neapolis si minùs ruina, certè oppressa metu. Has decem & septem vrbes terræ motus inuasit; multas ex parte, quandam funditus diruit: & mœnia inter tot sæculorum obsidiones intacta, vnico afflatu expugnauit. His adijce oppida, pagosq;, qui partim ingentem perniciem, partim integram ruinam perpeßi supputantur septuaginta, & eò amplius. Ex his facilè inferre licet, terræ motum hunc collocandum esse inter maximos. Etenim Plinius diligentißimus antiquitatis scrutator, Maximus, inquit lib. 2. cap. 84. terræ mortalium memoria extitit motus, Tiberij Cæsaris principatu: duodecim vrbibus Asiæ vna nocte prostratis. Nunc verò dejectæ, ac detritæ vrbes non minus, quàm duodecim; si addas oppida, vrbes æquantia. Pagi, villæ, turres siue rurales, siue litorales extra numerum. Equidem non inficior, terræ motum, quo sub Tiberij fascibus, Christo morienti tellus indoluit, jure à Plinio omnis memoriæ maximum recenseri, non clade, sed mole. Quippe non vnius, aut alterius regni conclusus finibus totum concußit orbem terrarum. Inter eos verò terræ motus, qui intra naturæ leges, extra miraculum positi naturales causas agnoscunt, hunc, de quo scribimus, vix ab alio quopiam superari crediderim, immanitate, amplitudine, diuturnitate. Immanitas perspi-

cuè ostenditur testimonio Senecæ, qui terræ, inquit, Ep 4. vix vnquam tam grauis aut pernitiosus motus fuit, vt tota oppida euerteret. Nunc euersæ tres vrbes, plura oppida, pagi plurimi: duæ Prouinciæ deuastatæ. Nec quidquam defuit, quod atrocitati seruiret. Mons diffractus Consentiæ: maris decessio in Napitia: procella Panormi, terræ hiatus in Sciliano: aquæ superfusæ agro Lametino: fumei globi erumpentes è Vibone, flammæ exardescentes in Vesuuio: cineres effusi Nicastris, amnis sanguineus propè Nicastra.

XXVI. Amplitudinem proximi terræ motus metiri possumus locorum spatijs, quæ longè, lateq́; complexus obtinuit. Gemina Calabria occupata, Prouinciæ præterea tentatæ tres, ora Salentina, Lucania, Campania. Messanam perstrinxit. Infestatæ Senæ, vrbs Hetruriæ florentissima. Terræ, inquit Seneca lib. 6. nat. quæst. cap. 25. non vnquam per ducenta milliaria motus extenditur. Hic ab extrema Calabriæ ora vsq; Neapolim plus quam trecenta passuũ milliaria tenuit.

XXVII. Amplitudini par diuturnitas. Enimuerò duobus iam exactis mensibus, adhuc terræ motum, per interualla sæuire quotidianæ literæ perferunt. Ineunte Iunio congeminatus primo similis terræ motus: nisi quòd huic parem diruendi materiam ruinæ ipsæ subtraxerant. Sub ortum solis, primo radiorum appulsu excitati spiritus, euocatiq́; ad suprema cœpêre denuo terram impetere, ac veluti admotis machinis arietare. Hora imminebat quarta supra decimam, cùm incalescente iam sole, quasi tunc quoq; iræ calescerent, halitus maiori impetu soli duritiem adorti, terræ motum edidêre in vniuersa Calabria adeò ingentem, vt iterum omnia latè loca Neapolim vsque peruaserit: quanquam id sparsim raptimq́;, deferuescente per interualla sæuitie. Catarium imprimis, Consentiamque pessumdedit, odio in metropoles infestiore. Catarij, quod supererat, Episcopalis templi; Consentiæ, quod steterat regiæ arcis dejecit. Vtrobique ædes aliquæ concussæ labant, quantum conjectura assequi possumus, primo aggressu labefactandæ. Besidiæ, & Patyras modicè priùs attactæ detrimentum feruntur nunc passæ nõ modicũ Sanctæ Seuerinæ mons in enormem hiatum abscessit. Petilia & Casabona planè deturbata, atq; euersa. Oppida his minora, viciq; insolescente malo non numerantur in clade. Iam instaurato vbiq; metu, denuo deserta tecta, re... e...tumq́; ad campos. Nunciatum etiam è citeriore Calabria, in agro Nuceriano pluisse grandinibus

tantæ

tantæ molis, vt duarum librarum pondus explerent. quibus animantes non paucæ sub Dio exanimatæ, quasi lapidatum esset de cælo. Grandines quoq; visas subuirides, veluti spem facerent melioris fortunæ. Quanquam si rationes expendimus, spesin metum euadit: neq; alia spes affulget, nisi de qua poëta. Æneid. 4.

Hunc ego si potui tantùm sperare dolorem.

CAPVT XX.

Vtilissima, in terræ motibus, rerum caducarum contemnendarum mortalibus exhiberi monimenta.

POterimus & nos, enimuerò & debebimus eiuscemodi, longéq; atrociorem expectare tempestatem, quam Ioël, his verbis prædixit: *A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam, ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius; quia fortia, & facientia verbum eius: magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eũ? Nunc ergo dicit Dominus: Cõuertimini ad me, in toto corde vestro, in jeiunio, & in fletu, & in planctu:* dum tempus est conuersionis; erit, cùm ira Dei non poterit ampliùs mitigari. Si enim, in hac vita, Georgius Abbas, vidit aliquando Christum à tot millibus Sanctorum, denique nec ab ipsa sua Matre potuisse mitigari, quantò minus poterit mitigari, in *die iræ?* Hi maximi sunt fructus, qui è terræ motibus vel factis, vel meditatè cogitatis oriuntur; vt scilicet per eos intelligamus. 1. Peccati grauitatem; 2. Dei peccato irascentis æquissimam indignitatem. 3. Eiusdem, in ipsa ira, erga suos, bonitatem. 4. Christi authoritatem, ac potestatem. 5. Vltimi judicij formidandam faciem. 6. Pœnitentiæ necessitatem. 7. Terrarum, quas tantopere amamus, calamitatem; ac proinde, vt à terra morientium ad terram viuentium; à creaturis ad Creatorem conuertamur. *Vberibus matres absinthia tetra medentes* illinere solent, vt adultiores liberos fastidio absterreant. Illinit & terris Deus suas amaritudines, vt cælum quæramus. Quid enim; stat terra? sed nõ ita, vt non possit cõcuti atq; moueri. Eriguntur palatia? sed sæpe vno momento deijciuntur.

I.

Ioël. 2. 10.

Moscus Euirat. in Prat. spir. cap. 50.

Surgunt in altum turres? tantò profundiùs cadunt. Florent, gaudent, jubilant pagi, arces, vrbes? Sed ecce, vno terræ hiatu hauriuntur, sepeliuntur, in cinerē rediguntur. Sic opes, sic honores, sic voluptates, sic ipsi homines euanescūt. Ergo, *filij hominū vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendaciū?* Paradisum peccato primi parentis amisistis, in terris; pater mendacij vos decipit, si quis iam vobis, hîc Paradisum promittit.

Psal. 4. 3.

II. In Persidis regno tyrannus quidam, Alaodinus dictus, vt memorat Paulus Venetus, Muletam regionem occupauit, multósque sicarios, quos Assasinos vocant, hoc astu sibi adiunxit. In valle quadam amœnissima, & præruptis cincta montibus, paradisum omni deliciarum genere, qualem suis Machometes promittebat, instruxit. In faucibus, per quas solus patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne cui accedendi potestas esset, præterquam conscijs. Affirmabat interim, se claues Machometici paradisi habere, & potione soporifera clam oblata, dormientes in eum locum deferendos curabat. Experrecti cùm omnibus delicijs affatim fruerentur, reuera, se in paradiso esse credebant. At præstigiator ille, capta opportunitate, medicato poculo sopitos rursus extra paradisum efferebat, eos ad omnia, quæ imperaret patranda, paratissimos postea habebat; quippe de paradiso, si Principi obedirent, securissimos. Hac arte non paucos Christianorum Principum insidijs circumuentos, oppressit. Tandem An. M. CC. LXII. Allaris rex Tartarorum senem hunc in paradiso, triennali obsidione, ad deditionem, fame compulit; locum aboleri, & assectas omnes interimi jussit. Talem paradisum fingit, & proponit multis, in terra, Stygius Alastor. Sed reuera, *velut somnium auolans non inuenietur, transiet, sicut visio nocturna.* Et tamen hoc somno tam multos fallit; vt ad nutum habeat obedientes. Ita terram illis & terrena deprædicat, vt non tantùm *adhæreat pauimento anima* eorum, sed vt in ea se præcipites etiam perdere non dubitent, more M. Curtij, cum equo in cauernam insilientis, ibi, vbi in ingentem sinum, Romæ terræ labes consederat.

Paul. Venet. lib. 1. cap. 28. Orient. hist.

Iob. 20. 8.

Psal. 118.

III. Quid enim non faciunt homines, pro terra, quam paradisum esse, sibi imaginantur? pro terra litigant, duellant, digladiantur,

diantur, bellantur; fidem, omnia sacra, Deum ipsum abjurant, cacodæmonem adorant. Immò tanti illis est terra, vt præ ea cælum nolint: vt terram ipsam, tanquam Deam habeant, colantq́;. Ita enim Artaxerxes Persarum rex, pro vxoris salute, Terræ votum faciens, se illam, attacta humo, solenni prece, adoraturum promisit. Quin, teste Tacito, *Germanorum populi, Reudigni, & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudotes, & Suardones, & Nuithones, in commune* HERTHVM. *id est, Terram matrem colunt, eamq́; interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Est in Insula Oceani Castum nemus: dicatum in eo vehiculum veste contectum, attingere vni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamq́; bubus feminis, multa cum veneratione, prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcunq́; aduentu hospitioq́; dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum, pax & quies tunc tantùm nota, tunc tantùm amata: donec idem Sacerdos satiatam conuersatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum & vestes, &, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaq́; ignorantia, quid sit illud, quod tantùm perituri vident.* Hæc veteres Germani fecêre. Ridemus veteres, & imitamur. Stultos Persas vocamus, nec nos ipsi, in terra adoranda, sumus sapientiores. Terram adorat, quisquis pro focis plus contendit, quàm pro aris. Terram adorat, quisquis sibi ipse manus osculatur. Terram adorat, quicunque aurum, argentum, æs proprium & alienum in summis curis habet.

Alex. lib. 3. cap. 22. post Plutarch.

Tacit. de morib. Germanor.

IV.

Et quid est terra? quid hæc omnia in terris? pro quibus sudamus, laboramus, nauigamus, cælum ipsum Orco commutamus? nos ipsos perdimus? & vendimus æternam felicitatem? Caduca, fluxa, vana omnia. *Quid enim cuiquā satis tutum videri potest, si mūdus ipse cōcutitur, & partes eius solidissimæ labant?* ait homo Ethnicus; *si quod vnum immobile est in illo, fixumq́;, vt cuncta in se intenta sustineat, fluctuat: si quod proprium habet terra, perdidit, stare: vbi tandem resident metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quò solicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Consternatio omnium est, vbi tecta crepuêre, & ruina signū dedit: tunc præceps quisq́; se proripit, & penates suos deserit, ac se publico*

Senec. lib. 6. nat. qq. c. 1

credit. Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? si hoc quod nos tuetur ac sustinet, supra quod vrbes sitæ sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit ac titubat? Quid tibi esse non dico auxilij, sed solatij potest, vbi timor fugam perdidit? Quid est, inquam, satis munitum? Quid ad tutelam alterius ac sui firmum? Hostem muro repellam? prærupta altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate aditûs morabuntur. A tempestate nos vindicat portus. Nimborum vim effusam, & sine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non sequitur incendium: aduersus tonitrua & minas cæli, subterraneæ domus, & defossi in altum specus remedia sunt. Ignis ille cælestis non transuerberat terram, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentia mutare sedes licet. Nullum malum sine effugio est. Nunquam fulmina populos perusserunt. Pestilens cælū exhausit vrbes, non abstulit: Hoc malum latissimè patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium. Non enim domos solùm, aut familias, aut vrbes singulas haurit, sed gentes totas regionésque subuertit: & modò ruinis operit, modò in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse; sed supra nobilissimas vrbes sine vllo vestigio prioris habitus, solum extenditur. Nec desunt, qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum sedibus suis eunt. Et è viuorum numero viui auferuntur, tanquam non omne fatum ad eundem terminum veniat. Hoc habet inter cætera justitiæ suæ natura præcipuum, quòd cum ad exitum ventum est, omnes in æquo sumus. Nihil itaq; interest, vtrùm me lapis vnius elidat, an monte toto premar; vtrum supra me domûs vnius onus veniat, & sub exiguo eius tumulo ac puluere exspirem, an totus caput meum terrarum orbis abscondat: in luce hunc & in aperto spiritum reddam, an in vasto terrarum dehiscentium sinu: solus in illud profundum, an cum magno comitatu populorum concidentium ferar. Nihil interest mea, quantus circa mortem meam tumultus sit: ipsa vbiq; tantundem est. Proinde magnum sumamus animum aduersus istam cladem, quæ nec euitari, nec prouideri potest. Desinamus audire istos, qui Campaniæ renunciauêre, quiq; post hunc casum emigrauerunt, negantq;, se vnquam ipsam regionem accessuros. quis enim illis promitteret melioribus fundamentis hoc aut illud solum stare? Omnia eiusdem sortis sunt, & si nondum mota, tamen mobilia: hunc fortasse in quo securiùs consistis

sistis locum, hæc nox; aut hic ante noctem dies scindet. Vnde scies, an melior eorum locorum conditio sit, in quibus iam vires suas fortuna consumpsit, & quæ in futurum ruinâ suâ fulta sunt? Erramus enim, si vllam terrarum partem esse exceptam immunemq; ab hoc periculo credimus. Omnes sub eadem jacent lege. Nihil ita, vt immobile esset, natura concepit. Alia temporibus alijs cadunt. Et quemadmodum in vrbibus magnis nunc hæc domus, nunc illa suspenditur: ita in hoc orbe terrarum nunc hæc pars facit vitium, nunc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim vrbes simul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam; quæcunq; est ista vis mali, quæ incurrit; nunc Campaniam læsit. Circuit fatum, & si quid diu præterijt, repetit. Quædam rariùs solicitat, sæpius quædam. Nihil immune esse & innoxium sinit. Non homines tantùm, qui breuis & caduca res nascimur, vrbes oræq; terrarum & littora, & ipsum mare in seruitutem fati venit. Nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunæ, & felicitatem, cuius ex omnibus rebus humanis velocißima est leuitas, habituram in aliquo pondus ac moram credimus. Et perpetua sibi omnia promittentibus in mentem non venit, id ipsum, supra quod stamus, stabile non esse. Neq; enim Campaniæ istud aut Achaiæ, sed omnis soli vitium est, male cohærere, & ex causis pluribus resolui, & summam manere, partibus ruere. Quid ago? solatium aduersus pericula dare promiseram: ecce vndiq; timenda denuncio. Nego quidquã esse quetis æternæ: quod & perire non poßit, & perdere. Ego verò hoc ipsum solatij loco pono, & quidem valentißimi: quandoquidem sine remedio timor stultus est: ratio terrorem prudentibus excutit: imperitis fit magna ex desperatione securitas. Hoc itaq; generi humano dictum puta, quod illis subità captiuitate inter ignes & hostem stupentibus dictum est; Ibid. cap. 26

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Si vultis nihil timere, cogitate, omnia esse timenda. Circumspicite, quam leuibus causis discutiamur. Hucusque Seneca.

Hoc vtili absinthio terra sapientibus amarescit, & dulcescit cælum. Apud Indos tractus est, cui nomen *Phalacra*, quasi Latinè *Caluus*: eoque ita appellatur, quòd, qui herbam in eo nascentem degustârit, & pilos & cornua amittat. Itaque elephanti, nisi cogantur, non accedunt ad locum illum: immò verò prope cùm accesserint, perinde ac homines prudentissimi, ab omni illius

V. Ælian. lib. 8. cap. 15. de animal.

lius loci gramine refugientes, pedem referunt. Ad hunc modum, quibus terra est domicilium voluptatis, & qui delicias eius, tanquam herbas degustant, & cæsariem, & cornua, hoc est, ornamentum & robur animorum perdunt. Prudentes igitur, elephantorum ritu, quia non tam amœnitates, quàm vanitatem rerum terrenarum, tanquam pestifera gramina, & virulentas Circes herbas, considerant, facilè hæc caduca contemnunt, animumq; ad maiora traducunt. Vident enim, fallacia esse, quæ hîc blandiuntur. Experiuntur, non agitari tantùm ventis aërem, fluere aquas, volare ignes, sed neque in ipsa terra solidam esse stabilitatem: cælum solum & cælestia perennare. Quamobrem, de S. N. Ignatio author vitæ illius hæc scribit: *Audiuimus sæpè illum, extrema etiam senectute, cùm in cælum, quà liber circumspectus erat, oculos sustulisset, eosq; aliquantisper fixos habuisset, obortis, præ lætitia, lachrimis, dicentem:* HEV QVAM SORDET TERRA, CVM CÆLVM ASPICIO! Sic docuit Eucherius, *raptandos nos in futurorum cupiditatem, si cogitemus,* QVAM FVLGEBIT MAGNIFICA PERPETVIS FORMA REBVS, CVM SIT NVNC TAM SPECIOSA PERITVRIS? Sic monuit D. Chrysostomus, quantumuis ampla & splendida regum palatia auro multo & gemmis fulgentia, nihil à ludicris puerorum ædificijs, à nidis ex luto festucisque compactis, à formicarum operibus differre censenda, si cælum suspexerimus. Sic jubet S. Ephrem nos inter terram ac cælum instituere comparationem, & cognoscere, quàm omnia, in terris, tandem cadant, sicut frumentum, quod, suo tempore maturum metitur; in cælo autem, & sol, & luna, & omnes astrorum chori, à primo creationis suæ die, lumen incorruptum seruent, quo ipso quandam illius regionis indicant perpetuitatem. Sic D. Ambrosius, magnitudine & pulchritudine Solis perpensa, digito monstrari scribit, ex ipsa siderum formositate, magnitudine, duratione, Conditoris pulchritudinem, immensitatem, & æternitatem, cuiuis creatæ venustati, ac moli, & æuo incomparabiliter anteponendam. Si enim, quæ fixa sunt & stabilia, caducis; si magna, paruis, si vera vanis, si fugitiuis æterna bona censentur meliora, quàm facilè est, inter hæc inferiora, & illa superiora discernere? inter lutum & aurum, inter vitra & gemmas facere electionem?

Petr. Ribad. lib. 1. cap. 2. vitæ.

Eucher. in paræn. ad Valerianum.

S. Chrysost. serm. 2. ad Coloss. & serm. 15. in 1. ad Timoth. & hom. de vanit. vitæ.

S. Ephrem adhort. 4. de virtute.

S. Ambros. l. 4. Hexaëm. cap. 1.

Blan-

Blandiuntur flores? nullus vltra mensem suum perdurat. VI.
Arrident siluæ? exciduntur, aut ventis sternuntur, aut conflagrant, aut senio arescunt. Allicit elegans vultus? Nihil formâ fugacius, adeò vt Phauorinus pronunciet: post paucos años, in viuente etiamnum Alcibiade, quondam pulcherrimo, ab ijs ipsis, qui eius formam demirati aliàs fuerant, Alcibiadem quæsitum fuisse. Virent prata? flauescunt arua? florent vineæ? prata inundans fluuius, arua imber, vineas grando destruit. Defendunt te ædes, arces, vrbes? potentem faciunt arma; diuitem rura, felicem clara pignora, & penè immortalem multi nepotes? hos omnes mors auferet; rura accîdent alluuiones; arma hostis. Denique nulla tam est firma domus, nulla arx tam celsa, nulla tam potens ciuitas, quam terræ motus non possit solo æquare. Hæc vbi conspexeris, aliò oculos conuerte, & disces dicere: *Heu quàm sordet terra*, cùm cælum aspicio! Quò nos manuducens D. Chrysostomus, *Vides cælum hoc*, inquit, *quàm pulchrum, quàm amplum, quàm magnificum sit, quemadmodum vario stellarũ ordine exornetur, & splendeat, quantum edurare potuerit temporis? Iam enim quinq; millia annorum, atq; etiam plus seruatur, & constat, nec tamẽ, longo temporis spatio effectum est, vt senescat, sed ad modum corporis adolescentis robusti floret, vigetq; ætate; & quàm principio sortitum est pulchritudinem, eandem integerrimam seruat, nulla ex parte factum deterius, tanto spatio temporis.* Hæc sedes beatorum nullo motu, nullo attritu, nulla tempestate destruetur. Tanto igitur optabilior est, quanto diuturnior.

Phauorin. apud Stobæũ serm. 66.

S. Chrysost. hom. 2. cõtr. Anomæos.

Spectaculum vnius diei, aliquot horarum conuiuium, symphonia breui tempore aures permulcens, magnum quid esse putatur: maius putaretur, si per duos dies, si per mensem, si per annum, duraret. Vni⁹ anni consulatus quanti est à Romanis factus? longè pluris dictatura per quinquennium continuata; aut regnum imperiúmue, tota vita, productum. Quanti ergo facienda est illa Diuorum sedes, ille honor, ille triumphus & gloria, qui finem nesciet? Si enim filij huius lucis, exiguis istis, & ferè momentaneis bonis, sæpe ita capiuntur, vt se capere non possint; quo desiderio exardescere debemus, si bona summa, infinita, sempiterna nobis præparata videamus? In terris, vix acquirimus VII.

diuitias, & rursus amittimus; vix attingimus dignitates, & deponimus; vix gustamus voluptates, & auellimur. In cælo possidebimus opes, honores, delicias, non decem, centum, vel mille annis, sed æternas, sed sæculis nunquam desituris; quorum suauitas non sensim, & per successum, sed tota simul percipietur, immensa quadam accumulatione, infinitorum bonorum, in infinitum, atque æternum, simul, ac velut vna collectione fruendorum.

VIII. Disce hinc, ô quisquis es, seu juuenis, seu senex; diues & pauper; nobilis & ignobilis, agnoscere terræ vilitatem, & rerum terrenarum fluxarumq; vanitatem: disce pretium cæli & cælestium dignitatem æstimare, mundóq; tandem contempto, dicere: *Heu quàm sordet terra, cùm cælum aspicio!* Qui enim tanta, in terris, mala, & tantilla, tamque caduca bona esse videt; in cælo autem omnia stabilia, fixa, æterna, summa, & summe bona reperiri intellexit, vel fatuus est, & excors, vel ista illis anteponit. Immò illa omnia nullius esse momenti judicat, si cum istis comparentur. Quidquid enim transit, postquam transijt, perinde est, ac si nunquam extitisset. Possìde centum jugera, mille agros, immò mille regna; possìde Crœsi opes; habe Xerxis potentiam, & omnem Persarum apparatum; omnem Sardanapali luxum; acquire quidquid est honorum & titulorum, quidquid gloriæ & dignitatum; nata in delitijs, volutare in voluptatibus, etiam longa ætate; fruere denique cælo in terris; si tamen postea hæc amittas, si jugera, si regna à te auferantur; si opes alius tollat; si potentiam eripiat; si titulos extinguat; si de gradu dignitatis deijciat; si sensus & valetudo destructa voluptates excludat, quid ex omnibus illis vtilitatis, quid delectationis es percepturus? transierunt. desierunt. nō existunt ampliùs. commodi nihil, mœroris multùm reliquerunt. Imò tristissima memoriâ recordaberis, te bonis gaudijsque illis omnibus esse spoliatum. Quæ recordatio tanto te magis affliget ac exagitabit, quanto bona illa amissa tibi visa fuerunt maiora ac meliora, quantoque chariora extiterunt. Quò enim dulcior est alicuius rei possessio, eò acerbior fit eius amissio. Eapropter, si ceteræ caussæ omnes deesset, hæc sola sufficeret, ad rerum instabilium amorem abijciendum; quia scilicet necessariò deserendæ sunt, & non sine ingenti dolore dese-

deseruntur. At diuina, cælestia, at æterna, nullo tempore, nullo casu amittuntur; neque amitti queunt. Quamobrem sunt rebus his caducis infinities meliora atque optabiliora, vel hoc solo etiam capite, quia durabiliora.

Huic durationi accedit magnitudo bonorum, quæ inibi obtinget. Quantis enim spatijs cælum illud latè circumductum terrarum angustias superat; tanta excedit immensitate gaudium beatorum, huius mundi illecebras. Res, quæ hîc pariunt delectationem, non simul, sed sensim, & successiuè, nec sine interruptione, & plurimarum molestiarum admixtione, sua commoda adferunt; quorum cùm alterum succedit, prius euanescit. At, in cælo, totum illud æternum bonum, electis promissum, electorũ est, & ab electis in æternum totum simul possidetur. Nam *quamuis non fuerimus ab æterno, tamen possidentes Deum, fruemur in eo etiam æternitate; quatenus infinitis retro sæculis extitit, mẽte nos retrorsum, & antrorsum extendentes; sicut & tota immensitate fruemur, in immensum illud pelagus nos immergentes, vnus enim erimus spiritus cum Deo. Sensum igitur & gustum habebimus diuinorum, sicut & ipse De⁹ habebit, etsi dispari gradu.* Quis itaque ex hac terra morientium ad illam *terram viuentium* non aspiret? Immò quis diuinam hîc prouidentiam non agnoscat, amet, prædicet, quę si aliam nullam caussam haberet (cùm tamen habeat plurimas) tamen ob hanc solam benignissimè terras constringeret, concuteret, tot mortibus & miserijs repleret, vt eam nauseare, ac deserere disceremus, atque ad meliorem, ex hoc exilio potiùs, quàm natali solo, patriam appetendam incitemur. IX.

Leonard. Less. lib. 4. de diuin. Perf. cap. 4.

Cur hoc non faceremus Christiani? Ethnici fecerunt. Quorum vnum iuuat testem adducere, ne videamur neruos nimium intendere, dum terrenas & delicatas mentes, ad rerum vanarum, mundique huius contemptum, & desideria cælestium inuitamus. Ita igitur Romanus sapiens loquitur. *Virtus, quam affectamus, magnifica est. non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cælestium, dignumq; efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet plenumq; bonum sortis humanæ, cùm calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ sinum venit. Tunc iuuat inter sidera* X.

Senec. lib. 1. Nat. qq. in procem.

ipsa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram: non illud tantùm dico quod egeßit & signandum monetæ dedit, sed & illud, quod in occulto seruat posterorum auaritiæ. Nec potest antè contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles siluas, & deriuata in domos flumina, quàm totum circumeat mundum, & terrarum orbem supernè despiciens, angustum, & magnâ ex parte opertum mari, etiam quà exstat, latè squalidum, & aut vstum, aut rigentem, sibi ipse ait: Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur? O quàm ridiculi sunt mortalium termini! Vltra Istrum Dacus non exeat: Strymo Thracas includat: Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana disterminet: Rhenus Germaniæ modum faciat: Pirenæus medium inter Gallias & Hispanias jugum extollat; inter Ægyptum & Æthiopias harenarum inculta vastitas jaceat. Si quis formicis det intellectum hominis, nónne & illæ vnam aream in multas prouincias diuident? Cùm te in illa verè magna sustuleris; quotiens videbis exercitus subrectis ire vexillis, & quasi magnum aliquid agatur, equitem modò vlteriora explorantem, modò a lateribus affusum, libebit dicere:

It nigrum campis agmen.

Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. Quid illis & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est istud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis: minima, etiam cum illis vtrimque Oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expeditus leuisque ac contentus modico emicuit. Cùm illa tetigit, alitur, crescit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis suæ, quòd illum diuina delectant: nec vt alienis interest, sed vt suis. Securè spectat occasus siderum atq; ortus, & tam diuersas concordantium vias. Obseruat vbi quæq; stella primum terris lumen ostendat, vbi culmen eius summum, qua cursus sit, quousque descendat. Curiosus spectator excutit singula, & quærit. Quidni quærat? Scit illa ad se pertinere. Tunc contemnit domicilij prioris angustias. Quantum enim est, quod ab vltimis littoribus Hispaniæ vsque ad Indos jacet? Paucißimorum dierum spatium, si nauem suus ventus impleuit. At illa regio cælestis per triginta annos velocißimo sideri viam præstat,

nusquam

nusquam resistenti, sed æqualiter cito. Illic demum discit, quod diu quæsiuit: illic incipit Devm *nosse; cui*, vt Arnobius loquitur, *punctum terra est, & sub nutu omnia constituta.* Arnob. lib. 7. aduers. Gent.

Quod si igitur, è re maximè formidanda, qualis est terræ motus, quædam existunt vtilitates, quid de ipsa terra atque elementis ceteris debet cogitari? quàm vtibiles, &, in rem nostram, erunt reliquæ creaturæ? quarum quidem vires & præstantes effectus plurimos vel experientia, vel industria humana indagauit, haud est tamen ambigendum, plurimas quoque earum nos virtutes latere, caussasque maximas, in diuinis consilijs, & Dei diphthera, reconditas, à nobis ignorari. Quod vel ipsum admirabili Numinis prouidentię perbene censet D. Chrysostomus ascribendum, cuius sapientissima dispositione factum est, vt neque omnia nesciremus, ne deessent nobis tam industrij Architecti laudandi opera & argumenta; neque omnia sciremus, ne scientijs inflati superbiremus. E cuius S. Patris doctrina, discimus, si quid legamus, audiamus, aut videamus vel esse, vel fieri, in mundo, cuius nobis vel vsus, vel caussa incognita in mentem non veniat; cogitandum tamen esse, nihil à natura, ne dum à Deo, fieri frustra, sed vsum maximum, caussamq; optimam eiusce rei creandæ, vel permittendæ fuisse. *Quoniam mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & absonsa, & inuisa opera illius*: vt, in omni rerum varietate, meritò opifex earum suspiciendus, amandus & celebrandus sit, neque de nobilissimo cuiusque fine & vsu sit à quoquam dubitandum. Quemadmodum enim, qui tabernam Pharmacopolæ intrans, innumeras hîc suo ordine pyxides, illic testas; alibi capsas, alibi vitra, & ampullas, in suis forulis, longa serie stantes conspicit; itémque aridos flores, siccatas herbas, fibras radicum, mensuras, pondera, vasa, & omnis generis instrumenta; quibus alia decoquuntur, alia refrigerantur, alia percolantur; alia, quæ in colo subsederunt, contrita læuigantur; alia in junceis fiscellis, vel sparteis saccis exprimuntur; alia forficulis incisa incernuntur cribro, alia tunduntur & teruntur pistillo; sicut, inquam, qui hæc conspicit, etsi ignoret, ad quem ea rerum & negotiorum varietas vsum seruiat, haud tamen judicat, eam temerè esse ab herbario, aut medicamentario illuc comporta-

XL

S. Chrysost. hom. 10. ad pop.

Eccli. 11. 4.

tam; sed potiùs omnia, quæ videt, vtilia esse censet, ad hominum sanitatem conseruandam, aut restaurandam: ita, qui in hunc mundum ingressus, reperit in eo ignes & aquas, incendia & diluuia; ventos & imbres; procellas & tempestates; vidétque alios in camino tribulationis probari, & velut decoqui; alios per naufragia, in ipso Oceano, refrigerari; alios confractis membris, velut in mortario contundi; licet caussam, ob quam id fiat, non perspiciat; non tamen debet existimare, Deo caussam nullam esse; sed ignorantiam suam diuinæ sapientiæ submittat, & cum S. Augustino dicat: *Etsi nos non intelligamus, quare quidque fiat, demus hoc prouidentiæ ipsius, quia non fit sine caussa; & non blasphemabimus. Cùm enim cœperimus disputare de operibus Dei, quare hoc, & quare illud; &, Non debuit sic facere, malè fecit hoc; Vbi est laus Dei? Omnia sic considera, quomodo placeas Deo, & laudes artificem. Quòd si fortè intrares in officinam fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem, nescientem quid quare sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicet? Non sine caussa folles, hoc loco, positi sunt; artifex nouit quare, etsi ego non noui. In officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere, in hoc mundo* DEVM?

S. Augustin. in Psal. 149.

XII. At nemo est, qui audeat? Enimuerò suprà iam vidimus id ausum fuisse regem Alphonsum. Neque is primus fuit, neque postremus. Nam quia, juxta Comicum axioma, *decent secundas fortunas superbiæ*, etiam ante Alphonsum alij quidam Principes, tam vecordi fastu, opera Dei corrigere voluerunt. Xerxes ille Persarum vertex, qui inter omnes orbis Principes facilè primas visus est obtinuisse, voluit etiam stultissimæ superbiæ magnum ridiculumque exemplum esse. *Cùm enim intellexisset, Hellespontum ex Asia in Europam coniungi, indignè ferens, jussit trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum demitti. Audiui etiam*, ait Herodotus, *misisse, qui stigmata Hellesponto inurerent. certè mandauit, vt colaphos Hellesponto incuterent: dicentes hæc barbara ac vesana verba: O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quòd eum læsisti, qui de te nihil mali meritus erat. Te tamen* rex

Supra cap. 4. num. 2.

Herodot. l. 7.

rex Xerxes, velis, nolisue, transmittet, meritóque nemo hominum tibi sacrificat, vt doloso pariter, & amaro flumini. Idem Plutarchus testatus est. Quin & ad montem Atho eiuscemodi epistolam misit. *Atho diuine, cælum tangens vertice, noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles, alioqui te excisum in mare deturbabo.* Ad has stultitiæ minas perducit superbia. Quin & habet imitatores. Qua de caussa Pompeius M. Lucullum *Xerxem togatum* vocabat, ob injectas mari moles; & mare, subfossis montibus, in terras receptum. C. Caligulam Cæsarem Seneca scribit, cælo iratum, quòd obstreperet Pantomimis (quos imitabatur studiosiùs, quàm spectabat) quodque comessatio sua fulminibus terreretur, ad pugnam vocauit Iouem, & quidem sine missione, Homericum istum versum exclamans: ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε: *aut tu me tolle, aut ego te.* At quid mirum, si Iouem prouocauit, qui se ipsum vt Iouem fingeret, ex sorore Iunonem fecit; manibus Victoriæ se coronatum somniauit; Lunamque coniugem suam jactans, Vitellium interrogare non erubuit, *An Deam secum conuersantem videret?* Cui ille falsa adulatione respondit: *Minimè, Domine, tantummodo enim vobis Dijs licet inter vos videre.* Ita de eo Xiphilinus refert, qui etiam ait, eum, vt per omnia Ioui similem se ferret, etiam machinis quibusdam effecisse, vt flamma inter nubes coruscasse, & cælum tonitru contremuisse videretur. Cotys quoque rex Thraciæ, voluptaria vita, adeò demens factus est, vt Mineruæ se coniugio dignum ratus, instructo nuptiali epulo thalamoque, eius aduentum expectaret, moræque pertæsus satellitem mitteret, qui videret an Minerua iam in thalamum venisset; quem, cùm retulisset, *neminem ibi esse*, sagittis confodit. Idem fecit secundo. Tertius duorum exitio cautior factus, mendacio euasit, respondit enim reuersus, *eum à Dea cupide expectari.* Sic ille in cubiculum secedens, qualis ipse fuit Deus, talem Deam inuenit, id est, nullam, vanus vanitate pastus. Sed & recentiora sunt exempla. Nam & Attila, post deuictos hostes Ætium & Thrasimundum, dixisse fertur: *Nunc stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse vniuersi orbis:* quin eò arrogantiæ processit, vt suo titulo *flagellum Dei* adijci, itaque & in litteras referri, & nominari se mandârit. Vnus hîc insanijt.

Plutarch. lib. de ira cohibenda.

Senec. lib. 1. de Ira c. vlt. item Dio & Sueton. in eius vita

Athenæus lib. 12.

Nicolaus Olatus in eius vita. c. 9.

Lopesius Gomara de Mexicanis regibus memorat, eos, cùm consecrarentur, more gentis, iurare debuisse in hæc verba: *Effecturos se, vt Sol cursum splendoremq́; suum teneret, nubes pluerent, riui currerent, & terra produceret omne genus frugum.* Quasi Dij essent, aut à Iosue Soli ac Lunæ imperare didicissent. In diuinis quoque litteris Señacherib se Deo potentiorem iactauit; & Balthasar filius Nabuchodonosor, mali corui malum ouum, aduersus dominatorem cæli & terræ eleuatus est. Nicanor quoque Iudæos antè vẽdidit, quàm eos in campo videret. Herodes Agrippa, veste regia indutus populum acclamãtem; *Dei voces, & non hominis*, cùm lubentia audiuit. Et quanti fuerunt, qui vsque ad cælum ascendere, via non recta tentârunt? ipsi primi parentes, *sicut Dij* esse voluerunt. Quæ superbia ita nunc est hominibus hæreditaria, vt ab infantia iugum omne fugiant, dominatum affectent, seruis, equis, canibus, frigori, æstui, siccitati, pluuijs, cælo & terris, ignibus & aquis irascantur. Denique multis nihil fit rectè; quia, sicut podagrici, rebus omnibus, & ipsis adeò etiam plumis offenduntur; vellentque omnia, non ad Dei, sed ad suum nutum administrari. Sapienter igitur Deus, vel hac de caussa, multa aliter sinit euenire, vt vel hinc sapiant, agnoscantque alium supra se mundi Gubernatorem. Ita Canutus rex Anglorum repressit adulatorem; qui cùm *omnia ad vultum & nutum regis conuerti diceret: Rex sedile suum, in littore maris, statui iussit, cùm ascenderet. Ascendenti mari dixit: Tu meæ ditionis es, & terra, in qua sedeo, mea est, nec fuit, qui meo resisteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes, nec membra dominatoris tui madefacias. Mare verò, de more, conscendens, pedes regis, sine reuerentia madefecit. Ille igitur resiliens: sciant, inquit, omnes habitantes orbem, vanam esse, & friuolam regum potentiam, nec regis quempiam nomine dignum, præter eum, cuius nutui cælum, terra, mare, legibus obediunt æternis: nec vnquam posteacoronam capiti imposuit.* Multi, si & hæc, & quæ huc vsque de terra marique dicta sunt, perpenderent sedulò, non coronas tantùm, sed etiam cristas demitterent, dicerentque: *Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, & veritas in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris.*

4. Reg. 19. 16.
Dañ. 5.
2. Machab. 8, 34.
Act. 12. 22.
Gen. 11. 4.
Gen. 3. 5.
H. Huntindonensis
Cambdenus in Britannia, pag. 191
Psal. 88. 10.

CAP. XXI.

CAPVT. XXI.

Origo, necessitas, & libertas Matrimoniorum.

POstquam absoluta fuit diuina illa tanti operis fabrica (qua, teste M. Tullio Cicerone, etiam Plato, *construi à Deo, atque ædificari mundum facit*) velut in domum optimè instructam, inquilini sunt introducti, Adamus & Eua. Sed quia duo non sufficiebant tanto palatio possidendo, atque replendo, institutus est, statim in Paradiso, matrimonij contractus, à Mundi Conditore hanc illis legem præscribente: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam.* Ad cuius præcepti obligationem & nexum etiam Christus digitum intendit, cùm dixit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et ex instinctu Dei, aspectâ primùm Euâ ex latere suo ædificatâ, agnouit hanc legem promulgauitq; ipse quoq; primus parens, quando in illa verba effusus est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quapropter relinquet homo patrē & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Est igitur, ob hunc finem, Matrimonium contractus, quo mas & femina sibi mutuum in sua corpora dominium, ad vsum humanæ generationis, tradunt. Vnde & *Matrimonium* vocatur, quòd *matres* faciat, aut facere aptum sit, nisi sterilitas, aut alia caussa obsistat.

I. Cic. lib. de nat. Deor.

Ita Bonifac. VIII. c. de voto, & voti redemt. in 6.

Gen. 1. 28.

Matth. 19. 6.

Conc. Trid. sess. 24.

Gen. 2. 21.

Quantum, & quos, ex diuino præcepto hic contractus obstringat mortales, quidam haud rectè capiunt. Hinc singulos & vniuersos putant obligari ad matrimonia ineunda; neq; existimant, quenquam in cælum iri admissum, nisi velut hospitalem tesseram, vxorem trahat secum appendicem, quæ testetur, eum præcepto illi satisfecisse: *Crescite, & multiplicamini.* Quæ sententia, si omni exceptione caret, excludit cælo, in infantia, aut innocenti pueritiâ, defunctos. Aut, si velit, adultis tantùm, atque à natura maturis eam legem latam, quæram ego, quonam iuuentutis anno, homines incipiant, ea lege teneri? quo senectutis solui? Quid si quis, vigesimo vitæ suæ anno, nondum ducta vxore, decedat, an idcirco, ad Plutonis & Proserpinæ nuptias, malè cænatum ibit, quia genus humanum

II.

Gen. 1. 28.

 non-

nondum multiplicauit? Quid si nono & decimo? quid si decimo sexto, aut decimo quarto anno, ex hac vita abeat, nuptijs adhuc nullis procuratis? Quid si malitia ætatem præueniat, an decennis debebit fieri maritus? aut fraudi illi erit, qui ad annum vsque decimum quartum castus & continens vult Virginitatis suæ florem seruare illibatum? Si adultos omnes ea lex vinctos tenet, eiusque tanquam diuinæ, præuaricatio à beatitudine æterna homines proscribit; dicant mihi isti pronubi, vbi existiment, esse Teclas, vbi Cæcilias, vbi Barbaras, vbi Agnetes, vbi Catharinas? de quibus in Ecclesia futuris, & Christo nupturis Dauid vaticinatus est: *Adducentur regi virgines;* & Paulus adiecit: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* immo dicant, vbi esse putent Magdalenam, quæ etsi virgo non fuit, tamen neque coniux fuit? cui dimissa *peccata* sunt *multa, quia dilexit multùm,* & quam flagrantissima *fides saluam fecit?* Denique quæro ab istis paranymphis, & tam sedulis matrimoniorum procuratoribus, qui, sine Hymenæo credunt, nemini cæli portam patere, quid viris feminisué senio exesis, & coniuge destitutis erit faciendum? num sua illis viduitas erit damnosa? Immo etiam quæro, an censeant, Ioannem Baptistam, in Inferno esse, quia legem illam connubialem violârit, neque vxorculam duxerit, cum qua coniugus, per solitudinem, in *pilis camelorum* velut iucundè spaciando, vagaretur. Denique quid de ipso Christo dicent, qui *non venit soluere sed adimplere legem?* Atqui vxorem non duxit. Quid igitur? num illam legem *soluit: Crescite, & multiplicamini?* immo non soluit, sed primùm, suo exemplo, postea etiam suo oraculo manifestè ostendit, eam non ad omnes sine vlla exceptione, aut restrictione, pertinere. Nam, quando ipse onera atque occurrentes, in coniugijs, difficultates demonstrauit, atque, ijs auditis Apostoli ad perfectius viuendi genus inflammati dixerunt: *Si ita est caussa hominis cum vxore, non expedit nubere,* responsum illud dedit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus & sunt Eunuchi, qui se ipsos castrâuerunt, propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.*

Psalt. 10. 14.
2. cor. 11. 2.
Luc. 7. 47.
Matth. 3. 4.
Matth. 5. 17.
Matth. 19 10.

piat, Quæro iterum abs te, ô matrimoniorum nimis ſollicite cauſſidice, an primi, an ſecundi, an tertij hi Eunuchi, tanquam legirupæ, ad cælum nullum jus ſint habituri? cùm tertij vel hanc ob cauſſam ſe caſtrent, hoc eſt voluntaria continentiæ profeſſione ſe caſtificent, vt per anguſtam portam, ſine Creuſa, ſine illa tua, inquam, appendice, & abſque vxorijs impedimentis, expeditiùs admittantur? Siquidem, vt Seruator ait, *propter regnum cælorum* ſeſe ipſos caſtrauerunt: non iam cum coniugatis triceſimum, ſed vel cum viduis ſexageſimum, vel cum virginibus centeſimum fructum relaturi, nouumque illud, in cælo canticum cantaturi, quod nemo poterit dicere, *niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui emti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocunque ierit.* Tantũ ergo abeſt, vt oppeſſulet cælum, vxore carere; etiam illud pandit, ſi quis, in perfectiore gradu, caſtus eſſe velit. Nihil dicam de illis, qui perpetuò ſimul & ſurdi ſunt, & cæci, atque idcirco, quia humanæ, circa perſonam & obligationem præſentem, notitiæ capaces non ſunt, matrimonium validè contrahere non poſſunt, tanquam nullo modo docibiles. Extra ordinem ſunt iſta, & tamen oſtendunt, legem illam, ſine limitatione, non eſſe intelligendam: *Creſcite, & multiplicamini.*

Matth. 13. 23.
Athanaſ. in ep. ad Anniũ
Hieronymus l. contra Iouinian. cap. I.
Apoc. 14. 3. 4.
c. 23. de ſponſalib.

III.

Agnoſcimus itaque diuinam inſtitutionem, agnoſcimus honeſtum, & à Deo præceptum Matrimoniorum contractum; cui inſuper Chriſtus ſupernaturalem ſacramenti rationem adiecit; ſed quia *littera occidit, Spiritus autem viuificat*, præceptum illud: *Creſcite & multiplicamini*, ex mente Dei, & ſobriè eſſe intelligendum arbitramur: nimirum quantum neceſſe fuerit, ad humanum genus conſeruandum atque augendum, totumque orbem ab hominibus colendum, & incolendum. Qua de cauſſa explicatè ſubiungitur: *Et replete terram.* Repleta eſt: nemo ſolicitus ſit, non deerunt, qui eam porrò repleant; nec deficient geniti, quia non deficient genitores. Hinc nota illa loquendi formula exiſtit, qua dicimus, rem *à generatione in generationem*, hoc eſt, vſque ad Mundi finem, duraturam; quia & *generationes* eò vſque durabunt, ipſo Chriſto dicente: *Sicut fa-*

2. Cor. 3. 6.
Gen. 1. 28.
Pſal. 10. 6.
Prou. 27. 24.
Iſa. 34. 10.
Luc. 17. 26.

ctum est, in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant, : vxores ducebant, & dabantur ad nuptias. Cùm itaque ad replendum Mundum, non opus sit, vt singuli collaborent, lex illa non singulis est lata, sed vniuersitati. Vbi proletarij sufficiunt, cur Vestales nubant? Obtento fine, media plura cur exigantur? Quamobrem etiam præceptum hoc sese non extendit, vltra tempus generationis à Deo præfixum. Post nouissimum enim mundi diem, *neque nubent, neque nubentur.* Interea totum quidem genus humanum, secundùm se, ad nuptias obligatur; attamen non in omni homine certo ac peculiari; esto, in aliquibus etiam determinatè id præcipiatur. Siquidem primi quidem nostri progenitores, & qui illis tempore proximi fuerunt, in illa scilicet tanta hominum paucitate, omnes sigillatim ad connubia astringebantur; hac tamen ætate (qua genus humanum satis fieret numerosum, etsi vel tertia pars hominum virginitatem, tota vita, Deo offerret) per se, atque in se, nullus certus ac determinatus, vi præcepti illius, se in coniugium conijcere cogitur; licet, ex alia subinde caussa, nonnulli teneantur matrimonium non repudiare: quando videlicet bonum Reip. spes pacis reducendæ aut firmandæ, religionis incolumitas, promissi fides, vel aliter incompensabile damnum id ita exigit. Vt autem sine metu essent, qui, ne genus humanum deficiat, nuptias tam anxiè vrgent, præfatus est dudum, etiã apud alium Euangelistam, illa Christus: *Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus, ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Flij hominis.* Non deerunt ergo nuptiatores, etiam quando illis ampliùs opus non erit; immò neque tum, quando ex certissimis indicijs clarum fiet, finem mundi instare, & extremum judiciũ propediem adfuturum. Quo tempore, neque tota ampliùs humani generis communitas ad nuptias obstricta erit. Ad quid enim prolem concipient matres nunquam pariturae? Quò aspexit Dominus, cùm diceret: *Væ prægnantibus, & nutrientibus, in illis diebus.* Nec enim parient parturientes, sed multas prægnantes fatalis ille dies deprehendet. Quæ

Matth. 22. 30.

Matth. 24. 37.

Luc. 21. 23.

Quæ eam placuit ob caussam disputare, quia haud exiguus est numerus heterodoxorum, non solùm veterum, vt sunt Gnostici, Aëriani, Messaliani, Iouianistæ, Vigilantiani, Beguardi, Waldenses, &c. sed etiam recentiores, qui è Caluini Lutherique schola prodierunt: & magnis vocibus declamitant, tam latè præceptum matrimonij ineundi patere, vt coniugium omnibus imperatum necessariumque esse doceant; immò vt non solùm possint, sed etiam in conscientia arctissimè obstringantur omnes Canonici, omnes Clerici, omnes Moniales, omnes Monachi, omnes Religiosi ad statum coniugij amplectendum; quocunque perpetuæ continentiæ voto se ligârint. *Verum profectò est*, ait Lutherus, *eum lenonem esse oportere, qui matrimonium fugiat: & qui aliter eueniret?* ait. Quo dogmate non solùm magnam inferunt cladem voto castitatis, sed etiam nimis grauem inijciunt nuptiarum adornandarum necessitatem. Extat, apud Gratianum canon Concilij Toletani, III. aduersus eos, qui virgines à proposito continentiæ impedire, eisque maritos obtrudere nitebantur. Eo canone cauetur, ne qua virgo, extra suam voluntatem, cogatur nubere, statumque relinquere perfectiorem. Siquidem Apostolus virginem cum coniugata comparans ait: *Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore & spiritu.* Ex mente igitur Pauli, virgo placet Deo, aliquo modo, quo non placet coniugata; & sancta est virgo, aliquo modo, quo coniugata non est sancta. Siquidem qui, aut quæ nuptijs implicantur, cogitant quæ mundi sunt, quo modo placeant vxori, aut marito: eaque propter, non possunt Deo placere, eo gradu perfectionis, quo placere potest virgo. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, meliùs facit. Dicat aliquis*, ait S. Hieronymus: *Et audes nuptijs detrahere, quæ à Deo benedictæ sunt? Non est detrahere nuptijs, cùm illis virginitas antefertur. Nemo malum bono comparat.* Bonum est coniugium: melior virginitas. Qui melius eligit, bonum non contemnit. Non contemsit, in Sicilia matrimonium S. Nympha Panormitana, quando virginitatem connubio prætulit, atque ob id sertum lilijs rosisque contextum, ab Angelo, accepit. Neque

IV.

Caluin. in Harmon. Matth. 19. 10. seq. Luther. tom. 5. in ser. de matrim. quem Anno 1522. de matrim. habuit.

Canon. Hoc sanctũ. 32. q. 2.

1. Cor. 7. 34.

1. Cor. 7. 38.

S. Hieronym. ep. 22. ad Eustochium.

Baron. in Martyrol. 10. Nouemb.

Crom. lib. 29. rer. Polonic. Neq; spreuit coniugia Casimirus, quando etiam medicis vitæ periculum denunciantibus, maluit vitæ, quàm virginitatis aleam subire. Malè vtique non facit, qui meliùs facit: & prudenter Christus sponsis omnibus antefertur. Est enim *speciosus forma, præ filijs hominum.* (Psal. 44. 3.) Non igitur obligata est virgo, vt nubat. Neque vidua. Nam inibi subiungit Apostolus. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit; quòd si dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat: tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium: puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam.* Quin & voto se obligare posse viduam, ad non nubendum, ex eodem D. Paulo, clarum est, qui, ex omnium interpretum consensu, de voto continentiæ loquitur, quando scribit, viduas quasdam, si nubant, *habere damnationem, quia primam* (voti) *fidem irritam fecerunt.* (1. Timoth. 5. 12.) Nunquam profectò ibidem Timotheo præcepisset, *viduas honora, quæ verè viduæ sunt,* si illæ, contra præceptum: *Crescite, & multiplicamini,* (Gen. 1. 28.) extra matrimonij statum, permansissent.

V.

Barbaræ mulieres fuerunt, & Thraciâ suâ dignæ, quæ persecutæ sunt coniugia vitantem

Ouid. lib. 11. Metam.

Orphea, percussis sociantem carmina neruis.
E quibus vna, leues, iactato crine, per auras,
En ait, en hîc est nostri contemtor, & hastam
Vatis Apollinei vocalia misit in ora.

Quod si in Orpheo aliquid vitij latuit, Phædras cogitemus, aut Putipharis vxorem; (Gen 39. 13.) quarum illa Hippolytum, hæc Iosephum, de castitate, per atrocissimam calumniam, afflixit. Ad harum mulierum insaniam accedunt, quicunq; statum virginitatis, si non thyrso, saltem conuitio & lingua persequuntur, & Theonino dente lacerant; quem etiam nonnulli neque ab ipsa Dei Matre abstinuerunt; quæ vel idcirco dicitur *Mater admirabilis*, quia & coniux, & Virgo, & Mater fuit: adeò & ipsum potest cum virginitate matrimonium consistere; ad quod requiritur, & sufficit petendi reddendiq; coniugalis debiti radicalis obligatio. Quod castissimi coniugij genus postea imitati sunt, S. Cæcilia & Valerianus; Henricus II. & Kunigunda, apud Baronium; Eduardus III. rex Angliæ, & Edita, teste Baronio; item

Can. Beata Maria. 27. q. 2 Præp. q. 3. du. 2. Con. d. 24. n. 33. Baron. Anno 1204.

Marcianus

Marcianus Imperator ac Pulcheria, vt refert Cedrenus. Nec non Alfonsus II. rex Gallecíæ & Berta Caroli Magni soror, vt itidem Baronius testatur. Quin & Boleslaus rex Poloniæ, cum Kinge filia Belæ regis Hungariæ, Cromero teste; Elzearius comes Arianus cum Delphina, apud Surium. Metaphrastes & illud integerrimæ, in coniugio, virginitatis exemplum, de Iuliano & Basilissa refert. Hi purissimi duo coniuges, postquam nuptialis dies transijt, prima nocte, vnanimi voluntate, constituerunt, se illibatum castitatis florem Numini consecraturos. Consecrârunt; & ecce consilium diuinitus approbatum est illico. Nam, per totum cubiculum, suauissima quædam odorum fragrantia cœpit spirare; non secus, ac si in Elysio quodam campo extitissent. Neque naribus tantùm sua data est voluptas; sed oculi quoque sunt mirabiliter recreati. Lux enim clarissima velut orientis auroræ, in eodem loco, amœnissimè refulsit. In luce pulcherrimi duo Diuorum chori, hinc atq; inde stantes, apparuerunt, quorum hic iuuenum erat, ille puellarum. Alteri Christus, alteri Mater Christi præesse videbatur. Vt igitur & auribus delitiæ fierent; iuuenum chorus, Angelica symphonia, in hunc modum, accinuit: *Vicisti Iuliane, vicisti.* Cui, è diuersa parte, virginum chorus ita respondit: *Benedicta Basilissa, quæ sanctis monitis aures præbens & animum, vanas mundi despexit illecebras, & æterna vitæ cœlestis laurea dignam se reddidit.* Hæc dum suauissimus concentus applauderet; è media cælitum caterua, duo viri processerant. Hi togis, mirifico splendentibus candore amicti, inter vtrumq; coniugem constitêre, castasq; nuptias, & sanctum coniugiũ, sacro cælestis amoris vinculo, stipulataq; manu, innouarunt. Mox alius quispiam, maiestate vultus, & cana bãba venerabils librum exhibuit, in quo aperto, hæc aureis litteris exarata legebantur: *Quicunque, obsequij diuini caussa, mundi insanis voluptatibus nuncium remittet, vt fecisti, Iuliane, in album eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, referetur. Basilissa verò, pro eo, quod illibatam corporis sui innocentiam seruare intendit, Virginum numero apponetur, cuius principem locum tenet Maria Mater IESV.* Et cur id non fiat? siquidem *incorruptio facit esse proximum Deo.*

Baron. 1066. Cedren. comp. hist. Baron. Anno 783. Cromer. l. 9. & 10. Sur. 27. Sept. Metaphrast. 9. Iulij.

Sap. 6. 20.

Confici-

VI. Conficitur itaque, multos legibus connubialibus solutos esse, immo quosdam, spontaneo vel voto, vel officio atque ordine, ad cælibatum obligari, vt sunt nonnulli Ecclesiæ ministri atque sacerdotes, & alij ad perfectionem aspirantes, exemplo ipsorum Apostolorum, qui perpetuam continentiam, & ipsi seruauerunt, & alijs, vt seruarent, suasisse leguntur. Certè Pauli hortatio est: *Volo vos omnes esse, sicut meipsum:* itemque: *Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego,* in statu scilicet continentiæ. Neque prœmium talibus deesse constat è Christi responso. Nam cùm Petrus dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis; Iesus dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis, in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut VXOREM, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quis hîc non videat, Apostolos, cum reliquerint omnia, etiam vxores, si qui habuerunt, reliquisse, & ob eam caussam, tantis promissis à Domino fuisse exhilaratos? Hos imitati sunt postea etiam Apostolorum successores; ad continentiam lege Ecclesiastica astricti; per quam, post ordines sacros, libera voluntate susceptos, non erat illis fas vxorem ducere; quòd si ante eos ordines, vxorem iam duxissent, ijsque postea primùm fuissent initiati, non licuit illis vti vxoribus, sed perpetuam continentiam seruare debuerunt. *Omnibus placet*, ait Concilium Carthaginense, *vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab vxoribus se abstineant: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Et quidem hæc lex in Ecclesia occidentali viguit: in orientali quoque Græci, post susceptos ordines, non soliti sunt vxores ducere: qui quanquam vxorati iam possint & initiari, & simul vxores retinere, nec teneantur ab earum consortio abstinere, tamen tempore vicis suæ, ad eas non accedunt. Quod & in veteri Testamento, diuino iure factum legimus; in quo sacerdotes ad continentiam, non quidem perpetuam,

[Margin notes: 1. Cor. 7. 7. — Matth. 19. 27. — Conc. Carthag. can. 2. Vide & Concilij Eliberitini can. 33. Agathense can. 9. Vasquez. 3. p. disp. 248. c. 2.]

perpetuam, sed ijs diebus, quibus in templo, vel tabernaculo ministrabant, obligabantur.

Frustra ergo inuehitur in veteres PP. Caluinus, quòd continentiam coniugalem permiserint, cælibatum perpetuum approbârint, & virginitatem ac viduitatem coniugio prætulerint. Maleuolè S. Chrysostomum accusat *virginitatis nimium commendatæ, ac magnificatæ.* Arroganter scribit Hieronymum, quòd coniugio virginitatem anteposuerit, *nimis luculentum maligni peruersiq; ingenij specimen edidisse.* Sed quid mirum, si SS. PP. inuadit, qui ne Apostolos quidem à censura sua eximit, quos, inter alia vitia, quæ illis obijcit, *impiæ ingratitudinis* arguit, quòd Christo de matrimonij oneribus peroranti responderint: *si ita est caussa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Contendit enim, Christi mentem esse penitus contrariam, dissuadere scilicet, non suadere cælibatum, quem virtutem putare, censet *esse stultam imaginationem.* Cùm tamen Christus discipulorum suorum responsum non solùm non improbet, sed & disertis verbis laudet, quando subiungit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Ac si dicat, non omnes *capere,* seu intelligere, vel gustare, cælibatum coniugij statu esse nobiliorem Deoque acceptiorem, ac proinde, abstinentiam à matrimonio, esse quoddam excellens Dei donum, communique hominum statu, iudicio, & desiderio superius. Quocirca, paulo pòst eandem laudem iterans & adaugens addit: *Et sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt, propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Quia, vt S. Paulus ait, *Beatior erit, si sic permanserit.*

VII. Caluin, in 1. Cor. 7. 5. seqq. lib. 4. Instit. c. 12. §. 28. & cit. loc. Harm.

Matth. 19. 10.

1. Cor. 7. 40.

VIII.

His omnibus ostenditur, matrimonia tametsi à Deo introducta, sancta, & ad genus humanum longè lateque propagandum necessaria, haud tamen ita singulis necessaria esse, vt in ea sese, vel inuiti conijcere teneantur: quæ cùm libera esse oporteat, & sæpe graues secum trahant difficultates, à quibus nonnulli vehementer abhorrent, possunt iniri, vel declinari. Miserrimi essent mortales, si omnes ad nuptias cogerentur. Et fuit, qui cùm duceretur, suspendi mallet, quàm mulieri in maritum tradi, quæ eum à magistratu petebat. Vidit enim illam

acuto naso, & viperinis dentibus biliosam. Multi in omnibus timent, quod iste in vna metuebat; atque idcirco ab omnibus refugiunt, ne in malum incidant, quod formidant. Debuit igitur hæc libertas relinqui; ne, qui in malam vxorem incidit, coniugiorum necessitatem accuset; sed sibi ascribat, quod elegit. Enimverò adeò multa coniuncta sunt cum matrimonijs incommoda, vt necesse sit, vnde ea oriantur, declarare; ne quisquam in sanctissimæ coniugalis legis Constitutorem culpam refundat.

IX. Quod antè, quàm facere incipio, non omittam apponere, quæ Caluinus ipse sibi contraria, super hoc argumento effudit, vti & Lutherus, ne nesciat Lector, hæresin, quæ *in veritate non stetit, spiritu vertiginis* agitari. Lutheri sunt ista: *Continentia, in terris quidem melior est, vt cui minus solicitudinis, & calamitatis insit, nec sui ipsius caussa, verùm vt melius ad verbi Dei tum annunciationem, tum curam acriùs animum intendat. vt 1. Cor. 7. Paulus refert. Dei verbum eiusq; ministerium, Cælibatum matrimonio anteponunt, qua ratione Christus & Paulus in eodem claruerint.* Quibus præmisit: *Nec ideò cælibatum & virginitatem reprobare mihi animus est, nec inde quenquam ad coniugale vinculum inuitare.* Quod quomodo cum illis cohæret, quæ in eodem sermone, prope initium, dixit, his verbis? *Vt non est in meis viribus situm, vt vir non sim, tam non est mei iuris, vt absque muliere sim. Rursum, vt in tua manu non est, vt fœmina non sis, sic nec in te est, vt absque viro degas. Nec enim libera est electio, aut consilium; sed res natura necessaria, vt marem fœminæ, fœminam mari sociari oporteat. Verbum enim hoc, quod Deus ait: Crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plusquam præceptum, diuinum puta opus, quod non est nostrarum virium, vel vt impediatur, vel vt omittatur: sed tam est necessarium, quàm vt masculus sim, magisq; necessarium, quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno & excubijs intentum esse. Insita est natura & indoles, æquè atq; membra, quæ eò pertinent. Quare vt nemini Deus in mandatis dat, vt sit mas, aut femina; sic nec vt sese multiplicent, præcipit; sed homines ita condit, vt mas aut fæmina sint, vtq; generationi studeant. Quod si quisquam prohibere molitur, egregiè, vt est, perdurat, suumq;*

Ioan. 8. 44. Isa. 19. 14. Luther. t. 5. in serm. de matrim.

meatum scortatione, adulterio, καὶ διὰ ἀφώνων τῶν παραπτωμάτων *quaritat. Est enim hic natura necessitas, non arbitrij libertas.* Quis huic Proteo credat, vultus adeò mutanti, & eodem ore dicenti: *marem fœminæ, fœminam mari sociari, tam est necessarium, quàm vt masculus sim, &c.* & : *Nec ideò cælibatum & virginitatem reprobare mihi animus est, nec inde quemquam ad coniugale vinculum inuitare?*

Quòd si eandem quis, in Caluino, inconstantiam velit videre, hæc verba illius, apud se, consideret. *Quia multis molestijs implicitum est coniugium,* ait : *semper conatus est Satan odio & infamia grauare, vt homines ab eo subduceret.* Et paulò post : *Sed videndum est, quomodo hanc stultitiam refellat Dominus. Omnes huius dicti capaces esse negans, significat electionem non esse positam in manu nostra, ac si de re nobis subiecta esset consultatio. Si quis vtile sibi putat vxore carere, atque ita nullo examine habito cælibatus legem sibi edicit, longè fallitur. Deus enim, qui pronunciauit bonum esse, vt viro adiutrix sit mulier, contemti sui ordinis pœnam exiget, quia nimis sibi arrogant mortales, dum se à cælesti vocatione eximere tentant.* His è diametro repugnant, quæ idem alibi, in hunc modum scribit. *Sensus est* (S.Pauli) *Ego expedire arbitror, propter necessitatem, qua sancti, in hac vita, vrgentur semper, vt libertate ac commoditate Cælibatus fruantur omnes : quoniam hoc illis conduceret.* Et in verſ. 28. eiusdem capitis ait : *In suis hortationibus in cœlibatum inclinat* S.Paulus. *Dicit multas molestias coniugio annexas esse, ideò se cupere omnes à coniugio esse liberos, qui immunes à molestijs esse velint.* Et in verſ. 32. *Non sine caussa, toties ad prædicanda commoda cælibatus reuoluitur :* videbat enim, *quàm non leuia sint matrimonij onera. Is qui eximere se potest, non debet tale bonum negligere.* Et rursum : *En vacuitas solicitudinum, quam Christianis optat, vt suas omnes cogitationes, suaq; studia Domino addicant. Hanc in cælibatu esse dicit : ideò cupit omnes hac libertate frui.* Et paulò infra : *Hic est Pauli sensus, liberum esse cælibem : neque impediri, quò minus, quæ Dei sunt, cogitet. Hac libertate pij vtuntur : alij omnia in exitium suum vertunt.* Et in verſ. 38. *Summa totius disputationis huc redit, meliorem esse cælibatum coniugio, quia in illo maior sit libertas, vt expeditiùs seruiant homines Deo.*

X.
Calu. Harm. in Matth. 19. 11.

Caluin. in 1. Cor. 7. 26.

XI. 1. Tim. 3. 15. Psal. 11. 9. Ita qui ab Ecclesia, *columna & firmamento veritatis* recesserunt, *in circuitu ambulant*, & vertigine aguntur; vt ipsi se ipsos refutent, & eodem ore recantent, quod cecinerunt: immò opere ipso verba sua retractent. Nam is, qui dixit, esse *peruersam superstitionem, appetere cælibatum; quæ radix & caussa fuit ingentium malorum;* is, inquam, ipse Caluinus (teste Beza, in vita eius) annos tantùm nouem in coniugio; annos verò sedecim, in viduitate peregit. An non aliter vixit, quam dixit? An non hoc *Deum tentare fuit, contra inditam ab eo naturam?* vt ipse alibi docuit. Cur vxorem non duxit secundam, si cælebs esse non potuit? aut, si potuit, cur cælibatum reprehendit? Sed demus, illum, molestias coniugij vitasse, voluptates alibi quæsiuisse, vt lilia mereretur candentibus litteris dorso inscribenda. Nos dicamus, & credamus, matrimonium posse declinari, & vt incommoda eius declinentur, & vt Deo, è S. Pauli doctrina, tantò puriùs integriusque seruiatur. Quod vel ipse Caluinus fateri coactus, illud *Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuisus est,* sic intelligendum scripsit: *diuisum esse hominem coniugatum, quia partim Deo, partim coniugi se addicat, non sit autem vnius Dei in solidum.* Has igitur aliásque complures, in matrimonio, caussas, penitiùs inspicere vtile est; simulque Dei, mala coniugum suauiter temperantis, vel iustissimis judicijs prouidè permittentis æquitatem perpendere necessarium; vt & cauti sint, qui de vxore dúcenda cogitant; & patientes, qui vxorem malis alitibus duxerunt.

Calu. Harm. in Matth. 19. 12.

Caluin. l. 4. Instit. c. 13. §. 7.

Caluin. in 1. Cor. 7. v. 33.

CAPVT XXII.

Bono coniugali statui varia mala annexa, quæ vel imprudentium querelis, vel stultorum erroribus, vel castis sapientium consilijs causam solent præbere.

I. Ræter agros, & vineas, & prata, & iumenta, ceteraque Mundi & Fortunę bona, & pecuniarum thesauros ac opes, quæ extra hominem sunt, est itidem aliquid externum, mutuum ab amicis, & maximè à coniugibus auxilium. Quamuis hoc sit vtique alijs Fortunæ bonis longè coniunctius; cùm sint *duo in carne vna.* Hoc in matrimonijs, auxilium nonnulli

nulli tanti æstimant, vt coniuges suos soleant *thesauros* suos nominare. Vnde, teste Plutarcho, etiam vxor Phocionis maritum suum, *suas opes, mundum suum, & thesaurum vocauit.* Et planè magnus est *thesaurus* bene morata vxor, aut vir, qui, ex præcepto Apostoli, *diligit vxorem suam.* Nec desunt, quibus matrimonij concordia est paradisus. Sed si felices coniuges in vnam, infelices in alteram partem velimus separare; longè vtique minor felicium, maior erit numerus coniugum infaustorum, parentes, amicos, suam stultitiam, & sæpe ipsum quoque Deum accusantium, qui eos in tam miserum statum coniecerit. Magnum enim malum, mala vxor. Est huius experientiæ illustre exemplum Iob, quem cùm Satan percussisset *vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius*, in sterquilinio sedentem, & testa saniem de plagis abradentem, vtique bona vxor consolari debuisset, eiusque vulnera spongijs purgare, fascijs obligare, verbis mitibus refrigerare: nihil horum fecit; sed, velut villaticus canis, è regione stans, eumque identidem allatrans, dixit: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere.* Vnica vtique talis vxor totam potest domum infestare. Et infestauit sæpe. Vxor Adæ in ruinam fuit: Vxor Tobiæ in ruinam esse voluit. Pilati vxore vsus est cacodæmon, cùm Passionem vellet Christi impedire. Vsque adeò, etiam sub mantelo pietatis, fallaciæ teguntur; ipsis sæpe feminæ aris maritos admouent, vt jugulent. Quid enim magis pium poterat videri, quàm Christum liberare, ne occideretur? At non quærebat hoc, per feminam, Orcus, vt Christus à morte, sed ne, per Christum, homines ab æterno exitio liberarentur. Quid si & aliæ insuper miseriæ, in coniugijs, accumulentur? Libet eas obiter enumerare, vt, vulneribus patefactis, de medicina cogitare possimus. Nam *si Paulus pronubæ verba locutus est, immò non pronubæ, sed animi spiritualis, multò minùs nos detrectabimus de hac re dicere,* ait S. Chrysostomus.

Coloss. 3. 19.

Iob. 2. 7.

S Chrysost. in mor. exhort. ser. 20. in ep. ad Ephes.

II.

1. Maior est copia malorum virorum, malarumque feminarum. Quid ergo sperandum erit, si in vnam domum, mensam, coniugium conueniant duo mala,

Vxor pessima, pessimus maritus;

 cùm

cùm, si vel alteruter coniugum non sit frugi, sat mali in domo existat. Siquidem malum ex quouis defectu nascitur; tanto autem maius est, si duplicetur. Maiorem vniuersim malorum copiam esse, vel *pusillus* Christi *grex* demonstrat. Demonstrat & particulatim, quæ circumferri solet, duorum imago horrendorum monstrorum; quorum vnum non nisi malis feminis vesci lepidè fingitur, estque, velut prima luna saginari cœptum, ventre obesissimo; nimirum propter pabuli abundantiam. Alterum autem istorum monstrorum, quod pictura ostendit, solis bonis pasci mulieribus, est admodum macilento corpore osseo cani, vel canterio simile, qui, præ fame, vix se ferre potest pedibus. Voluit scilicet pictor indicare, tantam esse bonarum mulierum paucitatem, vt si eas aliquis Diomedes omnes vni bestiæ obijceret epulandas, eam non essent satiaturæ. Quam raritatem etiam olim Petronius notis illis versibus indicauit.

Femina nulla bona est; vel si bona contigit vlli,
Nescio quo fato, res mala facta bona est.

Prou. 31. 10. Quin & sacræ litteræ ferè in eundem sensum quærunt: *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus precium eius.* Quis vult ad vltimos fines ire, vt mulierem talem inueniat? Cæca cupiditas multos iuuenes impellit, vicinorum filias, aut ancillas domesticas, immò etiam obuias quasque, & vix vnquam visas, primo statim colloquio, primis in choreis, enim verò primo aspectu perditè amare, & in vxores sibi destinare incipiant: nec pauci nunquam oculis visas, sed à lenone duntaxat laudatas, aut in ebrietate persuasi, ducant. Quid mirum, si in malas incidant, quarum, vt dixi, longè maior est multitudo? Bonam qui inuenit, cornicem candidam inuenit. Et fuit, qui, ductis vnà tribus vxoribus, interrogatus, cur id fecisset, responderet: sæpe se audiuisse, difficulter è mille vel vnam probam coniugem reperiri, ea de caussa, se in tribus periculum facere voluisse. Egregia ratio, & malæ caussæ peior effectus.

III. Nic. Reusn. in Symb. Impp. class. 3. Symb. 21.

2. Apud Sunnitas, teste Stobæo, solenne iudicium publicè habitum fuit, de moribus virginum & adolescentum; in quo qui optimus iudicaretur, virginem, quam vellet, duceret adolescens;

leſcens: ac deinde, poſt eum, ſecundo daretur optio, & tertio, & ſic deinceps. Hoc nuſquam nunc eſt judicium publicum quidem. Priuatim tamen plurimi judicant, ſed luculentè decipiuntur. Nam ſæpe quæ pudore vultus, oculorum deiectione, modeſtiſſimo inceſſu, Angelum præ ſe fert, & eſt virginum exemplar, ſi eam de fronte æſtimes, à virginea ſpecie deſinit in Sphingem, aut Harpyiam. Longè enim aliæ ſunt eiuſcemodi illices in platea, quàm in culina; in templo, quàm in triclinio. Accedit, non ſemper eſſe liberam eligendi optionem. Multi infantes in cunis deſponſantur, habentque iam ſponſas antè, quàm ſpondere poſſint; aut documentum illud intelligere:

Quæ tibi ducenda eſt, habeat P. quinque puella:
Sit Pia, ſit Prudens, Pulchra, Pudica, Proba.

Multis obtruduntur, quæ vitium alunt, emtis dentibus, caluæ, vel fictis pictiſque capillis; vetulæ, exoletæ. Multi, vno verbo, ad nuptias cum impetu ruunt; vel formæ, aut familiæ, aut pecuniæ, aut etiam affinitatis cauſſa, adiguntur ad eas ducendas quæ amicis, non quæ ipſis placent. Quid ergo mirum, ſi in malam incidant? cùm præſertim Salomon dicat: *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Raritas delectum reddit difficiliorem. *Satage,* ait S. Chryſoſtomus, *vt commodam, & modeſtam, & obſequentem vxorem ducas. Nam, ſi domum & ſeruos emturi diligenter & curioſè ſciſcitamur, & perſcrutamur; multò magis vxorem ducturos, tantam, ac longè maiorem etiam prouidentiam gerere oportet: domum enim vitioſam, & ſeruum licet reddere venditori; vxorem verò dimittere non licet.* Religionem ingreſſuris, ſaltem annus datur probationis, vt experiri poſſint, num ſtatus ille ſibi conueniat. Eo tempore, ſi Superior, aut Subditus videat, vel hunc ſibi, vel ſe huic non conueuire; ſi ſui illos lociué diſtædeat, facili negotio poteſt remedium adhiberi, per ſeparationem, aut dimiſſionem. Non eſt hoc idem fas, in matrimonijs. Quare tantò eſt dementior temeritas, coniugia, ſine magno delectu, & obuia occupare. Multum, ô iuuenis, delibera: perſonam, ſtirpem, mores, artes, famam, vitam omnem ſedulò examina, & tamen, in periculo eris, ne decipiaris.

Eccleſ. 7. 29.

decipiaris. Antiqui Iunoni γαμηλίῳ nuptiales victimas felle destitutas offerebant, vt vxorem, vel maritum acquirerent, felle & amaritudine carentem.

IV. 3. Sicut difficile est, è mari siccum extrahere lapidem, sic planè periculosæ res plena est aleæ, è tanta frequentia malarum mulierum acquirere bonam.

> Πολλῶν κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλατταν θηρίων
> ὄντων, μέγιστόν ἐστι θηρίων γυνή.
> *Tot cùm mari terraq; sint paßim feræ,*
> *Fera omnium ipsa maxima extat femina.*

Ait Menander; qui & vxorem vocat: *domus tempestatem* (qualis fuit Xantippe, qualis vxor Iob) item *aspidis venenum, malorum thesaurum.* Quemadmodum & D. Chrysostomus *omni malo peius malum, malum nimirum intolerabile, viperam immedicabilem, venenum insanabile. Quippe quæ amicitiæ inimica, ineuitabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali denique natura, sed boni colore depicta est. Quid peius muliere atque audacius?* inquit Comicus. Et Euripides: γυνή τε πάντως ἀγειώτατον κακόν.

Plaut. in Milit. glor. Eurip. in Phœnissis.

> *Malum efferatum maximè vna est femina.*

D. Ambrosius, *mulierem ianuam diaboli, viam iniquitatis, scorpij percußionem appellat.* Quod vel in Eua verum fuit, aut in vxore Iobi, & Tobiæ; ne dum in Hecuba aliqua, quæ, ob iram atque maledicentiam, in canem versa dicitur. Certè filij Seth antè, quàm vxores ex filiabus hominum, hoc est, ex stirpe Cain, duxissent, boni erant, & *filij DEI* appellabantur. Post infelicia autem ista connubia, eò malitiẹ delapsi sunt, vt essent communi totius Mundi eluuione delendi. Ipsum Salomonē Ægyptiarum mulierum consuetudo in idololatriam præcipitauit. Nonne hîc mulieres *ianua diaboli, & via iniquitatis* extiterunt? Quàm facilè autem est, in tanta talium abundantia, talem potiùs, quàm bonam assumere? Denique Alphonsus Aragoniæ rex solebat dicere, *Tum deniq; plerisque molestijs liberum fore matrimonium, si maritus surdus, vxor cæca fiat.*

Gen. 4. 6. & 7. 3. Reg. 11 4. Caspar. Ens. l. 1. Epidorp.

V. At, inquies, si quis incommodam atque importunam vxorem nactus est, potest eam commodam, opportunam, atq; ad suum

ad suum ingenium aptam facere? Vtinam. Sed symbolum Fl. Constantini VI. ita canit: *Mulieri imperare, res desperata:* & dudum Euripides dixit, *inter omnes res alias mulier maximè inexpugnabilis est.* Quod & Aristophanes testatur, apud quem: *Nulla fera minùs expugnabilis, quàm mulier; neque ignis ipse, neque vlla pardalis tam impudens.* Summa ibi contumacia, si cedendum; si verba & fraudes componendæ, summa astutia: si coquenda vindicta, maxima vigilantia. *Neque enim imbecillis tantùm & impar laboribus sexus est: sed, si licentia adsit, sæuus, ambitiosus, potestatis auidus, omnium rerum libertatem, immo licentiam, si vera dicere volumus, desiderat*, inquit Tacitus. Et Poëta, in vetere comœdia: Aristophan in Lysistrat.

Malè quod mulier facere incipit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est: ea illi miseræ miseria est.
Si bene facere incepit, eius eam citò odium percipit:
Nimisque paucæ sunt defessæ, malè quæ facere occeperunt.
Nimisque paucæ efficiunt, si quid occeperint bene facere:
Mulieri nimio malè facere melius est onus, quàm bene.

Talem viperam quis cicurabit? Si blandè tractes, seruies; si delinire bonis verbis voles, videberis timere, & imperium amittes. Noui quendam, qui alternis mensibus diuisum cum vxore imperium habebat. Sed eo mense, quo vxor imperabat, nunquam domi ausus est permanere; luit enim omnia, quæ, priore mense, peccauit imperando, si domi mansit. At seuerè habendo domabitur? colaphis basianda, virgis mulcenda, baculis mollienda est talis imperiosa Iuno? In primis non omnes feminæ tali cibo vesci assueuerunt. Deinde, sicut, pro equi magnitudine temperamus frena, ita pro vxoris dignitate moderanda est gubernatio. Accedit, quasdam verberibus fieri peiores, è quibus dum vnus cacodæmon expellitur, emergunt illico alij septem nequiores. Incipiunt enim statim, pro leuibus factis, graues vindictas, venena, cædes, funera meditari. Non de nihilo tot moriuntur, ante suas vxores, mariti. Non nouit femineos mores, qui ista non nouit. *Nempe etiam Illustrium multi, dolo coniugum, periêre. Sileo Danai truces & cruentas nuptias, & infamem noctem, miserámque tot simul iuuenum stragem.* Franc Petrarch. dial. 65.

Non hoc illi, quorum supra meminimus, grauis Agamemnon, non Phryx Deiphobus neget: non ex vestris Africanus minor, non postremò recentior Alboinus rex, cuius ab impudica & sæua fusus coniuge nitidi Athesis ripam sanguis infecit. Nempe maligna vxor, ad mariti mortem, vitam suam reputat. Sunt aliquæ increpationibus eruditæ, sunt plagis mitigatæ; sunt quædam, per scuticam & corium bouis, adiuratæ; sunt quædam herbis, sunt aliæ verbis, sunt nonnullæ lapidibus sanatæ. Sed hæc ipsa vita, inter lites, iurgia, & verbera, quàm diuturna & tristis est? & pax, per tale bellum, emta quanto pretio constat? Quanquam vel

Gell. l. 1. sic procuranda, si aliter non potest. Nam *vitium vxoris aut tollendum, aut ferendum est Qui tollit vitium vxoris, commodiorem præstat: qui fert, sese meliorem facit.* Vtrumque hoc laudis decus meritus est Socrates, seipso superior, quando Xantippen verbis tonantem magis patienter audiuit, quàm ipsum Plato; vxoris rursus victor, quando illam fustium authoritate fecit obedientem. Hinc, cùm quidam ex eius doctrina bene meriti discipuli ad eum descenderent, rogantes, vt aliquod bene ordinandæ vitæ præceptum illis traderet, in suum eos diuersorium secum duxit; vxoremque suam Xantippen vocauit, iussitque vasa oleo & melle plena vt eijceret. Id, discipulis vehementer admirantibus, dixit: *Si hanc in domibus vestris rerum potestatem habueritis, beatam vitam ponetis.* Optima coniugum regula fuit Socrates, dum exemplum dedit, in coniugio & patiendi, & imperandi. Atque hæc sufficiunt ad ostendendum, quàm rara ac difficilis sit occasio, vel ars, bonam vxorem, è tanto malarum cumulo, seligendi: aut ex improba probam faciendi: quæ res est vna inter rarò contingentes.

VI. 4. Demus, locum esse eligendi. Quid non ibi se offert difficultatis? Videns quidam tantam, in Germanorum vestibus diuersitatem, consilium dedit, vt pilei Saxonici, qui olim erant admodum magni, & Suedici, qui sunt iusto minores; item laxiora, & nimis stricta collaria; thoraces denique nimis curti & angusti, & laxæ ac follicantes caligæ matrimonio iungerentur, sic enim sperari posse, ex eorum partu, vestes mediocres, & modum non excedentes prodituras. Si eadem spes esset de ma-

de matrimonijs hominum, multæ lites, multæ tollerentur difficultates. Nam, apud homines, diuersitas est mater discordiarum. Nec diuersitas tantùm, sed alia quoque faciunt perplexitatem. Pulchram an deformem? diuitem an pauperem quis eligat? Antisthenes (Gellius hoc dictum Bianti tribuit) adolescenti fortè consulenti, cuiusmodi vxorem ducere expediret? *Si formosam duxeris*, inquit, *habebis communem: sin deformem, habebis pœnam.* Quis ligneam, quis rugosam, quis verrucosam, quis Æthiopam, quis mucosam laruam in perpetuam vitæ sociam assumat? Quòd si quis formã sectatur, facilè potest cogitare illam, quæ sibi tantopere placet, neq; alijs displicere. Rarò eadem, facie Helena, & mente Lucretia est. Habet oris venustas plurimos insidiatores. Qua de caussa D. Petrus filiæ suæ Petronillæ, beneficij loco, febrim quæ formam eius vastaret, impetrauit, satius existimans, castam esse, quàm pulchram. Pittacus ab Atarnete interrogatus, qualis ducenda esset vxor, diuesné, an diuitijs carens? (nam duæ offerebantur: altera par opibus ac genere: altera vtroque superior) sublato scipione, quo nitebatur admonuit, vti pergeret ad triuia ciuitatis, quò pueri, lusus caussa, conueniunt, eos consuleret, & quod illi dedissent consilium, id sequeretur. Pueri, ex prouerbiali concione responderunt: *Æqualem vxorem esse ducendam*, illud scilicet cantantes: *Tu tibi sume parem.* Itaque adolescens, alterâ præteritâ, duxit æqualem. Hæc autem sententia hoc impensiùs placuit Pittaco, quòd ipse nobiliorem se duxerat, Draconis sororem, cuius imperium fastidiaque, molestissimè legitur tulisse; vt hoc dictum non in tempore, sed suo malo videatur reperisse. Experientia certè docet, eiuscemodi ferè connubia inauspicatò cedere. Qua de caussa Plutarchus, parentes admonet, vt eiuscemodi liberis suis vxores despondeant, quæ non sint multò vel ditiores, vel potentiores. Verè pronunciauit Iuuenalis:

> *Intolerabilius nihil est, quàm femina diues,*

venit enim cum dote mille miseriarum. Vidi feminam talem, quæ maritum ad colum astringeret; vidi quæ non fineret maritum, in eadem secum mensa, aut ijsdem cibis vesci; reliquias illi

Laërt. lib. 6. cap. 1.

Idem Laërt.

Plutarch. in libell. de liberis educandis.

illi ciborum duntaxat mittebat; sæpe etiam domo excludebat; quotidie illi exprobrabat, nisi per suum matrimonium stetisset, mendicum futurum fuisse, neque habiturum, quod comederet, immo nec ossa, quæ roderet. Quæ talia considerans ille dixit: *Vxori nubere nolo meæ.* Et, ob hanc ipsam caussam, quidam Philosophi à coniugijs prorsus abstinuerunt. Demonax Epi-

Erasm. lib. 8. apophr.

cteto Cynico suggerenti, vt vxorem duceret: *Da mihi, igitur* inquit, *vnam è filiabus tuis.* Notans illum ineptè suadere alteri, quod ipse non faceret. Inter rationes cæteras fuit, quoniam, si pauperem duxisset, magnus impendebat labor & cura in ea alenda; si diuitem, putabat, se dominam, non vxorem, domi habituram, affinesque illius omnes, tanquam potentiores, metuendos. Neque verò solùm id spectari conuenit, vt par sit vxor generis claritate, aut modo rei familiaris, verùm vt ætas etiã non admodum discrepet, vt forma, vt vitæ genus. Est enim omnis dissimilitudo caussa discordiarum. Quin & ipsæ quoque

Ibidem.

fæminæ talia obseruarunt, & in viris metuerunt. Martia Catonis F. interrogata, quam ob caussam, post mariti mortem, alij se copulare viro renueret? Respondit, quia non virum facilè inuenero, qui me magis velit, quàm mea. Deianiræ, apud Poëtam, verba sunt:

Ouid. in ep. Deian.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam iuueni magno coniuge nupta minor.
Non honor est, sed onus species læsura ferentes,
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Anthelog. l. 2 de hoc Antiocho Plutarch. in Flamin.

Quale coniugium sequatur, si puer anum; Narcissulus Baucidem, aut Niconem vetulam, aut octoginta annorum senex, Antiochus scilicet aliquis octodecim annorum puellam, Euander Lauiniam; itemq; reginam Iunonem de triuio Codrus, aut Priamus rusticam aliquam de pago Nisam ducat? Ducat, inquam, nam etiam multæ mulieres potiùs maritos suos ducunt, quàm ducantur; & multi viri vxoribus suis nubunt.

VII. Francisc. Petrarch. dial. LXV.

Quamobrem sapienter Petrarcha scripsit: *Anceps vxoris electio. Deformis facilè fastiditur: formosa difficilè custoditur; ea lege, qua, inter formam corporis atque animi castitatem, lis prope perpetua est. Sed, vt quod rarissimum est, contingat, & formæ pu-*

dicitia iuncta sit, vberiùs tecum agam: Accedunt & feminea dotes aliæ, nobilitas, censʋs, opulentia, fæcunditas, atq; facundia, famæ integritas, morum candor: scito tuum limen his immixtam subintrasse superbiam, vt jure Satyricus videatur malle Venusiam, quàm Corneliam, Gracchorum matrem Africani filiam paternis triumphis ac gloria insolentem. Talem ego noui, quæ marito diceret, octo ego paternos & maternos auos & auias possum tibi enumerare, omnes nobilitate claros; tuus, mi vir, pater ramenta sulphurata vendidit; tuus auus, ante pauperum ianuas, subula calceos refecit attritos & laceratos: de proauo ipse nihil potes certi memorare; nescis, molitor, an olitor; albus, an ater fuerit; audiui, qui dicerent, carpentarium fuisse. I, & aude mutire. I, & jacta nobilitatem, quam heri mendicatò impetrasti, fratre tuo adhuc cauponem, in ignobili pago, agente, apud quem non diuertunt, nisi carnifices & lictores; Iudæi, & agasones, aut fatigati fures, qui insequentium manus & vincula effugerunt. Hæc & similia quotidie diues ac nobilis vxor marito pauperi occinebat. Quis talem picam domi patiatur? An non satius esset, bubonem, aut strigem tolerare? Expertus est hoc genus dæmoniorum Dauid. Nam *cùm intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens, per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem, coram Domino: & despexit eum in corde suo.* Nempe regis filia, filium Isai, paulò priùs ouium pastorem. Neque enim cogitauit, & hunc pastorem etiam vrsorum, etiam leonum, etiam gigantis, Goliath, & Philisthæorum victorem esse. Semper enim occurrunt malis citiùs deteriora; & promtiùs in os veniunt conuitia, quàm laudes. Itaque cùm inferiores despiciantur, maiores sint metuendi coniuges; pares non semper occurrant, scopuli sunt vbique. Hinc apud Melandrum nonnemo ita canit:

2.Reg. 6.16.

Ergo mihi vxorem qualem ducam? Anne puellam?
Hæc forsan veniet non satis apta mihi.
An viduam? dominam quis posſit ferre tonantem?
An vetulam? tolerat quis patienter anum?
Fæcundam? fæcunda domum mihi prole grauabit:
An sterilem? sterilis non decus arbor habet.

An ditem? magis est nihil intolerabile dite.
Ast inopem? quid opis ferre valebit inops?
Pauciloquam? non me poterit recreare loquendo.
Verbosam? mulier res onerosa loquax.
Formosam? varijs est subdita forma periclis.
Deformem? pœnam ducere nunquid amem?
Non igitur ducenda vxor, quia fœnore tanto
Apparent socij damna timenda tori.

Tacit. de morib. Germanor.

Illud quoque de antiquis Germanis laudauit Tacitus, quòd gentium connubia censuerint non miscenda, ne & morum mixtura, aliquid amitteret de patria sinceritate. Sæpe enim cum vestibus, cum lingua, cum famulis & comitatu peregrina vitia inferuntur. *Quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est,* ait Tacitus, *ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem. Ipse eorum opinioni accedo, qui Germaniæ populos nullis aliarum nationum connubijs infectos, propriam & sinceram, & tantùm sui similem gentem extitisse arbitrantur.* Atqui sæpe desunt, in eadem natione pares? sæpe magna, per peregrinos coniuges, sperantur emolumenta? sæpe & fuit felix euentus eiuscemodi coniugiorum? Quid igitur faciendum? magisné metuendum, quàm sperandum, inter hos scopulos? quò eundum in hoc biuio? Eundum, quò ratio ducit, non quò præcipitat impetus; ne sit idem, *ire & perire.* Reddunt ista difficilem nuptiarum electionem. Et tamen multi, sine nuptijs esse nolunt. Quocirca sapientissimus Socrates *ab adolescentulo quodam consultus, vxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret; respondit, vtrum eorum fecisset, acturum pœnitentiam. Hic te,* inquit, *solitudo; hîc orbitas, hîc generis interitus; hîc hæres alienus excipiet: illic perpetua solicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus. Non passus est juuenem, in contextu rerum asperarum, quasi lætæ materiæ facere delectum.*

Val. Max lib. 7. c. 2.

VIII. S. Greg. l. 12. Moral.

5. Hinc jam ipsa, quæ coniugio annexa sunt plerumque mala perspicere licet. *Bonum est coniugium,* inquit S. Gregorius, *sed mala sunt, quæ circa illud ex huius mundi cura succrescunt. Dum ergo tenetur, quod non nocet, ex rebus iuxta positis, committitur*

plerumque, quod nocet. Sicut ſæpe rectum mundumq́; iter pergimus, & tamen, ortis iuxta viam vepribus, per veſtimenta, retinemur. In via quidem munda non offendimur, ſed à latere naſcitur, quo pungamur. In coniugijs ergo, ipſi coniuges, ſæpe velut vepres, ſe mutuò lacerant, vnguibus, clauibus, calcibus notant. *At coniugum diſſenſio totius domus eſt perturbatio*, ait S. Auguſtinus. Inuenias vxorem adeò ſœuam, vt malis cum tigride habitare. Erat nupta, cum quodam, mulier iracunda & moroſitate toti familiæ intolerabilis. Hic cognoſcendi cupidus, vtrũ ſua tantummodo, an etiam paterna domus ferre illam nequiret, bona cum gratia, quaſi magna res ageretur, ad patrem eam remiſit. Poſt dies non multos reuocatam interrogauit, quàm rectè illi cum familia paterna conueniſſet? Bubulci, reſpondit illa, & paſtores mihi viſi ſunt offendi mea præſentia. Ibi vir exclamauit, mulier, ſi grauis & inuiſa ijs fuiſti, qui primâ luce domo egrediuntur, & eâdem poſtremâ reuertuntur: quid de alijs ſuſpicandum, cum quibus totos dies verſata es? immo quid mihi timendum, cum quo tota vita manendum erit? *Vxorem duxi*, ſcripſit mihi aliquando diſcipulus meus, *in quæ mala non incidi?* In quæ nam mala? *1. Libertatem vendidi. 2. Rem malam emi. 3. Forti vinctus ſum catena, vnde me ſola vel mea, vel illius mors liberet. 4. Cœpi ſeruire, cœpi pati, cœpi coactus charos pellere. Nam amicitiarum ſcopulus eſt vxor imperioſa. 5. Cum coniuge nuptias contraxi, cum pace diuortium. 6. Quid non impendo in veſtes ſuperbas? quid in cruſtula? quid in mulſa? Et, pro his dulcibus omnibus, nihil recipio niſi amara verba. Felix mihi videor, ſi non & verbera. Ah cur Deum aliò vocantem non ſum ſecutus? cur virginitatem non pluris feci, quàm voluptatem? Quàm diu innocens fui, conſilia Chriſti mihi placuerunt. Poſtquam Sirenibus aures aperui, & DEI gratia excidi, appuli animum ad nuptias: duxi vxorem: quæſiui voluptatem, inueni calamitatem. Habeo igitur, quod merui, non quod quæſiui. Audiui multa; nunquam credidi, in vna vxore tot mala eſſe poſſe.* Sed alium, de re vxoria, teſtem producamus. Eſt verò is Metellus Numidicus grauis & diſertus vir, qui in cenſoria dignitate conſtitutus, cùm populum augeri vellet, eaque gratia eum publicè ad matrimonia capeſſenda adhortaretur,

S. Auguſtin. in Pſal. 35.

Gell. l. 1. noct. Attic. c. 6.

hortaretur, in ea ipsa, de ducendis vxoribus oratione (*quia virum illa grauitate & fide præditum, nihil decuit aliud dicere, quàm quod verum sibi esse, atque omnibus videbatur, præsertim cùm super ea re diceret, quæ quotidiana intelligentia, & communi peruulgatoq; vitæ vsu comprehenderetur*) de molestia cunctis hominibus notissima confessus dixit: *Si sine vxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis satis commodè, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potiùs, quàm breui voluptati consulendum. Videbatur quibusdam Metellum Cens. cui consilium esset, ad vxores ducendas populum hortari, non oportuisse nec de molestia incommodisq; perpetuis rei vxoriæ confiteri; neque dissuadere magis, absterrereq;, quàm adhortari. T. autem Castritius rectè atq; condignè Metellum esse locutum existimabat: Aliter, inquit, Censor loqui debet, aliter Rhetor.* Igitur qui fidem vult veritatis commereri, fateri debet molestiam matrimoniorum. Quid quòd longè sanctiorè testem habemus ipsum Apostolum? cuius hæc sunt: *solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi, aperientes sibi, per coniugij copulam, dolorum officinam,* inquit S. Basilius. Certè in coniugijs, liberorum, & familiæ onera, non sunt parua tribulatio, quæ velut acetum est voluptatis coniugalis. Ob quam caussam multi casti iuuenes & viri Deo suam consecrant & vitam, & castitatem. Et, ob eandem, S. Augustinus S. Ambrosium secutus, nulli vnquam coniugem aut coniugium suadere voluit, *ne, dum inter se coniugati iurgantur*, ait Possidonius, *eum maledicant, per quem coniuncti sunt.* Multæ mulieres, varijs insidijs, & artibus etiam magicis virum adeptæ, sibi ipsis male dicunt, quia virum philtris captando venenis destruxerunt. *Qui venenis piscatur, facilè interimit, & tollit piscem, sed corruptum & malum: sic quæ philtris captant maritos, stupidos habent & inutiles,* & multa absurda agentes, atque insuauem cum illis vitam agunt, ob dementiam, quod in Circe Homerus indicauit, quæ non fruebatur ijs, quos in sues, vrsos, leones, canes verterat. Ad eundem modum lugent, seque ipsas identidem accusant, quæ sibi procos vt facerent,

1. Cor. 7. v. 27.

S. Basil. lib. de S. virginit.

Possidonius in vita S. August. c. 27.

facerent, dementârunt; quod non fecissent, nisi & ipsæ fuissent dementes.

IX.

Ob hæc, & complura talia, cùm coniuges deberent, coniugia reprehenduntur. Quæ quia à Deo sunt instituta, in ipsum scilicet Deum querelæ redundant, quasi ille sit malorum author, qui status est author, & qui vxorem dedit; è quibus mala pullulant. Nam Deum status matrimonialis esse institutorem & approbatorem, è supradictis constat: quia primus omnium, inter primos parentes, matrimonium ipse fecit. Et, in lege gratiæ, teste D. Cyrillo, & Augustino alijsque, Christus idcirco, in Cana Galilææ voluit nuptijs interesse, vt nuptias, tanquam à Deo institutas, approbaret; ob quam caussam etiam matrimonium, inter Ecclesiæ sacramenta, constituit. Quemadmodum igitur Adam à Domino castigatus, culpam in vxorem, & per hanc in ipsum vxoris datorem refudit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi;* ita & alij eius, etiam in excusatione accusationeque, successores, Deo attribuere non verentur, quæ in coniugijs, natura sua bonis, hominum autem vitio sæpe ærumnosis, reperiunt. Medicina querelarum erit, Matrimonij bona, fines, curam prouidentiamque diuinam, in eo conciliando, aut etiam in ijs justissimè plectendis, qui illud temerè, atque illicitè ineunt, polluunt, eoué se indignos reddunt, considerare.

S. Cyrill. in c. 2. Ioan. S. Austin. serm. 4. de temp. S. Theod. lib. 5. diuinor. decretor. Bed. hom. 2. Gen. 3. 12.

CAPVT XXIII.

De tribus Matrimonij bonis, quibus coniugium, honestatur & apud Fideles acceptum, apud infideles & hæreticos quosdam, detestabile redditur.

I.

TRia generatim statuunt Matrimonij bona Theologi, cum D. Augustino, cuius hæc sunt: *Quod bonum habent nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est; Fides, Proles, Sacramentum. In Fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera, vel altero concumbatur. In Prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, ne caussa quidem prolis, alteri coniungatur.*

S. Aug. lib. 9. super Gen. c. 7 & lib. 1. de Nuptijs & concup. c. 11. & 17.

II. S. Thom. q. 49, a. 1. Duo prima bona, sunt matrimonij effectus: tertium est quiddam ex institutione diuina, cum matrimonij contractu connexum. Per hæc tria matrimonium cohonestatur, &, in genere moris, à fornicario contubernio discriminatur. Nam cùm matrimonialis actus, in genere naturæ, sit eiusdem speciei cum actu fornicationis; in genere moris tamen ab eo maximè differt. Neque enim ibi est fides, ob quam, alter alteri, juxta 1. Cor. 7. Apostolum, debitum reddere ex præscripto legis diuinæ; aut cum eo cohabitare cogatur; aut contra jus alterius faciat, si ad alium torum diuertat; sicut pertinet ad fidem coniugalem, vt neuter coniugum cum aliqua alia persona copuletur; multoq; minùs, altero coniuge viuente, cum aliqua alia persona matrimonium contrahat. Vazq. d. 2. de matrim. c. 1. Suar. t. 3. in 3. p. d. 2. S. 1. assr. 3. Sanch. lib. 2. d. 5. Siquidem per matrimonium, inter duos id contrahentes, jus ac Dominium vnius corporis in alterum transfertur, traditurque, quod mutuo consensu acceptatur. Vnde iniuriam alteri facit, quisquis coniugum diuortit: & multùm, apud DEVM meretur, qui hanc fidem datam seruat. Qua de caussa dicebat olim Ioachim Summus Pontifex ad castissimam Iudith: Iudith. 15. 11. *Eò, quod castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris: ideò & manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Hanc benedictionem tanti fecit Susanna, vt mortem oppetere, quàm Senum libidine contaminari mallet. Dan. 13.

III. Secundum bonum est matrimonij, proles vel actu suscipienda, vel prout suscipi potest ex matrimonio, quod ad prolem suscipiendam, per se, &, cum recta ratione, ordinatur. Est enim proles per se magnum quoddam bonum, quod conseruat & auget humanam societatem. l. vlt. §. fraudis ff. de bonis damnatorum. Aristot. 2. Polit. c. 7. Vnde Adrianus Imperator, teste Paulo Iureconsulto, dixit: *malle se imperium ampliare hominum adiectione, quàm pecuniarum copia.* Et Aristoteles scribit, eum, qui Spartiatarum Rempublicam legibus constituit, Spartiatas, propositis præmijs, ad coniugia adhortatum esse, vt numerus ciuium magis augeretur. Disputant etiam nostri Doctores, *An aliquas immunitates, & quasnam etiam nunc habeant ij, qui in certo numero prolem masculinam ex matrimonio susceperunt.* Couarruu. in Epitome l. 4. part. 2. c. 8. Et fuit, apud Romanos etiam, magnum quiddam, *jus trium liberorum,*

liberorum, immo liberorum vniuerſim. Neque verò tantùm eſt bonum totius communitatis proles, ſed etiam ipſorum parentum, qui & ipſi, per prolem, genus ſuum conſeruant, &, ſibi, per liberos ſuos, videntur, poſt mortem, viuere ac ſupereſſe. Quin & ſubſidium, honorem ac conſolationem ab ipſis expectant. Cohoneſtat etiam matrimonium proles eo nomine, quòd filij è matrimonio ſuſcepti *legitimi*, id eſt, ad publica officia ac dignitates, in Republica, quæ quandam honeſtatem requirunt, idonei eſſe cenſeantur. Secus ſe res habet, cum ijs, qui extra matrimonium procreantur: nam illi *illegitimi*, id eſt, ad eiuſcemodi officia ac dignitates inhabiles iudicantur. Quanquam omnino fornicatores, plerumque, præter voluntatem ſuam, liberos ſuſcipiant. Mallent enim nullam prolem ſequi; quia, ſpretis naturæ legibus, & ratione contemta, ritu brutorum animantium, in copula, non prolem quærunt, ſed voluptatem. In quo actu, ob delectationis vehementiam, abſorbetur ratio, adeò vt, illo tempore, nequeat homo aliquid intelligere, vt tradit Ariſtoteles, fiatque *epilepticus*, vt dicebat Alexander Magnus. Hæc iactura vſus rationis compenſatur, in matrimonio, ratione prolem intendente, quod non eſt agere, more beſtiarum. Ariſtot. lib. 7. Ethic. c. 11.

IV. Magiſter in 4. diſt. 27.

Tertium bonum eſt, vinculi conſtantia & perpetuitas, cùm coniugium ſit *maritalis viri & mulieris inter legitimas perſonas, coniunctio indiuiduam vitæ conſuetudinem continens*. Nam etſi complures cauſſæ ſint, ob quas vnus coniunx ab altero poteſt ſeparari, vel quoad *torum*, vel etiam quoad *cohabitationem*, tamen pauci admodum caſus dantur, ob quos ipſum matrimonij vinculum (non ipſorum coniugum voluntate aut authoritate purè humana, ſed diuina, aut eius, qui Dei in terris vicarius eſt) diſſoluatur, ita vt dimiſſus aut dimiſſa cum alio poſſit matrimonium inire. Quod cum Montano quidam hæretici temerè permittunt, ob adulterium, & affectatam abſentiam alterius coniugis: cùm tamen matrimonij vinculum indiſſolubile ſit, eò quòd Deus ipſe matrimonia iungat, quæ proinde non, niſi eiuſdem Dei authoritate poſſunt, aut debent diſiungi: qua ratione Chriſtus vſus eſt, cùm dixit: *Quod Deus coniunxit,* Montanus apud Euſeb. lib. 5. hiſtor. Eccl. cap. 18. Buccerus in c. 19. Matth. Matth. 19.

homo non separet. Ex cuius mente matrimonia esse indissolubilia, etiam inde ostenditur, quia dixit: *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum & alij nupserit, mœchatur.* In quæ S. Augustinus ita scribit: *Si, quicunque, vxore sua dimissa, alteram ducit, mœchatur; sine dubio, ibi sunt ambo, & qui præter, & qui propter caussam fornicationis dimittit vxorem. Hoc est enim: Quicunque dimiserit, id est, omnis qui dimiserit.* Quare, qui matrimonium ineunt, non possunt contractui suo adijcere certi temporis pactum, cum quo tempore, ante mortem alterius, matrimoniale vinculum expiret; quia Deus ius corporis coniugi tradendi voluit esse perpetuum, vt Conc. Trid. declarat; quod alibi ait, conditionem huic perpetuitati contrariam substantiæ matrimonij repugnare. Intelligere est hinc, parem, in hac re, esse caussam viri ac mulieris: quia vt S. Ambrosius ait: *Eadem à viro, quæ ab vxore debetur castimonia.* S. Paulus aliquando vnum, aliquando vtrumque coniugem nominat, ait enim: *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus,* (en legem diuinam) *vxorem à viro non discedere; quod si discesserit* (ex caussa licita) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et alio loco: *Quæ sub viro est mulier, viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro.* Hæc indissolubilitas ducitur ex ipsa ratione tum coniugij, tum Sacramenti. Coniugij, quia, nisi coniuges perpetuò maneant coniuncti, nequeunt ita in futurum tempus, post mortem, filijs suis prouidere; quod tamen officium parentum erga liberos exigit. Etenim quibus dant, vt sint, dare etiam debent, vt alantur, & in disciplina educentur. Hoc est quod Apostolus iubet parentes *thesaurizare filijs.* Cùm autem matrimonium sit *Sacramentum magnum,* vt vocat S. Paulus, id est, signum sacrum spiritualis matrimonij Christi cum Ecclesia, per humanæ naturæ assumtionem, & per amicitiæ gratiæque hominum iustorum vnionem, debet perpetuam Christi cum Ecclesia coniunctionem repræsentare, non solùm, quò ad vinculum charitatis; sed etiam (quando est consummatum) *secundùm realem coniunctionem hypostaticam* personæ Christi, cum natura humana, ex qua natura constant membra corporis Ecclesiæ.

Marc. 10.

S. Augustin. lib. 1. de adulter. coniug. cap. 9.

Conc. Trid. sess. 24. & cap. vlt. de condit. appositis.

S. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 4.

1. Cor. 7.

Rom. 7.

2. Cor. 12.

Ephes. 5. 32.

S. Augustin. lib. de bono coniugij c. 7. 15. 18. 23. & l. 1. de nuptijs & concupis. c. 10.

Ecclesiæ. Falsa enim esset hæc matrimonij repræsentatio, si illius vinculum, non etiam per se indissolubile & perpetuum foret, quemadmodum est illud duplex Christi cum Ecclesia vinculum. Inter fornicatorem autem & meretricem nullum est vinculum: hodie Thraso, post biduum, regnat Phædria, apud Thaidem. Vaga est libido, vt ignis crescit, & semper vicina apprehendit. At *quis vir mulierem*, inquit Lactantius, *aut mulier virum diliget, nisi habitauerint semper vnà, nisi deuota mens, & seruata inuicem fides indiuiduam fecerit charitatem?*

Terent. in Eunuch.

V. Hæc vera magnáque sunt matrimonij bona, quibus statum alioqui satis amarum, velut sesamo, aspersit Deus. Verùm his ipsis bonis tanta vis malorum opponitur, vt plurimi quotidie in impatientiæ haud exiguas sese querelas blasphemè effundant; immo vt hæretici fuerint Saturninus & Tatianus, apud S. Irenæum; & Marcion ac Manichæi, apud S. Hieronymum; & Encratitæ Tatiani sectatores, apud S. Epiphanium; qui matrimonium esse rem per se bonam & licitam omnino negauerunt: vti & Priscillianistæ, & Adamiani, apud D. Augustinum. Hi omnes, & plurimi cum illis, sentiunt coniugium esse malum, tum propter rationes superiore capite allatas, tum ob ea, quæ his ipsis etiam tribus bonis commemoratis è diametro, in coniugijs, opponuntur; quæ proinde non pigebit indicare, & iustè à Deo permitti, vel immitti, ostendere; vbi priùs, & hæreses enucleatiùs explicauero, &, vt par est, matrimonium & bonum esse, & à Deo esse, pluribus demonstrâro. *Neque enim nos*, inquit S. Hieronymus, *Marcionis & Manichæi dogma sectantes nuptijs detrahimus.* Sed neque ignoramus, Timotheum à Paulo admonitum, venturos, qui *prohiberent nubere, & docerent abstinere à cibis;* quod non de ijs dixit, qui virginitatem erant matrimonijs prælaturi; sed, vt quidem S. Chrysostomus & Ambrosius intellexerunt, de *Encratitis, Marcionitis, & Manichæis*; potest tamen, & debet etiam intelligi, de illis hæreticis, qui, tempore Apostolorum, nuptias jam damnârunt, & quosdam cibos detestandos existimârunt, vt testatur, qui tunc viuebat, Ignatius. Hos autem fuisse *Saturninos*, scribit Irenæus. Certè *Saturninus primus fuit*, ait Theodoretus, *qui matrimonium*

S. Iren. l. 1. c. 22. & 30. S. Hieron. l. 1. contra Iouin. S. August. l. 1. de hæresib. c. 70. & c. 31.

S. Hieron. l. 1. contra Iouinianum.

1. Tim. 4. 3.

S. Chrysost. hom. 12. in 1. Timoth. S. Ambros. ibid.

S. Ignat. ep. ad Philadel. & ep. ad He-

ronem, Iren. l. 1. cap. 22. Theodoret. hær. fab. l. 1. Epiphan. hær. 28. S. Ignat. ad Philadelph.

diaboli doctrinam nominauit, iuberetq; abstinere ab animatis. Epiphanius memorat, in eadem insania fuisse *Ebionem*, quem S. Ignatius confutauit, & in eo alios *fidem coniugalem* fugientes, vt vagæ libidinis habeant libertatem.

VI.

Damnati sunt hi hæretici meritò ab Apostolo, non tamen nos cum illis, qui cælibatum nuptijs affirmamus excellentiorem. Neque enim, si cum Christo, cum Paulo, cum Apostolis, & tota antiquitate, virginitatem laudamus, idcirco vituperamus, cum his hæreticis, nuptias. Sicut neque, si cum Rechabitis, & Ioanne Baptista, ac Apostolis, temporibus certis, à carnis esu abstinemus; illico etiam cum Iudæis præscriptum olim, ad certum tempus, nunc autem abrogatum morem superstitiosè obseruamus: neque cum priscis illis hæreticis *docemus, abstinere à cibis*, more Pythagoræ, vel Ægyptiorum, qui nouum ciborum delectum inuenerunt; eò quòd Pythagoras doceret, animarum, de hominibus, in bestias, & de bestijs in homines transmigrationem; timeretque, ne sua anima alicubi expelleretur. Hinc, apud Ouidium, ait:

Ierem. 34. Luc. 7. Greg. Naz. orat. de amore pauper.

Ouid. lib. 15. Metamor.

Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi,
Congestoq; auidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusq; animantem animantis viuere letho!

Et infra. *Omnia mutantur, nihil interit: errat, & illinc*
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, eq; feris humana in corpora transit,
Inq; feras noster, nec tempore deperit vllo.
Ergo, ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite, vaticinor, cognatas cæde nefanda
Exturbare animas, ne sanguine sanguis alatur:

VII. 1. Tim. 4. 3.

In eiuscemodi errore non sumus. Vt ergo non prohibemus, hac de caussa, *abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus;* ita nec prohibemus nubere; sed cælibatui matrimonium postponimus, quod, contra diuinas litteras, Heluidius, & Iouinianus virginitati æquârunt; quorum iste pseudomonachus aliquas etiam sanctimoniales deiecit in nuptias. Vtrumque stilo & argumentis confodit S. Hieronymus, cùm Romæ esset. Quare Ecclesia nequaquam statuit legem,

S. Augustin. lib. 2. retract. c. 22. Baron. Anno Christi 382.

gem, quæ certo hominum ſtatui, abſolutè & generatim, adimat libertatem contrahendi matrimonium; poteſt tamen ponere legem, ſub hac conditione, vt ſi quis velit eſſe Sacerdos, Epiſcopus, aut Religioſus, ad continentiam ſeruandam obſtringatur. Tali enim lege non cogit quenquam ad matrimonium non ineundum, ſed relinquit vnicuique liberum, vt poſſit, ſi velit, amplecti ſtatum Eccleſiaſticum, cum hoc onere, vt, ſi illum amplectatur, non amplectatur, ſed renunciet matrimonio, & ſeruet fidem Chriſto, ſicut coniux coniugi fidem ſeruat.

VIII. Alijs de cauſſis hæretici matrimonium non omitti tantùm poſſe, ſed etiam contemni voluerunt. *Saturninus*, quem alij *Saturnillum* dicunt, *nubere & generare à Satana eſſe* docuit. A Satana autem quid poſſet eſſe boni? *Tatianus*, Marcionis ac Saturnini continentiam amplexatus nuptias deteſtans nihil à ſcortatione differre dixit. Ita *fidem* coniugalem euertit. Qua de cauſſa auctor eſſe ſcribitur *Encratitarum*, id eſt, qui ſe continentes vocabant, cùm illis incontinentius nihil eſſet. Hinc Tatianos, cum Encratitis coniungit Epiphanius. Origeniſtæ quoque, ſiue, vt probabilius putat Baronius, ab Adamantio illo, ſiue ab alio orti, *Turpes* nominabantur, quia, ob fidem coniugi ſeruandam, & propter onera, & difficultates, matrimonium damnârunt, cùm tamen in omnium libidinum cœno volutarentur. Sed eſt vetus regula, vt, qui velit ſentire commodum, idem & onus ſentiat. Ita Deus res temperauit huius vitæ, vt, ne homines à voluptatibus abſorberentur, dulcibus amara permiſceret. Voluit ergo, vt, qui coniugij commoda ſectarentur, etiam onera portarent coniugiorum. Inter quæ onera eſt ijs, qui bonum prolis malum quoddam eſſe judicant, liberorum educatio, cura, & ſolicitudo. Hæc vt vitarent, Manichæi, licet mulieribus iungerentur, & omni genere immunditiarum ſeſe conſpurcarent, tamen generationem ſedulò vitârunt; qua de cauſſa, cùm coniugia propter generationem copulanda ſint, nuptias damnauerunt. Ita error trahit errorem. Nam impium Manetis dogma conſtituit, duo Principia æterna, ſibi inuicem contraria, duaſque naturas atque ſubſtantias, boni ſcilicet, & mali: totumque hominem ex ijs creatum eſſe Principijs, ex

Iren. l. 1. c. 2.

De Tatiano Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 27. Tertull. de præſcript. c. 52.

Epiphan. hæreſ. 47. Idem hær. 63. S. Auguſt. de hæreſ. c. 43.

Cyrill. catech. 6. Auguſtin. hær. 46. Epiphan. hær. 66.

pijs, ex

pijs, ex bono animã, corpus à malo fabricatum. Hac de caussa negabant, Christum humanã naturam suscepisse. Hac de caussa, carnem vt malũ ex mali Principio germen, odio prosequentes, probrosis contumelijs affecerunt; ac suis nefarijs cupiditatibus vt obsecundarent, insano prætextu, in immensum gurgitẽ turpitudinum mersi, omni pariter libidinum genere frequentissimè se ipsos polluerunt. Dicebant enim, eo modo, iniuria carnem affici, malumq́; purgari. Hac de caussa, quòd carnem ex materia, & materiã à mali Principio dicerent fluxisse, generationem, & nuptias execrabantur. Cuius hæresis particeps fuit & *Hierax* Ægyptius, à quo Hieracitæ prognati, damnatis nuptijs, cælibum duntaxat esse vitam æternam docuerunt. Hi, astu diaboli, contra bonum prolis, venena sua sparserunt. Quemadmodum & Monachi quidam, in Ægypto, in quos S. Athanasius inuehitur. Qui peruersè intellecta illa Christi sententia: *Non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quæ exeunt;* sibi persuaserunt, peccatum esse corporis excrementa egerere. Ob quam caussam, matrimonium damnârunt, eò quòd in procreatione prolis, è corpore progredi semen necesse esset. Nimirum cacodæmonis machinatio est, peruertere finem matrimoniorum, atque impedire prolis prouentum: quemadmodum & rationem sacramenti, vinculique sanctissimi perpetuitatem. Quamobrem, per Montanum, non solùm secundas nuptias, (quas Apostolus non reijcit) non secus ac fornicationem, improbauit; verùm etiam (quod neque Christus, neque Apostolus admisisset) nuptiarum docuit solutionem. Nimirum hoc mantelo nequitias suas voluit tegere. Ita enim videbatur sibi suarum prophetissarum caussam defendere, quas eum Apollonius alijque testantur, à maritis suis abduxisse. Sic triplex matrimonij bonum, triplices habuit hostes. Sed non desinit esse bonum, quod mali impugnant. Itaque, vt suprà S. Augustinus dixit: *Quod bonum habent nuptiæ, peccatum esse nunquam potest.*

Epiphan. hær. 67.

S. Athanasius ad Ammonẽ Archimandritam.

Matth. 15.

Apud Euseb. l. 5. hist. c. 17.

S. Aug. lib. 9. Super Genes. c. 7.

* * *

CAPVT

CAPVT. XXIV.

Matrimoniorum statum, per se, bonum esse, tanquam à Deo & Natura ad prolem generandam, mutuamq; opem inductum.



I.

Vi igitur Matrimonij statum ex se malum esse dicit, Catholicus non est. Cùm conderet Mundum, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.* Fecit autem & Matrimonium vt supra ostensum est, & magnâ prouidentiâ fecit, ac insuper etiam eximiè approbauit; neque tunc duntaxat, sed iam etiam coniuges legitimè contrahentes ipse coniungit, dum coniugij vinculum ratum facit. Fecit autem, seu instituit matrimonium, quando hominem masculum & feminam, eo consilio, creauit, vt *crescerent & multiplicarentur.* Quam Dei institutionem etiam Christus testatus est, cùm dixit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit* (per os Adami scilicet) *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quibus verbis, ex ipsa coniugij institutione, vim atque indissolubilitatem coniugij confirmauit. Et quia ibi non tantùm de Adamo atque Eua, sed etiam de quibuscunque alijs legitimè coniunctis (de quibus Pharisæi interrogabant) locutus est, rectè conficitur, Deum omnes legitimè contrahentes coniungere, dum peculiari quadam assistentia vinculum matrimonij ratum facit; sicut fecit, quando *adduxit Deus Euam ad Adam; &* quando Christus nuptias, sua, Matris, Apostolorum præsentia, miraculóque vini cohonestauit. Quo tempore nonnulli existimant à Christo non solùm approbatum esse matrimonium, sed etiam, vt sacramentum esset, institutum. Sed id certum non est, cùm alij autument, id factum, quando Christus, Matth. 19. abolito repudij libello, & sublata polygamia, matrimonij contractum ad primæuam conditionem reduxit; alij autem, intra 40. dies, post resurrectionem, cùm alioqui plura ad Ecclesiæ regimen spectantia Apostolis reuelaret.

Gen. 1. 31. Gen. 1. 28. Matth. 19. 4. Gen. 2. 22. Io. 2. 1.

II. Ex qua ratione magna matrimonij dignitas & reuerentia, inter legitimè conuenientes coniuges, existere debet; cum sciant, & magna religione eos cogitare par sit, à Deo se in hoc vitæ genere, sicut Christum cùm Ecclesia, copulari. Illis autem meritò scrupulus ac formido inijcitur, qui illegitimè, & pecudum more, cohabitant. Siquidem illos non Deus, sed diabolus copulat. Quare vicissim maledictionis diabolicæ participes, & expertes diuinæ benedictionis fiunt, qua rerum Creator, coniugium approbauit, primò ante peccatum, quando illud instituit,
Gen. 1. 28. iuxta illud: *Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram:* deinde & post peccatum. Legimus enim:
Gen. 9. 1. *Benedixitq; Deus Noë & filijs eius, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Hac benedictione illegitimo toro iuncti carent, etiam cùm liberis abundant, ne dum, cùm prole, in pœnam libidinis, destituuntur. Maledictus autem est, quisquis se ipsum Dei benedictione priuat. De qua maledictione multiplici paulo infra, erit dicendi locus. Nunc sat erit, aduertere, Christum, per rationem sacramenti supernaturalis matrimonio superadditam, eidem (toto contractu naturæ suæ relicto) vnà etiam, ad onus coniugij, leuiùs, castiùs, & fideliùs, & cum bono prolis suauiùs portandum, efficaciam gratiæ adiunxisse; voluisseque, vt per hoc Sacramentum sua, cùm Ecclesia coniunctio significaretur; nam quia & Christus sibi Ecclesiam indissolubili vinculo copulauit, ideo & Ecclesia Spon-
Osee. 2. 19. sa Christi appellatur, iuxta illud: *Sponsabo te mihi in sempiternum:*
Ephes. 5. 21. & illud: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Quæ non solùm, peculiari priuilegio, ex latere Christi genita dicitur, quan-
Ioan. 19. 34. do *vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua*, sed etiam fæcunda pariter, & semper virgo est. Eua quidem ex latere Adami procreata & fæcunda, non tamen semper virgo fuit: Ecclesia autem & fæcunda fuit, iuxta illud:
Galat. 4. 31. *Non sumus ancillæ filij, sed liberæ:* & virgo, dicente Apostolo:
2. Cor. 11. 12. *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo:* qui generat filios per Baptismum; instruit per prædicationem Euangelij:

gelij: nutrit per Eucharistiam, sanat per pœnitentiam & vnctionem. Ob hanc repræsentationem, *Sacramentum hoc magnum est, in Christo & Ecclesia.*

III. Explorata igitur hæresis, &, vt Apostolus loquitur, *doctrina dæmoniorum*, est, dicere, *Matrimonium esse malum*; quæ doctrina, vt vidimus, falsò Catholicis, per Sectarios, imponitur. Probè notum est nobis, quòd sit *honorabile coniugium in omnibus, & torus immaculatus.* Notum est & illud: *Si nupserit virgo, non peccauit*: itemque: *Qui matrimonio iungit virginẽ bene facit*, sed & illud notum nobis, quod sequitur: *Et qui non iungit, melius facit.* Præferre vnum, non est alterum contemnere. Perfectionem comparamus, non seiungimus bonitatem. Libidinem, non statũ accusamus. *Profectò errant*, inquit S. Augustinus, *qui, cùm vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur; quasi morbus iste de connubio sit, non de peccato.* Et Tertullianus ait: *Videamus, an damnatio coniugij sit iusta, non quasi destructuri felicitatem sanctitatis* (quæ est in Virginitate) *vt aliqui Nicolaitæ assertores libidinis; sed qui sanctitatẽ, sine nuptiarum damnatione nouerimus, & sectemur; & præferamus, non vt malo bonum, sed vt bono melius.*

1. Tim. 4.

Hebr. 13.

1. Cor 7. 38.

S. Aug. lib. 1. de nuptijs & concupisc. c. 5

Tertull. lib. 1. contra Marcionem.

IV. Neque verò matrimonia bona sunt duntaxat, quia expressa iuris diuini institutione, benedictione, significatione sanctificata, & approbata; sed etiam ex ipso jure naturæ (quod in dictamine rectæ rationis consistit) stabiliuntur. Siquidem ea, quæ sunt propter finem aliquem, ex fine debent æstimari. Quare si qua res, per se est apta necessariaque ad finem per se, bonum ac necessarium, oportet & illam bonam esse. Coniugij finis autem duplex habetur, vt tradit etiam Aristoteles: quorum vterque bonus est. Nam primus & primarius finis, est procreatio & educatio liberorum, eo modo, quo humanæ, immo & Christianæ perfectioni conuenit, liberos educare. Quippe, sine coniugio, aut species humana omnino non propagaretur; aut certè non ita, vti illius conditio exigit. Neque bonus tantùm, sed etiam necessarius est iste primus finis; nisi enim vir & mulier certo perpetuoque obligationis vinculo sibi mutuò obstricti sint, non potest esse certa liberorum procreatio, aut educatio idonea. Non enim certum habet patrem, cuius mater

Aristot. lib. 8. Ethic. c. 12. Et S. Thom. 1. p. q. 92. a. 2.

S. Thom. q. 65. art. 3. & q. 67. art. 1.

est plurium coniux: neque multùm curant parentes, vt liberi bene educentur, quos sciunt, malè esse susceptos, aut non suos. Et cur soliciti essent, vt filios habeant bonos, ipsi mali? Hinc vaga libidine nati plerumque nascuntur patibulis; aut, vt, alio modo, carnifici dent occupationem. Quia eorum parentes non prolem quæsiuerunt, sed voluptatem: nec liberis creandis, sed se recreandis operam dederunt: nihil pensi habentes, quomodo educentur, quos mortuos mallent, quàm, cum diuidia sua, in terris obambulare.

V. Secundus & secundarius matrimonij finis est, mutuum viri ac mulieris obsequium, vt nempe vnus alteri, in communi vitæ consuetudine, in victu, in vestitu, in aduersis, in ægritudine, in omni necessitate, auxilio sit, atque ijs officijs, quæ vnumquemque sexum deceant, opituletur. Hunc finem Deus ipse, cùm mulierem de costa Adami ædificaret, clarè indicans Gen. 2. 18. dixit: *Faciamus homini adiutorium simile sibi.* Hunc mutui auxilij, inter virum atque mulierem, vsum bonum esse, apparet ex ipsa, inter virum ac mulierem, differentia ac inclinatione. Nam ad alia atque alia propensi sunt viri, ad alia fæminæ; adeo, vt à quibus officijs & laboribus abhorrent viri, ea ament feminæ, & quæ feminæ, ob imbecillitatem, facere non possunt, ea robore suo viri assequantur. Nere feminarum est; virorum arare, occare, serere, metere: Nam Adæ dictum est: *Maledicta terra in* Gen. 3. 17. *opere, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane.* Panem ergo à viris feminæ, linum & lanam à feminis viri habent. Viri in curia, feminæ in culina negotiantur. Virorum officium est, seruos regere, feminarum gubernare ancillas. Quod si aliquando, versis velis, viri, cum Hercule, ad colum sedent, fæminæ stiuam torquent; aut, cum Amazonibus, clypeum & hastam gestant; profectò tamen viri non pariunt, non lactant, neque in vtero gestant, nouem mensibus, prolem: cùm solus Iuppiter Palladem & Bacchum gestârit: sed illam in cerebro, non in vtero; hunc in femore, non in ventre: nec id asseratur, nisi fide fabulosa, ac Poëtica authoritate. Vix etiam viri prolem in fascias componunt; aut pul-

tem vagienti in os ingerunt; aut sordidum balneis mundant; aut, agitatis cunis, cantillando sopiunt, quæ omnia, cum gustu, mulieres faciunt. Ita prorsus *adiutorium* viri est femina. Sed & vir, pro vxore, apud judicem litigat; pro vxore, contra inquietantes, pugnat. Denique siue vir, siue vxor ægrotat, *adiutorium* in coniuge habet; cum coniuge jucundè colloquitur; ei fidit & confidit; à coniuge patientiùs, amantiùs, diligentiùs tractatur; vno verbo, quod coniux coniugi facit, sibi facere ipsi videtur. *Sunt enim duo, in carne vna.* In hoc tanto mutuo subsidio magnum est vtique bonum. Bonum igitur & matrimonium esse necesse est, quod à natura in hunc adeò bonum finem, per se atque ex natura sua, immò etiam ex sapientissimo Dei consilio, ordinatur. Onus vnum faciliùs ferunt duo. Vnde *coniuges* tanquam duo sub vno iugo, maximè putent sibi dictum: *Alter alterius onera portate.* Huius mutui amoris atque auxilij paradigma singulare fuit Dominicus Catalusus, qui Lesbi rerū potiebatur. Nam cùm eius coniux leprâ esset defœdata, ille minimè veritus, à contagione se infici posse, (aut aspectus horrore auerti (illuuies enim, non viuum corpus videbatur) neque tetro odore, quem vlcera mittebant, mouebatur, vt aut mensa, aut lecto eam communi prohiberet. *Coniugalis enim charitas, apud eum, contagionis timorem; tetrumq́ conspectum odoremq́ in securitatem ac volnptatem verterat: quòd eam, iuxta Dei verbum, eandem carnem secum esse arbitrabatur.* Excusasset eum lepra, à tanta familiarite; sed coniugale vinculum ac amor præpotuère. Gal. 6. Fulgos. lib. 4. cap. 6.

VI. Exempla etiam Ethnicorum habentur illustria. Theogena vxor Agathoclis Siciliæ regis, ab ægro marito, se diuelli nullo modo passa est, dicens: *Nubendo se non prosperæ tantùm, sed omnis fortunæ inisse societatem; nec inuitam, sui spiritus periculo, emturam, vt extremos viri spiritus exciperet.* Memorabile quoq; est facinus feminarum Lacænarum, quæ captiuos viros, mutatis vestibus, liberauerunt, ipsæque in captiuorum locum se substituerunt. Quod etiam de nostris legimus, quæ ita efflictim maritos suos amauerunt, vt, Conrado III. Imperatore, aduersus Guelfonem bellum gerente, oppidumque Winsperg in- Io. Naucler. vol. 2. gener. 38. An. 1138.

 deditio-

deditionem accipiente, atque gratiam eam matronis faciente, vt, quæcunque humeris portare possent, secum efferrent; illæ, non argentum, non aurum, non gemmas, non pelles pretiosas, non supellectilem muliebris mundi; sed, his omnibus neglectis, videntibus cunctis, & amorem laude dignissimum admirantibus, maritos suos humeris susceptos exportarent. Ibi Fridericus regis frater, *De viris*, inquiebat, *non est cogitatum.* Cui rex respondit: *Non decet verbum regium immutari.* Quin & ipse mulieres de fidelitatis industria laudauit. Atque, vt rursus ad viros redeam, & memorem, quod Iouianus Pontanus testatur, sua ætate, accidisse. Agricola Lentiscolensis, in regno Neapolitano, agrum colebat, juxta mare; à quo vxorem aliquantum loci spacio disiunctam Tunetani piratæ; seu Mauri, in littus prædatum egressi, ceperant. Vbi ergo maritus vxorem vidit non apparere, neque longè piraticam triremem in anchoris stare conspexit; arbitratus id, quod erat, in ea vxorem esse; illico in mare desilijt, atque ad triremem adnatauit. Receptus gubernatori dixit: caussam sibi, per fluctus veniendi, fuisse, quòd sequi vxorē, & cum ea seruitutem potiùs pati, quàm domi regnare constituisset. Quam rem cum Mauri, non sine ingenti admiratione audiuissent (permultos enim eius regionis accolas viderant priùs mortem, quàm illam perpeti miseriā malle) atq; ea postea, per ordinem, Tunetensi regi narrassent, tanta hominis fide atque charitate motus rex, & virum, & vxorem liberos esse jussit, atque inter regiæ custodiæ milites virum adoptauit. Ita coniux coniugem liberat captum, vel exportat, ne capiatur.

Fulgos. lib. 4. c. 6. Vnde Melander ex Strigelio in Psal. 69.

VII. Magnum vtique *adiutorium*, est tale vel vxori maritus, vel marito vxor subsidium. Nam, vt rursus ad vxores redeat oratio, est sacra historia, quæ narrat, misisse Saulem *satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur manè. Quod cùm annunciasset Dauid Michol vxor sua, dicens: Nisi saluaueris te, hac nocte, cras morieris: deposuit eum per fenestram: porrò ille abijt, & aufugit, atque saluatus est. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.* Ita elusit iram pa-

1. Reg. 19, 11.

eris prudens filia, & ligneum maritum finxit, non lignea vxor, vt verum in vita seruaret. Et planè hoc est officium bonæ coniugis, viro pericula denunciare, eaque ab illo auertere: quemadmodum etiam mariti est, vxorem defendere. Sic, cùm vnũ sint, à duobus proteguntur.

VIII. De Senensi illa S. Virgine Catharina, deque S. Francisco nostro Xauerio, ob magnitudinem facinoris, nonnulli hæsitantiùs credunt, eos purulenta ægrotorum vlcera, manantemque inde saniem, applicitis auidè labris, suxisse; sed virtutem hanc, Dei amore, factam, credibiliorem reddunt, qui, coniugali amore, similia leguntur fecisse. Nam vide mihi, quantam Deus vxoris erga maritum fidem, quantum affectum mundo ostenderit. In expeditione, aduersus Syros, Robertus Britanniæ rex, gladio venenato, luculentam, in brachio, acceperat plagam, itaque insederat malum, vt in patriam reuersus sanitati non posset restitui, nisi pus virulentum sensim humano ore extraheretur. Quia igitur Rex probè intelligebat, id, sine exitio sugentis, fieri non posse, neminem eiuscemodi discrimini obijcere voluit. Perire tam benignum regem, qui mori malebat, quàm alterius morte vitam prorogare, indignum rata, fidelissima vxor, fortissima reginarum, noctu, solutis vulneris fascijs, primùm, inscio marito, pòst etiam conniuente, exugens paulatim, & rursus expuens, venenum omne elicuit, plagamque medicis præbuit facillimè curandam. Quantum regi huic regina *adiutorium* fuit? femina vtique ore purissimo, quo tam feliciter virus est extractum. Aliæ feminæ, vbi os admouent, omnia venenant. Sed non omnes. Nam simile factum de Eduardi regis Angliæ primogeniti vxore, regis Hispaniæ filia, memoratur; quæ è mariti ad S. Sepulchrum profecti plagis dietim, *sic omnem veneni materiam attraxit, vt, integratis vulnerum cicatricibus ille planè curatus, illa incolumis euaserit.* Eant alij, & querantur, se vxoris lingua sauciatos; sunt, quos lingua feminæ sauciatos sanauit. Nimirum vtrumque potest hæc corporis pars, quæ vel pessimum telum esse solet, vel optimum medicamentum. Hominum culpâ accidit, si *adiutorium* vertitur in venenum. Quin adeò constans est, in bona vxore, marito adiuto-

Georg. Viuiennus lib. 2. de officio probi Patris familias c. 13.

Roderic. Sanctius p. 1. hist. Hisp. c. 4.

adiutorium, vt etiam post mortem ab ea adiuuetur, dum non solùm coniunx coniugi honestam procurat sepulturam, sed etiam succurrit in Purgatorio patienti. Hinc Tertullianus, vbi suffragia pro defunctis, numerat inter Apostolicas traditiones, ibi etiam monet quandam viduam, *vt pro anima defuncti coniugis oret, & offerat annuis diebus dormitionis eius.* Hæc, nisi fecerit, ait: *verè repudiauit maritum, quantum in ipsa est.*

Tertull. lib. de monogamia.

IX. Multò autem euidentius est auxilium ante mortem, cuius rei illustre Symbolum est Alcyon, *sapientissimum & diuinissimum marinorum animal,* à Plutarcho dictum. Hæc auis grauem annis comparem &, ægrè sequentem, suscepta cura, fert fouetq; senem, nusquam destituens, nunquam post se relinquens: nam & dorso impositum gestat, magno charitatis coniugalis argumento. Atque vt humanum quoque exemplum subsidij istius matrimonialis, subiungatur, placet huc exscribere, quæ Hispanus docti nominis author memoriæ reliquit, de quadam præclarissima femina Burgensi, in Belgio, ab omnibus celebrata. Testatur autem, rem seipsum vidisse, atque alios plures notissimam habuisse. Verba eius sunt. *Clara Ceruenta Bernardi Valdauræ coniux, quum virgo tenerrima, & formosissima Burgas esset ad sponsum deducta, jam plus XL. annos natum, prima nuptiarum nocte, crura eius fascijs inuoluta vidit, deprehenditq; maritum sibi ægrum & valetudinarium obuenisse. Nihil tamen illum, ob id auersata, non cœpit eum odisse, cùm præsertim nondum posset videri amare. Incidit non multò pòst Valdaura in grauissimum morbum, de cuius salute & vita Medici omnes desperabant. Ipsa cum matre, tanta cura & assiduitate circa lectum ægri versabatur, vt, sex totis hebdomadibus ambæ nec se exuerint, nisi vt mutarent supparos: nec vlla nocte supra vnam, aut alteram horam, quieuerint; idq; indutæ, multis noctibus traductis insomnibus. Erat radix morbi Indici, quem Gallicum hîc vocant, saui & contagiosi. Dissuadebant Medici, si eum contrectaret, ne tam prope accederet. Idem consulebant necessarij. Tum æquales feminæ in religionem adducebant, non esse tam anxia cura diuexandum (ita enim loquebantur) hominem iam fatis debitum, & magna mortis parte in corpus recepta, prospiciendū esse animæ; de corpore nihil cogitandum aliud, quam vbi conderetur* humo.

Ludouic. Viues. lib. 2. de Christian. fem.

humo. Quibus vocibus adeò illa absterrita non est, vt curârit quidem, quæ ad animum spectabant: sed ipsa culina sorbitionibus, quæ remedium afferebant, ipsa pannis subinde mutandis (nam soluta erat maiorem in modum aluus, & alijs locis pus tetrum dimanabat) esset intentissima, sursum deorsum, toto die, cursitaret, animo corpusculum fulciens, laboribus impar, ni tanta vis affectûs subueniret. Ita discrimen maximum Valdaura euasit, iurantibus Medicis, è manibus Orci violentia coniugis ereptum esse. Alius facetiùs, quam Christianiùs, Decreuisse, inquit, Deum, Valdauram occidere; vxorem verò obstinasse è manibus se illum non dimissuram. Cœpit ei fluente quodam ardentissimo ex capite humore, arrodi interior narium caruncula: medici puluisculum dederunt, quo subinde respergeretur vlcus, tenui, per fistulam aut calamum, flatu. Quumq; nullus inueniretur, qui non eum laborem recusaret, omnibus, rem auersandam exhorrentibus, sola coniux hoc præstitit. Scatentibus per genas, ac mentum pabulis morbi, quum nullus rasor commodè posset barbam eius radere, nec vellet, vxor forficulis, octauo quoque die, dexterrimè attondebat. Collapsus deinde in alium morbum longissimum, septem ferè annorum: ipsa infatigabili diligentia & cibum ei parauit, quum pedisequas haberet duas, & filiam grandescentem: ipsa eadem tum fœda illuuie vlceratum & crura putidissima, vndique sanie diffluentia contrectauit quotidie, turundas & malagmata imposuit, ac fascijs deuinxit, vt muscum eam diceres contrectare, non rem fœtoris intolerabilis. Quin & anhelitum, quem nemo non etiam ad decem passus auersabatur, ipsa suauissimum iurat fuisse. Et quidem seriò mihi succensuit, quum semel fœtere dixissem. Aiebat enim, sibi videri ceu fragrantiam maturorum & dulcium malorum. Atq; hoc toto morbi tempore, quum essent quotidie magni faciendi sumtus ad hominem tot morbis contusum alendum & curandum, in ea domo, ad quam multis jam annis, nulla ex re quæstus aliquis redierat, nec annuos haberet prouentus, ipsa se annulis, ipsa torquibus aureis, ipsa monilibus, ipsa vestibus, ipsa abacum suum vasis argenteis libentissimè spoliabat; ne quid marito deesset; contenta quauis mensa, modò marito suppeteret, quod tam afflicto malis corpori conduceret. Sic ille vitam traxit vxoris caussa, cadaueroso corpore, seu sepulchro, veriùs, decem annis à primo illo morbo. Quo tempore ipsa duas ex eo proles

suscepit, quum antea sex genuisset, viginti annis nupta, numquam contagiosissimo mariti morbo, nec vlla omnino scabie infecta, non modò ipsa, sed nec vllus liberorum, corporibus omnium sanissimis atque mundissimis. Ex quo liquidum fit, quanta sit virtus, quanta sanctitas earum, quæ vero ac toto pectore maritos (vt congruum est) amant, quemadmodum illis DEVS præsentem quoque gratiam referat. Obiit tandem senex ægrotus, seu non obiit, sed abiit veriùs & exuit jugem cruciatum, tanto tamen dolore Claræ, vt qui illam nôrunt, fateantur, nunquam adolescentem maritum integro corpore, formosum, diuitem, tantum reliquisse carissimæ vxori desiderium, mœrorem, luctum. Multi gratulatione citiùs putabant esse opus, quam consolatione; quos illa propemodum execrabatur, optans vt maritus, qualis qualis erat, si fieri posset, redderetur, etiam cum liberorum omnium, quos quinque habebat, iactura. Cumq; esset integra ætate, nunquam statuit nubere, quòd se alterum Bernardum Valdauram inuenturam negaret. Prætereo pudicitiam, cuius erat exemplar; prætereo sanctitatem morum. De pietate coniugis est sermo, quæ nunquam venit sola, semper reliquis omnibus comitata virtutibus. Quis hanc non perspicit, non corpori Bernardi Valdauræ nupsisse, sed animo? aut non putasse corpus illius suum esse? Quid quòd viri sui præcepta & mandata omnia ita obseruabat, tanta reuerentia, vt si ad huc viueret! & ex eius præscripto multa egit, sic illum facere statuisse, aut mandasse dictitans. Hactenus Viues. E qua historia perspicuum est, quantum sit coniugi, in coniuge *adiutorium*. Quod adeò multi clarè intelligunt, vt, vel in senio, sibi vxores quærant, non vtiq; tam prolis caussa, quàm vt habeant ægrotaturi fideliter ancillantem. Cùm enim *amor improbus omnia vincat*, faciunt bonæ vxores, quod ne vilissima faceret ancillarum. Hoc solum bonum, quantum est, in matrimonio, bonum?

CAPVT. XXV.

Prouidentia Dei, homines, singulari cura, in matrimonia locantis ostenditur exemplis antiquioribus.

I. 
Coniugia non solùm origo diuina & finis, sed etiam peculiaris Dei cura commendat. Est enim mirabilis prouidentia, in illis concinnandis, fouendis, conseruandis,

dis. De coniunctione priùs, postea de conseruatione dicam. *L. Flaccum flaminem ego audiui*, ait Cicero, *quum diceret, Cæciliam Metelli; quum vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum, ominis capiendi caussa, quod fieri, more veterum, solebat.* Hinc & Aristophanes docet, olim non nisi consultis auibus, contracta matrimonia. Mirum est, tam multos esse Christianos, qui Deo neque rogato, neque consulto, in matrimonia audeant conuenire; ille enim, non vanus aliquis Apollo, est verus connubiorum præses. Eo auspice, auspicata fiunt connubia: Eo abnuente, *nulla dies copulam nuptialem affirmat.* Primum coniugium vt faceret rerum Conditor, quando creauit hominem, *masculum & feminam creauit eos.* Ad hoc opus, consilio vsus est: *Non est bonum, hominem esse solum.* Quia ergo *Adæ non inueniebatur adiutor similis eius; immisit Dominus Deus soporem in Adam: cumq́; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitq́; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* 1. Itaque *masculum & feminam creauit eos*, duos scilicet homines, non vnum hermaphroditum, qui fuerit simul masculus & femina, vt quidam in Francia nouator docuit; & vt Plato censuit, primos homines fuisse androgynos; aut, vt aliqui Hebræi, ac, post eos, Franciscus Georgius, tradunt, Adam & Euam à Deo creatos esse ita, vt in lateribus sibi inuicem cohærerent, essentque quasi vnum, & *duo in carne vna*: postea autem Deum eos ab inuicem separasse. Quod figmentum apertè refellitur illis verbis: *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.* Quomodo, si vnus, aut latere concretus homo fuit, *adduxit eam ad Adam?* 2. Duos creauit, *quia non erat bonum, hominem solum esse*, ob varias caussas, quarum prima est, quia homo est animal sociale. Secunda, quia falsò Adamiani, teste S. Augustino, Eustathiani, teste Socrate, & Apostolici, teste S. Bernardo tradiderunt, coniugium ex Adami peccato prouenisse,

M. Tull. Cic. l. 1. de diuin. Aristoph. in Auib.

Gen. 1. 27. Gen. 2. 18.

Plato in Symposio. Franc. Georg. tom. 1. probl. 29.

Gen. 2. 22.

S. Aug. lib. de hæres. c. 31. Socrat. p. 2.

hiſt.Eccl.c.33. S.Bern.ſerm. 66.in Cant.

ueniſſe, atque idcirco eſſe malum; in ſtatu autem naturæ integræ, coniugium non fuiſſe futurum, ſed per procreationem à Deo ſingulos tunc homines fuiſſe procreandos; aut fortè è lapidibus, vt tempore Deucalionis, vel è dentibus, vt, ſub Cadmo, emerſuros. Ne igitur ſpecies humana in Adamo interiret, mulier neceſſaria erat, ad ſobolem propagandam. 3. Ad conſeruationem vniuerſi, ante ſobolem Adami propagatam, mundumque hominibus repletum, non fuit *bonum hominem ſolum* eſſe; ſed multiplicato ſatis genere humano, cœperunt à Chriſto laudari Eunuchi ſpirituales, dictumque eſt: *Bonum eſt homini, mulierem non tangere. Prima Dei ſententia,* ait S. Cyprianus, *creſcere, & generare præcepit: ſecunda continentiam ſuaſit. Cum adhuc rudis Mundus & inanis eſt, copia fœcunditatis generatur; propagamur & creſcimus ad humani generis augmentum: cum iam refertus eſt orbis & mundus impletus, qui capere continentiam poſſunt, Spadonum more viuentes, caſtrantur ad regnum.* 4. Non ſolùm Eua ſocia Adamo eſt addita in ſolitudinis remedium, ſed & vt viro, in omnibus, adeſſet, tanquam auxilium, & manus dextera. 5. *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam,* grauem ac profundum ſomnum, quem LXX. interpretes *extaſin* vertunt. Quare ſomnus tam altus Adamo non idcirco ſolùm eſt immiſſus, ne ſentiret coſtam ſibi eximi, verùm etiam, ſimul cum ſomno in mentis exceſſum raptus eſt, vt mens eius pariter, naturali modo, à corporis ſenſuumque functione ſoluta ac libera eſſet; pariterque diuinitus ita eleuaretur, vt videret ea, quæ circa illum gerebantur, ac ſpiritu Prophetico cognoſceret myſterium, per ea ſignificatum. Itaque conſpexit mentis oculis, coſtam ſibi detrahi, atq; ex ea Euam formari: immò vidit etiã, per hoc, ſignificari matrimonium & ſuum naturale cum Eua, & myſticum Chriſti cum Eccleſia, vt SS. Patres ex ipſius Adæ & S. Pauli verbis tradiderunt. Pulchrè S. Auguſtinus: *Dormit,* inquit, *Adam, vt fiat Eua; moritur Chriſtus, vt fiat Eccleſia. Dormiente Adam fit Eua de latere: mortuo Chriſto lancea perforatur latus, vt supereffluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia.* Potuit enim reuelari Adamo Chriſti aduentus; etſi cauſſa non manifeſtaretur. 6. *Tulit vnam de coſtis eius,* vtique cum carne adhærente,

Matth. 19.12. 1.Cor.7.1. S. Cyprian. lib. de habitu Virg.

S.Aug. l.9.de Geneſ. ad lit. c. 19. & tract. 9. in Ioan. S. Bern.ſer.2.de Septuageſima. Gen.2.23.

hærente, cùm Adam dicat: *Hoc nunc os ex oßibus meis, & caro de carne mea.* Voluit nempe Deus feminam neque nimis duram, neque nimis esse mollem; sed constantem pariter, & mitem. Et quia *nemo carnem suam odio habet*, ait Adam: *Hoc nunc os ex oßibus meis, & caro de carne mea*, de latere meo, vt sit mihi vxor tam chara, quàm coniuncta. Cùm enim simus quasi vnum os, & vna caro, par est, vt etiam quasi vnam animam voluntatemque habeamus. D. Thomas sic loquitur: *Conueniens fuit, mulierem formari de costa viri. Primò quidem, ad significandum, quod inter virum & mulierem debet esse socialis coniunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum; & ideò non est formata de capite: neque debet à viro despici tanquam seruiliter subiecta; & ideò non est formata de pedibus. Secundò propter Sacramentum: quia de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, id est, sanguis & aqua, quibus est Ecclesia instituta.* 7. Ob hanc & corporum & animorum coniunctionem, *relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.* Est enim hæc coniugij lex & societas, vt, si res exigat, coniux, coniugis caussa, patrem & matrem deserere teneatur, quoad cohabitationem ac vitæ consortium. Nam, ex doctrina S. Thomæ, in pari casu, famis, belli, vel alterius similis necessitatis, potiùs patri & matri, quasi auctoribus vitæ, quàm coniugi est subueniendum. Quod diligenter obseruare debent liberi, qui sat opulenti, cum coniugibus deliciantes patrem ac matrem mendicare foris, atque etiam fame perire patiuntur. 8. Fecit Deus, in matrimonij bonum, vt *duo, sint in carne vna*, ratione corporis, per copulam carnalem; vt D. Paulus exponit: ratione animæ, per amorem & vnam voluntatem. Nam & Pythagoras dixit: *in coniugio amico, esse vnam animam, in duobus corporibus.* Item erunt *vna caro*, id est, vnus homo & vna persona ciuilis. Denique, quia vnius caro est caro alterius: & quia vnam carnem, seu partem generant, in qua parentes superesse dicuntur. Ex quo rursum arctissimum matrimonij vinculum sequitur. Sicut enim vna caro non potest diuidi, & vna manere, ita non potest coniux à coniuge separari; cum sit vna caro cum coniuge. Siquidem vnitati diuisio, vt est diuortium & polygamia,

Ephes. 5. 32.
S. August. in sent. sent. 328
Gen. 2. 23.
S. Thom. 1 p. q. 92. a. 3.
S. Thom. 2. 2. q. 26. a. 11. ad 1.
1. Cor. 9. 16.
1. Cor. 7. 13.

repugnat. Hæc in primo matrimonio conficiendo, etiam pro securis diuina bonitas prouidit; qua tanta prouidentia vtiq; ostendit, sibi coniugia cordi esse.

II. Alterum coniugium est Isaaci, qui anno ætatis 40. Rebeccam duxit, magnam prouidentiam adhibente Abrahamo, sed maiorem Deo. 1. Ad coniugem filio suo procurandam misit Abraham, non quemuis, non lenonem, non parasitum, non Parmenonē, non gnathonem aliquem, sed Eliezer *seruum seniorem* (seu Oeconomum) *domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat*, virum prudentem, & in virtute probatum. O superi quàm temerè hodie connubiorum conciliatio vel committitur leuissimis internuncijs, procacibus ancillis; aut vetulæ alicui malè feriatæ, cuius auspicijs, nubit genero arida socrus! 2. Solicitè adiurans legatum ait: *Adiuro te per Dominum Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorū, inter quos habito: sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.* Vtilissimo documento seruum *adiurat*, hoc est, ad iuramentum adigit, vt filio suo vxorem fidelem, aut saltem, bene moratam quærat, non Chananæam; erant enim Chananæi impij & idololatræ. Quare non jubet eum in Chaldæam, sed in Mesopotamiam proficisci, & adeò in Haran, ad domum Nachor fratris sui; quæ domus etsi, more gentis, cum qua habitabat, idola coleret, tamen aliquid de vnius Dei cultu norât, & seruabat. Meliorem tunc domum non nouerat; si meliorem sciuisset, ex illa sponsam filio petijsset. Hoc exemplo docetur, cauenda esse infidelium, hæreticorum, & impiorum connubia. *Sæpe illecebra mulieris*, inquit D. Ambrosius, *decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere. Primùm ergo in coniugio religio quæritur. Disce ergo, quid in vxore quæratur: non aurum, non argentum quæsiuit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis.* Vt autem palam fieret, quàm seriò hoc peteret, & quanti faceret, voluit, vt seruus juramento se obstringeret, & juramento, per Christum ex femore Abrahami nasciturū, vt Prosper exponit. 3. Addit: *Caue ne quando reducas filium meum illuc*, si fortè sponsa, quam in Haran quæris, huc venire nolit, sed potiùs velit, filium meum

Gen. 24. 2.

S. Ambros. lib. 1. de Abraham. cap. vlt.

Prospet. 1. p. prædict. c. 7.

Gen. 24. 6.

ad se venire. Deus enim ex Mesopotamia me meosque, in perpetuum, exire voluit, & migrare in hanc terram, quam mihi meisque promisit. Iterum hic discant, quibus perinde est, vbicunque domicilium inueniant, etiam vbi Deus non vult; immo in medio nationis prauæ. Pauci, in terra Hus, Iobi inueniuntur. Sicut Romæ Romano, ita in Campania, Campano viuitur more. Et apud hæreticos, qui viuunt, ijs semper necessarium est, vt sibi caueant à contagione. 4. Vt constet Abrahami prouidentiam prouidentia diuina niti, adijcit: *Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.* Credidit ergo Abraham, Angelum vel Oeconomi, vel Isaaci, aut vtrumque, nuptias has, Deo iubente, inuisibiliter adiuturum; sicut visibiliter adiuuit nuptias Tobiæ. Tob. 5. 5. Non vtique, nisi optima negotia, per Angelos procurantur. Facilè decipiuntur, qui lenonibus se committunt. 5. Ad vrbem Nachor pius paranymphus cùm venisset, subsistens cum camelis, diuinam gratiam implorans dixit: *Domine Deus, Domini mei Abraham, occurre obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac: & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum Domino meo.* Ecce rationem præmisit, & à Deo ad signum designandum motus, signum, cum certa diuinæ prouidentiæ spe, adhibuit: euentusque declarauit, eum non temerario omine, ac diuinatione, Deum tentauisse; sed illa promissione Abrahæ, *Deus mittet Angelum suum coram te,* nixum, hoc diuinæ directionis signum poposcisse. Et mirificè omnia petitioni eius responderunt; contigitque Isaaco sponsa bene educata, & labori hauriendæque aquæ & hydriæ gestandæ assueta; benigna ac liberalis, quæ plus, quàm peteretur, etiam incognito & extraneo, offerebat, non tantùm famulo, sed etiam camelis potum dare dignata; non curiosè garrula, quæ ad

puteum

puteum, more aliarum feminarum, confabulans, interrogaret, cur, aut vnde venerit; sed quæ domum recurrens hospiti hospitium lubens volensque præparauit: modesta denique, quæ viso Isaac, statim è camelo descendit, & se operuit, quod vtiq; fuit & verecundiæ, & reuerentiæ erga sponsum nobile argumentum. *Descendit*, ait S. Ambrosius, *& caput suum pallio obnubere cœpit, docens verecundiam nuptijs præire debere. Inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ se obnuberent. Discite ergo, virgines, quemadmodum seruetis verecundiam, ne intecto capite prodeatis, ante extraneos, cùm Rebecca iam desponsata designatum maritum aperto capite non putauerit videndum.* Quis hîc non irascatur vel parentum incuriæ, vel sponsorum impudentiæ, vel magistratus desidiæ, in nonnullis ciuitatibus, in quibus, ante nuptias, sponsæ cum sponsis, in eodem balneo, lauantur, non vt mundæ fiant, sed vt inde inquinatiores recedant? Quis ferat, permitti, apud Christianos, quod, in Diana & Actæone suo detestantur fabulæ Ethnicorum? quasi non cum vestibus omnis pudicitia exuatur? aut nuptiæ ex Paridis iudicio sint discriminandæ? Hoc est nubere scilicet.

S. Ambros. in Gen. 24. 65.

III. Gen. 29. & 30.

Tertium coniugium, mirabili prouidentia Dei, contractum, est alterius Patriarchæ, Iacob scilicet. Is fugiens fratrem Esau ad Laban venit, inuenitque auunculum & socerum, cuius duas filias Liam & Rachel, fæcundam vnam, pulchram alteram; & pulchram, itidem ad puteum primò aspectam, adeptus est postremò. Itaque duas vxores, pro vna, acquisiuit. Et in Lia quidem Devs lippitudinem, prolis munere, ornauit: quæ etsi, non sine graui delicto, obtemperando iniustè iubenti patri, in stuprum, immo in adulterium atque incestum consensit, sciens Iacobum, non suum, sed Rachelis sororis suæ esse maritum; ipse tamen Iacob, bona fide non Liam, sed Rachelem putans, ignorantia excusatus ratum postea habens hoc coniugium legitimum fecit, &, post septem nuptiales dies exactos, alterum quoque formosissimæ Rachelis coniugium est consecutus. Hanc dona sua miribiliter distribuens Mundi Gubernator, de venustate amabilem reddidit, illam commendabilem de fæcunditate. Et decipi permisit Iacobum, vt vtrâque potiretur; ste-

rilem

rilem alioqui formam secuturum, & proliferam matrem neglecturum; more multorum, qui in marimonijs ineundis, formæ sunt arbitri, prolis osores. Docuit etiam Iacob, in diuersis vxoribus, vnâ, quam non cupiebat ductâ, & alterâ, cui inhiabat, subductâ, verè illum locutum, qui *Mulieres morti similes* esse dixit, propterea, *quòd fugientem sequantur, & sequentem atque vocantem fugiant.* Caspar. Ens l. 2. Epidorp.

IV. Coniugium quartum est Iosephi Patriarchæ, qui è carcere ad regem eductus, exposito illi, de septem vaccis spicisque, somnio, annulo, stola byssina, torque aureo ornatus & toti Ægypto præfectus est. *Deditq; illi* rex *vxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos.* Gen. 41. 45. Hunc Putipharem S. Chrysostomus diuersum existimat à primo hero Iosephi (qui eum in carcerem misit, ob adulterij crimen falsò impositum) eò quòd hic sacerdos, ille princeps militiæ; hic Heliopoli, ille Memphi in regia degere sit solitus. At D. Hieronymus tradit, eundem fuisse cum primo hero, qui Putiphar est dictus. Quam sententiam si sequamur, mirabilis est dispositio Dei facientis, vt idem, qui iniuria Iosephum affecit, eundem filiæ suæ nuptijs honorare cogeretur, virginemque filiam acciperet Ioseph, qui matrem mœcham repudiauit. Castissimus enim iuuenis meruerat, felici matrimonio, ostendere, nuptijs compensari victorias, quæ ante nuptias reportantur; quemadmodum & alij infaustis plerumque coniugijs luunt, quod ante coniugia peccauerunt. Malè disponit nuptias, qui ante illas vult esse coniux. Olim, Arnobio teste, vxores habebant Romani, atq; in coniugalia fœdera conditionibus veniebant antè quæsitis. *Vsu, farre, coëmptione genialis lectuli sacramenta conducebant. Habebant speratas, habebant pactas, habebant interpositis stipulationibus sponsas.* Multis nunc libido est in apparatum. Scelere emunt coniuges: fornicatio illis est stipulatio, Hinc, quid mirum, si accipiunt in matrimonium adulteras futuras, quas ipsi, ante matrimonium, non castas esse docuerunt? Arnobius Aduers. Gent. lib. 4.

V. In quinti coniugij exemplum filiam itidem sacerdotis, in terra Madian, nactus est Moyses, suo vt videbatur, infortunio, ex Ægypto fugatus, cùm eum ad necem quæreret Pharao. Vitauit

tauit exitium, inuenit coniugium. Et inuenit sua benignitate, dum defenderet feminas iniuriam passas. *Erant Sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. Superuenêre pastores, & eiecerunt eas: surrexitq; Moyses, &, defensis puellis, adaquauit oues earum. Quæ, cum reuertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas: Cur velociùs venistis solito? Responderunt, vir Ægyptius, liberauit nos de manu pastorum: insuper hausit aquam nobiscum, potumq; dedit ouibus. At ille, Vbi est? inquit. Quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem. Iurauit ergo Moyses, quòd habitaret cum eo. Accepitq; Sephoram filiam eius vxorem.* Tota series est à diuina bonitate. Vlciscitur Moyses fratres Hebræos, contra Ægyptium percutientem. Componit ipsos inter sese Hebræos rixantes. Mercedis loco, cædem audit sibi exprobrari. Metuit Pharaonem. Fugit, incidit in puellas iniuriam patientes. Succurrit, & ianuam sibi aperit ad hospitium & matrimonium. Sic coniuges quærendæ sunt benefaciendo, non per lenones, non per copulatrices, non per fraudes, non per cædes & mortes procorum, ac riualium. Quàm multis generosa, in bellis, facta, aut defensi innocentes, aut pietas sua, boniqùe nominis existimatio è bis septem Iunonis nymphis vnam conciliauit? Siquidem

Exod. 2. 16.

VI.

Sextò multi fortiter pugnando vxores generosorum parentum meruerunt. Nam *dixit Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem. Cepitq; eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior: deditq; ei Axam filiam suam vxorem.* Dauid quoque, vt Michol filiam Saul in vxorem haberet, Philistijm debuit gladio percutere; & vt percuteret, Dominus erat cum eo. Ceterùm, quod manu forti obtinuerunt isti; id alijs vel morum modestia, vel educatio, vel ipsa erga Deum pietas, immo & parentum eleemosynæ, & charitas impetrauit. Nota est historia de paupere Ruth, diuitem Booz in sponsum acquirente; de Esther regi Assuero in manus conueniente. Sed ante omnia longissimam consideratione meretur Tobias & Sara, ad quorum coniugium multa diuinæ prouidentiæ argumenta confluxerunt. 1. Tobias ab Angelo

Iosue. 15. 17.
Iudic. 1. 12.
1. Reg. 18. 27.

gelo Raphaële ducitur in via. 2. Ab eodem custoditur, contra immanem piscem. 3. Consulit Angelum Tobias, *Vbi vis vt maneamus?* quod idem vtinam, multi suum Angelum custodem consulerent. 4. *Respondens Angelus, ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram: sed neque masculum, neque feminam vllam habet aliam, præter eam. Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugem.* Filia quippe, quæ fratrem non habebat, nubere debebat alicui de cognatione sua, ne possessiones, de tribu in tribum, aut de familia in familiam transferrentur. 5. Septem viri, quibus Sara tradita est, mortui sunt, vt Sara Tobiæ seruaretur. 6. Instruitur ab ipso Angelo, quàm castè ineundum sit matrimonium, ne per libidinem detur dæmonio potestas dominandi. Tres noctes primas à coniugij vsu jubetur abstinere, orationi vacare, benedictionemque diuinam obtinere. Quam consuetudinem adeò ab antiqua Catholica nobilitate obseruatam constat, vt nonnulli parentes sponsam tribus primis noctibus ne ad torum quidem sponsi admitterent. De nostri seculi moribus quidam loquens dixit: *Adeò nunc homines ab hac consuetudine recesserunt, vt pro magno habendum sit, si sponsi, tribus diebus, ante nuptias, non fiant coniuges.* Multi maledictionem merentur, quia non expectant benedictionem. 7. Ex eadem Angeli instructione Tobias *partem iecoris posuit super carbones viuos*, & vtique etiam partem cordis supra nominatam ac de pisce seruatam. Quæ sanè ad dæmonem, naturali virtute, fugandum non valuerunt; cùm corporeæ res in spiritus agere non possint. Igitur pars iecoris & cordis carbonibus superimposita, ex ordinatione diuina, per Angelum significata, supernaturali virtute, dæmonium pepulerunt. Quemadmodum & ignis infernalis in damnatos spiritus agit; & exorcismi; itemque aqua benedicta; & cerei Agni Dei; & reliquiæ Sanctorum; & alia quædam externa dæmones cælesti vi cogunt, ac proinde non negligenda, multoque minùs contemnenda sunt. His ergo vijs innocentem castumque Tobiam Dominus ad nuptias perduxit. Idem ille Dominus, qui postea homo factus nuptijs interesse cum Matre & discipulis suis voluit, sponsosque, aqua-

Tob. 6. 3.
Num. c. vlt.
Tob. 8. 2.
Tob. c. 6, 5.
Ioan. 2.

rum sex hydrijs contentarum in vinum præstantissimum versarum miraculo, honorauit. Hæc è diuinis litteris: subiungam vnum è profanis. Nam

VII. Septimò, etiam quod fortunæ aut casui nonnulli tribuunt, sine Numine non fit, quando scilicet admirabili quodam euentu, aut inopinata occasione, animi nihil tale sperantium in nuptias trahuntur. *Rhodopen omnium Ægyptiorum ferunt pulcherrimam fuisse. Cui aliquando lauanti inopinatorum atque inexpectatorum amans fortuna contulit munus, non isto animo, sed fortuna venustateq; dignum. Cùm enim lauaret, atque vestimenta famulæ custodirent, aquila d[illegible]lans alterum calceum abstulit, eumq; secum deportauit Memphim, judicium exercente Psammeticho, & in eius sinum calceum iniecit. Psammetichus miratus pulchritudinem calcei, & fabricationis artem atq; concinnitatem, & auis factum, mandauit, vt per vniuersam Ægyptum quæreretur femina, cuius is calceus esset, eamq; inuentam in matrimonium accepit.* Etsi enim Rhodope, ob vitæ licentiam, digna rege non fuit; regi tamen, sine dubio, justè judicium facienti, actionesque rectè danti, aut alia de caussa, vt vel temporalem aliquam mercedem reciperet, diuina bonitas eam voluit, aquila paranymphum agente, adiungere venustatem; & formâ, hoc est, caduco bono, caduca magis, quàm æterna amantis, merita compensare. Nihil enim sinit esse non remuneratum. Faciunt & damnandi quædam bona, sed mercedem capiunt in terra; opibus aut muliere pulchra contenti. Habent ergo, quod optant; quia plus non merentur. Aliud præmium præparatum est æstimatoribus æternitatis. *Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.* Nisi quis Orco potiùs eam calcei transferendi artem velit tribuere, quàm cœlo; & Aquilam existimet, à Titij iecinore, ad Rhodopen citatam, tabellarij officio functam esse. Sed neque hoc quidem pacto, nuptiæ, sine Numinis judicio, sunt conciliatæ: vel enim meruit rex, formâ decipi, vel Rhodope exaltata est, vt grauiùs allideretur. Quippe haud rarò cogitur justitiæ esse minister, qui est magister iniquitatis. Seu Stygius igitur fuerit vultur, seu aquila naturalis, coniugium calceolo procuratum, non Fortunæ est ascribendum, sed diuinæ pro-

Ælian. lib. 12. variar. c. 33. & Strabo lib. 17.

Psal. 10. 8.



næ prouidentiæ, quæ non solùm ad pedem, sed ad calceum quoque se extendit.

CAPVT XXVI.

Iudicia Dei, in matrimonijs, etiam recentioribus, prouidentissimè conciliandis, ac locupletandis, præsertim si, non opes, sed virtus aspiciatur.

NOn imminuta est, post veteres illas prouidentias, cura Dei, circa conjugia: quia adhuc diutiùs, generis humani propagatione, conseruare voluit Mundum ac gubernare; & idem est hodie, qui fuit heri, & nudius tertius. Quamobrem quotidie etiamnum sapientem potentiam suam perspicuè demonstrat, in matrimonijs concinnandis. Atque in primis à nemine, quantumuis potente, siue inuido, siue æmulo aut riuali, destinationem egregiæ sponsæ posse impediri, luce meridiana clariùs docet admirabilis historia Henrici, in Imperatoris generum, cælesti voce, designati, atque, per grauissima discrimina, tandem ad illud dignitatis culmen euecti, quam, alio loco, recitauimus. In summa, si Deus vult, *Mopso Nisa datur*, rumpantur licet ceteri Corydones. Et potest DEVS dispares pulcherrimo mixturæ artificio componere. Quod vel in fabula est adumbratum. Iuppiter cum Mercurio iter habebat, per agros; &; quasi viæ ignarus, quærebat ab ignauo aratore, quà eundũ esset? Ibi arator, quem tædebat loqui, vix sublato pede semitam ostendit. Paululum processerat, cùm ad ancillam venerunt gnauiter rusticantem; quæ itidem interrogata, de recto itinere, id non modò promptè ostendit, sed etiam ad multum viæ officiosè comitata est euntes, ne errare possent. Itaque Mercurius à Ioue poposcit, vt tam beneuolæ mulieri gratiam redderet. Iuppiter, manu ad frontem admotâ, quasi consilium inde euocaret, paulò post seruum illum ignauum ancillæ in maritum destinauit. Offensus hoc judicio Mercurius, caussam petiuit sententiæ tam inexpectatæ; cùm & arator tali sponsa indignus videretur; & aratrix vtique maritum gnauiorem meruisset. Ei respondit Iuppiter, se, hoc pacto, vtrique

I.

Priore de Iudicijs Dei tract. c. 28.

vtrique parti consuluisse. Hac enim socia, & illum excitatum iri; &, hoc marito, istam non futuram insolentem. Sic nimirum sæpe dissimiles conuenire solent, vt vxor viro sit pro industriæ stimulo: & vir vxori pro modestiæ fræno.

II. Porrò in matrimonijs, si, non quid spectari soleat, sed quid spectari debeat proponamus, mores vtique sunt diuitijs anteferendi. Apud improuidos, apud quos *Virtus post aurum sequitur*, quæcunque bene dotata est, bene est & morata. Itaque opulenta eligitur, quæ, vno anno, dotem omnem, patrimonium omne in superbias vestium impendit; cum sponsa inops, sed bene morata atque laboribus assuefacta facilè peculium industria collegisset. Diuina ergo æquitas, cum videt potiùs animi, quàm marsupij dotes quæri, non raro vtrumque confert: sicut vtrumque subducit, quando pecunia magis desideratur, quàm sponsa.

III. S. Damascen. in histor. de reb. gestis SS. Iosaphat & Barlaam c. 16.

Narrat D. Damascenus, ditissimos parentes filium habuisse, cui vt pares nuptias appararent, nobilissimi item atque ditissimi viri filiam nuptui dare statuerant, quæ forma supra omnes alias satraparum nymphas excellebat, Nimirum totum matrimonij consilium erant *Genus & Venus*. Quod vbi castissimus agi adolescens intellexit, non tantum nuptijs, sed etiam lare, sed patre & patrimonio relictis, clam profugit. In fuga, ex æstu, diuertit in pauperis cuiusdam senecionis ædiculam. Ibi, præ foribus, sedebat ad colum virgo senis vnica gnata, quæ summis digitis fila deducens fusum torserat, atque cantando laborem, diuinis laudibus celebrandis, solabatur. Erat autem carmen, quo Numini, pro beneficijs, gratiæ agebantur. Hoc in tali loco argumentum admiratus iuuenis ait: *Quodnam est istud tuum, ô Virgo, studium? aut cuius rei gratia, adeò inops, quasi pro magnis diuitijs, laudas rerum Conditorem?* Cui illa: *Nescis*, ait, *ô hospes, quisquis es, quemadmodum exigua sæpe medicina magnos pellit morbos; ita etiam, in paruis Dei donis, gratiarum actionem magnorum fieri auctricem bonorum? Ego quidem filia sum senis pauperis, gratias tamen refero, pro modicis istis donis, & benedico Dominum, certa, quoniam qui hæc contulit, & maiora valet dare: & ista quidem de his, quæ extrinsecus sunt, & nostra*

nostra non sunt. Ex quibus neque multa possidentibus lucrum aliquod prouenit; vt non dicam, quòd & sæpius damnum sustinent. Neque minora accipientibus accidit detrimentum, eandem vtriusq; viam pergentibus, & ad eundem peruenientibus finem. Eorum vero, quæ magis sunt necessaria, & perfectissima, multa & maxima accepi DEI dona, quæ innumerabilia & inæstimabilia sunt. Nam secundùm imaginem DEI facta sum; & ipsius notitiam habere merui; & ratione, præ omnibus animalibus, sum prædita; & ab ipso DEO inuitata sum ad vitam, per viscera misericordiæ eius: cuius & mysterij particeps esse promerui; & Paradisi ianua aperta est, facilè, si voluero, introitum mihi præbitura. Pro tantis igitur ac talibus donis; quæ indifferenter diuites percipiunt & pauperes, vt dignum est, gratias agere penitus est impossibile. Si tamen & modicam istam laudationem largitori bonorum non obtulero, qualem excusationem habebo? Huc vsque alioqui paucorum verborum, sed in rebus diuinis facundissima puella de Deo disseruit, iuuenemque ingenij acumine & rerum cælestium prudentia adeo in stuporem atque admirationem dedit, vt etiam in amorem suum raperet. Quamobrem accersito ad se patri eius foras dixit: *Dum fugio vxorem, vxorem acceptam pro inuisa mihi offert benignum Numen, filiam enim tuam in coniugium peto, cuius me indoles, vis intelligendi, & pietas non genarum, sed morum venustate cepit.* Erat iuuenis seni de parentibus norus, qnare Nequaquam istud fas est, ait senex: Diuitum pauperumque filij & filiæ incongruè coniugium constituunt. Cui iuuenis, Enimuerò diuitem fugi, pauperem volo, quia satius est ducere piam, quàm opulentam. Vnica est, ait senex, non possum eam à me dimittere, solam & baculum senectutis meæ. Atqui ego, inquit adolescens, apud vos manebo, vestram vitam posthac victurus; & cum dicto, splendorem vestium abiecit, & cum senis centone commutauit. *Tunc,* inquit S. Damascenus, *ille senex in multis tentans eum, & variè ipsius examinans cogitationem, postquam cognouit firmam mentis illius stabilitatem, & quia non amore insipientiæ detentus petijt eius filiam, sed pietatis amore elegit pauperimè viuere, hanc præponens suæ gloriæ & nobilitati; tenens eum manu introduxit in suum cubiculum, & ostendit ei diuitias multas ibi repositas, & immensum pondus*

dus pecuniarum, quantum non viderat aliquando iuuenis ille, & ait ad eum: Fili hæc omnia tibi dabo, eò quòd elegiſti meæ fieri hæres ſubſtantiæ. Quam tenens hæreditatem ille omnes ſupergreſſus eſt glorioſos terræ & diuites, Hæc S. Damaſcenus, loquens in parabolis.

IV. Rectè homines ſapientes, in coniugialia fœdera conditionibus veniunt antè quæſitis, ſed conditionibus bonis, & & bona norma. Optima hîc norma eſt coniugum eligendarũ, quos non debent diuitiæ, ſed virtutes conciliare; non diſſociare paupertas, non excludere generis obſcuritas; ſatis locuples eſt, quæ Deum habet. Nihil ditius eſt pietate: nihil vero amore conſtantius. Itaque *ſimus aſtuti,* ait S. Ambroſius, *circa quærenda & ſeruanda coniugia, diligamus tributa nobis conſortia. Etſi iјs, qui longinquis fuerant ortus ſui tempore regionibus ſeparati, inter ſe conuenerint: etſi vir ad peregrina contenderit, nulla longinquitas, nulla abſentia complacitam minuat charitatem. Eadem lex præſentes abſentesq; connectit. Idem naturæ vinculum inter diſtantes & conſiſtentes coniugalis charitatis iura conſtringit. Eodem iugo benedictionis vtriuſque colla ſociantur, etiamſi alter obeat ſeparatarum regionum longa diuortia: quia non corporis ceruice, ſed mentis iugum gratiæ acceperunt.* Itaque neque pecunia debet eſſe vinculum coniunctionis; quod apud illos eſſe ſolet, qui idcirco vxorem ducunt, *quia tuſſit,* & licet vetula ſit, rugas tamen marſupio compenſat, luridoque pallore promittit, ſe breui morituram. Quàm longè feliciùs matrimonijs diteſcunt, qui non nummos, ſed honeſtatem vitæ in ſponſa intuentur? & Deo fidunt, atque *in primis regnum cælorum quærunt: cetera* enim *illis* inſuper *adijciuntur.* Quod Dominus in alio quoque ſponſo demonſtrauit. Nam de viro Conſtantinopolitano nobiliſſimo hæc legimus, in probato authore, docente vxoris vſucapionem.

S. Ambroſ. l. 5. Hexam. c. 7.

Luc. 12. 31.

V. *Narrauit quidam Patrum dicens: Aſcendi aliquando Conſtantinopolim, cuiuſdam neceſſitatis gratia, cumq; in Eccleſia ſederem, ingreſſus eſt quidam ſæcularis maximè illuſtris, atque fideliſſimus, is cum aſpexiſſet me accedens ſalutauit cum omni charitatis officio. Et, poſt ſalutationem, ſedit iuxta me, & cœpit interrogare de his, quæ pertinent ad animæ ſalutem. Cumq; ego illi dicerem, quòd his*

Io. Moſcus Euirat. in Prat. Spir. cap. 201.

his, qui ritè terrena disponunt, cælestia quoque donantur: bene, inquit, pater dixisti, nam verè beatus est, qui spem suam in DEVM ponit, & se ipsum totum committit DEO. Et dicebat: Ego filius fui cuiusdam sæcularis gloria clarissimi, erat autem ipse pater meus eleemosynis maximè deditus, & plurima pauperibus distribuebat, die ergo quodam, vocauit me, & ostendit mihi omnes pecunias dicens: Fili quid tibi gratius est, vt dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cum placeret mihi, quæ faciebat, respondi, me Christum malle, ista enim omnia prætereunt, & hodie sunt, & cras non erunt, Christus autem manet in æternum. Quod ille cum audisset, omnia jam liberè & larga manu pauperibus erogabat, ita vt moriens pauca admodum mihi relinqueret, ego autem iam pauper effectus humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui me ille reliquerat. Erat autem alius quidam diues valde & primarius habens vxorem fidelem Christo, & timentem Dominum, habebat autem & filiam vnicam; dixit ergo illa viro suo, hanc solam habemus filiam, tantaq; bona nobis largitus est DEVS, cuius ergo rei indiget? si quæsierimus dare illam alicui primario, & diuiti, qui non sit bonis moribus, affliget eam semper; quæramus illi virum humilem & timentem Dominum, qui secundùm Deum eam diligat, & foueat. Qui dicit illi: rectè dixisti, perge ergo in Ecclesiam, & ora intentissimè, atq; illic reside, & qui primus ingressus fuerit, hic illi à Domino missus est sponsus. Fecit igitur, vt iusserat vir eius. Cumq; orasset, & sederet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa seruum suum, continuò accersiuit me, cœpitq; interrogare dicens: Vnde es? Ego autem dixi illi, ex hac ciuitate sum talis filius. Dixit autem mihi: illius eleemosynarij? & dixi: Ita, illius sum filius. Tunc ait mihi: habes vxorem? & dixi. Non. Narrauiq; illi, quæ mihi dixerat pater meus, & quæ ego responderam ipsi. Illa verò glorificans Deum ait. Ecce bonus curator tuus misit tibi vxorem, & pecunias, vt vtaris vtrisq; cum timore Dei, deditq; mihi filiam suam, & pecunias. Ego autem oro, vt patris mei viam vsq; in finem teneam.

VI. Hac via itur ad opes, si possint contemni opes. Sic felicia contrahuntur coniugia, si in vxore aut sponso, non crumena, sed virtus veniat in censum. Per deuia erga fortunam quærunt, qui, dummodo nummos odorentur, nihil pensi habent, sitné

vxor Catholica, an Lutherana; Christiana, an Saracena, vel Hebræa. Si multum æris habet, sufficit istis; non opus est, vt multum habeat religionis. Argentum pluris æstimatur, quàm fides: auro vitia omnia teguntur, & pulchra fit ipsa turpitudo. Nempe ita demum, in matrimonium, per coëmtionem conuenitur. *Coemptio enim est*, ait Seruius, *vbi libra atque æs adhibetur; & mulier atque vir in se quasi emtionem faciunt.* At non sic vult Deus: *Vnde scriptura dicit tibi*: ait S. Ambrosius, *Ne accipias vxorem de filiabus Chananæorum. Sed vade in Mesopotamiam in domum Bathuelis: id est, in domum sapientiæ, & eius tibi acquire copulam. Mesopotamia autem regio est, in partibus Orientis, quæ duobus maximis, per ea locorum Euphrate & Tigri fluminibus circumuenitur, quibus origo est in Armeniæ locis. Influunt autem diuerso meatu in mare rubrum. Et ideò Mesopotamiæ nomine signatur figura Ecclesiæ, quæ maximis fluentorum prudentiæ irriguis atque iustitiæ fæcundat mentes fidelium, quibus sacri baptismatis, cuius typus præcessit in mari rubro, infundit gratiam, culpamq́; abluit. Doce ergo plebem, vt non ex alienigenis, sed ex domibus Christianis coniugij quæratur copula.* Hæc S. Pater. Quod de religione non posthabenda dicitur, dici etiam debet de ceteris virtutibus, quæ vtique omni thesauro sunt pretiosiores. Quod vel Ethnici censuerunt. Vnum dabo, pro mille. Quippe

Seruius ad lib. XI. Æneid. S. Ambros. lib. 9. epist. 70 Gen. 28.

VII. Luc. Apul. in Florid.

Hæc atque hoc genus alia partim cùm audiret à Diogene Crates, alia sibimet ipse suggereret, denique in forum exilit; rem familiarem abijcit; velut onus stercoris, magis labori, quàm vsui. Dein, cætu facto maximo, exclamat: Crates Cratetē manumittit. *Exinde non modò solus, verùm nudus & liber omnium, quoad vixit, beatè vixit. Adeoq́; is cupiebatur, vt virgo nobilis, spretis iunioribus ac ditioribus procis, vltro eum sibi optauerit. Cumq́; interscapulum Crates retexisset, quod erat aucto gibbere, peramq́; cum baculo & pallium humi posuisset, eamq́; supellectilem sibi esse, puellæ profiteretur, eamq́; formam, quam viderat: proinde sedulò consuleret, ne pòst querelæ caussam caperet. Enimuerò Hipparche conditionem accipit. Iam dudum sibi prouisum satis, & satis consultum, respondit: neque ditiorem maritum, neque formosiorem vspiam gentium posse inuenire, proinde duceret, quò liberet.* Quis non videat, eiuscemodi

matrimo-

matrimonium fuiſſe feliciſſimum? Nam in illud forma, diuitiæ, nobilitas, &, quod præcipuum eſt, virtutes confluxerunt. Per has enim cetera bona condiuntur; ſine his, ſunt ſuperbiæ, rixarum & mille malorum inſtrumenta. Satis de ceteris proſpicit DEVS illis, qui virtutem in vltimis non habent, dum nuptias moliuntur, neque tam hominum, quàm Dei conciliatione, vxores quærunt; & potiùs educationem bonam, moreſque probos ac commodos, quàm genus, crumenam, & vultum ſpectant. Qua de cauſſa Pulcheria ſapientiſſima herois fratri ſuo Theodoſio Imperatori Eudoxiam pauperem, ſed inſigniter eruditam, & pulchrè moratam vxorem procurauit. Talis coniux donum DEI eſt: *Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens,* immo & diues, ſi diues proſit. Prou. 19. 14.

VIII. Italicus author, ſiue Poëtica licentia, ſiue fide hiſtorica, ſcribit; quod, tanquam falſum damnare, audacius eſt, quàm narrare vti traditur; valde enim & veroſimile eſt, & idoneum ad laudes diuinæ prouidentiæ commendandas. Memorat igitur, duas, in Italia arces fuiſſe, in amœnis collibus, ſitas, loco vicinas, ſed à diuerſis incolis poſſeſſas. In vna harum prænobilis femina degebat, quæ *Vicanam* habuit fortunam & obſequentem, & quam *Græci* ἀνδρείαν τύχην, *fortem & virilem* ſolent nominare. Erat illi ætas florida, valetudo vegeta, venuſtas ambitione digna, opes immenſæ. Sed, ne nimis beata eſſet, mors illi iuuenem maritum ſubduxit; ex eo tamen filium biennem reliquit. In altera arce, *læua numina*, *& mala* fortuna videbatur habitare, Inopia, & Egeſtas; ſed eam tenebat optimæ ſtirpis, & electæ virtutis homo. Hic, ſuo bono, exiſtimans *Orbonam* in alteram arcem immigraſſe, cœpit cogitare de nuptijs inde ſibi procurandis; facileque putabat, quod ſibi, in diuitijs, deeſſet, id viridi iuuentute compenſari, & viduam maſcula prole comitatam, ſatiſque ab opibus inſtructam, nullo negotio, in matrimonium conſenſuram. *O quoties miſeros ſpes fallit amantes!* Nihil ille officiorum omiſit. Prenſauit cognatos: comitate verborum omni deliniuit famulos eius: nulli non ad illam tendenti ſalutatiunculam impoſuit: quin & munuſcula, quantumuis tenuia, tamen, vel defraudato Genio,

 auctiora

auctiora missitauit. Dedit etiam operam, vt quoties illa in campum procederet, velut casu obuius, ad currum adequitaret; vnà venatum, vnà cænatum iret, si illa foris, atque apud consanguineos conuiuijs interesset. Ibi omnis generis illi vrbanitates exhibebat. Denique Dianam ipsam, aut Lucinam nemorensem non magis coluisset. Et, quia amor insanos facit, non solùm, in illius honores, tanquam quidam *crinitus Iopas*, sæpe cithara personabat aurata, vt cantu eam demulceret; sed etiam non dedignatus est facere, quod illi fecerunt olim, qui solebant

Prudent. in Apoth.

Caput ante pedes curuare Mineruæ
Fictilis, & soleas Iunonis lambere.

Hæc omnia quorsum fierent, non ignorauit iuuenis vidua, sed, vt est hoc hominum genus superbum, quantò affectatiùs ambiebatur, tantò fastuosiùs procum fastidiebat; hac ipsa fortasse de caussa, in diuinis oculis, repudio dignum. Nihil, ô iuuenes, nugæ vestræ, nihil insaniæ proficiunt: si connubia felicia quæritis, Deo duce, quærite; Iuno *Iterduca*, seu *Domiduca*, nomen est, non Numen. Igitur & huic proco nihil profuit elegantijs aulicis vti. Nam & cùm honestos proceres ad viduam legasset, qui, suo nomine, illam peterent vxorem, multis eos argumentis refutatos remisit. Nimirum nondum se, in eum diem de secundis votis cogitasse; nimis adhuc recentem esse memoriam prioris, vndequaque charissimi mariti; à quo vnicè sibi amatam prolem nolit obijcere vitrici iniurijs; probè enim sibi constare, quibus modis tractari consueuerint liberi à parentibus alienis: nolle se *nubere in familiæ luctum, atque in priuignorum funus*: vno verbo, stolidum esse, pauperem eligere, cùm tot sint opulenti, quorum liberrimam habeat optionem. Hoc aculeato responso reduces legati, procum confoderunt: qui spe sua deiectus, diu deliberauit, an solus cælibem agere vitam, in tristitia vellet. Ita tamen se tandem ipsum allocutus est. Quid incipies, infelix homo? Inopem vxorem neque tu alere poteris, neque illa te, diuites te contemnunt; quæ loculos loculis æquari volunt. In cassum me demisi, ad tot lenocinia. Omnes blanditiæ, omnes amationes frustra fuerunt. Me vecordem

Martian. Capell. lib. 1. & S. Aug. lib. 7. de ciuit. c 3.

Cic. pro Cluent.

cordem fecit Dea Verticordia; illam non illaqueauit. Vt insaniui! vt arsi! vt perij! vt me malus abstulit error! Quid agis, anime? cur è fluctibus his non erigis caput? cur ad portum non respicis? cur ad verum Numen non recurris? Pacem posce, veniam precare, audiet preces. A Domino petenda est, à quo datur vxor. Ille si bene sponsis bene voluerit, veniet vxor vltra: sin aliud volet; volo & ego illud. Dixit, & ab omni tumultu pectoris illico quieuit; mansitque, septem totis annis, non modò sine coniuge, verùm etiam sine omni muliere; foris sese, per nemora solans venando; domi, quidquid à familiæ contractissimæ negotijs illi superfuit, Deo transcribens, diuinis precibus occupatus. At neque vidua interim nupsit; vel quòd illi nullus omnium placeret, vel quòd spem amoremque totum in filio suo consumeret. Nempe, *Omnis in Ascanio cura parentis erat.* Nonum itaque attigerat annum, atque vt ea ætas vagabunda, nunc huc, nunc illuc excurrit; aliquoties etiam ad vicinam arcem expatiatus, eum ipsum Nobilem permissus est inuisere, quem mater eius à nuptijs reiecerat. Habebat autem Nobilis accipitrem, insignem ad passeres aliasq; minorum gentium volucres capiendas auem; assuetam, ad nutum gestantis, in prædam inuolare, atque ad quamcunque reuocantis vocem reuolare ad manum. Eo accipitre (quia aliud inopia oblectamenti genus illi nihil reliquum fecerat) solebat ad se venienti puero delitias exhibere. Siquidem, vt erat generosæ indolis adolescens, summopere capiebatur, auibus venandis. Et videbatur ipse accipiter puero allubescere, de cuius manu iecinora toties carpebat. Ita, inter puerum, & auem contracta est amicitia familiaritas. Cupida est hæc ætas; &, quidquid cupit, cupit vehementer. Quamobrem magno cœpit puer auis potiundæ accendi desiderio. Sed, vt erat ad omnem verecundiam educatus, non audebat cupiditatem suam expromere. Vt incendia, sic & desideria pressa magis exæstuant; quod & in hoc euenit adolescente. Quò diutiùs affectum dissimulabat, eò ampliùs flagrauit; itaque cœpit perditè ardere, vt colorem mutaret, & macie extenuari inciperet; ac tandem, affectu inualescente, decumberet. Vocati medici, nullum morbi fontem de-

 prehen-

prehendere potuerunt. Et puer in dies deficiebat. Deplorata res videbatur; cùm mater ad filium sola, atque remotis arbitris, ingressa, lachrymis & singultibus mœrorem testata, etiam atque etiam rogauit, vti ediceret, quænam tanti mali caussa, quæ origo esset? nihil se non facturam, quo ei remedium afferri posset. Ibi, interrupta gemitibus voce, *Desine*, inquiebat filius, *desine, mea charissima mater; actum est de vita mea. Quod cupio, sperare non possum. Et, quia desperare cogor, morior.* Attonita hoc responso parens, *Exprome*, aiebat, *mi fili, quid cupias; nihil tibi denegabitur, quidquid concedi potest. Nulli sumtui, nulli labori parcam. Tu mihi pro omni thesauro, tu pro vita mea eris. Nihil inconsultum, nihil intentatum relinquam. Et, vt confido, omnia firmabit Deus.* Animatus hac promissione filius; *Nobilis*, inquiebat, *vicinus noster, accipitrem domi habet, ad venandas aues egregiè eruditum & aucupanti, ad miraculum, obedientem. Eius habendi desiderio occidor. Nulla enim spes est, vt auem, quouis illi caballo chariorem, puero donet.* Audijt mater, & expalluit; nam & illi spes nulla fuit auis adipiscendæ. *Quid enim*, cogitabat; *num delitias suas vnicas à se abdicabit? & verò mihi dabit, à qua se contemptum meminit? & dabit, vt puer habeat illius matris, quæ illum, tot modis officiosum noluit habere? Enimuerò gaudebit, & sibi ipsi plaudet, tempus venisse, quo se acerbissimo simul, simulq; nullam sceleris speciem habente vindictæ genere possit refrigerare. Addet fortasse & dicta, repulsamq; sarcasmis aculeabit. Sed addat; cachinnis me, immo & plagis excipiat. Vtique non occidet venientem; qui filium non exclusit. Non hoc mihi toties laudata illius virtus promittit: de femina vir non volet triumphare. Igitur bono animo esto, fili*, dicebat, *ibo, & aucupem ipsum aucupabor. Tu, Deus, da diem hunc sospitem, annue, fac, vt gnatum meum sanem.* Sic fata itineri se dat, vnica puella comitante. Breuis erat via: citò peruenit, quò tendebat. Miratus Nobilis hospitem nouam, quam nunquam, in arce sua, viderat; omissis reliquis rebus omnibus, decurrit ad eam, quàm beneuolentissimè salutandam. Illa gratiam maiorem captatura, aduentus sui caussam censuit initio tegendam. Quare varijs ambagibus vsa, prandere se cum illo velle significauit. Quod ille magni honoris loco accipiens,

etiam se inter beneficia professus est numeraturum: vnicum illud excusans, tractari à se eam, pro dignitate, non posse, angustijs temporis & facultatum circumscriptum; neque verò se vnquam aliàs paupertatis iniuriam, quam tunc sensisse grauiorem. Ergo dum quærit omnia, nihil inuenit; ac nisi ab ingenio consilium petisset, impransam erat dimissurus. Accumbitur, & conuiuium celebratur, quale olim Ioui Philemon & Baucis fertur struxisse. Nulla ibi argentea auréaue supellex. Sella nulla. Nulli tapetes. Neque vllus ferculorum apparatus. Iusculum; caro fumo durata; &, quod caput erat, auis vnica, eaque non admodum magna, pipere condita, & pane in artopta tosto circummenita, totam pompam faciebant. Inter hæc ipsa tamen vultus bonus conuiuatoris & scita comitas, sermonesq; iucundi epulas inprimis exhilarauerunt. Quæ vt non copiosæ, ita citò sunt absumtæ. Remotis mensis, jam confidentior matrona, seductum ad fenestram Nobilem, in hunc modum compellat: *Haud ignoro, Domine, audaciæ magnæ me ream esse, vt quæ huc venerim, quod nunquam promerui, petitura. Sed me filij amor adigit tentare, quod si negetur, conqueri non possum; si impetrauero, filio meo, vitam impetrabo.* Præfatione hac audita, miratur Nobilis, aliquid in domo sua superesse, quod matrona tam diues & alioquin ad preces non admodum promta, petere à se vellet. Iubet eam edicere; atque, excusationibus omissis, declarare, quid optet, nihil se ei negaturum. Ad quæ mox illa: *Accipitrem*, inquit, *habes, cuius acquirendi tanta cupiditate filius meus vritur, vt, nisi obtineat, mœrore sit conficiendus. Iam enim penè ad extrema deuenit. Vixq; tandem ab eo diu mihi celatam ægritudinis caussam expressi. Domi igitur numerat singula temporis momenta donec redeam; solaq; afferendæ sibi auis spe animam sustentat fugientem. Hanc ergo, si donas, vitam filio meo, immo & mihi donas. In tua est potestate, duos occidere, si negas.* Expauit ad hæc verba Nobilis, & caput huc atque illuc versans, cœpit indignantissimo similis esse. Quo vultu & matronam terruit, arbitrantem, sua petitione tantopere offensum Nobilem; neque aliud quidquam expectabat, quàm vt facessere, aut etiam in malam rem, cum suo puero, ire iuberetur. Sed longè aliud audiuit. Postquam

quam enim aliquamdiu silens nunc caput scalpsit, nunc pectus pugnis percussit arcis Dominus: *Hei mihi*, dixit, *quid fecisti, ô Domina, vt tam diu postulata differres? cur non, in prima salutatione, aduentus tui caussam mihi indicâsti? serò petis, quod non est ampliùs in potestate mea. Quàm ego libens tibi, longeq́; libentiùs mihi charißimam ac verè pretiosam auem viuam, quàm occisam tradidissem: Nunc autem feres quidem, ad filium tuum, tecum auem, quam à me flagitâsti, sed in visceribus tuis feres. Siquidem, cùm aliud in domo mea nihil esset, iußi vel accipitrem occidi, & quàm apparatißimè condiri, tibiq́; apponi. Itaque*

Ouid. lib. 6. Metaph.

Intus habes, quod poscis, ait;

ac, ne friuolam hanc, aut fictam à me putes excusationem, en pennas auis, & cocum testem! Vidisses attonitam facto hoc matronam, quæ modò lachrymans suam infelicitatem accusabat,

Et modò, si posset, reserato pectore, diras
Egerere inde dapes, emersaq́; viscera gestit.

ac Mænadi similis, inde se domum proripit, tristique nuncio filium semianimem penitus exanimat. Quo orbata, cùm luctum nondum eluxisset, altiùs cogitando in se descendens, caussam inquisiuit, ob quam iustissimus Deus, non solùm marito se viduari voluerit ante id hac, verùm etiam nunc dulcissimo filio priuârit. Venit illi in mentem superbia ac fastus, quo prædictum Nobilem, ante septem annos, de moribus adeò laudatum, ob solam inopiam, repudiârat. *Et quàm verè laudandus est?* inquiebat, *quamq́; meritò à me non contemnendus; qui non solùm à me spretus, nullius vindictæ memor, tanta me humanitate accepit? qui non solùm auem liberalißimè erat donaturus; sed etiam, eandem, qua nihil habebat charius, cùm cetera inopi deessent, mihi præbere voluit epulandam? Et rursum, postquam audiuit, eam à me viuam flagitari, quàm expalluit? quàm eum pœnituit, non posse occisæ vitam reddi? Verè talis vir non fuit contemnendus. auro caret, sed non caret aurea charitate; cuius mores, quæcunq; femina non pluris facit, quàm opes, carnifice digna est marito.* Dixit, & Nobilem, jam ipsa vltro missis legatis, in matrimonium petiuit; ac deinceps, & filij, & mariti loco habuit. Ita dicuntur postea hi duo coniuges concordiam coluisse, vt exemplum essent bono-

rum

rum coniugiorum. Neque sanè melior est ratio, aut qua viri sponsas trahant, aut qua sponsos eligant feminæ; quàm de judicio virtutis. Quod si opes magis spectent, quàm virtutem, Lesso digniores sunt, quàm Thalassione.

IX.

Martin. Delr. libr. 3. disq. Mag. p. 1. q. 7. sect. 1.

Hoc ita esse, confirmant exempla, quibus eiuscemodi sponsæ promissionem suam violantes, &, insita quadam animi leuitate, à nuptijs ineundis resilientes, diuinitus punitæ leguntur. Diues quædam puella, in Saxonia, capta amore adolescentis, ab opibus parum instructi, sed fortè, vt Crates ille, patrimonium omne in cerebro ingenioque habentis, matrimonium ei promisit. Promissionem, ne diffidentiæ locus esset, hoc juramento firmauit: *Vt, si cui alteri annulum daret, nuberetue, ipso die Nuptiarum, à cacodæmone viua, ad Inferos, asportaretur.* Quæ igitur solet esse constantia in puellis malè educatis, etiam apud illam fuit. Citò alius ei placuit. Citò ei in manum conuenit, coniugiumque spopondit, paupere repudiato, & plorare iusso, frustraque illud repetente: *Mopso Nisa datur.* Fit apparatus, inuitantur amici, celebrantur & epulæ, & nuptiæ, omnia gaudijs feruent. Quibus ne quid desit, remotis mensis, etiam instituuntur choreæ, cantatur, saltatur, clamatur, nec à paucis ridetur riualis, spe nuptiarum delusus. Dum omnia lætissimè & festiuissimè fiunt, adsunt duo, qui, habitu nobilium, in conchyliata veste, domum ingrediuntur; ascendunt ad locum chorearum. Nec diu spectant saltantes, saltant & ipsi. Vnus, velut honoris caussa, sponsam inuitat vltro allubescentem; quam cùm semel iterumque in chorea bellissimè circumduxisset, repentè è domo, & conspectu omnium asportauit. Quæ nusquam postea comparuit. Tales sponsas, tales decent paranymphi. Quàm verè tunc dici potuit: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat?* Prou. 14. 13. Et quid aliud sperari potest, si tales, ex Orco, hospites, ad nuptias inuitantur? aut si vsurpetur ea coniugibus benedicendi formula, quam vel seriò, vel per iocum docuit Prædicans hæreticus vsurpandam? Hie steth Lieb gegen Lieb: Sie ist ein Schnur/ vnd er ein Dieb. So gib ich euch zusamen; In aller Teuffel namen. Id est,

Hîc stat amans, & amans; fur vnus, & altera scortum:
Coniugium, his sponsis, dæmon felicitet, ortum.

CAPVT. XXVII.

Cura Dei, in Matrimonijs etiam conseruandis, diuinæ scripturæ, exemplis patefit.

I. Voniam *Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri,* æquè Deus inuigilat, vt matrimonia conseruet, ac vt constituat. Quid prodest figulo, limum efformare in vrceum, & mox iterum frangere? Cùm ergo constiterit, supremum Mundi Gubernatorem, non minùs attendere coniugijs conseruandis, quàm inchoandis, nihil accusari poterit eius bonitas, si hominum vitio quædam matrimonia malè dissuuntur, aut ærumnis miserè corrumpuntur. Ad matrimonia igitur firmanda, non dominium modò rectè est ordinatum, sed multa etiam alia luculentè sunt facta. Eua, postquam & ipsa præuaricata est, & maritum secum traxit in peccatum, non legitur quidem vnquam cum Adamo litigauisse, legitur tamen audiuisse: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris* (quæ est molestissima femineæ superbiæ pœna) *& ipse dominabitur tui,* quia virum seduxisti; mala ductrix, ac proinde *ducenda* potius, quàm *ductura.* Hinc meritò vir vxorem, non vxor virum ducere dicitur. Nam, hîc, vir accepit potestatem, vxorem coërcendi & puniendi. Secundùm Romanas etiam leges, licet gentiles, adeò vxor, *sub viri potestate erat,* vt non licuerit ei condere testamentum, sine viri auctoritate: & quia sub viri erat manu, capite diminuta dicebatur. Hæc ipsa subiectio vxoris, & dominatus viri siue iustus, moderatus & ex lege, etiam naturæ ortus; siue imperiosus & tyrannicus, ac præter naturam, semper fæminæ molestus & pœna peccati est; ex eo tamen duplex vtilitas nascitur. Nam sic vxor peccatum luit & commune illud, & priuatum ac personale; ac insuper velut fræno quodam coërcetur. Doctè ille: *Mulier nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dicere, nec iudicare: quanto magis non potest, aut non debet imperare?* Vt ergo

Gen. 3. 16.

matri-

matrimonijs prospiceretur, imperium penes virum est; idque & naturæ, & Dei institutione, & D. Pauli mandato. Quibus omnibus renunciant, qui non tantùm claues, sed etiam clauum & sceptrum vxoribus relinquunt; longeque stultissimè illi agunt Iudæi, qui, vt ex oculato teste scio, Neostadij, in nuptiarum die, à certa meta sponsum & sponsam decurrere sinunt. Currunt quàm contentissimè ambo, & qui eorum prior ad ostium domus perueniens ianuæ marculum ansamúe apprehendit, apprehendit & imperium, ac omni reliqua vita alteri dominatur. Tantum est præmiũ celeritatis. Hic regni acquirendi modus nõ tantùm podagricis est iniquus, & ebrijs aduersus; sed etiam diuinæ prouidentiæ manum inijcit, quæ vidit, quale futurũ esset regimẽ, si feminæ insolescere sinerentur. Hinc viro dominium dedit. Atque hæc cura Dei, in primo statim matrimonio, sese ostendit. Virum in caput constituit, vt fæminam puniret: fæminam subiectione puniuit, vt ne dissidia nascerentur, si duo, in vna domo, regnarent. Optimum regimen monarchia. S. Augustin. in qq.

II.

Iratus Mundo Deus diluuium cogitabat nimbosissimè effundere. Itaque ad Noë dixit: *Vniuersa, quæ in terra sunt, consumentur. Ponamq; fœdus meum tecum: & ingredieris arcam tu, & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum, tecum. Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina induces in arcam, vt viuant tecum: masculini sexus & feminini, &c.* In ipsa ira misericordiæ recordatus est; & ne genus humanum totum extingueretur, conseruator Vniuersi, coniugium conseruauit, atque vxorem vnà ingredi cum coniuge iussit. Quid ni hoc hominibus faceret, qui & cunctas in arcam ingredi voluit binas animantes? easque non captas à Noë, sed sponte venientes; aut potiùs ab angelo cuiusque speciei custode actas? Idcirco enim ad Noë dicitur: *Intrabunt ad te.* Quod si cura est DEO, de coniugio boum & mutorum animalium, quantò magis curabit, vt humana matrimonia sarta tecta conseruentur? per quæ illi propagantur, ob quos, *oues & boues & pecora campi*, & totus denique visibilis iste Mundus est creatus? Sic Deus coniugium, non tantùm in paradiso, sed etiam in diluuio fulciuit; illustri præsagio,

Gen. 6. 17.

S. Augustin. lib. 15. c. 17.

ſagio, illud etiam, ſecuturis ſæculis, inter magnas ſæpe procellas, tuendum.

III. Sed & illud eſt, clariſſimum exemplum, quod, in Ægypto, circa Abraham, euenit. Fame is patriam deſerere eſt coactus; &, ſi illius conſilia, ex humano metu profecta, diuina auxilia deſtituiſſent, vtique etiam vxorem deſerere coactus eſſet. Verùm adfuit Saræ Deus, & Pharaonem acerbè flagellauit, ne, ſanctiſſimum coniugium vel inſcius contaminaret. Iuuat ipſa

Gen. 12. 10. ſacra verba audire. *Facta eſt autem fames in terra, deſcenditq́ue Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi: præualuerat enim fames in terra. Cumq́ue prope eſſet, vt ingrederetur in Ægyptum, dixit Sarai vxori ſuæ: Noui, quod pulchra ſis mulier: & quòd, cum viderint te Ægyptij, dicturi ſunt, vxor ipſius eſt: & interficient me, & te reſeruabunt. Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis: vt bene ſit mihi, propter te, & viuat anima mea, ob gratiam tui. Cùm itaque ingreſſus eſſet Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd eſſet pulchra nimis. Et nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam, apud illum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis. Abram verò bene vſi ſunt, propter illam: fueruntq́ue ei, oues & boues, & aſini & ſerui, & famulæ, & aſinæ, & cameli. Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abram. Vocauitq́ue Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam eſt hoc, quod feciſti mihi? quare non indicaſti, quod vxor tua eſſet? Quam ob cauſſam dixiſti eſſe ſororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam & vade. Præcepitq́ue Pharao ſuper Abram viris: & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia, quæ habebat.* Hæc eſt hiſtoria. In qua diuini conſilij ſeries, à fame incipit, quæ Abrahamum, ex Chananæa, coëgit in Ægyptum, ob exundationem oblimationemq́ue Nili, natura ſua, fertilem, atque ad laſciuam Ægyptiornm iuuentutem deſcendere. Deinde, quia *periculum nunquam ſine periculo pellitur,* cauit vitæ ſuæ Abram, quod cauere poterat & debebat. Quare cùm certò occiſus eſſet, ſi ſe Sarai maritum affirmaſſet, nomen mariti voluit diſſimulari.

IV. S. Ambroſ. l. 1. de Abram. c. 2. Ac licet D. Ambroſius ſcribat: *Sara, vt tueretur maritum, mentita eſt germanitatem,* tamen reipſa, nec Sara, nec Abram,

mentitus est, erat enim verè soror, more gentis illius, quæ nepotes sorores, nepotes fratres vocabat, vnde & alio loco ait: *Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem;* siquidem, vt tradit S. Chrysostomus, omnes, in familia Thare, ipsum Thare patrem nominabant, non secus ac si omnes inter se fratres & sorores fuissent; præcipuè quando, mortuo Aran, patre Saræ & Lot, Thare, non solùm aui, sed patris quoque loco habuerunt, quemadmodum & nos auos nostros, *magnos patres* solemus appellare. Cùm ergo dixit Abram, Saram esse Sororem suam, non est mentitus, intellexit enim, Saram esse ex eodem magno patre, seu auo Thare,, licet, per aliam matrem descenderet, adeò vt Thare duas habuerit vxores, è quarum vna natus sit Abram, ex altera Aran, qui genuit Saram & Lot. Etsi enim nunc, lege positiua, illicitum est coniugium in secundo gradu collateralium, vt inter patruum & neptem hîc fuit, tamen olim non fuit illicitum, neque lege naturæ vetitum; sed, ob homines, per totum terrarum orbem, propagandos, vsitatum. Alia res est de primo, seu rectæ, seu lateralis lineæ, gradu consanguinitatis, vt inter verè fratrem & sororem, ex eodem patre aut matre natos: in quo gradu jure naturæ illicitum irritumque est, matrimonium. Vnde non est credibile, Saram propriè fuisse Abræ sororem.

Gen. 20, 12.

S. Augustin. lib. 22. contr. Faustum c. 35.

V.

At videtur Abram vxorem suam adulterandi periculo exposuisse, atq; ita in lenocinij suspicionē vocari posse? Nequaquam. Duo enim hîc spectari possunt, primum est, iussisse eum, vt Sara taceret, quòd esset vxor, ne ob eam, occideretur. Hoc vtique rectè cauit. Alterum, cauere non poterat, ne scilicet vxor, ab incontinentibus Ægyptijs violaretur; istud igitur periculum Deo; magnâ fiduciâ commendauit. Nouerat quippe, se in hoc tanto discrimine articuloque necessitatis, Deo curæ esse. Quare voluit & hîc pater fidei, contra spem, in spem credere. Aiunt nonnulli, Abramum, Dei instinctu, hæc dixisse & fecisse. Quod vel euentus probauit. *Flagellauit* enim *Dominus Pharaonem,* ob Saram, quæ inuita rapta fuit, non ob adulterium, cùm nesciret esse Abrahæ coniugem, immo cùm eam ne

Ita S. August. lib. cit. c. 33.

 attigerit

attigerit quidem. Futura enim erat quasi coniux saltem secundaria regis. Neque pudicitia Saræ permittit credere, eam, apud Pharaonem, nisi castam & inuiolatam permansisse: sicut & Iudith illibata, apud ebriosum & libidinosum Holofernem permansit. Vt autem Deus ostenderet, se esse zelosum matrimoniorum defensorem, acriter Pharaonem flagellauit; *plagis maximis*, quas Philo morbos & dolores grauissimos, Iosephus pestilentiam fuisse existimauit; ita vt neq; diu, neque noctu quiescere, aut respirare posset. Quamobrem etiam hîc impletum est

Psal. 104. 14. illud: *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges.* Corripuit certè Pharaonem, ne Abrahæ coniugium conspurcaret. Et est mirabile, ob vnum aduenam, regem cum tota domo & omni regno, fuisse adeò seuerè flagellatum. Scribunt enim boni authores, propter hoc Pharaonis peccatum, tam hominum, quàm animalium sterilitatem consecutam. Scilicet

Psalm. 145. *Dominus custodit aduenam*, & reges corripit castitati insidiantes.

Roderic. Santius part. 3. Hisp. c. 23. & Toletan. l. 5. rer. Hisp. c. 18. *Alfonsus V. Legionis rex, Theresiam sororem suam cuidam Abdalæ Saraceno Regi Toleti vxorem dedit, vt ei auxilium præstaret, contra regem Cordubæ. Ipsa autem renuens suasit Abdalæ, ne se tangeret, à Christo Filio Dei alioqui percutiendus. At rex impius talia deridens, eam complecti tentauit: sed illicò ab Angelo percussus est, quasi ad mortem. Quare, vocatis familiaribus, sanctam Virginem auro argento ac preciosis vestibus onustam ad Legionem remisit, quæ in monasterio S. Pelagij vitam cælibem fecit.* Si tantus est castitatis zelator Deus, vt nec matrimonio quidem sinat eam minui, via alioqui licita, quantò ardentiùs attendet, ne & illa, & matrimonium vnà saucientur?

VI. Nam illud, quod maximè destinabam, inprimis hinc discitur, Deum esse peculiarem vindicem matrimoniorum. Nesciebat Pharao, Saram esse vxorē Abræ, & tamen ob eam, cum tota domo (aulici quippe eius & domestici adulatores arbitrique formarum, Saræ venustam speciem regi laudauerunt, & ad raptum consilio, manuq; iuuerunt) plectitur, immò cum toto, vt dixi, regno. Quantum necesse est esse peccatum adulterium?

S. Ambr. l. 1. de Abraham, cap. 2. Rectè igitur admonet S. Ambrosius: *Vnusquisque se castum præbeat; alienum non affectet torum; nec latendi spe, aut faciendi impunitate*

punitate alienam incestet vxorem. Non incuria, aut stultitia prouocetur mariti; aut absentia longiore. Adest præsul coniugij Deus, quem nihil lateat, nullus euadat, nemo irrideat. Vicem absentis mariti tuetur; seruat excubias; immò sine excubijs deprehendit reum, antequam faciat, quod parauerit. In animis singulorum, in mentibus vniuersorum crimen agnoscit. Etsi maritum adulter fefelleris, non falles Deum. Etsi maritum euaseris, etsi judicem fori luseris, non euades judicem totius mundi. Ille grauiùs vlciscitur injuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti.

Persimile est, quod de eodem Abraham, in Geraris peregrinante narratur. *Misit* enim *Abimelech rex Gerara, & tulit* Saram. *Venit* ergo *Deus ad Abimelech per somnium, nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & justam interficies. Nonne ipse dixit mihi: Soror mea est: & ipsa ait: Frater meus est? &c.* Ex qua historia multa veniunt consideratione digna. Nam & docetur, quantis homines periculis obijciat forma. Agnouit hoc Abraham, qui *dixit de Sara vxore sua, soror mea est*, qua alia de caussa dixit, nisi quia sciuit plurimos formarum esse insidiatores? Vnde Abimelecho respondit: *Cogitaui mecum dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: & interficient me, propter vxorem meam. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei: dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: in omni loco, ad quem ingredimur, dices quòd frater tuus sim.* Quare non tantùm timuit vxori suæ, propter formam eius, sed etiam sibi, ne eius caussa necaretur. Quàm multos nouimus, ob vxorem, ferro aut veneno sublatos? adeò effrænis est libido, vt nec pudicitiæ, nec vitæ cuiusquam parcat: neque alia est marito mortis caussa, quàm quòd coniugem habeat formosam. Agamemnon quantus dux ab Ægystho adultero interemptus est, qui vt Clytemnestrâ potiretur, per homicidiũ, sibi viam fecit? Igitur Ægysthum aliquem timuit Abraham; nec minùs ipse de vita, quàm Sara de pudicitia, periclitabatur. Verum est, Saram tunc iam fuisse nonagenariã; ea tamen adhuc ætate, tam formosa erat, vt à rege appeteretur; quia nonagenarij tunc erant tam vegeti, ac nostri quadragenarij. Accedit,

VII.
Gen. 20. 2.
Ibid. v. 11.

cedit, Saram præstanti fuisse temperamento; nunquam peperisse, nunquam lactasse; &, vt Torniellus, cum quibusdam alijs, arbitratur, à multis annis, ex quo tempore scilicet sterilem se esse certò deprehenderat, copula conjugali abstinuisse. Eò
Gen, 18. 12. enim spectant illa: *postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Hæc continentia, & illa, quæ dixi, vires & formam seruant. Sicut debilis complexio, crebri partus, lactationes multæ, frequens copulæ vsus, vires eneruant; rugas & senium accelerant. Perdurans ergo, vsque ad nonaginta annos, Saræ forma procos adhuc illexit excitauitq;, quid faciet species puellæ octodecim aut viginti annorum? Temerè igitur castitatem tractant, qui inter has quotidie, sine omni clypeo versantur, toties vulnerandi, quoties alloquendi, à quibus mutuo metu, atque totis se montibus deberent separare. Sara timuit, Susanna non metuat? certè vtraque, vt visa, ita & est periclitata.

VIII. Sed nouit castitatis amator Deus formam defendere, si cum pudicitia coniungatur. Alioqui quid mirum est, si ematur, quæ prostat? Tales merces facilè inueniunt emptores, si sese faciant vænales. Illæ autem, quæ se ipsas custodiunt, etiam à Numine custodiuntur; quod Saræ quoque contigit. Siquidem propter eam ab Abrahamo auulsam, dormienti Abimelech Angelus, per visionem, in imaginatione, objectam, illa verba Dei loquentis, & Abimelech respondentis ita efformauit, vt rex omnino videretur sibi cum Deo colloqui. Erant autem verba minis grauissimis terrentia: *En morieris, propter mulierem, quam tulisti:* & addit caussam: *Habet enim virum.* *Morieris*, inquit, scilicet, nisi eam sciens coniugatam, marito restituas. Et quamuis Abimelech verè se excusârit, se ignorasse eam coniugatam, adeoque simplici, recto, & sincero se animo eam tulisse, atque ita ab adulterio innoxium fuisse: tamen non fuit innoxius ab injuria, tulit enim eam inuitam. Quamobrem vel hac de caussa punitus est. Flagellauit enim itidem & illum summus judex, non modò sterilitate, sed & morbo grauissimo medicis ignoto, eumque impediente, ne Sara abuteretur. Qua in re, dum punijt, impediuit, ne peccaret. Vnde dixit: *Et ego scio, quòd simplici corde*

corde feceris: & ideò custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi, vt tangeres eam. Quibus ex verbis intelligent multi, cur sæpe occultis puniantur, aut velut fibula refrenentur, morbis. Vel enim peccaturi essent, sine hoc capistro, vel iam peccauerunt. Quid ni eos peccati non ignaros plecteret Mundi *Rector?* qui Abimelech, cum toto regno suo, inscium castigauit? Ipsum regem testem habemus: *Induxisti*, ait ad Abraham, *super me, & super regnum meum, peccatum grande.* Cùm enim populus sit aliquid Principis, & quasi pars quædam, siue membrum politicum, solet DEVS regna, propter regum peccata, castigare. Vocat autem *peccatum grande*, vel quia & materiale adulterium, quod ignorans commisisset, censet non esse parui faciendum; vel certè, quia grandem illius peccati vltionem plagamque *grande peccatum* appellandam arbitratur, cùm non rarò, ex effectu, caussæ magnitudo possit judicari. Viderint hîc, qui pensi nihil habent, quamcunque in feminam incidant. Nec enim rara est, & priuata hæc audentia; sed apud multos in consensum vertit, vt dum temerè cupidini litant, in adulteria incidant. Gen. 20. 9.

IX.

Consimilia multa sunt diuinæ, erga coniugatos, prouidentiæ argumenta. Vt, cùm arsura esset Sodoma; tunc enim Lotum cogebant Angeli dicentes: *Surge, tolle vxorē tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarū eius, eò, quòd parceret Dominus illi. Eduxeruntq; eum, & posuerunt extra ciuitatem,* & ignem, & exitium. Famulos, & ancillas, & ipsos etiā generos, qui prædictioni fidē non adhibuerunt, in Sodoma manentes, nequaquam, injecta manu, extraxerunt: extraxerunt autem filias virgines, & matrem virginum educatricem, vt coniugium Loti conseruaretur. Quod sanè cōseruatum fuisset, nisi curiositas, quæ multas perdit feminas, ex vxore statuā fecisset. Æquè igitur DEVS matrimonij curā habet, in periculis flammarum, ac aquarum. Nam sicut Noë, cum vxore, in diluuio; ita Lot, cum conjuge, in incendio, diuinam manum sensit auxiliatricem. Ioachim autem Susannam suam saxis, & calumnijs, quæ quouis saxo sunt duriores, liberatam, cum triumpho recepit: Susannam feminam omnibus numeris absolutam, stirpe, Gen. 19. 15.

Dan. 13. 2. elegantia, educatione, pietate, opibus florentem, vtpote, *filiam Helciæ, pulchrã nimis, & timentem Deum: parentes enim illius, cùm essent justi, erudierunt filiam suã secundùm legem Moysi.* Hæc talis in quod non periculũ peccandi deuenit? sed, quia Deum timuit, & vitiũ, & vitiosos superauit. Quin & à senũ, immò, & judicũ falso testimonio, & à præsentissima morte ac infami supplicio erepta est, Deo Danielem mittente. Sic coniugi coniunx est restituta.

CAPVT XXVIII.

Eadem Dei cura prouidentiaq́, in conseruandis matrimonijs, tam dæmonis, quàm Sanctorum ope duplici, declaratur.

I. Abellam quidam vocant, quod de nobili Lombardo refert Boccatius; quem ait, ad terram sanctam occupandam, Hierosolymitanæ militiæ nomen dedisse; domoque discedentem conjugi suæ annuli signatorij partem alteram reliquisse, cum hoc pacto, vt, si intra triennium, ab ea die, non rediret, vxori liberum foret, arrha hac & symbolo neglecto, alteri cuicunque vellet, marito nubere. Hac lege atque conditione facta profectus, in Iudæa captus est, ac in Ægyptum abductus. Ibi Sultano (quem jam olim, in Europa, peregrinantẽ, licet ignotum comissimo hospitio receperat pater eius) propter parentis humanitatem, virique insignem prudentiam & præclaram dignitatem, mox adeò placuit, vt eum honestè haberet, ac deinde probatis, diutinâ familiaritate, eius moribus, omnibus illum rebus suis præficeret. Iosephum aliquẽ dixisses. Vertente triennio, hic talis oeconomus repentè in extremam incidit tristitiam. Cuius caussam Sultanus multis verborum blanditijs expiscatus, Dijs depulsoribus, seu Auerruncis opus esse censuit. Itaque magum aduocauit, qui illum, in lectulo pretioso consopitum, & magna auri gemmarumque vi onustum, postrema trium annorum nocte, spiritibus baiulis, Papiam in summum templum, deferendum curauit. ÆditVus, eo manè conspecto, trepidus fugit; ac dum alijs in via de spectro narraret Ægyptio, obuiam iam virum eundem habuit, ad ædes vxoris properantẽ, eodem die ipso ab alio sponso, vesperi, do-

mum

mum ducendæ. Vsque adeò in tempore rediuit. Hæc vel fabula, vel historia matrimonij amantem & obseruantem coniugem ostendit. Neque enim tam eum coniugis absentia, quàm coniugalis fidei violatio, quam instare ominabatur contristauit. Ostendit, etiam in Sultano, peculiarem quendam matrimonij fauorem. Quamuis ille, dæmonis ope, ac magica transportatione, malè vsus sit; potuit tamen maritus (quia inscius & dormiens) innocens transportari, diuina prouidentia peccatum Sultani, & obsequium diaboli, fortasse inuiti & coacti, in coniugij incolumitatem conuertente. Quod cur facere non potuisset, cùm legamus sæpe, vel à sanctis Alastorem hunc, quasi mancipium, ad pia officia adactum? Si credimus Marulo, *Antidius Turonensis Episcopus, Cacodæmonem lætum ac gestientem videns, quòd Zozimum summum Pontificem septennio solicitatum, tandem ad stuprum committendum, se impulisse diceret: haud cunctandum ratus, illi præcepit, vti se eadem celeritate, qua venerat, Romam perferret. Die altero Pontificem adijt, relatisq; , quæ de illo dæmon iactauerat, ruborem ei pauoremq; injecit; & confitentem protinus ad pœnitentiam conuertit; eodemq; vectore vsus, diei spacio ad Turonem redijt. Timuisset se se dæmoni credere, nisi proximi charitas foras misisset timorem. Cuius quidem charitatis merito effectum est, vt is, qui Papam corruere fecerat, Episcopo obediret.* Quæ si vera sunt, nemo in calumniam rapere debet, quasi & Antidius vir sanctissimus, arte magica sit transuectus, more sagarum. Aliud est, potestate diuina diabolo imperare; aliud ei se obstringere, &, venditâ animâ, illius emere obsequium. Alioqui, si magus est, quisquis se sinit à malo spiritu exportari, Christo ipsi hoc crimen impingemus, quem *assumpsit diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Nisi fortè aliud sit Romam, aliud Hierosolymam deportari. Maneat igitur, Sultanum & Magum, in mali dæmonis ope imploranda, peccasse; peccatum tamen vnius aut alterius, diuinæ sapientiæ arte, in bonum coniugij redundauisse.

Marc. Marul. lib. 3. c. 2.

Antidium habet Martyrolog. Vsuardi. die 25. Iun.

Matth. 4. 5.

II.

Quod verò sacræ litteræ docent, vniuersi gubernatorem factitasse, vt coniugiorum integritas, sarta tecta conseruaretur, id, ne fabulâ duntaxat stabilitum videatur, etiam alia non absimili

mili, sed verissima historia lucidissimè potest confirmari. Itaq; hîc illam quoque recensebo, quam ex Belle Forest, etiam alij sibi, tanquam plurimum admirationis habentem, narrandam existimauerunt. Igitur *historia à maioribus tradita talis est. Circa annum 1386. regnante, in Gallia, Carolo VI. maxima pars nobilitatis Gallicanæ in Hungaricum regnum, illud contra irruptiones Turcarū defensura, abijt. Inter cæteros autem nobilis, sed vegetus adhuc & robusto corpore, ac miles sanè egregius, maximo desiderio, ad hoc bellū sacrum, anhelabat; gloriosum reputans, si pro defensione religionis vel vitam impenderet. Vxor eius honesta piaq; domina, sed iuuenis viriq; sui vnicè amans difficillimè consensum præbebat, sed cōtinuis tandem, immò importunis eius precibus expugnata fecit illi potestatem exequendi, quod volebat. Omnibus itaque ad hoc iter comparatis, quæ equestris ordinis nobilem decebant, vxori valedixit, atq; mutui amoris aliquod inter eos symbolum, vt superesset, diuiso aureo annulo, quē gestabat, ac vna medietate sibi reseruata, alteram illi tradidit, & statim, cum cætera nobilitate Gallica profectus plurima & raræ prudentiæ & fortitudinis signa, in bello hoc, edidit. Verùm peccatis Christianorum hostem armantibus, ipse victor nostros debellauit, adeoq; protriuit, vt penè totus Christianorum exercitus, in acie ciderit, plurimiq; nobiles, inter quos & ille, in Turciam captiui abducti sint. Conabatur ipse, plurimis vijs, pro redemptionis pecunia, ad vxorem litteras transmittere. Sed neq; ipse responsum, neq; vxor litteras accipiebat, adeoq; septennium integrum varijs molestijs subjacuit, cùm frequenter venum iret, & varios sortiretur dominos, qui omnes, vt hominem senem & inutilem, & de lytro desperantem, dedignabantur.*

Ludouic. Richeom. in Peregrin. Lauretan c. 145.

Euoluto autem tandem ferè septennio, incidit in potestatem inhumani, & verè crudelis cuiusdam heri, qui videns se spe lucri, quod captiuus pro sua redemptione promittebat, frustrari, statuit eum ex hac vita amoliri, executione cuidam seruo demandata, quod nobilis intelligens, frustra quoq; omnem suam spem esse, resumens ex desperatione animum verè nobilem ac Christianum, statuit se ad mortem patienter perferendam comparare. Verùm ad diuinum, vbi humanum iam deficiebat, auxilium inuocandum se priùs contulit, commendauitq; se S. Iuliano, cui semper deuotus fuerat, addito voto, se ei sacellū ædificaturum, si eius precibus, diuina ope, ex his angustijs eriperetur.

Quo facto, obdormiuit, & post paululum experrectus, cùm se putaret adhuc in ergastulo, in quo mortem operiebatur, hærere, solutum catena seruili, & in medio cuiusdam syluæ se esse deprehendit. Primo autem aspectu arbitratus est, somnium esse, & adhuc pristino se carcere teneri, vt in similibus admirandis casibus, & spem nostram excedentibus euenire solet. Quemadmodum & S. Petrus ab Angelo arctissima custodia eductus, putabat, se visum videre: demum probè in consilium aduocatis sensibus, cùm cælum terramq; aspiceret, arbores contrectaret, persuasit sibi tandem se precibus Sancti, in aliquod Turciæ desertum translatum, vt hinc tandem ad suos redire posset. Deinde huc illucq; respiciens aliquot puellas pecora pascentes aduertit, quas idiomate Turcio appellans, rogauit, quænam illa sylua esset: illæ putantes hominem loqui latinè, vel Anglicè, dixerunt Gallicè, nescire se; quid vellet; Quod cum audiret, cœpit multò magis dubitare, ne fortè somniaret, & quasi somnians ait ad eas Gallicè, quænam est hæc sylua? Illæ verò, Baqueuille, aiunt, quæ sui juris erat, quam millies venando peragrârat. Totus itaq; attonitus, oculos huc illuc circumferens, vt sensuum suorum experimentum faceret, agnouit demum se non somniare, sed verè, in Normandia, & Castello suo proximum esse, statimq; eò contendit

Recta iam ad Castra contendebat, cùm maximam nobilium turbam sensim se eodem conferre vidit. Portarium adiens, se, dixit, colloquium Dominæ optare: cui Ianitor: quid eam vis? Magni ponderis negotia mihi cum illa communicanda sunt, respondit senex. Et ille, difficillimum id erit, nam benedictionem matrimonialem iamiam susceptura ad missam se audiendam parat. Stupefactus Dominus ampliùs alloquium vrsit, sed ianitor indignabundus, operam, obiecit, perdis, nihilominus tamen Dominam adiens, dixit, ad portam heremitam quendam astare, qui eam verbulo conuentam vellet. Matrona erat verè pia, & studijs Eleemosynæ apprimè dedita Et iam septennium maritum luxerat, omniumq; suorum iudicio & consilio quasi adacta, ad secundas nuptias pergebat. Putans autem heremitam Eleemosynam petere, Præfecto domus iussit largam elargiri, & si quod speciale vellet, id ad se referret. Abijt Oeconomus, eiq; coronatum aureum obtulit. Cui senex Eleemosynam haut peto, sed obnixè te rogo, vt dominam, antequam ad sacrum pergat, alloqui liceat,

cui si persuaseris, vt me audiat, fidelis ministri partes impleueris. Præfectus suspicatus, quod res erat, ascendit, dixitq́; : Domina mea, verbum habet ad te, additq́; necessarium esse, vt, antequam sacrum accedas, te alloquatur: author tibi sim, vt ad inferiorem aulam descendens hominem audias, quis scit, si forte de morte aut testamento mariti tui Domini nostri aliquid certi apportet? assentitur. descendit, & seorsum, iuxta fenestram quandam se collocat.

Bonus senex lento gradu accedit, per mediam transiens aream, omnibus, cum admiratione, eum intuentibus. Aspiciebant enim macilentum & exsanguem senem, totum canum, prolixa barba, capillitio malè pexo, & more Turcico, lònga synthesi vestitum. Veniens verò in matronæ, nuptiali iam vestitu apparatæ, conspectum, profundè se prius inclinans ad eam ait: Domina, ex Turcia recens aduenio, noui ibi aliquando hominem, qui se Dominum in Baqueuille appellabat, vesterq́;, vt modò intelligo, maritus, & huius loci Dominus fuit. Septennium est quidem, quòd in clade Hungarica, cum plurimis Gallicæ nationis hominibus, in hostium potestatem deuenerit; diu lytrum pro se exsoluendum exspectauit, plurimasq́; interea temporis molestias pertulit, Elapsò anno, nullum ne nuncium aut litteras accepistis? Cui illa: Ah bone vir, iam septimus illius discessus agitur annus, ex quo neque litteras, neque nuncium ab eo vllum accepi, adeoq́; credimus, eum obysse; si enim sciuissemus, vbi locorum detentus fuisset, neque aurum, neque argentum impedimentum posuisset, quo minus ad libertatem pristinam reduxisset; atque vtinam consilys suæ charissimæ coniugis morem gessisset, nunc adhuc, procul dubio, viueret; neque tantis molestijs incommodisq́;, quæ eum tolerasse, & vereor, & lugeo, subiacuisset; nec tot curis & angustijs cor meum, & suum afflixisset: eoq́; dicto, in lachrymas prorupit: subiunxitq́;, nihilné præterea de illo habes? nam, sine causa, te mihi loqui voluisse minimè reor. Bonus senex ex verbis & gestibus vxoris colligens, se adhuc eidem incognitum, respondit; quid si eum tibi exhiberem, putásne agnosceres? cumq́; illam videret colorem mutasse (nam illa verba cordis eius ima penetrabant) familiari alloquio vsus dixit: Amica mea, nunquid agnoscis Baqueuille maritum tuum, & hoc dimidium annuli, nostri amoris mutui symbolum? Ipsa pignus aspiciens, & hominem cominus intuita, agnouit mox vultum & vocem

mariti

mariti pristinam, & lachrymabunda cum amplexans exclamat, ô Domine ac marite mi, & inter hæc decidit in animæ deliquium, quam ipse debilis, vt potuit, sustentabat. Magister aulæ cæteriq; ministri, qui in altera atrij parte confabulantes consistebant, & nihil horum audierant, visis his amplexibus, protinus accurrerunt, dominumq; suum agnouerunt. Nec mora; toto castro huius tam insperati nuncij mox fama percrebuit: & nuptias, non nouus sponsus, sed antiquus maritus celebrauit:

Ibi enim mira omnium mutatio, ingens gaudium amicorum, incredibilis cognatorum lætitia, stupenda exultatio ministrorum, maximus omnium applausus; sed inprimis attonitus vetulum hunc sponsum sponsus nouus admirabatur, qui capere non potuit, conuiuio nuptiali, à se parato, alium præesse. Sed tandem & ipse Deum laudauit, qui spurijs nuptijs impeditis, coniugium primum verumque tam opportuno tempore, accito, ex ipsa Turcia, legitimo marito, sartum tectum conseruasset. Neque nobilis ille voti immemor fuit. Siquidem S. Iuliano sacellum pulcherrimum exædificauit, & non diu post piè, in Domino, obdormiuit. *Barba eius & capillitium testudini sacelli affixa, velut insigne huius miraculi testimonium, longo tempore, & adhuc, vt ante quadraginta annos, à pluribus visa fuêre, & fortè hodie cernuntur.* III.

Quanta, in hoc casu inest Numinis prouidentia? quanta cura, ne matrimonij sanctitas inquinaretur? Post septennium, ex ipsa Turcia, senem paucis horis, non jam per atros, sed sanctos per angelos, curat transportari, vt illegitimas nuptias detegat, adulterium impediat, & legitimum coniugium non interrumpi patiatur. Et quanquam viri probitas, inuocatio S. Iuliani, castitas vxoris meruerint custodiam Dei peculiarem, doceantque, adesse diuina auxilia coniugibus sese mutuo, in Christo, castè diligentibus; monentur tamen vel viri, vel feminæ, ne sint præcipites ad secundas nuptias celebrandas, si de prioris coniugis morte certò nihil constat. Nec Gorgo antè nupsit, quàm sciret Leonidam suum, in bello contra Persas suscepto, obijsse, licet à Leonida discedente monita esset, ne vidua maneret, sed filios Reipub. educaret. IV.

Plutarch. in Lacon. apoph.

V. Quàm crebros videmus eiuſcemodi contingere errores? præſertim eo tempore, quo à coniugibus maritos bellum aliò abſtrahit? Verum eſt, non modò, in prælijs, occumbere multos, ſed etiam in caſtris plurimos lue, fame, infami arbore abſumi; aut inter prædandum occidi: num idcirco quæuis domi vxor libera eſt, atque à matrimonij vinculo abſoluta, quia ſcit eiuſmodi accidere? Nequaquam. Poteſt eſſe belli mortuus maritus: poteſt & viuere. Cur illud potiùs præſumitur, quàm iſtud? Quàm multæ hîc feminæ peccauerunt, viros, nimia nubendi celeritate, geminando? quod cùm huic tam fideli viriq; ſui amanti contigerit, quid timendum eſt, de feminis procacibus, & virum vltro rapientibus? quarum libido, ne ad bienniũ quidem, ne dum, per ſeptennium, abſentiam mariti poteſt tolerare? Quidquid ſit de pacto, quidquid de coniugio, quidquid de ſacramento, dummodo virum habeant, dummodo libidini fiat ſatis, non curant, vt Deo fiat ſatis. At Parochi debent curare, curare debent & confeſſarij. Hi conſcientiæ ſtimulos addant, & quanti ſit res momenti, admoneant: illi ſciant, non ſufficere, ad permittenda eiuſcemodi matrimonia, maritum ad bellum iuiſſe; iuerunt & alij, ſed rediuerunt: neque ſatis eſſe abſentiam diuturnam. nobilis iſte, toto ſeptennio, abfuit, neque tamen id ad legitimum aliud matrimonium ſuffecit: multi viginti, multi triginta annis domo abfuerunt, neque tamen licuit ad ſecunda vota vxori tranſire. Ipſe, in fabulis, Vlyſſes toto decennio, ad Troiam hæſit, nec tamen Penelope, in Ithaca, ſeu procorum, ſeu porcorum totis armentis ceſſit. Et juxta leges, quiuis præſumitur 100 annis poſſe viuere. At nihil de abſente auditum eſt? quid tum? etiam maritus in caſtris nihil audiuit de ſua vxore; num idcirco aliam ducere illico debet? At cur litteras ſaltem domum non miſit, vt conſtaret viuuſné eſſet coniux, an ad plures iuiſſet? Quid ſi litteras ſcribere neſciat? quid ſi ſcripſit, ſed litteræ vel ab hoſte ſunt interceptæ, vel caſu interierunt? Quid ſi, vt hic prædictus nobilis, ab hoſte captus, atque in Turciam, Sueciam, vel in ipſam Mauritaniam abductus eſt? Nunquid è Turcia nobilis iſte ſæpius ſcripſit? nuncquid ſolicitus fuit, vt litteræ ad vxorem, & inde lytrum ad ſe

L. fin. C. de ſacroſ. Eccleſ.



ad se veniret? sed quis, apud barbaros, immo apud hostes tam fidelis est, quis eum laborem sumit, vt litteras perferat? Frustra ad litteras prouocamus, cùm eæ haberi non possunt. At miles auditus est, qui diceret, se putare mortuum esse Sempronium in bello? Credisne tu, vxor, tu Confessarie, immo tu Paroche, quod miles putat? & miles talis, cui vel iuranti fides non esset adhibenda? Vt ergo fas sit alteri nubere, necesse est, vt de morte prioris coniugis moralis sit certitudo; de qua debent viri docti atque sapientes æstimare, num scilicet omne prudens dubium excludat. Certè pro primo coniuge stat possessio, ac præsumtio, quam non decet per argumenta solùm probabilia elidi. Hæc si attendantur, tunc matrimonio aderit protector Deus. Quia polygamia à diluuio vsque ad Euangelium concessa reuocata est, vt non fas sit vnà plures ducere, juxta illud: *Erunt duo in carne vna.* Præpos. q. 7. n. 163. Bonacina q. 3. p. 10. n. 12. Sanch. l. 2. d. 46. n. 7. Matth. 19.

CAPVT. XXIX.

Illicita pluralitas vxorum in quantas tricas coniiciat?

Varundam mulierum, aut etiam virorum tanta, non jam ignorantia, verùm etiam nequitia est, vt, nullâ sacramenti reuerentia, nullâ sponsionis fide, nullâ Numinis irâ aspectâ; non tantùm coniuges, sed ipsa etiam conjugia mutent. Ea nimirum est nonnullorum leuitas, vt toties illis noua placeant matrimonia, quoties nouus placet maritus, aut noua vxor. Dummodo magistratus nesciat, nihil pensi habent, quid conscientia latret. Cererem & Venerem, hæc sola duo idola, aduenerantur. Satis illis est, vt comedant & ludant. Quoties igitur prioris coniugis satietas est, cogitant, qua via ab eo discedant: & satis magna diuortij caussa est, displicuisse. Si læsit pars altera, ab altera fuga circumspicitur, & titulus inquiritur, vt nec sponsus, nec consponsus obstrictus videatur. Ad hoc nulla non janua, nulla non rima tentatur. Fingunt, consulunt, mentiuntur, vt impedimenta obtendant, vt connubia dirimant. Iam se aiunt violentè in eum statum coniectos; I. Sanch. l. 4. d. 14. n. 1.

animo nunquam consensisse; cùm tamen *matrimonium sit mutuus contrahentium consensus;* ac proinde non coniungat, qui inuitos coniungit; & fictus consensus sit, in foro conscientiæ, nullus. Quare, tametsi in foro externo, juxta præsumtionem & verba data, procedatur; tamen, vt malitiæ suæ mantelum oppandant, Confessario dicunt, se seriam voluntatem non habuisse. Aliàs aiunt, se ebrios fuisse, cùm annulum darent, inter choreas, & ad matrimonium ineundum se obligarent; aut personam, cum qua contraxerant, non sciuisse, quæ esset; adeoque voluntatem rem incognitam non appetijsse. Siquidem *errantis nullus est consensus.* Quid dicam de ijs, quæ viros vt frigidos, aut nimis calidos, aut maleficio vinctos falsò accusant? Multa talia inquirunt à doctis coniugij impedimenta, & obices, quæ cuperent impediri, aut qui aliam habere vxorem mallent, quàm suam. Vt enim viam sibi faciant ad illicita, ea quæ verè impediunt, sibi adesse fingunt, *ad excusandas excusationes in peccatis:* Sic Domino concordiam amanti repugnant serui: sic, quod Deus coniunxit, homo audet separare: sic color quæritur, ne caussa deesse videatur.

Sanch. lib. 2. disp. 34. lib. 7. disp. 18. lib. 15. de jurisdict. omnium judicum. l. 8. & 9. c. de jurisd. & pact. ignorantia. Reg. 117. ff. de reg. juris.

II. Quin sunt viri feminæque, qui, nullo prætextu quæsito, coniuges mutant, sicut chartas lusorias; & quoties in alias terras migrant, alios quærunt tori consortes. A diluuio ad Christum vsque haud illicitam fuisse polygamiam ostendunt exempla virorum, in diuinis litteris, laudatorum. Abraham Saram habuit, & Agar. Iacob Liam & Rachel, Balaam & Zelpham. Helcana Annam & Phenennam. Moyses Mariam & Æthiopissam. Quin & Esther Assuero nupsit, jam antè pluribus coniugijs implicito. Nimirum, ob communem humani generis multiplicationem; id concedebatur viris quidem, non autem feminis, ne proles confusione seeminũ destrueretur, aut incerto patre à nemine curaretur, multarumúe caussa esset discordiarum. Nunc autem ne viris quidem conceditur; vti neque à primo instituti matrimonij tempore, vsque ad diluuium, concessum fuisse, ex eo apparet, quòd nemo tunc, præter impium Lamech, legatur simul plures vxores habuisse; juxta illud: *Erunt duo in carne vna,* Tametsi enim etiam tunc, & quidem maximè neces-

Gen. 6. Gen. 29. & 30. 1. Reg. 1.

Sanch. lib. 7. disp. 80. n. 15.

Gen. 4. Gen. 2.

Matth. 19. 8. de diuortijs c. 3. de sponsa duorum & Trid. sess. 24. can. 2.

necessaria erat hominum multiplicatio, alia tamen ratione consulebatur illi, per longam hominum vitam, qua efficiebatur, vt ab eodem progenitore videri possent *Et nati natorum, & qui* ab illis nascerentur. Poterat enim vtique vnus sexcentis, septingentis, nongentis annis, plures gignere; quàm cum hominum senectus octoginta annis circumscriberetur. Quod autem tunc longæua ætas; quod à diluuio vxorum pluralitas faciebat; iam compensat ipsa mortalium multitudo: aiuntque nonnulli Doctores, positiuâ Matrimonij institutione supposita, juri naturæ polygamiam repugnare, neque in vllius potestate esse; vt plures simul ducat vxores: eò quòd contractus circa rē, in quam neuter contrahens jus habet, jure naturæ sit nullus. Hinc inter dirimentia Matrimonij impedimenta numerantur *Ligamen*, seu *vinculum matrimoniale, quo vterq; coniux alteri sic alligatus est, vt, eo superstite, cum alio validè contrahere non possit.* Qua de caussa & Paulus scribit, mulierem, *quæ sub viro est*, esse *legi alligatam.* Hoc jus naturæ, quia positiuam DEI legem supponit, ab Ethnicis potuit ignorari: potuitque, in eo, mutatâ materiâ, per submotionem circumstantiæ, malitiam in rem alioqui honestam, aut indifferentem refundentis, Deus impropriè dispensare, quod & fecit ad tempus; nempe à diluuio, vsque ad Euangelium. Nunc autem non dispensat. Dispensat tamen scelerata hominum audacia, ob hoc ipsum digna venire in mille Labyrinthos. E quibus tamen ipsis, quàm clementer eos benignum Numen educat, si resipiscant, accipe historiam, quam eximius ille SS. Theologiæ Doctor & Professor, qui, tempore Concilij Constantiensis & Basiliensis, floruit, his ipsis verbis memorat, præfatione illa præmissâ: *Rem gestam, infra octo annorum spacia, me teste noueris.*

Sanch l. 7. d. 7. n. 8. Bonac. q. 3. p. 13. n. 3. Con. d. 26. n. 25. contr. Val. d. 10. q. 1. p. 3.

Rom. 7.

III.
Ioan. Nyder. lib. 3. Formicarij c. 3.

Est in diœcesi Basiliensi hodie femina Deo deuota, pauperibus larga, quia plena operibus misericordiæ, secundùm sæculum non infimi status, sed cuidam viro juncta matrimonialiter modis iam dicendis. Hæc, quia pulchra fuit, in suæ juuentutis tempore, & sub nullius regimine, ab multorum virorum astutijs, velut ab vrsis formica deuorata est: nam vltra, quàm credi potest, miserabiliter animam perdidit, diuersis & incompatibilibus matrimonij contractibus, præpedi-

ente juuenili insania. Diu hanc latuit, quot laqueis compedita jaceret in potestate diaboli, reti eiusdem inuoluta, tandem tamen, ex operibus, credo, misericordiæ, quibus semper insistebat, illuminata est aliqualiter, circa annum ætatis suæ tricesimum sextum. Me autem prædicante, in prædicta diœcesi, consilij gratia ad me venit, post multos, quos præconsultos habuerat, qui, vt expertus sum, animam feminæ fatuis consilijs non juuabant, sed potiùs interemerant vel neglexerant. Cumq; fletu tanto inundaret, vt Magdalenam alteram credidisses, nisi quòd ad pedes peccatoris non procidit, & ego, quid haberet tristitiæ, ab ea quærerem, tandem subjunxit. Pater, ego peccatrix parata pœnitere, omnibus modis mihi possibilibus, & satisfacere, quatuor viros habui, & quem nunc habeo, non est meus, cum his omnibus per verba de præsenti contraxi, & ex his viuentes tres hodie supersunt. Quibus auditis, satis obstupui, sciens quòd talibus perplexitatibus summam oportet dare operam, si enodare quis quempiam velit. Vnde, inuestigata diligenter causa, quam priùs nesciueram, didici, quòd de omnibus viuentibus difficultas aderat. Nam de mortuo, si quod fuit ligamentum, illud cum vitæ termino solutum erat. Primum enim virum, ex viuentibus percepi, antea cum quadam contraxisse, licet clandestinè, & ita in foro conscientiæ ab eodem liberam esse. Cum secundo clandestinè etiam contraxerat, & consummatum fuit matrimonium carnali opere, sed ipsa hoc perjurio negante, coram judice ecclesiastico, diuortiata est ab ipso viro secundo. Cum tertio verò postmodum contraxit in facie ecclesiæ, cum quo iam domicilium habuit, & natos quosdam. Et quid inter hos duos consulerem, vt anima adulteræ salua fieret, anxius valde fui. Erant enim ambo viri animosi ad arma nutriti, rebus ditati, amicis vallati, ad incontinentiam proni, & juxta communem existimationem, in conscientijs valde lati. Vnde vidi, quòd quamuis jure fori femina vxor esset tertij, non tamen jure poli, sed tantùm secundi, à quo, periurio mediante ipsa diuortiata extitit. Et, quodcunque juberem, videlicet, *manere cum tertio, vel redire ad secundum, aut ab vtroq; se secernere, in foribus semper aderat ex vna parte aut verisimile homicidium, aut alterius mortalis criminis periculum. Nam si jubere volui reditum ad secundum, sequebatur hæc inconuenientia verisimiliter, videlicet, primò quod Zelotypia motus tertius secundum, via facti, inuaderet & occideret. Secundò*

cundò quod femina cum ſecundo manere nequiret, quia diuortij celebratio obſtitit facta in judicio eccleſiæ. Quamobrem omni jure humano eam tertius à ſecundo obtinere poterat, immò excommunicare. Tertiò, vita feminæ ſic fuiſſet in periculo vtrinq;, dum ille tanquam perjuram; vel iſte velut adulteram trucidare valeret. Sileo de nota infamiæ ſuper facto juramento, quod perjurium eſſe nemo niſi ipſa, & fortaßis ſecundus ſciebat, quod, propter contractum clandeſtinum, probare, contra eam, non potuit, nec feminæ crederetur verbis, ſi ſeſe in hoc infamaret. Si deniq; ex aduerſo feminam ſinebam manere cũ tertio, ſequebantur mala animæ in ipſa deteriora, quia quotiens à viro tertio cognoſcebatur, totiens adulterium commiſit, non ſuo marito in hoc obediendo, qanquam ipſe hoc exigere poſſet, quem perjurium putatæ vxoris latebat, non autem ipſa vice reciproca, quæ impedimentum non ignorabat. Et ſi ſuadere volebam, vt cum tertio velut ſoror eius caſta maneret, hoc quidem ipſa paratißimo ſubijſſet animo, ſed ipſe velut incontinens jure exigendi debitum nullatenus carere voluiſſet, prout ex multis conjecturis videre poteram. Porrò ſi mediam viam feminæ conſulere volui, videlicet, receſſum ab vtroq;, tam habitatione, quàm thoro, pericula multa intuebar obuiære, quia ſi poſita eſſet in monaſterio, tunc nullæ prudentes eam ad profeßionem recipere debebant, viro viuente inuito. Si verò extra monaſterium latentiam ei conſulere volui, quod plus mihi placere cœpit, vt animam ſaltem ſaluare poſſet, terrebat me; quòd pulchra facie & ſexu fragili vix tuta caſtitate, maneret, vel quod tertius zelotypia motus fugientem letaliter inuaderet. Neſcit enim iſte femineus ſexus ſe, ſicut maſculinus, cælare vel tueri. Quid igitur aſſertiuè conſulerem ad præſens non habui, niſi quòd pœnitenti reſpondi, eam conſolando, vt Deum, ſine intermißione, pro ſua liberatione inuocaret, eleemoſynas pauperibus (quia lucroſa valde fuit) pro ſe, & pro tertio viro, erogaret, & quid ſibi conſulerem deliberatior factus, & ſimiliter alij prudentes viri, parato animo, omnino ſuſciperet. Ad quæ verba cõſolata aliquantiſper abſceßit. Interea libros conſului quibus me juuare non potui Deinde Nurenbergam veniens plures diuini & humani juris Doctores ſimul collectos cauſſa conſilij adij, quibus paratum animum feminæ, & laqueos, quibus perplexa eſſet, patefeci: ſed reſponſum nullum habere potui deciſiuum, propter pericula, quæ hinc inde adeſſe videbant, qua-

cunq; via attentata. Postremò tamen sanctæ memoriæ Abbas sancti Ægidij beati Benedicti ordinis, magister Henricus, qui in sæculo Doctor juris existens, & mundum paulò antè reliquerat, ob reformationis nouellæ opus factum, in dicto monasterio, Bono, inquit ad me, estote animo. Si femina tam boni est propositi, & adeò pia in pauperes, ac dotata donis, quæ de ea dixistis, mihi credite ipsam Deus illuminabit, vt videat quid faciendo in statum ponatur salutis. Redij interea ad feminam, & vltimum modum fugæ supra tactum sibi suasi. Ad quem cùm se prepararet, de quo tamen mihi periculum non modicum corporis, & sibi maius, & fortè alijs imminere poterat, affuit diuina gratia, quæ quæstioni difficillimæ solutionem dedit facillimam. Sibi enim incidit, vt quotiescunq; vir tertius debitum exigeret, ipsa se per huiusmodi obedientiam, lethalem infirmitatem contrahere fingeret; &, ne id mendacium esset, ad animæ infirmitatem hoc mente-tenus apud se retorqueret, ex qua infirmitate animæ, scilicet per mortale crimen, certum est, secundùm nostram fidem, quemq;, ne dum animæ, sed etiam corporis perpetuam mortem subire. Ita fecit, vt cogitauit, & diuina arridente gratia, vir prius incontinens feminæ compati cœpit, quam in alijs veracem sæpe esse didicerat, & vsq; modò iam annis plurimis eam tantummodo vt sororem habet intactam, nec de adulterio viri quicquam aliunde male audiui. Audiens ego hanc castimoniæ nouam & piam delusionem, atq; raram practicam, lætus ita fieri permisi, ex qua nulla iam sequebantur incõuenientia; quin immò virum, quem tanquam vrsum prius habuit, iam velut ouem Iosephin castitatem deduxit.

IV. His ita narratis, Piger, cum quo, super formica, dialogum instituit supradictus Author, subjunxit: *Cur laudare audes feminam, in eo, quo mendacium dixisse videtur, & ficte ambulasse? Cùm enim fœtus plures à viro præhabuerit, & obediens ei non lethaliter vexaretur, mendacij rea sui videtur.* Ad hæc respondet Theologus. *Verba feminæ veritatem continebant, & sonabant, non tamen ad cuiuslibet hominis intellectum. Certum enim fuit, quòd obediendo vtriusque hominis mortem incurrere meruit, primùm animæ, per adulterium; & corporis pariter & animæ, post finale judicium, perpetuam mortem habuisset. Nec semper mendacium quis loquitur, cùm ab eo veritas aliqua obticetur: nec fictio quæuis mendacio coæ-*

quatur. Et quid si scriptura sacra obstetrices laudat Hebræorum de zelo clementiæ, quem in Deicolas habuerunt? non in falsitates, quas expresserunt? Ita & hæc femina plurimum est commendanda, quæ diu noctuq; extra torum constituta legitimum, sed in eadem domo, cum viro alieno habitans, tantum Dei præceptum in adulterio transgredi metuebat, vt viri induta animo, vsq; modò, multis annis iam vitam castam ducat. Exod. 1.

V.

Esse viam emergendi ex hoc etiam barathro, quamuis profundo, & in speciem ineluctabili, testata est, in hac historia, diuina bonitas. Sed patuit etiam, in quas sese tricas, & in quanta pericula conijciant; qui coniugij iugum periurè, vel alia arte, excutiunt. Transeunt enim de vrticis in spinas; &, dum sarundinem vitant, incurrunt in lanceas. Eiuscemodi enim sepes opposuit Deus, ne matrimonia obuiolarentur; qui vltor est Sacramenti iniuria affecti. Nam, *si superueniens maritus* ait S. Cyprianus, *sponsam suam iacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? & per zeli dolorem fortaßis & gladium in manum sumit? Quid Christus Dominus & judex noster?* Vtique inultos non relinquet sacramenti à se instituti destructores. Aiunt Prometheum olim, Saturni lege, perpetuis vinculis ab Ioue damnatum, sed ea conditione statim liberatum, vt annulum ex lapide ferroque gestaret, ne omnino à pœna videretur liber. Per annulum catena annulis constans significabatur. Hac etiam de caussa triplex vinculum indicatur triplici vsu annulorum. Annulus enim sigillarius est custodiæ index; annulus honorarius monet gestantem dignitate obligatum. Annulus autem pronubus, seu nuptialis sponsalium obstringit coniuges vinctosque tenet, ne habeant, aliò cogitandi libertatem. Et debet vtrique coniugum coniugum alter æquè charus esse, ac Samio illi Polycrati dilectus fuit annulus inclusum habens ingentis precij smaragdum: qui in mare abiectus capto relatus est pisce. Nempe vult & sponsalem annulum DEVS, non abijci, sed apud primum dominum dominámue permanere. Est enim matrimonium plus, quàm Vlysseius nodus. Hinc etsi Xenophon rectè tradat, annulo nuptiali vxori dato, significari custodiam rerum domesticarum ad illam pertinere; obseruat tamen

S. Cyprian. in epist. ad Pompon.

Herodot. l. 3.

Lud. Cæl. l. 4. Antiq. lect. c. 3. 12 l 4. & Pier, Val. l. 41.

tamen Cælius & alij à priscis Christianis sponsalem annulum arrhæ nomine datum signo fidei insculptum, hoc est, iugatarum inter se manuum dextrarum. Hoc enim est hieroglyphicum fœderis, & concordiæ mutuæ, apud omnes pænè gentes: atque ex ea coniunctione numerus quadratus efficitur, hoc est, denarius, qui à Pythagora dicebatur prima quadratura, hoc est, perfecta consensio animorum.

CAPVT XXX.

Cur Deus matrimoniorum author & custos, tam multos maritos, aut tam multas vxores malas esse permittat? & quænam sint contra malas mulieres remedia?

I. Vm matrimonia & à natura, & à DEO, atque eapropter bona sint, ac ab ipso naturæ authore & concilientur tam prouidè, & tam mirificè conseruentur, cur in eo tot mala permittuntur esse admixta? quo istud judicio facit Deus? Siquidem ea mala, neque ipse laudator matri-
1. Cor. 7. 27. monij Paulus Apostolus dissimulans scripsit: *Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti. Et, si nupserit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Cur tribulationem? Ad hanc quæstionem generalem, generalis primùm danda est responsio. Postea ad peculiaria mala, etiam peculiariter atque ordine respondebitur.

II. In primis igitur, quando vniuersim quæritur, cur mala statui bono admisceantur, vniuersim respondetur, id fieri 1. easdem ob caussas, ob quas homines cuncti, & omnis mortalium status mala multa cogitur sustinere. Cur enim à tribulatione coniuges exemti essent, si non sunt exempti Religiosi, & Deo ex toto addicti? 2. Sicut mala arbor malos fert fructus, ita peccatum, quo nihil est peius, mala Mundo inuexit. Peccatori
Gen. 3. 17. enim Adæ dictum est: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas*

nas & tribulos germinabit tibi. Si tribulos, & tribulationem. *Propterea, sicut per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt;* ita pariter pertransierunt tribulationes. 3. Mare, nisi salsum esset, computresceret; fæteretque, nisi fluctibus ac procellis agitaretur. Ita coniugia nimis quieta, facilè degenerarent in corruptionem, si non subinde malo aliquo, velut sale, aspergerentur. Interrupta tristitijs suis luctibusque voluptas memoriam renouat voluptatis, in cælo, nunquam interrumpendæ. Nec terrena ista nausearemus, si nulla in eis inesset amaritudo. 4. Nemo, sine cruce, & patientia, cælo est dignus. Si enim *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam,* seruũ Christi fortasse pati non oportebit? Si viride lignum iniectum est in fornacem tribulationis, aridum cur eodem non conijceretur? Quamobrem ipse Seruator ait: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Rectè autem ait, *crucem suam;* quia quisque habet, in quocunque statu, *crucem suam;* alius hanc, alius illam. Quidam, quia vxorem non habent; quidam, quia habent, cruciantur. Vtrique bene faciunt, si crucem suam seruant. Hoc enim suadet Apostolus dicens: *Alligatus es vxori,* velut cruci? *noli quærere solutionem.* Quia illa crux tibi data est, vt te ad cælum extollat. *Solutus es ab vxore,* & hoc te cruciat? *noli quærere vxorem,* ne magis crucieris. 5. Medea venefica Iasonem deperibat; cui cùm nuberet Glauca regis Creontis filia, Zelotypa illa saga, ipso nuptiarum die, coronam misit auream, vt ex Euripide discimus. Glauca nescia, quid dona hostium possent, in ea corona triumphatura, capiti illam imposuit. Quo facto, illico exarsit flamma, ex qua sponsa obijt. Inuidet, jam ab initio Mundi, humanæ naturæ eam dignitatem diabolus, quæ in matrimonijs illius, Christi cum Ecclesia coniunctionem significantibus, eminet. Quare nullum non lapidem mouet, vt matrimonia disturbet: & sæpe ibi, vbi videtur porrigere coronam, suscitat flammam. Hinc tot videmus conjuges ira, libidine adultera, odio, vindicandi cupiditate inflammatos. Nec raro, qui se arbitratur in mulierem auream incidisse, experitur, eam

Rom. 5. 12.

Luc. 24. 26.

Matth. 10. 38.

1. Cor. 7. 27.

Euripides in Medea.

plumbeam iram habere. Denique pauci sunt, qui vxores suas non vocent *cruces suas*.

III. Porrò vxorem esse *crucem*, & quidem *malam maximam crucem*, non solùm Cato testatus est, cùm, *mulierem esse malum necessarium*, pronunciaret; sed diuinæ etiam litteræ asseruerunt.

Ecclesi. 25. 17. & vers. 22. *Omnis malitia nequitia mulieris*, inquiunt: itemque: *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & dracomi placebit, quam habitare cum muliere nequam*.

Ibid. v. 31. Denique vt verè crucem agnoscas: *Plaga cordis, mulier nequam*. Plura eiusdemodi repeti hîc possent ex ijs, quæ suprà commemorauimus. Sufficit, à loquacitate, & garrulitate feminarum mariti aures obtundi; à superbia & luxu vestium marsupia, à bibacitate dolia euacuari. Et

Sunt, quæ mille dolis expugnant dolia: si vir
Non bibit, vxor erit tanto sitientior illo.

Fuit vir, qui cùm ebrius domum rediret, vxorem, & liberos, & ancillas, tandem & canem ex ædibus expelleret; &, ne quidquam viuum domi maneret; ad extremum & felem è fenestris in plateas proiecit; vt solus dominaretur, in suis laribus. Fuit femina quæ cum vicina quotidie potitabat ad ebrietatem; accusatæ magistratus vini potatione interdixit. Annuit illa, & se obsecundaturam dixit; dummodo sibi tunc fas esset merum bibere, quando aliquid venderet, aut emeret. Inter vinum enim, dicebat, venditiones & emtiones esse meliores. Concessit hoc Magistratus. Habuit hæc fæmina domi capram. Eam alternis diebus vicinæ vendidit; & alternis rursum emit ab eadem. Sic quotidie, vt priùs, dum contractum haustu sanciret, potitabat. Nempe Æthiopem, aut laterem facilius est lauare, quàm emendare mulierem. Septem pelles habet: si vnam detraxeris inuenies adhuc duriorem. Vltima callum erit.

IV. Existit ergo hinc prima peculiaris quæstio, cur, in bono statu matrimonij, mulieres malas, aut viros minimè bonos Deus esse sinat? Aio 1. Deum suam homini non adimere libertatem. Malæ sunt mulieres, quia malæ esse volunt. Si vellent, bonæ essent; sicut & aliæ quædam bonæ sunt. Quod & de viris respondeo. Sua cuique nimirum cupiditas Deus est. Sic & nu-

 men

men furum Lauerna, militum Bellona, fratrum Discordia, virorum Vinolentia est, Furia fæminarum. Qui enim Deum esse non credunt, Deum, quem volunt faciunt. Aio 2. Mulieres malas esse velle, vt viris, malitia sua, dominentur, quia virtute sunt ac potestate naturæ inferiores. Quod igitur manu non possunt, lingua consequuntur. Aio 3. Viros ipsos dignos esse malis vxoribus, qui eas dominari, & malas esse, sinunt: quia earum verba metuunt, tanquam Iouem tonantem. Si viri essent, ipsi dominarentur; ipsi domi suæ imperarent. Nunc quia ipsi effeminati sunt, & toti vxorij; meritò feminæ, vt vel sic vir sit in domo, virilem sumunt animum, & jus dicunt, dum maritus sedet ad colum. Apud Sacas *si quis puellam vxorem ducere cupit, pugnā cum ea suscipit: & si illa superior sit, captiuū abducit, atq; imperium in eum tenet: sin inferior, regitur ab ipso.* Aio 4. malas mulieres bonis viris prodesse; sic enim eos exercent atque occasionem dant virtutis exercendæ; quemadmodum vxor Iobo dedit, & Socrati Xantippe. Aio 5. Malas vxores, & malos maritos justissimè coniungi, ne pœna & culpa separentur. Neque verò æquissimus judex solis fornicarijs, adulteris, mollibus, alijsque vitam adolescentiæ suæ impurissimè emensis, in peccati pœnam, dat malas vxores; sed etiam illis, qui matrimonio abutuntur, & in eo Dominum quotidie grauissimis sceleribus offendunt. Siquidem, vt sanctissimè dixit ille: *Etiam è proprio dolio bibens potest inebriari.* Quid ergo mirum, si vnde quis peccat, inde puniatur? Cur queruntur viri mali, quòd habeant malas vxores? tales habent, quales ipsi sunt; & quales etiam ipsi ab vxoribus habentur. Qui lupus est, cur coniugem indignatur esse lupam? Si sunt, qui delinquunt, cur desint, qui castigent? Ita vel minus peccant, dum semper habent carnificem suum ad latus; vel minùs excusantur, si etiam hunc contemnunt vitiorum dehortatorem. Ac sanè plaga est maxima, & continua mala vxor; durat enim per totam vitam. Quam ob caussam Poëta quidam, cum in theatro, varias ab Angelo cruces vænales exposuisset, quarum in tergo scriptum erat, quid vnaquæque esset; introduxit juuenem admodum animosum, qui obuijs vlnis, ad crucem maximam aduolauit,

Ælian. l. 12. cap. 38.

Eccli. 26. 16.

vtroque eam brachio auidissimè amplexans; cùm alij suas cruces minores timidè, & propè trepida manu tangerent, ac tenerent. Tandem, cùm quisque jussus esset, versis truncis, & ostensis titulis explorare, quam sibi crucem elegisset, alius, in cruce cretatâ inuenit hunc titulum: NOVERCA: alius, INOPIA: alius, ÆGRITVDO: alius, INIVRIA: alius alia infausti ominis nomina. Itum est denique, vt anquireretur, quidnam esset crux maxima? Et maxima ibi erat spectatorum auiditas sciendi, quidnam elegisset, qui crucem maximam, tam heroico facinore, elegerat. Rotauit ergo illam in circulum, & ecce, in auersa parte, nomen crucis maximæ legebatur: VXOR. Huic titulo ingenti risu spectatores applauserunt. Vel ipso igitur Mundo teste, magnum malum dat Deus, cui malam vxorem dat: neque eos potest aptiùs plectere, quàm talibus feminis, qui cum feminis peccauerunt.

V. Quemadmodum è diuerso, magnum virtutis præmium

Eccli. 26. 1. 23. est bonus maritus, aut vxor sanctè morata. Nam *mulieris bonæ beatus vir.* Siquidem *mulier fortis oblectat virum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona: in parte bona timentium Deum dabitur viro, pro factis bonis.* Quo loco attentè cogitandum est, quænam vxor *annos vitæ viri in pace compleat?* quales haud sanè nullas vidimus, quæ nullo vnquam verbo aspero virum læserunt, quàm diu cum illo cohabitârunt. Nimirum *mulier fortis oblectat virum;* debet enim esse *fortis*, & non nimis delicata, quæ ad quemuis viri næuum insaniat, sed quæ aliquid etiam glutire, aliquid deuorare, aliquid concoquere possit. Tum enim *annos vitæ* viri *in pace implebit*, quando non statim in fermento erit; neque illico in pugnos & pugnas ebulliet; aut, felis, immo tigridis instar, vngues exeret, vel pro clauâ claues arripiet; sed offensa silere; &, pro truci vultu, oculos comes reddere, ac ad rugas coniugis iracundi poterit renidere. Magnum hoc Dei donum est, siue vir talis obtingat,

Eccli. 26. 16. siue vxor. *Gratia mulieris sedulæ*, inquit Siracides, *delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit: disciplina illius datum Dei est, gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Sicut sol oriens Mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.*

Ex quibus testimonijs videmus, nequaquam nullas esse VI.
feminas bonas, tametsi Tullius dixerit: *Femina nulla bona est.* Sa- Prou. 31. 10.
lomon sapientior Cicerone dixit: *mulierem fortem quis inueniet?*
non tamen dixit, nullā omnino inueniri posse, eo quidem loco,
alibi autem eò clariùs ait: *Virum de mille vnum reperi, mulierem* Eccl. 7. 29.
ex omnibus non inueni. Esto non inuenerit ille, inuenit tamen
alius. Quanquam planè oportet, valde raram auem esse femi-
nam bonam aut fortem, si Salomon nullam inuenit, cui *fuerunt* 3. Reg. 11. 3.
vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ. Eiuscemodi
ergo loquendi modis multitudo, non vniuersalitas malarum
mulierum significatur. Verum enim est, in sexu fragili, rariùs
fortem inueniri, si qua igitur fortis est, eam ipsa raritas facit cō-
mendatiorem. Itaque qui talem nactus est, meritò habet cha-
riorem, Numinique gratias meminit: magno enim beneficio af-
fectus est, &, quia *ferâ pessimâ* caret, & *omni malo peiore malo*; &
quia talem sortitus est, quæ non sit *domûs tempestas*: sed quæ
possit tempestatem omnem vultu suo patientiaque serenare;
quæ, vt Comicus loquitur, *ingenio est bono, cui malè faciundi, cùm
est potestas, quæ, ne faciat, id temperat.* Denique, vt Menander
pronunciat,

Virtutis est penu generosa femina.

Et secundùm Hippotheontē: *Possessio bona viro est vxor beneuola.*

Non splendor auri, non vis regni, non opum
Tantas voluptates fert luxus aut decus,
Quantas viri boni atq; feminæ piæ
Mens justa semper & voluntas optima.

Quòd si igitur & bonæ sunt feminæ, & malæ, atque ex VII.
vtrisque magnæ nascuntur vtilitates, quis Deum accuset, qui hanc, in mundo, sinit esse tam vtilem varietatem? Sicut nox & dies, hiems & æstas; dulce & amarum; frigidum & calidum; graue & leue; ignis & aqua, & quæ alia sibi aduersantur, necessaria sunt mundo; ita necesse est, vt neq; homines omnes vnius sint ingenij: alioqui quis exerceretur, si nemo esset, qui exerceret? Non tantùm ficedulas, sed & vpupas natura produxit. Prosunt viperæ, cur non prodessent malæ feminæ? Multi certè lurcones plus abligurirent, nisi timerent matrem familias, domi

cum baculo, excubantem. Deniq; vt contraria contrarijs commendentur, *in bona vxore tantò maior laus, quantò in mala plus culpa est.*

Sophocl. in Phœdra.

Certè malum nullum vxore est maius mala:
Sicut bonum nullum vxore est maius bona:
Vtrumque narrat hoc expertus optimè,

ait Sophocles. Quare, sicut in ceteris rebus, ita & in coniugibus contraria inueniuntur. Vnde, pro communi more Mundi, vt rectè Menander ait:

Haud nuptijs est omnibus felicitas:
Comes omnibus nec rursus infelicitas:
Sed prout vxor contigit bona, aut mala.

VIII. Illud quæstionem habet, possitne huic malo remedium inueniri, aut ex vxore mala bona fieri? Varijs id modis potest fieri. *Electione bona; Exemplo bono; Verberibus bonis; bona denique Patientiâ.* Nam vt retrogrado ordine hæc retexam, vel vxor mala etiam bona est ad patientiæ coronam. Hoc vltimum remedium est, qui malè elegit, qui malus ipse exemplum bonum esse non potest, qui neque blanditijs, neque sæuitijs potest domare sæuam coniugem, assuescat eam tolerare, &, pro cilicio, illam ferat. Hoc Varro monuit, *Vitium*, inquiens, *vxoris aut tollendum, aut ferendum est. Qui tollit vitium, vxorem commodiorem præstat; qui fert, sese meliorem facit.* Huc facit illud Pauli: *Alter alterius onera portate*, sicut Christus onera & peccata Ecclesiæ suæ sponsæ, quam sanguine suo expiauit. Laudabile exemplum Laërtius & Gellius refert de Socrate, quo scribente, vxor mensam euertit; &, ad iurgia grauiter & prudenter tacente, aquæ poculum in caput eius infudit. Quid ille? *Haud ignorabam*, inquit, *post tonitrua, pluuiam secuturam.* Ad quem Alcibiades: *Quomodo*, inquit, *perfers hanc rixosam vxorem, nec domo eijcis? Qui ouis vesci vult*, ait Socrates, *glocitantium gallinarum strepitu offendi non debet. Equidem sic domi patientiam disco, vt foris meliùs exercere queam.*

Varro in Satyra Menippæa.

Laërt. in vit. Socr. Gell. l. 1. c. 17.

IX. Istud quoque in medicinæ locum nonnulli adhibent, vt, juxta illud *Nux, asinus, mulier, &c.* in epistolis obscurorum virorum, suadeant *mulieres malas esse baculandas.* Alij aiunt,

corio bouino domandas, ac postea eiusdem comminatione adjurandas. Durum est hoc remedium, & S. Paulo aduersum, dicenti: *Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas.* Non est dilectionis argumentum *percuti*, nisi apud gentes barbaras. Apud Scythas, & Tartaros, quod sunt forti militi vulnerum cicatrices, aduerso vultu & pectore acceptæ; & quod apud nos sunt fœminis gemmæ & margaritæ, ac monilia, id sunt vxoribus ibi stigmata & liuores in fronte. Hic est illorum honos, hæc gloria: quin & indubitabilis maritalis amoris & pietatis tessera. Quare plagis ornatæ in publicum prodeuntes gloriantur, &, tanquam Spartana indoles, vibicibus triumphant; tantoque aliqua meliore loco, apud maritum, esse creditur, quantò sugillatior comparet. Ex ictu enim suffusis cruore oculis, & facie contusâ liuidis maculis, nulla ibi fæmina dehonestatur, neque censetur ad contumeliam os præbuisse, sed amantissimè palpata esse. Inde est, quòd è terra Germania, ijs in terris, cùm quidam eiuscemodi feminam sibi matrimonio junxisset, eamq; vnicè amaret, diu tamen animaduertisset singularem quandam mœstitiam corpore & animo præseferre, rogauerit mali caussam. Cui vxor ingenuè fassa est, id sibi malè esse, quòd coniugalis amoris insignia nulla, quemadmodum aliæ minorum maiorumque gentium matronæ vultui inscripta incussaque in publicum afferret: pudere se, os ostendere, sine patrio ornamento. Maritus, vt à seria hæc mente proficisci sensit, blandè vxorem solatus, bono eam esse animo jussit, liberaliter pollicitus, effecturum sese, vt imposterum non tantum visu pollentes contemplari eas tam desideratas dilectionis notas, sed etiam lumine cassi manibus palpare possint. Moxque, non ea duntaxat hora, sed nullo non alio die stato dimenso illam inclementissimè depalmauit, pugnis & colaphis atrocissimè adobruit, vt in oculos hominum preditura, nihil nisi tuber, immò merum pus & vlcus esset; & exenterati canis liuidum simulachrum, concretis à tabido cruore grumis, repræsentaret. Enimuerò hac sæuitie non modò offensa non est, sed immortales viro habuit gratias; omnemque mulierum chorum, effracto lacerto, tumido oculo, eliso dente, elumbi femore, claudo pede, ad tot ac tam illustria amoris

Coloss. 3. 19.

amoris decora prouocauit. Imitetur hunc morem, qui eum vult ipse quoque experiri. Barbara est vxor, & sic tractari digna, quæ sic cupit tractari. Bona indoles, vno bono verbo, quàm centum verberibus meliùs mitigatur.

X. Non negauerim tamen aliquando & manu rem gerendam esse, præsertim si & vxor manibus vtatur, & prior verberans maritum prouocet ad duellum. Indignus est, qui vir vocetur, si velut ligatis manibus stat & tremit, ante vxorem identidem alapas sibi ingerentem, supplexque rogat sibi ignosci, & vel hanc vnicam noxiam condonari. Insolentior fit omnis mulier, quæ videt virum, se irascente, trepidantem. Monstri loco habet, apud Liuium, Cato fastum illum mulierum Romanarum, cùm ait: *omnes homines vxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autē vxores.* & alio loco, ait idem Cato: *Maiores nostri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas, sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.* Quod planè etiam S. Paulus vult. Ea enim de caussa scribit: *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino,* hoc est, sicut secundùm Christi Domini legem, voluntatem & Euangelium decet. Quod si ergo femina legem hanc euertit, quid mirum est, si & viri alia lege vtuntur? Quanquam non necesse est, vt ad verbera veniatur, & liuorem vultus. Multa vitia ingeniosi viri vxoribus, sine baculo aut fuste, detraxerunt. Maritus quidam quotidie obstrepentem vxorem ferre ampliùs cùm non posset, *Rogo te,* dixit, *mea vxor, per quidquid tibi charum ac sacrum est, desine aures meas posthac obtundere. In quo nisi mihi parueris, efficiam profectò, vt & te nimium quantum obtundi feras ægerrimè. Quasi vt id faceret intentiùs, visa est hoc monitum mulier accepisse.* Igitur cùm finem jurgandi nullum faceret, sed omnibus eius gressibus, omnibus negotijs intergarriret, singula carpens, singula aliter aliterque aggredienda edicens, tota vicinia & viri patientiam, & feminæ insolentiam admirante, tandem animum commasculans, dolium ingens & multarum vrnarum capax in mediam plateam prouolui jussit. Quod cur fieret, quia illa dispicere, apud se, non satis potuit, nec quid ea sibi res vellet diuinauit, ad mores suos reuersa cœpit in eum dicta jacere, imperium exercere, clamare, populo ad vociferationes

Liu. dec. 4. lib. 4.
Liu. lib. 34.
Colossi. 3. 18.

nes vndique concurrente. Cùm ergo iterum, iterumq; monita os non comprimeret, cùm magis magiſque ſemper contenderet, annuit maritus vietoribus ſeu doliarijs, ad id iam antea clam conſtitutis. Signo accepto, robuſti illi mediam correptam in dolium conjecerunt. Ibi illa, ad Reguli modum, incluſa, vix cùm ſubſiliret, oculis potuit eminere, & tamen velut è cathedra cœpit vocaliſſimè detonare in maritum. Eo igitur alterum ſignum dante, vietores per circulum ambientes malleis tudiculiſque dolium, vſque ad inſaniam mulieris, contuderunt. Illis pulſatione longa fatigatis ſucceſſerunt pueri, qui cauum dolium ſaxis cædentes, non minore ſtrepitu, quàm clamore, in tertiam vſque horam, omnia compleuerunt, ſarcaſmum acerbiſſimum addentes, atque præ indignatione inſanientem identidem *Diogenis vxorem* vocitantes. Mulier, ſeu furijs ageret, ſeu prece, rupta intus eſt propemodum, quòd ex hoc gurguſtio emergere prohiberetur, donec maritus ſpectaculo ſaturatus in cauponam conceſſit. Tunc enim & capta dimiſſa eſt, bono operæ pretio doliarijs perſoluto. A dolio rectà cucurrit poſt maritum, atque in cauponam ſe intulit, inflammatoque vultu ſpumans ſolitis iam Diris in maritum erat debacchatura, cùm repentè combibones, quod erant edocti, fecerunt. Ita enim ſympotas inſtituerat maritus, vt ſi, quod fore augurabatur, illa irrumpens potantibus ſuperueniret, illi ſine intermiſſione, cantharorum operculis identidem deblaterantem obtunderent. Hoc ſtrepitu igitur obſtrepentem abegerunt. Non auſa eſt, tam ſtrenuè exploſa ad hoſpitium reuerti. Ibi ergo maritus ad tertium vſque diem triumphauit. Pecunia deficiente, domuitionē parauit, ſed non ſine defenſoribus & comitatu. Septem erant, &, crapula adhuc nondum decocta, ſemiebrij. Hi omnes, ſub pallijs, crepitacula tulêre. Excepti ſunt, vna cum reduce patrefamilias, formula ſollenni. Ibi nouum certamen extitit, nam illa nouum negotium faceſſente, & domum totam clamoribus implente, illico crepitaculorum aſſidua comploſione, ex inſana reddiderunt inſaniorem, atque ex ædibus fugârunt, vtique nòn reuocandam, niſi illa, imploratis cognatorum patrocinijs, veniam impetrâſſet: quam tamen ei maritus antè non dedit, quàm ſe

posthac Angeronam fore spopondit. Additditque, ni linguam cohiberet, se tectis incudem illaturum, quam quatuor fabri valentissimi sonantissimè tunderent; simulque disertis verbis ei denunciauit, nisi silere disceret, se liberali mercede cum æditimis omnibus transacturum, vt quoties, ipsa altercante, signum accepissent, omne æs Campanum, per totam vrbem, concreparet; atque in hunc modum nemini omnium non constaret, vxorem suam iterum esse in fermento, iterum ferocire, iterum intemperijs agitari. His artibus tandem edocta silentium salutare potius habuit, noxia atque importuna garrulitate & rixis. Sine plagis ergo domuit bestiam hanc, & plus effecit dolium, verberando, cantharisque & crepitaculis complodendis, quàm si illa vapulasset. Plus etiam & illa tacendo, quàm obstrependo effecit, juxta consilium, quod quidam vir prudens dedit matronæ dicens: *Si vis imperare viro, pareas: bona enim mulier parendo viro, imperat;* & gratior est, si pareat, quàm si pariat. Ita, teste Dione, Liuia Augusti Cæsaris vxor interrogata, *quibus rationibus Augustum sibi subjecisset*, respondit: *Multâ modestiâ*, scilicet, quòd ea, quæ placerent Augusto, faceret libenter; quodque se scire dissimularet, quibus ille vitijs implicaretur. Habent ergo & hinc feminæ remedium, quo viros suos sanent, reddantque sibi obsequentes.

Dion. in Tiberio.

XI. Atque hoc est illud, quod præmiseram consilium, vt *Exemplo bono*, maritus etiã sibi vxorem faceret bonã. Vt enim *Regis ad exemplũ totus componitur orbis*, ita ad exemplum patris familiàs & vxor, & liberi, & famuli, & ancillæ componuntur. Certè Aristoteles inter Oeconomica præcepta hæc ponit: *Existimare debet mulier bene composita, mores viri esse legem vitæ suæ, impositam sibi à Deo, per coniunctionem matrimonij. Qui hæc ergo negligit, Deos ipsos videtur negligere, quibus præsentibus sacra fecit, & matrimonium inijt.* Quem in sensum etiam D. Anselmus illud, *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino*, ita interpretutur, vt mulieres subditæ sint viris, sicut decet subdi eas, quæ Christo coniunctæ profitentur se sequi Christi modestiam, humilitatem, obedientiam, quam in Christianismo didicerunt. Et, alio loco, ait Apostolus: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino*,

Aristot. lib. 1. Oeconom. c. 1. & 2.

Coloss. 3. 18.

Ephes. 5. 22.

Domino, id est, vt quidam exponunt, mulieres obediant viris, quasi Dominis suis. Hoc enim pacto Sara Abrahamum maritum dominum vocans ait: *Dominus meus vetulus est*. Sed rectiùs alij aiunt, non dictum esse *sicut dominis*, sed, *sicut Domino*; id est, Christo, cuius locum & personam viri repræsentant. Si ergo viri locum & personam Christi repræsentant, debent amorem Christi erga Ecclesiam, & mores optimos exprimere, vt exemplo coniuges trahant ad virtutis imitationem. Quod vbi fecerint, tales habituri sunt vxores, quales ipsi sunt. Quid conqueruntur contra linguas vxorum; si ipsi opere sint mali, cur mulieres non sint malæ verbis? Si malis bona verba darent, laudare delinquentes viderentur. Qui non vult morderi, canem non irritet. Denique si agnus es, & vxor tua tigris, Iobum imitare, qui vxorem suam, licet stultam, non loris, sed verbis castigauit; eiusque malitiam patientia vicit. Sed his omnibus remedijs, vtique consultius est, ante nuptias cauere, ne incidas in Sirenem, aut Chimæram. Ignis aspectu delectat, sed, si propiùs accesseris, vrit. Ita sæpe, in femina, quod fulget, calet; neque rarò Gen. 18. 12.

Quod pulchrum esse vides, noueris esse nocens.

XII. Cùm enim inter feminas bonæ quidem sint, sed & malæ, & plures profectò malæ, verum est, quod Susarionem dixisse refert Stobæus: *Malum esse, vxorem ducere, & non ducere.* Atque hæc prima electio est: *ducerene velis, an non ducere?* Altera adhuc periculosior, *qualemne sis ducturus?* formosam, an deformem? diuitem an pauperem? bonam vtique, sed periculum subest, ne deprehendas malam. Quid igitur agendum? Deus per preces adeundus: os Domini consulendum; interrogandi viri prudentes, qui ex multis te ambagibus educent: sicut Pittacus fecit sciscitatus ex quodam, cur vxorem nō ducere vellet? qui cùm respondisset: *Quoniam si formosam duxero, habiturus sum communem; sin deformem, pœnam.* *Haud quaquam*, dixit Pittacus: *Sed si pulchram duxeris, non erit tibi pœna: sin deformem, non habebis communem.* Idem dici potest de alijs: si diuitem duxeris, carebis inopia; si pauperem, carebis domina: Si bonam nactus fueris, exemplum habebis; si malam, exercitium. Equi- Stobæus serm. 65.

tantem in arundine puerum, quidam interrogauit. An vxorem ducere deberet pauperem? Cui puer dixit: *Quod tu vis.* An diuitem? *Quod illa volet,* ait. An ipse senex iuuenem? Tum arundinem flagello percutiens dixit puer: Hiett dich/ mein Pferdt schlägt dich: *Caue tibi, à meo equo, ne te percutiat.* Hæc pueri responsa pro oraculis habuit Delphicis; ratus, Si *pauperem* duceret, eam facturam, quod ipse vellet: si *diuitem,* sibi faciendum esse, quod illa vellet: si *iuuenem,* cauendum esse, à calcitratu.

XIII. Ad extremum vult Deus, nos sine cruce non esse, siue liberos, siue coniugatos. Liber erat Paulus, & tamen dicebat: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* (2. Cor. 12. 7.) Datus non à diabolo, sed à Deo permittente diabolum tentare, & velut stimulo exagitare me, non persecutionibus tantùm, sed etiam concupiscentiæ motibus ac libidinis tentatione; quæ stimuli instar, aut teli, vel aculei est carni nostræ infixa adeò, vt in hac vita, sine miraculo, non euellatur. De coniugatis loquitur ita: (1. Cor. 7. 28.) *Si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Quam tribulationem? Vxoris malæ, mali mariti; aut, si isti boni sunt, tribulationem coniugij ipsius, tribulationem liberorum, tribulationem & onera familiæ; quibus tribulationibus ita voluptas coniugalis compensatur & eliditur, vt à multis sapienter contemnatur. (S. Augustin. lib. de sanct. Virginit. c. 16.) *Mox enim à conceptu subeunt fastidia, insomnia, vertigines, melancholiæ, præcordiorum angustiæ, absurdi appetitus, & naturæ totius perturbatio.* A liberis autem quæ non nascuntur cruces? Familia denique, serui, ancillæ, operarij quæ negotia non facessunt? (S. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian.) *Nos ignari rerum,* inquit S. Hieronymus, *putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delitias, quid erit reliquum propter quod nubant, cum & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit?* Itaque, in nullo vitæ huius statu, nobis omnino benè & beatè est; erit, cùm veram beatitudinem consequemur. Ad quam appetendam vt accendamur, velut flammam nobis subdit, siue intra, siue extra matrimonium ignis tribulationum. Quas proinde tribulationes paulo diductiùs prosequemur. (S. Chrys. l. de Virginit. c. 52.) *Sunt* enim teste S. Chrysostomo, *in connubio & alia*

aliæ innumeræ molestiæ, quas nemo poterit omnino vitare. Sicut enim cùm in dumeti transitu, spinæ alicuius vestibus adhæserunt, si is, vt vnã vellat, in aliquã se converterit partem, multis alijs pungitur; sic in re vxoria, qui hoc effugerit, læditur illo: qui verò illud euaserit, ad aliud offendet. Nullum denique omnino molestiæ expers reperies coniugium.

CAPVT XXXI.

Primum Matrimonij bonum, seu fides coniugalis, quanta perfidia, quantisq; adulterijs infestetur?



Stendi supra, ex D. Augustino, tria esse bona, quibus coniugium honestatur acceptiusque redditur; *Fidem, Prolem, Sacramentum.* De quibus illud intelligi potest: *Honorabile coniugium in omnibus*; quæ coniugis sunt, scilicet, siue *Fides*, siue *Proles*, siue *Sacramentum* spectetur in eo. *Item in omnibus*, hoc est, apud omnes, etiam illos, qui virginitatem profitentur; neque enim & illi debent coniugium reprehendere. Non enim hoc malum, quia melior virginitas: quæ etsi optima est, tamen & coniugium bonum est, habetque bona illa tria peculiaria. Quid si tamen hæc ipsa bona grandibus malis vitiantur? vt ad matrimonium dici possit: *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Nam quoties, in matrimonijs, nulla *Fides*, nulla *Proles*, nullum *Sacramentum*, quia & nullum sæpe matrimonium, nisi putatum? Atque, vt de *fide* primò loquamur, quis nescit, non esse multas Susannas, non multas Lucretias, aut Penelopas? nec multas Saras, quæ maritum *Dominum* soleant appellare? Plurimas autem, quæ Putipharis vxorem, quæ Helenam, quæ Messalinam insatiabilis libidinis feminam, quæ Vasthi reginam, superbum animal imitentur? Nullum satis magnum foret volumen, in quo adulteræ, adulterique omnes possent enumerari. Nam neque viri omnes sunt sancti. Quod Ariadna illa questa, cùm, in insula, à Theseo exposita relinqueretur, apud Poëtam, dixit:

Iam nunc nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles.

I. S. Aug. lib. 9. in Gen. c. 7.

Hebr. 13. 4. Fulgent. l. de fide ad Petr. cap. 3.

Matth. 6. 23.

Gen. 18.

Esther. 1. Sueton. in Claudio. Tacit. lib. 11.

Catull. de Nuptijs Pelei & Thetidis.

II. Promittunt omnia vt decipiant; immo decipiunt, dum promittunt. Nec feminarum est, seruare, quod promiserunt. De viris, quorum maior constantia esse solet, *fidem* hanc violantibus, priùs doceamus. C. Iul. Cæsar corrupit plurimas illustres feminas, Posthumiam Seruij Sulpitij, Lolliam Auli Gabinij, Tertulliam M. Crassi, & Cn. Pompei Mutiam, item Seruiliæ filiam Iuniam Tertiam M. Crassi vxorem; nec non Eunoën Mauram Bogudis vxorem reginam. Sed, ante omnia, dilexit M. Bruti Seruiliam matrem, cui sexagies sestertiûm gemmam mercatus est, Augustus quoque cum Liuia, Tertullia, Terentilla, Drusilla, & Saluia scribitur adulteria exercuisse. Notum est & Tiberio Imp. propter stupra matronarum, insidias multas fuisse præparatas. Vt de Valentiniano III. Imp. deque Stilpone, qui, præter vxorem, Micarete pellice vtebatur; & de alijs taceam, Ruthenis tam exigui momenti est *fides* matrimonij, vt pro adulterijs non habeant, etiamsi maritus, apud aliam abnoctet, dummodo illa non sit coniugata; & ille non sit cuculus, qui oua alteri supponat aliena.

Sueton. in Iul. Cæs.

Idem in Aug.

Xiphilin. in Claud.

Guagninus in descriptione Moscouiæ.

III. Ne quis autem existimet, apud Ethnicos, ista duntaxat barbarosque vigere; multi, Christiani alioqui nominis viri fidem coniugalem ruperunt. Philippus Francorum rex, repudiata vxore Bertha, Fulconi cuidam ereptam coniugem Bertradam, pro vxore habuit, donec à Romano Pontifice cogeretur, ea dimissa, legitimam recipere. Vsq; adeò etiam magni magna publicaque adulteria perpetrauerunt; magna quoque authoritate, ad fidem coniugibus seruandam, adigendi. Eduinus Angliæ rex, ipso, quo rex primùm salutabatur, die, consanguineam suam, Comitis cuiusdam, vxorem incestauit, idque ferè in publico, pecorum more, vt Polydorus refert. Nempe ex doctrina Theodori illius, qui, apud Laërtium ait, sapientem publicè, absque pudore & suspicione, scortis congressurum. Quod & Bion Borysthenides fecit. Nihil dicam de Sandale Illyriorum rege; nihil de Galeacio Sfortia Mediolanensi duce. Inspiciantur acta publica variarum ciuitatum, audiantur querelæ coniugum & cognatorum, quanti catalogi reperientur? quot Dauidem peccando, & non pœnitendo, secuti sunt?

Æmil. lib. 1.

Polydor. l. 6. Anglic. hist.

Diog. Laërt. lib. 2.

Iouius in vita Galeacij.

Enim-

IV.

Enimuerò grandem, ex hac *fidei* non seruatæ offensa, nasci dolorem, ipsa Zelotypia ostendit, ipsa demonstrant vindictæ exempla. Petrus Castellæ & Legionis rex filias tres ex Maria Padilla pellice genuit, vna cum filio Alphonso: ex Blancha vxore filia Ducis Borboniensis, nullos sustulit liberos, quam, sine vlla justa caussa, ab se ablegauit: quæ, non multò post, mœrore confecta mortem obijt. (Polydor. l. 19) Quàm multæ honestæ feminæ maritorum suorum iniurias, tacente quidem lingua, sed singultiente animo, dum sustinent, contabescunt? Siquidem vel quia virum infamia maculare nolunt, vel quia crimen mœroremque suum alijs prodere erubescunt, alto corde dolorem premunt, vsque dum vitam opprimant. Quare mariti earum adulterando & *fidem* frangunt, & vxorem occidunt. Quædam vxores dolorjs impatientes nihil possunt istarum rerum dissimulare. Quare luctus in pugnos, in cædes, in atrocia mala erumpit. Sæpe adultera, sæpe adulter luit, non tantùm Numine, sed etiam marito vel vxore puniente. *Picenum, quam vulgo Marchiam vocant, Franciscus Sforcia Eugenio IV. Pontifici Maximo rebus Basiliensibus occupato, ademerat.* (Æneas Sylu. c. 59. Europæ.) *Interim capitur amore puellæ, quæ inter virgines coniugi suæ seruiebat. Perpetua vocata, apud Nouarienses honestis parentibus orta, forma egregia, & ingenuis moribus, nisi potentis domini decepta blanditijs virginitatem cum adulterio permutasset. Hæc, cum jam paulatim intumesceret vterus, ad tegendum facinus, quæsito, qui eam duceret, viro desponsetur. Constituta nuptiarum die, sponsus in oppido (quod à Francisci curia non longè) lætus aduentum nouæ nuptæ præstolabatur. Ducitur illa multis comitata nobilibus. Sed ingressa oppidum, cùm descendere in domum sponsi crederetur, jussa vlteriùs pergere, in arcem rapta est, nec vlterius infelici viro videndæ sponsæ copia fuit. Quod cùm Blanca Francisci coniux Philippi Mariæ Insubrum ducis F. cognouisset, submissis percussoribus, puellam interfecit. Franciscus, licet commotus, vxoris tamen justo dolori ignouit.* Iustus erat sanè dolor, sed in iniustam erupit vindictam. Quod planè, frequentissimis homicidijs contingere, palam experimur. Ita & fama tenet, Blancham Petri Castellæ regis vxorem pellicis tori æmulæ odio concitatam, donasse virum cingulo, cui ille (Polydor. l. 19.)

comperit

comperit vim inesse magicam, arte cuiusdam Iudæi insertam, &, ob eam caussam, reiectam. Quàm crebras eiuscemodi molitiones, venena, & veneficia audimus? Nimirum ægerrimè ferunt homines, si debitor fidem fallat, quantò ægriùs ferre debet id coniux, cùm videt, non de pecunia sua, sed de tori consorte agi?

V. Verum est, fuisse, & esse quasdam feminas, quæ adulteria maritis vel indulserunt, vel annuerunt. Zonaras scribit, Constantinum Monomachum, Habram Sclerenam, non modò in exilio, sed etiam in regno habuisse, eamque, consentiente vxore Zoë, in aulam adduxisse. Sed aiunt Zoën, ob ingrauescentem ætatem, Zelotypiam jam tunc abiecisse: quod qui de femina credere potest, credat. Cranzius tradit, Ericum regem Daniæ, multis alioqui virtutibus, præsertim autem comitate, ornatum, plurimas pellices habuisse, quas etiam vxor eius Batilda, è diuersis locis, accersitas, suis manibus compserit, maritoque vltro miserit, vt eius sibi fauorem conciliaret. Lituanorum matronas, virorum permissu, palàm concubinos habuisse, quos vocauerint *Connubij adiutores*, tradit Sabellicus. Sæculi nostri etiam hoc dedecus est, inueniri, in quibusdam locis, qui, sanè non dissimulanter, tam nefandam, inter se, ineunt societatem, vt vxores, aut maritos, inter sese, commutent, mittantque, ea conditione, vt sibi vicissim alteri, vel alteræ remittantur. Cui tam pudendo flagitio error, aut ignorantia, vel peruicacia potiùs intolerabilis accedit. Existimant enim, adulterium non esse, neque fidem violari, quando alteruter coniugum est volens & jus suum alij resignat. Cùm enim volenti non fiat iniuria, aiunt, quam iniuriam vxori facio, si, illa consentiente, introduco meretricem? vel quam illa facit mihi iniuriam, si ego paupertate adactus illam diuiti prostituo, à quo diuitijs vel officijs possum augeri? Nimirum adeò cæca libido, & cæcus Cupido homines exoculat, vt dicant *malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

[Margin: Zonar. tom. 3. — Cranzius l. 5. Daniæ. — Sabellic. l. 4. Ennead. 10. — Isa. 5. 20.]

[Handwritten margin: Mentit in Caput suum.]

VI. Scire enim debent isti, neminem jus habere consentiendi in malum. Adulter ergo est, quisquis in adulterium consentit. At tua est vxor, aut tuus est maritus? Esto. Haud tamen inde

conficies,

conficies, fas tibi esse illam, vel illum alteri concedere. Ius in illam habes, aut in illum in ordine ad te, non in ordine ad aliũ; nam quando sponsalia, aut nuptias celebrauistis, tibi se tradidit vxor aut sponsus, non alteri. In æternum illa tibi non nupsisset, nec ille te duxisset, si sciuisset, se, tanquam equum meritorium, in cuiuscunque manum, aut stabulum per te, venturum. Obnunciat ipsa natura, quæ prolem esse vult certam, vt tantò impensiùs à patre ametur, alaturque patientiùs. Neque Deus dat coniugibus ius illimitatum, aut sine restrictione. Quemadmodum enim pes, manus, aut aliud membrum tuum est, non tamen ita es absolutus dominus, vt tibi fas sit sanum pedem, aut manum aliudué membrum de corpore tuo descare, & Deo, qui directus & supremus est Dominus, creaturam ratione præditam destruere, etiam virtutis caussa, quod de Origene legimus, qui vt castus esset, mancum se fecit castrando: ita & vxor aut maritus tuus est, non tamen, sicut hircus tuus, aut capra tua, quam potes de vno grege, & duce gregis ad alium, pro libitu transferre, & verò etiam occidere. Vxoris corpus occidere tibi ius non est, & jus sit tibi, occidere vxoris animam? Locat tibi aliquis domum suam, vt in ea habites; jam ius habes in ea habitandi, non habes tamen idcirco etiam jus illam alteri locandi, cui libet, pictorem voluit in ea esse, non malleatorem, qui strepitu viciniam omnem turbaret. Pari pacto tibi Deus dedit Margaritam, non est tibi ius, illam alij porrò dandi, aut, vel ad noctem vnam, concedendi. Fidem tibi vel inuito seruare debet: quia illam tibi & Deo spopondit, Vt taceam atrocem ignominiam sanctissimo matrimonij Sacramento irrogari. Cùm enim dixisset Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est*, adiecit: *ego autem dico, in Christo & Ecclesia*, quasi diceret: omne matrimonium, magnum est Sacramentum, mysterium, allegoria, typus rei sacræ nempe coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Christus enim reliquit quodammodo Deum Patrem, ac matrem Synagogam, vt Ecclesiæ sponsæ suæ adhæreret; Ecclesia autem, reliquit patrem, quem habuerat in gentilismo, nimirum diabolum, & cœtum infidelium, tanquam matrem, vt Christo sponso suo adhæreret. Tale Sacra-

Ephes. 5.32.

Magister. sent. in 4 dist. 26.

S. Augustin. in Psal. 138.

mentum vel signum esse non potest, in quo mulier duos pluresué viros, aut etiam quinque simul (vt Samaritana illa, alterum post alterum) habet. Non significat enim vnionem Ecclesiæ cum Christo, aut Christi cum Ecclesia. Quippe sicut Ecclesia non potest simul vniri cum Christo, & Antichristo; cum Deo & diabolo; ita neque vnio eius significari potest ab ea, quæ viro suo iungitur, & non suo. Neque verò, in vlla lege, polygamia vxori licita fuit. Quin & viri polygamiam & repudium lege veteri permissum, in noua lege, sustulit Christus, dum matrimonium ad primam matrimonij, in Genesi, institutionem reuocauit, ita vt, in noua lege, quasi idem sit matrimonium cum eo, quod fuit inter Adamum & Euam. Quare sicut neque Christus simul Synagogæ, gentilismo, & Ecclesiæ iunctus est; ita neque is coniunx simul iungi debet vxoribus duabus, tribus, pluribusué, qui Christi & Ecclesiæ dilectionem matrimonio suo repræsentat. Cuius amor diuisus est, minùs *adhæret vxori suæ*, neque refert amorem vnionemque Christi & Ecclesiæ, extinguitque gratiam & mutuum amorem, quem Sacramentum hoc coniugibus confert; & adeò Sacramentum istud in se mendax & fallax efficit, vt scilicet illum Christi & Ecclesiæ amorem concordiamque falsò repræsentet.

Ioan. 4.

Sanch. l. 7. d. 80. n. 15. Hurt. d. 9. n. 9.

Ita Concil. Trid. Session. 24.

VII. Manifestum itaque est, matrimonij fide salua, neutrum coniugum in alterius adulterium posse consentire. Sed videamus, quinam, aut quamobrem soleant consentire? & an non doleant etiam consentiendo? 1. Batilda consensit, *vt Erici fauorem conciliaret*; maluit enim vel qualemcunque maritum habere, quàm nullum. At quis neget, Batildam pellices reddidisse comtiores, non tam vt illæ, quàm vt ipsa regi magis placeret? Faciunt multæ coniuges, in gratiam mariti, quod suis ingratijs faciunt. 2. Quasdam timor adigit, maritis fræna laxare: nisi eos ita sinerent viuere, ipsæ viuere non sinerentur. Simulant ergo se consentire, quia malunt coniuge carere, quàm vita. At nunquid hæc aperta est violentia? Tantò magis æstuat furor, quantò magis est premendus, sicut inclusus ignis. O quàm multæ miseræ vxores debent in viris suis perfidiam ferre, quibus alterutrum necesse est, vel dissimulare, vel vapulare!

Cranz lib. 5. Daniæ.

At

At 3. quidam, aut quædam inopia coguntur corporis quæstum facere? Itaque vxorem prostituunt, aut ipsi pecunijs libidinosarum matronarum aluntur. Summa hæc calamitas est, vsque adeò hominem dementari, vt existimet, victum flagitijs esse quærendum. Nam, præter summam lucri turpitudinem, ex qua nullus esse bonus odor potest, nonne extrema miseria est, pudicitiam mercede vendere, nec jam manuum labore, sed adulterando victum quæritare? Sunt quædam munia, quibus sese nonnulli coguntur sustentare, ob quæ nominata homines erubescunt; vt si dicatur: *Parens tuus est lictor, est carnifex, est canicida*: quanto magis in ruborem dari debeant, de quibus dici potest: *Hi, vt habeant, quod comedant, adulterant? Hos coniuges, quia desides, quia inertes, artes alunt inhonestæ: ad flagitia confugiunt, quia virtutibus destituuntur: scortantur, ne fame moriantur. Pretium enim scorti vix est vnius panis; mulier autem viri pretiosam animam capit.* Est vtique *pretiosa*, quia pretio, extra & citra vitium, ac miseratione digna: reperitque facile, Deo prouidente, qui, non jam illius, sed honestatis amore captus, necessaria vitæ subministret. *Luchinus Viualdus Genuensis, juuenis opulentus, Genuensem matronam frustra deperibat. At cùm in Sardinia mulieris vir captus esset: ipsa egestate pressa, cùm non haberet, vnde sibi filijsq; alimenta pararet: misit, qui Luchinum ad colloquium inuitaret. Lætus Luchinus, venisse tempus arbitrabatur, amatâ potiundi. Mulier pedibus eius prouoluta, manantibus lachrymis, dixit: Mentem quidem sibi semper fuisse, vt inuiolatam coniugi fidem seruaret: sed extrema inopia pressam, victamq; paruulorum pietate liberorum, quos fame jam confectos videbat, cogi se, vt suam filiorumq; vitam eius misericordiæ commendaret. Quibus verbis auditis, Luchinus, amore in pietatem conuerso, ne manu quidem mulierem contigit, sed statim domum reuersus, omnia vxori narrauit, atque per eam mulieri pecuniam & cetera ad vitam necessaria misit.* Verè hæc talis vxor fuit *pretiosa*, nam precibus vitam pudicitiamque conseruauit; egregio exemplo, plus precando, quàm procando, posse obtineri; neque inopia quenquam ad inhonesta remedia confugere oportere: sicut nec vidua illa, in Sarephta, confugit, eaque propter, farina atque oleo diuinitus locupleta-

VIII.

Prou. 6. 26.

Fulgos. lib. 4. c. 3.

3. Reg. 17. 12.

locupletata eſt. Nullam ergo feminam egeſtas debet ad illicita lucra impellere. Meliùs nouit Deus ſuccurrere, quàm impuri amatores. Nullum virum ſpes opum aut potentiæ debet ad inhoneſta inuitare, etiamſi Manuel Imperium Conſtantinopolitanum Irenes Auguſtæ ſtupro dicatur meruiſſe. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* (Matth. 16. 26.)

IX. 4. Denique ſunt mulieres, quæ non ſolùm, ad virorum ſuorum adulteria conniuent, ſed etiam incitant; atque hæ longè profectò infeliciſſimæ. Siquidem poteſtatem dant, vt poteſtatem accipiant; & maritos peccare ſinunt, ne ipſæ peccare prohibeantur. Putant enim ſibi vetari non poſſe, quod coniugi concedunt; quaſi, pari iure, liceat vtrinque delinquere; & vnus in altero ægrè ferre non poſſit, quod ipſe facit, cùm fidem frangenti, fides frangi poſſit. Atqui Deus fidem non frangit: ſeruate, ô miſeri, quod Deo ſpopondiſtis. Non eſt in coniugis poteſtate, *fidem* laxare. Ob hanc mutuam diſſimulationem, perfidiam non excuſatis, ſed geminatis. Quare duplex eſt hoc malum, vnum proſtituti, proſtituentis alterum. Quod non de peccato duntaxat intelligo, ſed etiam de animi dolore. Dolet enim vtique, qui vendere vxorem pretio cogitur: & dolet vxor, ſi videt, ſe pecunijs eſſe coniugi viliorem. *Miſit* aliquando Dauid *nuntios ad Iſboſeth filium Saul dicens: Redde vxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum præputijs Philiſthijm. Miſit ergo Iſboſeth, & tulit eam à viro ſuo Phaltiel, filio Lais. Sequebaturq́ eam vir ſuus plorans vſque Bahurim.* (2. Reg. 3. 14.) Quantum plorabit, qui vxorem ſuam viderit duci in cubile alienum vænalem, nec vllo iure, ſed inſigni infamia ſua euntem? Et malum igitur eſt, & ſemper coniuncta cum magno malo, fides tori violata.

X. Verùm quia huc vſque de viris adulterio matrimonium fœdantibus potiſſimum egimus, oſtendendum eſt, à feminis etiam hanc *fidem* non rariùs violari, ne ſuperbiant, tanquam caſtiores. Enimuerò, ſi ad comparationem veniatur, fraudes hîc longè odio digniores inuenientur. Certè Poëta, ad neſcio quam ſcribit:

Obijcitur

Obijcitur toties à te mihi nostra libido; Propert. lib. 3 eleg. 18.
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos vbi contempti rupistis fræna pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.

Id in Vulcani vxore, cum Marte, inuenta, veteres; itemque in Pasiphaë, cum Tauro duce, deprehensa, ostenderunt. Quid de ceteris sperassent, si Deas, atque reginas suas adulteras crediderunt? Acca Laurentia Faustuli pastoris regij vxor meretrix insignis, propter formosissimi corporis quæstum turpissimum, *Lupa* appellata est, vnde ad nostram vsque tempestatem meretricum cellulæ *Lupanaria* dicuntur. Duplex huic caussa fuit adulterandi, Cupido & cupiditas, hoc est, lucrum & voluptas. Itaque non petulantia tantùm, sed auaritia etiam perfidas facit. Plurimæ, vt tunicam rutilantem, aut synthesin, vel cultros ex argento pensiles, accipiant, mœchantur. Alias vnus annulus, vna gemma, aut armilla seducit. Et possent facilè maritis eiuscemodi munera aliunde profecta esse suspecta, si oculos vellent aperire. Sed sæpe aliquid & ipsi dissimulant, quia malunt, in veste serica, putidam, quàm in lanea, aut centone, fidam tolerare. Faustina neque M. Antonini (non modò principum, sed omnium mortalium optimi, qui ætate illa fuerunt) neque patris memor, qui & ipse rerum Romæ potitus est, adeò in intemperantiam præceps abijt, vt, in Caietano secessu, nauticas sibi conditiones quæreret. Admonitus maritus domestici probri: *Aut est*, inquit, *id dedecus ferendum, aut restituendum imperium, quod ab ea accepi.* Hoc vir, optimus alioqui, fecit: quid non faceret, fæmina? Et verò facit. Indorum mulieres cæteroqui pudicitia celebres, elephanti tamen pretio oblato, amatoribus pudorem substernunt, &, quod mireris, nullo inde præfloratæ famæ dispendio. Quin laudi facinus ducitur, quòd tanti earum forma censeatur. Quasi vllum pretium virtuti sit anteponendum.

Liu. lib. 1.

Sab. lib. 4. cap. 11.

Cælius lib. 18 cap. 31.

XI. Si de fraude agatur, multo hac crebriùs decipiunt mulieres, quæ dolo, pro gladio vtuntur. Phanus cùm vxorem haberet de adulterio suspectam, atrij fores sic occlusit, vt non nisi cum stridore sonituque possent aperiri. Verùm illa, per tegu-

las, adulterum intromisit. Hinc vicini, per iocum dicebant, *Phani ostium*, quo prouerbio innuebant, aliquid seruatum frustra. Atque hæc quidem immittendo amatore fefellit. *Ima perpatrix* Imperatoris filia, in emittendo. Siquidem, eo immisso, cùm atrium niuibus tectum vestigia viri à gynæcéo exeuntis proditurum esset, ipsa virum humeris exportauit, vt lateret pes maior, si muliebris calcei duntaxat vestigia apparerent. Mirissimas eiusce modi feminæ ac nouercæ Demænetæ fraudes recenset, in Æthiopicis suis, Heliodorus, quas huc transferre, nimis prolixum esset. Notæ sunt Bellerophontis litteræ ab Anthia frustra eum solicitante procuratæ, in repudij vindictã. Ob eandem caussam occisus est C. Appius Syluanus à Messalina Claudij Imp. solicitatus, & accusatus pro mercede constantiæ & castitatis. Quod etiam impuri Senes Susannæ solicitatores fecerunt: & Phædra Hippolyti castissimi adolescentis nouerca: & vxor Putipharis, quæ suum scelus in Iosephi caput retorsit, cupiditate in vindictam versa, vt verum sit istud: *Aut amat, aut odit femina.*

Heliodor. Æthiop. lib. 1. & 6.

Homer. Iliad. ζ. Xiphilin. in Claudio.

XII. Itaque fraudibus accedunt cædes, & venena. Quemadmodum enim Dauid adulteriũ homicidio cumulauit; ita complures feminæ, ne aut in flagitio deprehenderentur, aut impedirentur, maritos suos è vita remouerunt. Eurydice, Macedonum regina, Amyntæ vxor, atque Philippi mater, vt adultero regnum traderet, Alexandrum & Perdiccam filios veneno sustulit: idemque viro fecisset, nisi scelus à filia esset detectum. Fecisset idem etiam Mithridati Ponti regi Laodice; nisi insidiantis machinatio, ancillæ indicio prodita, in authorem redijsset. Fecit Fabia Fabij Fabriciani vxor. Fecit Zoë imperatrix, quæ, teste Zonara, Romanum Argyropolum maritum interfecit, vt cum Michaële Paphlagone liberiùs mœcharetur. Fecit Fredegunda Gallorum regina à Chilperico virgæ tactu, post tergum, ac per iocum, blandiente deprehensa, dum inclinata lauaretur. Arbitrata enim id ab adultero Landrico factum, *virum* nomine amantis compellauit. Vt errorem aduertit, vltionem verita, virum necandum curauit, ne ipsa necaretur. Fecit Liuia Germanici soror, quæ, *traditâ semel Seiano pudicitiâ, homini*

Fulg. lib. 9. c. 1

Sabellic. lib. 3 Enneadis. 6. Plutarch. in parallel.

Fulg. l. 9. c. 9.

Ludou. Viues de Christian. femina lib. 2.

 plus

plus ætate media, ignobili, impuro, abnuere illi non sustinuit Drusi mariti sui, filij Tiberij Cæsaris, hæredis tanti imperij, iuuenis formosissimi, generosissimi, animosissimi; adhæc liberorum, quos susceperat, necem. Spreta regni certissima spe, excussa pietate filiorum, non reuerita Antoniam matrem, & Augustam auiam, grauissimas sæculi sui matronas: immemor nobilissimi sanguinis, tum patris fratrisq;, quos humanum genus de probitate pro dijs venerabatur; paratis, sub sagacissimo & sæuissimo socero, tormentis; sub quibus & Liuiæ ipsi, & Seiano, & eorum amicis omnibus anima erat (vt euenit) per mille atrocissimas neces exigenda. Nimirum nihil sibi reseruat mulier, quæ pudicitiam abiecit. Nec quidquam sanctum est, vbi mœcha est. Quod nimis expertus est magnus ille Sanctus æquè in martyrio sustinendo, atque in adulterio castigando generosus. Siquidem *misit Herodes ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.* Quod cùm ei licere negaret Ioannes, capite luit; mulieris consilio, puellæ petitione, mercede saltatricis. Igitur occisus est Propheta, vt aduersarium non haberet adultera. Marc. 6.

Erubesco dicere, quæ alij viri nequam, aliæque feminæ, intemperantia excæcatæ, sine verecundia, contra sanctissimam fidem coniugalem, etiam cum alieno sexu, cum mortuis, cum brutis, cum ipsis immundis spiritibus non erubescunt factitare. Duo solum, ex Herodoto, afferam, quorum vnum exemplum, in re turpi, superbiam plus quàm impudentem, alterum monstrosam frequentiam eiuscemodi mulierculorum demonstrat. *Macarum, in Africa, finitimi sunt Gindanes, quorum vxores ferunt fimbrias pelliceas singulæ multas, ob hoc (vt memoratur) quod vt à quoque viro venerem passa est, fimbriam orat: & vt quæq; plurimas habet, ita præclarissima censetur, tanquam à pluribus viris adamata.* Hic mos si nunc etiam vigeret, quàm multæ totæ pellitæ, & fimbrijs obductæ essent? Verùm quid opus est signum in veste gerere pudoris prostituti? in oculis, in fronte, in sermone, in ipsa procacissimi habitus leuitate, & pectoris atque vberum prostitutione, argumenta libidinis produntur. Lais certè æmula Phrynes, ex multitudine impudicorum gloriam captabat, teste Athenæo. Ac ne, in hoc sexu, natura alioquin

XIII.

Herodot. l. 4.

Athenæus lib. 13. c. 20.

ad verecundiam magis destinato paucitas istarum mereatur excusationem, alterum prædictus author exemplum istud narrat. *Pheron Sesostris filius, Ægyptius rex, luminibus orbatus, cùm*

Herodot. l. 2. *circiter decennium cæcitati remedia quæsiuisset: tandem oraculo monitus est, vt oculos mulieris vrina lauaret, quæ alium, quàm virum suum, non agnouisset. Quamobrem à regina incipiens, permultas Ægyptias mulieres expertus, ægritudini suæ remedium nullum inuenit, nisi per vxoris vrinam cuiusdam olitoris, quæ prodigioso experimento, inter Aegyptias, sola casta inuenta fuit.* Ægyptus non est vbique, dices. Vtinam non sint etiam Ægyptiorum mores!

XIV. Ob hanc perfidiam, *Persæ & Parthi vxores, in secretiore domus parte à viris semotas habitare volunt, neque in publicum prodire sinunt: in itinere autem faciendo, curribus velatis vtuntur. Eo*

Plutarch. in Themistocle. *commento Themistocles ad regem Persarum tutò profugit, cùm comites Græcam mulierculam ex Ionia se regis cuidam cubiculario adducere assererent.*

Herodot. l. 5. Et *Thraces vxores asseruant vehementer.* Romani, non solùm Iulia lege, sed etiam fibula vsi sunt; qua hodieque nonnulli vxores suas sollicitè & seruiliter obserare dicuntur, in testimonium suæ calamitatis. Qui enim cauet, timet: qui timet, miser est. Miseriam tam malam, cur in bono statu Deus relinquit? aut quantum bonum *fides coniugalis*, si ei

Matth. 19. 10. perfidia, tantum malum, insidiatur? *Si ita est caussa hominis cum vxore, non expedit nubere,* aiebant discipuli ad Christum: *qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Neque verò hoc Sacramentum, vt dixi, singulis necessarium est, sed in aliquibus duntaxat indeterminatis, pro generis humani conseruatione. Qui vult vxorem ducere, ducat; sed pericula expectet, quæ sunt huic statui coniuncta, noueritque, rosas sine spinis non crescere. Ad *fidem* tamen & tantum matrimonij bonum conseruandum, varia Deus in veteri ac nouo Testamento præcepta dedit, varia supplicia proposuit. Hinc & Apo-

Hebr. 13. 4. stolus ait: *Honorabile coniugium, in omnibus,* scilicet legitimè coniunctis, quicunque illi sint, siue senes, siue iuuenes, siue diuites, siue pauperes, vt Theophylactus exponit; seu vt alij magis appositè ac genuinè exponunt: *in omnibus*, id est, in omni re, honor & honestas coniugij est seruanda, vt scilicet fides mutuò

data



data præstetur, & *torus* sit *immaculatus*. Caussam subiungit: *Fornicatores enim & adulteros* (vt reos) *iudicabit Deus*. Si, vt reos judicabit, ergo displicent ei. Si displicent, cur esse permittit? Possem dicere, vt justitiam in illis suam demonstret; vt aliquibus occasionem offerat, cum Apostolis dicendi: *Si ita est caussa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Matth.19.10. Sed & alias huius permissionis caussas attexam.

CAPVT XXXII.

Prima caussa, ob quam DEVS tot adulterijs perfidijsq́ matrimonia contaminari permittit; scilicet, vt castorum coniugum fides tantò magis elucescat.



I. QVandoquidem igitur genus humanum matrimonijs propagandum est, statu vtique bono atque honesto, & quidem, ob *fidem*, vt dictum est, coniugalem bono, atque honesto; cur, in eo statu, tot esse perfidias, & tam crebra committi adulteria sinit sapientissimus Mundi Gubernator? Ad hanc quæstionem generatim responderi potest, & peculiariter. Generatim enim idem dici potest de matrimonio, quod de Mundo. Nam cùm & Mundum bonum condiderit Deus, tamen in eo morbos, & iniurias, & peccata, & mille alia mala esse permisit, quia ipse bonus est; & voluit, ipsis malis bona bonosque, tanquam contrarijs, illustrari; naturisque rerum cursum suum relinquere. *Nec tamen hoc diuinæ bonitati repugnat*, S. Thom. in Cõp. Theolog. cap. 142. ait S. Thomas, *quòd mala esse permittit in rebus ab eo gubernatis. Primò quidem quia prouidentiæ non est, naturam gubernatam tollere, sed saluare. Requirit autem hoc perfectio vniuersi, vt sint quædã in quibus malum non poßit accidere; quædam verò, quæ defectum mali pati poßint, secundùm suam naturam. Si igitur malum totaliter excluderetur à rebus prouidentia diuina; non regerentur res secundùm earum naturam: quod esset maior defectus, quàm tolleretur.* Atque hinc prima & generalis caussa responsioque, necessario corollario deducitur. II.

Idcirco enim prouidus Mundi paterfamilias tot malos viros, atque tot perfidas esse vxores sinit, vt maneat sua natu-

 ris in-

ris indoles & diuersitas, & boni mariti, bonæque ac fidæ coniuges tanto sint chariores. Omnibus enim rebus & pretium addit raritas, & æstimationem. Tales autem viros, talesque feminas reperiri, litteræ sacræ profanæque testantur. Quid pulchrius esse potest exemplo Iosephi? Quid turpius vxore Putipharis? Latuisset Iosephi virtus, si mœchæ illius impuritas la-
Genes. 39. 6. tuisset intra pectus. *Erat Ioseph pulchra facie & decorus aspectu. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum. Huiuscemodi verbis, per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. Accidit autem, quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam, absque arbitris, faceret: & illa apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi mecum: Qui, relicto in manu eius pallio, fugit & egressus est foras.* Duo hîc sunt, fidei in Ioseph, perfidiæ in femina, simul exempla. In Ioseph tantò commendabilior erat casta fidelitas, quia *erat pulchra facie, & decorus aspectu*; nec tantùm commendabilior, quia *Gratior est pulchro veniens in corpore virtus*, sed etiam, quia venustas & allicit faciliùs, & citiùs allici solet.

III. Contigit autem hoc, *post multos dies*, anno circiter vndecimo seruitutis illius, in Ægypto, cùm jam esset 27. annorum; vt nemo fidat tempori, aut de consuetudine sua securus sit. Quercus, quæ centum annis stetit, cadere potest. Potest & homo tentari, post multos annos, qui nullam antè sensit tentationem. Obseruarunt quidam, multos viros pietati assuetos, post quinquagesimum ætatis suæ annum, adhuc, nimiâ sui fiducia, in libidinem prolapsos. Quàm diu homo in via est, potest errare: quàm diu militat, oppugnari, immò & vinci. Etsi ipse occasionem non det, dare tamen eam illi alij solent. Quemadmodum Ioseph, non aspexit ipse Putipharis vxorem, non contemplatus est eius formam curiosè; nihilominus domina illius *iniecit oculos suos in Ioseph.* Itaque viri non debent tantùm custo-
dire

dire ſuos, ſed etiam feminarum oculos cauere. Neque enim videre duntaxat, ſed etiam videri, eſt periculoſum; & illi quoque, qui nolunt amari adamantur.

Et vide mihi mulieris impudentiam: *Dormi mecum*, ait. IV.
Alijs ſatis eſt nutus, ſatis comior aſpectus, hæc catapulta fuit, & aperta ad ſtuprum inuitatio. Neque tamen fortiſſimam hanc columnam deiecit. Nulla igitur excuſatio eſt, dicere, *ſe fuiſſe vltro compellatum, negare non potuiſſe*, ſicut quidam belli dux Martis æquè in luſtris, ac in campis imitator reſpondit. Quidquid inhoneſtè petitur, honeſtè negatur. Obiecit hoc illi exemplum alius. Dixit, *ſe Ioſephum non eſſe*. Apparebat ſanè, nam & de adulterijs gloriabatur. Erat tamen Chriſtianus, erat, cui ſuus Princeps multos, DEVS multa ſubiecerat, potuit ergo dicere: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis*, tam mihi propenſus eſt, vt etiam liberaliſſimo hoſpitio, lautiſſimo conuiuio exceperit, claues ipſas domus obtulerit, *nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Seruus tunc erat Ioſeph, nec tamen Dominam veritus eſt; & Dux talis, Achilles talis, immò tale libidinis mancipium adulteram rogantẽ non audeat repudiare? Iuuenis erat Ioſeph, & *decorus aſpectu*, & tamen potuit voluptatem contemnere; tu jam caneſcens ſenecio, tu Therſites, tu omnibus morbis obnoxie, fidem vxori tuæ datam non potes ſeruare; immò vt & adultera fidem irritam reddat, juuas? Non metuis illius maritum, non times deprehendi? immò quid hominem timeres, qui Deum non times? Diſce, miſer, orare: *Confige timore tuo* Pſal. 118.
carnes meas: à judicijs enim tuis timui: tunc enim etiam timebis *peccare in Deum* tuum; neque annues primis, neque continuatis illecebris, vt de te etiam dici poſſit: *Huiuſcemodi verbis, per ſingulos dies, & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum.* V.

Adeò inuicta erat Ioſephi conſtantia. Siquidem, vt illa pertinax erat petendo, ita ille fortis fuit repellendo. Hæc virtus ad omnem neceſſaria eſt virtutem. Quid enim cœpiſſe iuuat? Gutta vna non lædit, multis ipſa ſaxa cauantur. *Nec*

 forti-

Iob. 6. 12. *fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est*, inquit ille. Talis fuit & caro Iosephi, & tamen neque magnitudine, neque assiduitate tentationum potuit superari. Nam velut agmine facto in eum tentationes insiluerunt. Erat in eo corpus quidem sanum & vegetum, caro tamen non *ænea*: itaque & naturæ infirmitas; & iuuentus in libidinem alioqui procliuis; & feminæ petulantis in leuitate constantia, forma, authoritas, docta sollicitatio; nunc opibus ac promissis ornata, nunc armata minis procatio; denique præsentissimum periculum, si facinus recusaret, vnà in eum impetum fecerunt. Quid multis? illa manum iniecit, & vim fecit, vt optatam vim pateretur. Sed ille maluit pallium exuere, quàm pudorem. Itaque hoc in manibus mœchæ relicto, fugit, exemplo modum docens, hoc peccatum vincendi, quem postea Paulus docuit verbo, cùm scripsit:

1. Cor. 6. 18. *Fugite fornicationem*, hoc est, visum, tactum, colloquium fæminarum, & omne libidinis obiectum, tanquam contagiosum & venenatum, non minùs, quàm rabidissimi canis morsum, vt inquit S. Hieronymus.

S. Hieronym. lib. 1. contra Iouinian.

VI.

Est verò mirabile hoc Iosephi factum, qui, ne heri sui torum fœdaret, furias insanæ feminæ, & in ijs carcerem mortemque ipsam contempsit. Quid enim aliud potuit expectare? D. Chrysostomus ausus est dicere, se magis mirari hoc factum Iosephi, quàm tres pueros Hebræos, in fornace Babylonica, illæsos permansisse. Sicut enim illi, sic & Ioseph, felix Salamandra, in medijs ignibus illæsus, non adustus, sed purior, integrior, robustior, clariorque effulsit, vt proinde appositè illi acclamari possit, quod S. Dominico (non fundatori Ordinis, sed alteri ex eodem Ordine) in simili tentatione victori acclamarunt dæmones: *Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti, & non arsisti.* Hinc D. Ambrosius, *Magnus*, ait, *vir Ioseph, qui venditus seruile tamen nesciuit ingenium; adamatus non redamauit; rogatus non acquieuit; apprehensus aufugit. Qui cùm ab vxore Domini sui conueniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus est: contagium enim judicauit, si diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit. Ille Dominus fuit, qui amantis non excepit faces,*

S Ambros. lib. de Ioseph cap. 5.

faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit, qui maluit liber criminis mori, quàm criminosæ potentiæ eligere consortium, Talis Iosephus erat antè, quàm coniugio ligaretur; qualem putes fuisse, postquam etiam matrimonij illi vinculum accessit? Habemus igitur duplex exemplum, & in mœcha improbitatis, & castitatis in Iosepho; vt illius fœditate huius pulchritudo commendetur.

Quòd si quis alium vult, & quidem jam coniugem, Iobum VII. ipsum consideret, cuius tanta fuit cura, ne in fidem coniugalem impingeret, vt illud saluberrimum scitum non dubitaret posteris relinquere: Iob. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Sciebat enim, oculos esse *in amore duces.* Quod satis expertus Dauid, nunquam postea sibi satis deplorare posse videbatur. 2. Reg. 11. 2. Nam *accidit, vt surgeret de strato suo, post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditq; mulierem se lauantem ex aduerso, super solarium suum.* Quid postea fecerit, constat. Nisi vidisset, adulter non fuisset. Meritò igitur dicere potuit: *Vt vidi? vt perij?* Nam tum statim perijt, quando vidit; quasi caput Medusæ aspexisset. Matth. 5. 28. *Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo,* Hanc oculorum continentiam vel in Ethnica discamus. Vxor Tigranis regis Armeniæ, vt refert Xenophon, cùm, ex aula Cyri regis Persarum, ad maritum reuertisset, ab eo interrogata, quid de Cyro & Cyri pulchitudine sentiret, respondit: *Abs te, ô marite, deos testor, nusquam oculos deflexi; itaque qualis sit forma Cyri, prorsus ignoro.* O laudabilis ignorantia! ô oculos cælo ipso, non tantùm Tigrane dignos! Hæc fides coniugum quàm chara Deo est? quàm, apud mortales, annalibus digna? Prædicatur vbique in Iob custodia, vituperatur in Dauid libertas oculorum; atque ex huius adulterio illius fidelitas commendatur. Vnius virtus, quàm sit laude digna, ostendit alterius casus.

Idem scribit Athenæus, mirari Aristotelem in Menelao, VIII. qui tantò amore atque fide erga Helenam, licet adulteram, fuit, Athenæ. l. 13. cap. 1. vt nullam admisisse pellicem, apud Homerum, legatur; quod ipsum tamen impunè licebat: præsertim cum etiam præstantissimi Græcorum pellices habere, ab eodem poëta introducantur.

tur. Quare, in eodem thalamo summum fidei & perfidiæ, castitatis & impuritatis extitit exemplum; ad erudiendos illos, qui existimant, coniuges suos lege talionis puniendos, & sibi id licere, quod alterum deprehenderunt peccauisse; quasi adulterium adulterio sit plectendum; & vnius scelus alterius crimine excusetur. Vel ex poëta disce, ô miser, fidem tenere: peccet licet vxor tua; tu tamen serua, quod promisisti; sit illa contumax, & neget obedire; tu tamen esto fidelis. Denique tametsi illa sit Helena, tu tamen potes esse Menelaus. Duo, hi coniuges, exempla tibi reliquerunt; facilè vides, honestum turpi esse præferendum. Sicut neque etiam difficile est statuere, Iobi, an Dauidis oculos debeas imitari. Vel si Iob tibi nimis sanctus fuit, Eubatam accipe in præceptorem, cui cùm alieni oculi insidiarentur, ab ingenio auxilium fuit.

IX. Aelian. lib. 10 Variar. c. 2.

Lais, cùm Eubatam Cyrenensem aspexisset, ardentissimo in eum amore cœpit flagrare, & de contrahendis, inter se mutuò, nuptijs sermonem ei detulit. At ille metuens eius insidias, recepit sese id facturum. Non tamen rem cum illa Eubatas habuit, sed castè & temperanter vitam peregit. Sponsio verò his conditionibus facta est, vt, post ludos certamenq́, rata deberet esse. Cùm igitur victor abiret certamine, ne conuentis non stetisse videretur erga feminam, pictam Laidis imaginem deportauit secum Cyrenam, inquiens, se Laidem ducere, & pacta non fregisse. Quam ob caussam mulier, quæ ipsi nupserat, maximam ei statuam Cyrenæ ponendam curauit: sic remunerari volens eius temperantiam. Apparet hîc rursum fidem Eubatæ non minùs insignem fuisse, quàm Laidis leuitatem: & per hanc illi statuam fuisse erectam. Frequenter enim vnius crimine virtus alterius clarescit.

X. Cant. 8. 6.

Verè Salomon, *Fortis est, vt mors dilectio.* Quidam enim, ne dilectionem fidemque coniugi promissam læderent, *mori, quàm fœdari, maluerunt.* In horum censu refert Zonaras, Isaacium Comnenum Imperatorem extitisse. Is peregrè profectus in morbum incidit. Consultatum est de remedio; & à medicis, qui corporis magis, quàm animæ curam habere consueuerunt, consultum, vt consuetudine mulieris morbum leuaret. At is fidei à se datæ memor, valetudine, & adeò etiam morte insuper

habita,

habita, cum vlla, præter vxorem suam, rem habere recusauit; pulcherrimo documento eorum, qui, libidinis caussa, non dubitant vires & sanitatem, formam & vitam perdere. Hinc infamis scabies, hinc infecti sanguinis, & detestandæ Veneris flores non solùm oculos subeunt, sed vndique etiam illis, per mentum, per genas, per frontem, per omnem vultum ebulliunt; putes te in idoli alicuius faciem vbique gemmis carbunculisque distinctam incidisse. Neque enim Bacchus duntaxat hæc germina irrigat; sed vel maximè Dea è mari nata, vbi & margaritæ nascuntur. Multis hæc lues medullas ipsas ossium exedit. Multis totum corpus eneruat. Ad extremum multi, ob hanc labem, vnguentis fœtent, emplastris sordent, capillum amittunt, barbis priuantur, sectiones patiuntur. Quantò his pulchrior est Isaacius aliquis aut Casimirus? Hœdos ergo illos esse sinit Deus, vt illustret eiusmodi agnos; qui *malunt mori, quàm fœdari.*

XI. Huc vsque de virorum fide locuti sumus, nunc etiam aliquid addamus, de feminarum fidelitate. Harum autem dux esto Susanna Helciæ filia, femina immortali nomine imitationeque omnium matronarum digna. Huius enim, in coniugio, fides, nuptis omnibus documento est, vt mori malint, quàm consentire corruptori. Ad huius fidem constantiamque labefactandam multa concurrunt. 1. Erat *pulchra nimis.* Rara autem formæ ac pudicitiæ est mixtura. Plerumque cupiunt se libenter ab alijs spectari, quæ se in speculo deprehendunt non esse inuenustas. 2. *Erat Ioakim* maritus eius, *diues valde.* Diuitias *irritamenta malorum*, quis esse nescit? illæ luxum in mensis, delicias in cibis, pretium in stolis suppeditant. Quam autem difficile est, vestem mulieris, & non ipsam etiam mulierem luxuriare? 3. Ad Ioakim *confluebant Iudæi, eò quòd esset honorabilior omnium.* Inter multos, insaniunt multi; &, si displicet vnus, saltem alter solet placere: denique quid plurium non efficiet familiaritas, si vnius colloquium est periculosum? 4. Non judices modò *frequentabant domum Ioakim, sed insuper veniebant ad eos omnes qui habebant judicia*, scilicet rei & innocētes; lenones, & laniones; in qua turba procliue est varia tentari.

Dan. 13.

tari. 5. Non opus erat talibus: ipſi duo ſenes iudices fuerunt, *de quibus locutus eſt Dominus: Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Si malitia horum non potuit flectere Suſannam, ſaltem authoritas frangere potuiſſet.

XII. 6. Hi duo primùm ſeorſim atque ſingillatim ei machinam ſtruxerunt; poſtea *ſciſcitantes ab inuicem cauſſam, confeſſi ſunt concupiſcentiam ſuam: & tunc in communi ſtatuerunt tempus, quando eam poſſent inuenire ſolam.* Quid duo nequam non poſſunt, ſi in vnum facinus conſpirauerunt? 7. Fauit eis & locus, & tempus, & ſolitudo. Nam *cùm obſeruarent diem aptum, ingreſſa eſt aliquando ſicut heri & nudius tertius, cum duabus ſolis puellis, voluitq́; lauari in pomario: æſtus quippe erat: & non erat ibi quiſquam, præter duos ſenes abſconditos, & contemplantes eam.* Vt autem magis ſola eſſet, etiam puellas à ſe emiſit, & oſtia pomarij claudi iuſſit. Hucuſque Suſannam, inter tot occaſiones, caſtam fuiſſe multum eſt; hîc caſtam manſiſſe, prodigium eſt. Siquidem hîc arena fuit magni certaminis, & velut in theatro, cum duobus leonibus vna virago decertauit. In horto, ſola, clauſa, veſtibus exuta, blanditijs, minis, argumentis petita, marito, immo Deo fidem ſeruauit. *Cùm* enim *egreſſæ eſſent duæ puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt: Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus: quamobrem aſſentire nobis, &c. Quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſſam emiſeris puellas à te.* Quantus hîc aries? Quod argumentum fortius potuit caſtiſſimo pectori admoueri? Nunquam magis inter ſcopulos ſtetit conſeruatio famæ, & amiſſio pudicitiæ. Igitur *ingemuit, Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras.* Quàm multi metu cedunt, & Deum negligunt, ne apud homines infamentur? Vix centeſimus vir inuenitur, qui ob reſpectus humanos, ob hominum iudicia ac ſermones à recto non retrahatur. Et tamen Suſanna, velut marmorea columna, inter Aquilones, velut rupes immota inter aſſilientes procellas, ſtetit, & inuicto animo ſententiam illam

protulit : *Melius est mihi, absque opere, incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Hæc cùm diceret Susanna, non ignorabat, crabrones à se excitari, judices & testes contra se stare, denique lapidationem ac mortem sibi certissimam imminere, cum ipsâ nominis & stemmatis infamiâ, quouis supplicio honestæ matronæ magis metuenda : hæc, inquam, non ignorabat Susanna, & tamen in fide coniugali perstabat.

Tanti refert bene educatam esse prolem, & Deum timere doctam. *Parentes enim illius, cùm essent justi, erudierunt filiam suam secundùm legem Moysi;* secundùm quam illa quidem lapidationem sciebat constitui in eas, quæ de adulterio accusabantur ; sciebat tamen etiam, satiùs excusari, quàm ream esse ; & ab hominibus, quàm à Deo damnari. Hic timor Dei Iosephum cohibuit dicentem : *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum ?* Quem vt præsentem vbique intueor & revereor ? quem vt patrem amo, vt judicem metuo ? Hunc imitata Susanna noluit *peccare in conspectu Domini*, etsi angustiæ essent vndique. Hæc vera est dilectio, quæ dicit : *Quis nos separabit à charitate Christi ? tribulatio, an angustia ?* &c. *certus sum, quia neque mors, neque vita, &c.* Hic verus est timor, de quo Eudoxiæ Imperatrici, cùm S. Chrysostomo minitaretur, dictum est : *Frustra illum hominem terres : nihil ille, nisi peccatum timet.* Hunc timorē S. Ludouicus Franciæ rex puer adhuc à Blancha matre didicit : *potiùs mortem oppetere, quàm in peccatum lethale consentire.* Hunc eundem didicit Tobias à patre dicente : *Caue, ne aliquando peccato consentias : multa bona habebis, si timueris Deum.* Hunc Sapiens docuit inquiens : *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.* Hunc exercuit D. Anselmus, cuius hæc sunt : *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò vni eorum immergi deberem ; priùs infernum, quam peccatum appeterem.* Quin vel Ethnici Christianos in ruborem dant. Nam & Aristoteles dixit *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis.* Et Papinianus Iurisconf. occumbere maluit, quàm parricidium Caracallæ Imp. qui occiderat fratrem Getam, defendere. Discite hinc, ô Christiani, discite viri, discite feminæ, vsque ad mortem fideles esse : *Melius est,*

XIII.
Dan. 13. 3.
Gen. 39. 9.
Rom. 8. 35.
Eccli. 21. 2.
Aristot. lib. 3. Ethic.

absq; opere, *incidere* in linguas, in calumnias, in manus hominum, *quàm peccare in conspectu Domini*, qui potest vos, etiam post latam in vos ab hominibus sententiam, à morte & iniuriosa infamia liberare, sicut Susannam liberauit. Quin, etsi occidi sinat innocentes, non damnat, sed ornat: vult enim castis imponere martyrij coronam; vt pulchriùs fulgeant lilia rosis decorata.

XIV. Susannæ succedat decantatissimi nominis femina Penelope, Icari filia, nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus adducta, vt absente, per viginti annos, marito Vlysse, castitatem collutularet. Fuit Penelope femina; fuit opulenta; fuit ambitione digna; fuit ita diu deserta à marito, vt vidua posset haberi; fuit muneribus, alloquijs, lenocinijs sollicitata: neque vnum tantummodo habuit sollicitatorem, & omnes superauit. Quanta res est, inter tot impuros, castam mansisse? In his scopulis, quot aliæ feminæ nauem fregissent, & quàm multas naufragij sui excusationes attulissent? Sic Homerus eam laudat, sic alij prædicant Poëtæ, qui quantumuis alioqui salaces, tamen crediderunt, eam, per tot annos castitatem seruare potuisse. Horum vnus ita canit.

Ouid. lib. 3. Eleg.

Penelope mansit (quamuis custode careret)
Inter tam multos intemerata procos.

XV. S. Augustin. lib. 1. de ciuit. Dei c. 19.

Quòd si exemplum hoc ex fabulis est petitum, illud alterum ex historijs sumamus. Nam & *Lucretiam* (ait Augustinus) *matronam Romanam pudicitiæ magnis efferunt laudibus. Huius corpore cùm violenter oppresso Tarquinij regis filius libidinosè potitus esset; illa scelus improbissimi iuuenis marito Collatino, & propinquo Bruto, viris clarissimis & fortissimis indicauit, eosq; ad vindictam permouit: sed fœdi in se commissi impatiens se peremit.* Tantus dolor fuit, vel inuitam fuisse violatam. Homicidij hæc, non adulterij rea, fæminas illas pudefacit, quæ adulteria sua, non in seipsis, sed in maritis suis vindicant, quos occidunt, vt possint adulteris liberiùs frui, ac custode remoto, quò libet, vagari. Neq; desunt feminæ, quæ ingenio atque arte, non secus atque Penelope illa *Nocturno soluens texta diurna dolo*, pudicitiam suam defenderunt,

Propert. lib. 2.

Fran-

XVI. Fulgosus l. 4. cap. 3.

Franciscus Sforcia Mediolanensis, Florentini populi copiarum dux, Casanouam oppidum vi ceperat. Quidam milites insigni forma puellam captiuam ducebant clamantem, vt ad primarium ducem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Francisco Sforcia, Quamobrem ad se venire cupijsset, respondit, Vt eius voluntati obsequeretur, modò incolumis à militum iniuria seruaretur. Franciscus amanti, vti videbatur, paruit: cumq; noctu eam complecti vellet, puella lachrymarum plena, per virginem Dei Matrem, cuius imaginem lecto, de more affixam Franciscus, singulari veneratione, colebat; item per famam, quæ de ipsius bonitate, apud omnes, erat, rogauit, ne se castitatis honore priuaret; sed marito intactam potiùs restitueret, qui cum alijs captiuis in vinculis custodiebatur. Franciscus pudicitiæ eius conspecto studio, statim lecto prosilijt: maneq; accersito ad se viro, eam publicè restituit, adiurans, nihil cum ea sibi rei fuisse. Hoc ipso patris Sfortiæ præceptum, de alterius nupta non attingenda, secutus. Absterrerent multæ multos, si ad preces confugere vellent. Sed celebrem reddunt hanc feminam feminæ, quæ contrarium potiùs precarentur; sicut Pontiam Romanam, quam nullis verborum lenocinijs aut pollicitationibus, ad adulterium cum Octauio tribuno plebis committendum, impelli potuisse, quin ab eodem interfici maluisse, memorat Tacitus. Aliæ mirando potiùs, quàm imitando exemplo, non iam violatæ, ad modum Lucretiæ Romanæ; sed ne violarentur, sibimet violentas manus admouerunt. Eusebius & Pomponius Lætus nobilissimam pariter atque castissimam feminam referunt, cùm Maxentius Tyrannus eius amore captus, ad eam sibi adducendam magistros libidinis misisset, varia effugia quæsiuisse; post omnia, mariti operam implorauisse. Quin quia, metu mortis, vetare non potuit, ne abduceretur, petijt illa pauxillum, ad se ornandam tempus, & impetrauit. Ingressa igitur cubiculum, quasi vestem mutatura, impresso sibi cultro, vitam cum morte commutauit. Moræ pertæsi satellites, perfracto aditu, irruperunt. Nihil reperêre, nisi cadauer, non noua veste ornatum, sed noua castimoniam seruandi ratione celebratum. Quin & de Ethnicis quoque feminis similia exempla leguntur. Inter quas Mallonia Romana fuit. Ea

Euseb. lib. 8. hist. Eccl. cap. 16. Pompon. in compendio Rom. hist.

quippe, teste Suetonio, ad Tiberium libidinosissimum senem perducta, nequaquam compelli potuit, vt obscœnis illius votis obsequeretur. Ex templo itaque amor in odium degenerauit. Nam Tiberius eam delatoribus obiecit. Quanquam ne ream quidem interpellare desinebat, identidem interrogari imperans: *Ecquid pœniteret?* Illa ergo, pro tuenda pudicitia, judicio relicto, domum profugit, ferroque Lucretianum pectus transfegit. Non laudo cædem, quæ, seclusa potestate à Deo vitæ authore & domino facta, illicita est; suspicio tamen tam constantẽ castitatis tuendæ voluntatem. Quæ in femina tantò est rarior, quantò femina viro est imbecillior. Ad quas laudes pertinet Engltrudis de Bilico, nobilis Rauennas, quæ, cùm à patre suo Ottoni Imperatori, in templo, audisset dici, quænam esset illa puella, quæ ei haud parum placeret; posse illi osculum pangere, erexit se, de genibus in pedes, & stans rubore perfusa dixit: *Ne, mi Pater, promittas cuiquam, quod non est in potestate tua. Equidem priùs, quàm ab alio viro, nisi futuro marito, me contrectari permittam, hoc cultro* (& simul eum eduxit) *pectus meum perfodiam.* Quod tam generosum dictum sic Imperatori probatum est, vt illi virum insignem Guidonem, cum ampla dote, è Palatinis dederit. Vsque adeò probis mulieribus pudicitia charior est, quàm vita.

Gregor. Horst. pag. 366. ex Bapt. Fulgoso.

XVII. Quare etiam ipsos maritos mortem pati malle, quàm riualem, Mediolanensis quædam matrona docuit; quæ cùm Marsidium maritum suum tenerrimè diligeret, & amator rem ab ea turpem contenderet, idq; per vitam & salutem Marsidij: *Atqui Marsidius* (inquit illa) *mallet centies mori, quàm id semel à me committi. Quod verò per salutem illius à me requiris, ab ipso eodem petito.* Consimile propemodum dedit responsum, apud Plutarchum, Lacæna, quam quidam de stupro, per internuncium, appellauit. Nam illa sic respondit: *Puella cùm essem, patri didici dicto audiens esse, idq; feci: postquam nupsi, viro. Si ergo æqua à me postulat, huic primùm id aperiat.* Honestissimæ indolis est, si feminæ, in periculis, ad maritos recurrant, & illis apertos pudicitiæ insidiatores objiciant repellendos. Quanquam prudentis est, non quacunque suspicione, maritum in alios irritare. Cre-

Ludouic. Viues de Christian. fem. l. 2.

Plutarch in Apophtheg. Lacedæm.

dula res est zelotypia, & tam in iniurias, quàm in vindictas justas prona. Aliud est suspicari, aliud periclitari. In claris periculis, tutissimum est vxori maritus asylum; ad quod sapienter matrona Mediolanensis procum reijciendo confugit; vti & Lacæna.

XVIII. Accuratæ quoque fidei argumentum est, quod idem Plutarchus narrat. *Hieron Syracusanus tyrannus ex inimico audiuit primùm, sibi fœtere animam. Quamobrem commotior ad vxorem, inquit, cur non commonuisti? At illa, vt quæ modesta foret, puraq́; : Quoniam, inquit, ita viris omnibus os olere opinabar.* Quàm paucæ fœminæ in hac sunt ignorantia, & opinione? nimirum experientiâ aliud doctæ, quod nescirent, si viris suis fideles essent. Sed necesse est, earum perfidiâ, fidem castarum commendari; quæ transgressæ non sunt, cùm transgredi potuerunt; egregiéque docent, quantum sit matrimonij bonum, fides marito seruata; dum adulteræ ostendunt, quantum sit matrimonij malum fides violata. Vtræque ergo in exemplum proponuntur; sicut olim Caia Cæcilia Tarquinij Prisci regis Rom. vxor, singularis modestiæ, probitatis, & industriæ femina, lanificij peritissima, quæ velut idea veræ matris familias habita fuit. *Et ideò institutum est, vt nouæ nuptæ, ante januam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Caiam esse se dicerent C. Titij*, plurimæque vellent Caiæ nominari.

Valer. Max. lib. 10.

XIX. Talem qui nactus est coniugem, meritò pluris etiam hoc nomine, æstimat, quia videt se, inter multas sequiores, fidelem, hoc est, rem raram acquisiuisse. De qua Sapiens ait: *Sit tibi vxor, sicut cerua charissima, & gratissimus hinnulus.* Est enim amor cerui ac ceruæ singularis. Velocissimi sunt ad inuicem opitulandum. Castè, & non nisi secretò congrediuntur. Post conceptum, congressu abstinent. Felle carent: quo pacto olim, in connubijs, Iunoni pronubæ sacrificantes fel eximebant & abijciebant, ad charitatem coniugum significandam, vt scribit Plutarchus. Interim ceruæ mari suo fidæ sunt. Nam, vt Nemesianus canit: *Cerua marem sequitur.* Ceruus autem pro compare sua acerrimè duellat. Tale est coniugium fidorum;

Prou. 5. 19.

inter quos amor mutuus; auxilium mutuum; verecunda castitas: nihil amarum: ardens & amabilis constantia.

XX. Adeste igitur, ô coniuges, & bonum hoc matrimonij colite, seruate fidem, quam spopondistis. Non ea ita difficilis est, vt seruari non possit; non ita rara, vt non seruetur. Apud (Plutarch. in Lycurgo.) Spartanos adulterium fuit inauditum. Hinc hospiti sciscitanti: *Quæ esset pœna, apud Spartiatas, in adulteros constituta?* Respondit Geradas: *Adulter, hospes, non inuenitur apud nos.* Quo subijciente; *Quid si inuentus sit? Taurum,* inquit, *luit ingentem, qui capite traiecto Taygetum bibat ex Eurota.* Obstupescente illo ac dicente: *Qui existat bos tantus?* ridens Geradas: *Qui,* inquit, *adulter existat Lacedæmone?* Vxor Hieronis, vel, vt alij volunt, Gelonis regis Siciliæ, paullò priùs à nobis laudata, si omnes feminas haberet pares, tamen pares, apud nos, viri non reperirentur. Pudor est igitur nostro seculo, à Spartanis superari, & pudor noster est honor Spartanorum. (Cælius lib. 13. cap. 7. Sab. lib. 2. En. 6.) Chiorum feminæ tantæ erant castitatis, vt neque adulterium, neque illegitimum concubitum ibi accidisse vnquam proditum memoriæ sit. Quin & *in Germanorum olim feminis, mira fuit pudicitia: nulla spectandi illecebra: nulla conuiuiorum ratio: rara in tam numerosa gente adulteria: cuius conuicta muliere, resectis capillis, nudatam, coram propinquis, maritus, denuo exactam, toto vico verberibus agebat. Profligatæ pudicitiæ nulla venia: non ætas, non forma, non opes connubium corruptis conciliare poterat. Nemo tamen vitia ridere; id enim corrumpere sæculum, & corrumpi arbitrabantur. Sic vnum mulieres maritum accipere, vt vnum corpus, & vnam vitam. Nec vlla cogitatio vltra, nec longior cupiditas: tanquam matrimonium amarent, non maritum. Plus apud illos boni mores valuerunt, quàm alibi bonæ leges.* Hæc antiqua Germania fuit. Noua planè nunc est Germania, postquam ab antiquis moribus recessit: cui (Osee, 2.) *columba* illa *seducta non habens cor* potest comparari. Nimirum aliter viuere nostra ætas cœpit, postquam cœpit aliter vestiri. Immo aliam vitam, alius habitus est secutus, vt sæculum in leuitatem declinans, luxum & luxuriam ipso etiam externo amictu profiteretur. Et sunt, prô dolor, feminæ, quæ exteras quasdam mulieres imitatæ, nec ipsas satis mammas tegunt; vt appareat,



pareat, eas velle oculos ſpectantium lactare. Apoſtolus vult etiam capita mulierum velari, nedum vbera. Ob quam cauſſam *mulier ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine illi dati ſunt.* Mutata nunc ſunt ſæcula, olim fuit *turpe mulieri tonderi;* nunc pulchrum cenſetur. Olim velari pulchrum fuit, nunc non caput tantùm nudant, ſed etiam pectus, vt eo inſpecto curioſorum oculi corpus quoque reliquum poſſint licitari. Ita nimirum vænalia ſunt Veneris mancipia, quæ, ſi deſint alij venditores, ſe ipſa proſtituunt gratis. 1. Cor. 11. 15.

CAPVT XXXIII.

Secunda & tertia cauſſa, ob quam diuina bonitas iuſtiſſimè adulteria fieri permittit; ſcilicet Fidei diuinæ & duplicis Temperantiæ defectus.



Vndus ab initio innocens fuit; neque ſciuit prima ætas de adulterijs quidquam. Et primos parentes, in Paradiſo, virgines manſiſſe aiunt; inde exules primùm matrimonio vſos. Poſtea, cum tempore, malitia creuit. *Videns enim Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, omni tempore,* diluuium Mundo induxit, vt ablueret tantam fœditatem. Verè Venuſinus vates: I. Gen. 4. 1. Gen. 6. 5.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Horat. lib. 3. Carm. od. 6.

Et alius Poëta aureo ſæculo aureos mores tribuens canit:

Credo pudicitiam, Saturno rege, moratam
In terris, viſamq́ diu: cùm frigida paruas
Præberet ſpelunca domos, ignemq́ laremq́,
Et pecus & dominos communi clauderet vmbra.

Iuuenal. Satyra. 6.

Quemadmodum ergo vires hominis ad ſenium vergentis, ita & virtutes Mundi ſeneſcentis deficiunt. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Tanta eſt ſocordia, tantus neglectus rerum diuinarum, vt plurimi neque de Deo audiant, neque Luc. 18. 8.

legant,

legant, neque sciant, quid sit credendum. Hinc æternæ vitæ obliuio homines Ethnicis similes efficit, qui cælum suum omne

Psal. 31. 9. Ierem. 5. 8.

in corporis voluptate posuerunt. Immo tales fiunt, *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Nam *equi amatores & emissarij facti sunt: vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat.*

II. Itaque hæc altera atque peculiaris est caussa, cur homines à *fide coniugali* deficiant, nimirum *defectus fidei diuinæ*, qua, tanquam clarissimo lumine, amissa, homines obtenebrantur & obbrutescunt. Siquidem, vt Theologi docent, peccata sequentia sunt præcedentium peccatorum pænæ. Et, vt S. Augustinus ait, *crimina criminibus vindicantur, & supplicia peccantium non tantùm sunt tormenta, sed & vitiorum incrementa.* Est etiam quædam peccatorum inter se colligatio, & velut catena, in qua alia sunt caussa sequentium, alia pœnæ præcedentium peccatorum. Quod, de Ethnicis idolorum cultoribus, diuinè docuit S. Paulus, scilicet ex fidei defectu apud eos, idololatriam & cæcitatem, ex cæcitate, quæ facit, vt rectum videri discernique non possit, natos appetitus & peccata naturæ ipsi repugnantia. *Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*, vt finem & fructum cognitionis Dei, qui est cultus illius, non assequerentur, sed Veneres & Bacchos, Martes & Ioues adulteros adorarent. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, &c.* Permisit enim eos suæ concupiscentiæ, vt fornicatione & adulterijs sua corpora dedecorarent. Quæ est magna pœna etiam apud Dauidem indicata: *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, Ibunt in adinuentionibus suis*, nimirum *mercedem, quam oportuit, errroris sui in semetipsis recipientes.* Hæc est enim merces eorum, qui, contra naturæ ordinem, deserunt naturæ authorem; &, vt vitijs patrocinentur, nouos sibi Deos fingunt vitiorum patronos. Nam, vt S. Athanasius tradit: *Idololatria instituta est desiderio eorum, qui stupris & propudijs pleni, figmentis repræsentantur.* Quid enim aliud orgia Bacchi, mysteria Deæ Phrygiæ, Veneris sacra, Priapi cæremoniæ, Floralia, quàm obscœnitatis fuêre monimenta?

Magister sentent. in 2. dist. 36. S. Augustin lib. 5. contr. Iulian. cap. 5.

Rom. 1. 21.

Psal. 80. 13.

S. Athanasius orat. contr. idola.

Quis non putauisset licere, in quo summo Deorum Ioui assimilaretur? At ille altitonans, in tabella, adulterans proponitur. *Et penè omnes ciuitates*, ait S. Athanasius, *omnibus libidinibus scatent, ob immanitatem morum, quam in suis dijs conspiciunt; neque est in hoc genere deorum, quem castum appelles. Olim certè Phœnissæ mulieres ante idola prostituebantur, dedicantes numinibus suum quæstum; persuasæ meretricatu ea propitiari; ac prosperitatem rerum inde nasci.* Idem fecerunt mulieres Babyloniæ, Syræ, Medæ, Persicæ, Lydiæ. Sapienter proinde dictum est: *Initium omnis fornicationis est exquisitio idolorum; & adinuentio illorum corruptio vitæ est.* Quamuis, vt vitia ordinem non seruant, etiam ex libidine, ad idololatriam perueniatur, quod Salomoni accidit, primùm mulieres, tum etiam Deos alienos secuto. Nimirum *vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Quando igitur dicitur: *Initium omnis fornicationis est exquisitio idolorum;* non est sensus, quasi nemo ad turpia hæc perueniat, nisi per idola; sed quòd, qui idololatra est, initium ac fundamentum habeat, ad omne genus fornicationum; & nihil non libidinis ab idolis discat. Nam, vt de ceteris taceam, ab ipso Ioue discet, ob adulteria, imber aureus, ob Europas taurus, & aquila fieri ob Ganymedes. Denique ne incestus desit, ipsa Iuno Diuûm regina Iouis est *Et soror, & coniux.*

Ibid.

Sap. 4.12.

3. Reg. 11.
Eccli. 19. 2.

III.

At existimet quis, hæc ad nostram ætatem non pertinere, qua idola non coluntur. Vtinam non colerentur! Nam inprimis, plus est, Atheum esse, & nullum penitus Numen, quàm ignotum vel falsum Deum timere. Exardescit enim concupiscentia, cum vindicem non timet Deum vllum; & magis refrænatur, cùm timet verum Deum. Nam nullum Deum nullus metuit: ligneum aut saxeum, aut luteum Deum soli pueri, aut stulti, verum Deum omnes, qui nôrunt, metuunt. Atheos autem quot alit nostrum æuum? His licitum est, quidquid libitum est. Nemo punit, quod nemo cernit. De hæreticis scribit D. Hieronymus: *Difficile est, inuenire hæreticum, qui diligat castitatem.* Si enim homo *aliter non potest esse continens, nisi Deus det*, adeoque, si sine dono & gratia Dei castus esse nemo potest, quæ potest ibi esse gratia Dei, vbi fides non est? Profitentur

S. Hieronym. l. 2. in Osee. c. 9. Sap. 8.21.

ipsi hæretici (apud se) castitatem esse impossibilem. Quid ergo mirum, ibi tot adulteria reperiri, vbi, ipso Luthero teste, concubitus homini tam est necessarius, quàm cibus? & vbi sanctissimum illud axioma: *Si non vult Domina, veniat ancilla?*

IV. Verùm neque hæretici sunt omnes? Ita est, profitentur multi se Catholicos, & tamen Deos habent alienos: *quorum Deus venter est.* Illud enim cuique est Deus, quod maximè colit; quàm multi autem ventri & ijs, quæ ventri annexa sunt, omnia impendunt, studia, cogitationes, opes, vitam, & huc, tanquam ad vltimum finem, cuncta referunt? Quàm multi ventrem Deo legique Dei præponunt? vt, diebus interdictis, carnibus satientur; vt vino vsque ad amentiam inebrientur, nihil illis est Deus. Immo venter est Deus, sicut fuit olim Philisthinis Dagon, quem ventris caussa colebant, à quo frumenti, piscium & prolis copiam petiuerunt; qui arcâ fœderis captâ ac juxtim positâ, auulsis manibus & capite, totus venter erat. Quid mirum ergo est, si & huius cultores in adulteria prolabi sinuntur? *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri.* Quidquid illis imperat, exequuntur. Cuius turpitudinis euidens exemplum est in *fraterculis hæreticis*, qui, lucerna extincta, promiscuo concubitu fœdantur; itemque, apud Adamitas, in Morauia, quorum vt quisque libidine incensus in aliquam exarsit, eam manu prehendit, & adiens principem, *In hanc,* inquit, *Spiritus meus concaluit.* Cui princeps respondet: *Ite, crescite, multiplicamini.* Non faciunt tam apertè Catholici? faciunt tamen; & quidem multi, qui, cum pessimis illis senibus, *exarserunt in concupiscentiam, & euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Quia enim non *vident,* aut sperant *cælum;* beatitudinem quærunt in delicijs carnis; & quia non *recordantur iudiciorum iustorum*, nec metuunt infernum, judicijs iustis atque Inferno digna non dubitant perpetrare. Cur autem non vident? cur non recordantur? quia sibi ipsi sunt senatus; sibi sapiunt; nihili conciones sacras, nihili lectiones pias faciunt; Deum ex memoria, hominem & rationem ex anima excludunt. Hinc in bestiarum feritatem, sua culpa mutatos,

Phil. 3, 19.
1. Reg. 5.
Rom. 16. 18.
Sabell. lib. 7. Enn. 9.
Æn. Syl. c. 41. Bohemiæ.
Dan. 13. 8.

tatos, meritò Deus finit viuere, more bestiarum. Quanquam multæ bestiæ leguntur istis castiores. Neque enim ciconiæ, immo & quadrupedes ac belluæ quædam, adulteria, in compare, patiuntur. Et tauri ipsi, pro grege suo, contra riualem, præliantur.

Neque verò fidei diuinæque cognitionis defectus tantùm meretur hanc cæcitatem, sed alia quoque peccata ac præcipuè ebrietas. Siquidem *Nox & amor vinumq́, nihil moderabile suadent.* Atque hæc est tertia caussa, ob quam homines, velut in præcipitio, de scopulo in scopulum cadunt. Quod enim Lot contigit, de quo filia dixit: *Veni, inebriemus eum vino, dormiamusq́, cum eo,* id sæpius accidit. Vino læditur ratio; hac amissa, nihil pensi habetur pudicitiæ amissio. Valdeque sunt familiares Bacchus & Venus. Vnde & Apostolus ait: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Vbicunque saturitas & ebrietas*, inquit S. Hieronymus, *ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormiuerit, tamen potuit peccare per vinum.* Ac alio loco *Vinolentia scurrarum est, & comessatorum, venterq́, mero æstuans citò despumat in libidines.* Ac infra. *Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Lot per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Apud Martialem quoq; *Sotæ filia Clinici Labulla Deserto sequitur Clitum marito.* Cur? quia intemperanter bibebat. Videant ergo viri, vt sobrias vxores; hæ vt maritos sobrios habeant, si volunt habere castos. Neque vllus maritus sibi speret vxorem castam, quam videt ebriam. Vino madida omnibus est venalis. Nihil recusat pati, quæ nescit, quid patiatur. Hinc, apud Plinium, ex Fabio Pictore hæc habentur. *Fabius Pictor in annalibus suis scripsit: Matronam, quòd loculos, in quibus erant claues vinariæ cellæ, resignauisset, à suis inedia mori coactam*, quod ijsdem ferè verbis, in Apologetico repetit Tertullianus. Quàm lubrica res est, si viro ebrioso vxor nubit potulenta? Malè custoditur pudicitia à sopitis vino. Præstat coniuges esse corpore mancos, quàm vinolentos. Potest enim pudicitia, fides, concordia in miseris

V.

Gen. 19. 32.

Ephes. 5. 18.

S. Hieronym. in cap. 1. ad Tit. 7.

S. Hieronym. ep. 83. ad Oceanum.

Martial. lib. 4. epigr. 9.

Plin. lib. 14. cap. 13.

miſeris membris habitare, non poteſt in ebrijs. Qua de cauſſa ille ſcripſit, nouiſſe, apud Britannos, ſe, qui narraret, Patrem ſibi fuiſſe, tibijs contractis, vt ſella vehendus eſſet, ſi locum mutare vellet, tum re tenui; hunc duxiſſe vxorem cæcam, & facti cauſſam dixiſſe: ſic meliùs inter nos conſtabit amicitia: feremus nos inuicem pares calamitate, neutri futurum eſt, quod exprobret alteri. Nec fefellit hominem ſuum iudicium. Nullus vnquam inter illos ſermo fuit non amicus & blandus. Quid mirum? illa nihil in illo mali videre, ille non potuit illam ſequi, vt in malo deprehenderet. Ex hac hiſtoria etiam patet, pares paribus feliciter iungi: dummodo non ſint vitijs pares. Vitijs enim inter ſe non conuenit, vt etiam hoc titulo ſint vitioſiora.

Eraſm. in Chriſtiani matrim. Inſtit.

VI. Vino nimis intemperanter ingurgitato ſanguinem incendere, eſt corpus inſtruere, vt in adulteria efferueſcat; atque ita, ex intemperantia vna, intemperantia alia naſcitur, tanquã ex flamma incendium. Sed nullus hîc terminus, nam, apud Tiraquellum, adultera eadem & venefica eſſe creditur: nempe, ob deceptiones, fraudes, & veneficia, quæ adulterium vel præparant, vel iuuant & comitantur, vel conſequuntur, vt annulus annulum in catena. Quin, vt lolium, & quædam ſemina vento vecta, ſparſim ac ſaltuatim, ſic vitia quoque creſcunt, & de marito in vxorem, de vxore in maritum, diuino iudicio ita iuſtè puniente, tranſiliunt. Siquidem & ipſis adulterijs merentur adulteria vindicari. Et quidem adulterium in pœnam permitti tum aliorum ſcelerum, tum ſuperbiæ, indicat Dominus, apud Iſaiam. Cùm enim dixiſſet: *Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo;* ſubiecit poſtea: *diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur.* Magna eſt hæc & pœna, & humiliatio. Quæ tamen præcipuè debetur illis, qui & ipſi fidem coniugalem fefellerunt. Hæc enim eſt lex talionis, de qua Iob ait: *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere; & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum: ſcortum alterius ſit vxor mea, & ſuper illam incuruentur alij.* Nullis paſſus eſt Iob illecebris ſeſe ineſcari, nullo allubeſcente oculo, verbo, aut

Tiraquell. l.8. Connub. n.22

Iſaiæ 13. 11.

Iob. 31. 9.

nutu

nutu decipi; vt insidias faceret foribus alienis. Quare securè potuit illud sibi imprecari, quod grauissimum etiam Lacedæmonij censuerunt. Nam, Suida teste, *Lacedæmoniorum execratio est: Vtinam ædifices, ac terram egeras, & equos alas, & vxor tua mœchum habeat, quòd hæc omnia sumptuosa & noxia sunt.* Hanc iustam adulterij pœnam Deus etiam Dauidi inflixit, & antè, quàm infligeret, comminatus est. *Eò quod tuleris vxorem Vriæ, tollam vxores tuas, in oculis tuis, & dabo proximo tuo.* Nimirum iustus judex, qui oculum pro oculo, dentem pro dente exigit; par pari solet referre; vt de similitudine pœnæ, culpæ magnitudo agnoscatur.

Suidas verb. Dacnomenos.

2. Reg. 12. 12.

VII.

Quanquam coniugi quoque coniux adulter, prauitate exempli, occasionem præbet. Et, dum iusta quadam indignatione ac zelo mouetur vxor, facilè animus stomachans suggerit, vt adulterium adulterio vindicet. Putatque, se non debere esse pudicam, quæ maritum intelligit esse impudicum. Et quid maritus succenseat, quod ipse facit? *Improbus est*, inquit Seneca, *qui ab vxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor vxorum.* Quæ publicè dicit, *Caia tibi fiam, si mihi Caius eris;* eadem tacitè dicit: *Mœcha tibi fiam, si mihi mœchus eris. Seruanda fides ab vtroque alteri est;* inquit Lactantius, *immo exemplo continentiæ docenda vxor, vt se castè gerat. Iniquum est enim, vt id exigas, quod præstare non poßis.* Quis vir non ægrè ferat, præstare se fidem vxori mutuam charitatem non exhibenti? cur ergo & vxor non sentiat, se fidelem marito ad alienum torum euaganti?

Senec. ep. 95.

Lactant. lib. 6. cap. 23.

Dum fuit Atrides vnâ contentus, & illa
Casta fuit: vitio est improba facta viri.

Ouid. lib. 1. de arte.

VIII.

Primùm itaque, ait Aristoteles, *leges sint viro ad vxorem, vt iniuria cesset, sic nec ipse iniuriam patietur.* Alioqui, si ille fastidit connubium, *imitari vult mulier virum*, & alium parare amasium. Certè nulla est tam perditi pudoris adultera, quæ hanc caussam perfidiæ suæ non prætendat; *iniuriam se peccando non facere, sed ferre.* Non ergo tantùm adulterat ipse, sed vxorem quoque suam adulteram facit *homo neque alieni matrimonij abstinens, neque sui custos;* ait Quintilianus, *quæ inter se natura connexa*

connexa sunt. Nam neque maritus circa corrumpendas aliorum coniuges occupatus, potest vacare domesticæ sanctitati; & vxor, cùm in tale incidit matrimonium, exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicare. Cauendum igitur, ne occasionem vitij nostra intemperantia demus: sed assuescant inuicem mores duorum, & iugum paribus animis ferant. Nos ipsos in altero cogitemus. Nam ferè in hoc iustitia summa consistit, vt non facias alteri, quidquid ipse ab altero pati nolis. Commeritum ergo est supplicium, & populo adultero olim quoque dignum iudicatum. *Non visitabo super*
Osee.4.14. *filias vestras,* inquit Dominus, apud Oseam, *cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cùm adulterauerint: quoniam ipsi cum meretricibus conuersabantur.* Vult igitur Deus, vt pœna, ex æquo, adulterijs respondeat. Quæ sanè pœna non est exigua.
Iob.31.12. Siquidem *ignis est, vsque ad perditionem deuorans.* Olim ignibus adulteria puniebantur; nunc saltem zelotypiæ igne ea plectit Deus; qui vtique *vsque ad perditionem deuorat,* si adigit ad furo-
Prou. 6.35. rem. Hoc autem eum facere, Salomon est testis: *Zelus & furor viri, non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet, pro redemtione, dona plurima.* Certò *grandis do-*
S Hieron. in Amos. c.7. *lor, incredibilisq; ignominia,* inquit S. Hieronymus, *quando maritus in media ciuitate vxoris iniuriam prohibere non potest. Non est tantus dolor in filia constuprata, quantus in vxore polluta: maritus enim libentiùs audit vxorem interfici, quàm pollui.* Etsi autem hæc pœna maxima est, est tamen talionis, & iusta, quia etiam
Iob.31.11. adulterium *nefas est, vel iniquitas maxima:* quam & Abimelech
Gen. 20. *peccatum grande,* ob insignem sceleris improbitatem, appella-
Eccles. 7.27. uit. Hac de caussa ait Ecclesiastes: *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius, qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa,* vt puniatur. Inter omnes autem puniendi modos, amarissimus est, si adulterium vnius adulterio alterius ple-
Matth.7.2. ctatur; sed & iustissimus, iuxta illam iustitiæ legem; *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

IX. Quod Boleslao II. Polonorum regi, rerum alioqui gesta-
Cromer.lib.4 rum magnitudine clarissimo, alijsque, sub illo, Veneri non minùs, quàm Marti militantibus, iustissimè contigit. Hic rex,

victis Russis, & Kiouia metropoli eorum expugnata, delicijs vrbis semigrææ corruptus, maximorum malorum caussam præbuit. *Nam dum Poloni, regis ductu, Kiouiæ, nulla se nequitia & libidine, quamuis fœda, & sibi insitata priùs, abstinent; vxores eorum & filiæ domi relictæ, non ferentes tam diuturnam virorum absentiam (iam enim septimum ferè annum in Rußia & Hungaria militantes domibus aberant) tum etiam libidinibus eorum & iniurijs irritatæ, flagitijs vicißim viros & propinquos suos pleræque vlciscuntur. Nonnullarum etiam pudor & constantia, partim blanditijs, & falsa extinctorum virorum persuasione, corrumpitur; partim vi expugnatur, iusta diuini Numinis vindicta atque permissu. Hæc vbi viris in hiberna renuntiata sunt, cùm commeatum domos visendi à rege impetrare non possent, clam discesserunt. Rex veritus, ne Rußi, despecta Polonorum paucitate, opprimendi sui consilium inirent, peruenit Cracouiam, conceptam animo in desertores iram in apertum profert: à quibus fugæ initium ortum erat, eos capitali pœna afficit: in cæteros autem bonorum confiscatione, aut diuturno carcere animaduertit. Sæuijt & in mulieres, quæ culpæ affines esse videbantur. Abstractis enim & abiectis infantibus, quos è stupris & adulterijs enixæ erant, catulos ad vbera earum admouisse dicitur. Mox, cum libidine in dies magis efferaretur, & Stanislaum Episcopum Cracouiensem crudeliter interfecisset, regno pulsus, miserandum in modum, perijt.*

Eant nunc reges principesque, eant militiæ duces, & dicant, sibi quiduis, domi bellique, licere. Vigilat vbique oculus Domini, & extenta est manus eius ad feriendum. Hunc ictum si exire volunt, caueant longas moras & otia conuiuiaque, in castris; non est ibi locus vacandi, non tempus otiandi; turpissimum auditu est, plures horas in epulis, quàm consilijs, consumi: manus magis poculis, quàm gladijs tenendis assuefieri; pedes rariùs in campis, quàm in triclinijs versari; caput sæpius vino, nunquam ferro hostis sauciari: denique delicias, inter arma, non victorias quæri. Neque putandum est, deesse lenocinijs occasionem. Etiam, in Germania, Italia, Gallia, Hispania, sunt vrbes Græcæ, quia Græci mores. Alij Græcè esuriunt, alij Græcè bibunt; &, si ad dialectos est veniendum, in alijs

in alijs est Atticus impudensque aspectus; in alijs Bœoticus stupor; in alijs Dorica saltandi insania, ac Ionica mollities & luxus. Hi mores, vt pestes, cauendi, præcipuè ducibus, quorum exempla, vt conspectiora, ita & sunt magis contagiosa, & perniciosa; quia sicut à capite motus in reliqua membra, ita & à Duce vitium in milites descendit. Ducuntur enim non imperio tantùm, sed & exemplo. Quod exemplum, per milites, etiam procul in militum vxores domi, multoq; magis in castris, corriuatur. Quid facerent enim, toto septennio, domi, quæ maritos suos audiunt, & sæpe præsentes vident, in castris, quotidie, & in curru, & in mensa meretricem habere ad latus assidentem? quasi non sufficiat, noctu, in occulto & tenebris peccare; sed profitenda sint flagitia, in publico; vt non tantùm exerceantur, sed etiam doceantur. Simplicissimæ mentes, coram tot testibus, in castris, conuiuantes, summo loco, pellices collocatis, & arbitramini, rem hanc ad vxorum vestrarum aures non peruenturam? Quod si tale quid illis, tot litteris, tot nuncijs, tanta certitudine patefiat; quid illas putatis cogitaturas; immò quid facturas? Nimirum non tantùm ipsi adulteri estis, verùm etiam vxores vestras quodammodo cogitis adulteras fieri. Neque idcirco sanctas mansisse, vobis persuadete, si domum redeuntes non inuenitis cunas aliena sobole repletas: sunt Deum non timentibus mille modi vel prolem ex oculis, vel etiam è vita tollendi. Adeò vos in caussa estis, dum impurè belligeratis, vt coniuges vestræ & adulterijs se vindicent, & vindictam infanticidijs abscondant, vt crimen crimine maiore tegatur. Sed non tegitur Deo: quia *non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius;* quemadmodum & Boleslai, & militum eius, & impurarum istarum coniugum facta fuerunt, quarum nulla impunita mansit. Tametsi enim, maritorum exemplo, quodammodo prouocatæ sunt, non tamen eapropter excusantur; in absentia virorum, Penelopen imitari potuissent; nolentes ergo punitæ sunt, quia volentes peccauerunt. Igitur, sine malitia, vsus est Deus earum malitia in pœnam maritorum. Quid faciet illis, qui, in vna secum mensa, vxorem habent, & vxoris æmulam:

Athenæus lib. 12. Dipnosophist.

Hebr. 4. 13.

lam: vt nullis nuncijs, nullis litteris ſit opus, cùm oculi teſtes ſint, videantque, ob quod intabeſcant. Plectet eos profectò æquè acerbè, ac iuſtè Deus.

XI.

Qui etiam alia ſubinde peccata adulterijs plectit; nec tamen adulteria illa ſinit eſſe impunita, cùm & ipſa peccata pariter ſint, & ſupplicia peccatorum. Tanquam peccata permittit Deus; tanquam ſupplicia dirigit; quia nouit etiam malis ad bonum finem vti, ſicut medicus viperis. Alboinus Longobardorum rex, cuncta penè Hetruria & Arimino ac Ciſalpinæ Galliæ, à Bononia Papiam vſque, omnibus, excepto Brixello, partibus potitus, Veronam ſe contulit, vbi vxorem reliquerat. Ibi regni ſedem conſtituturus epulas ſolennes dedit. Vino exhilaratus, inter lætitiam conuiuij, Roſimundam vxorem eâ paterâ bibere compulit, quam ex patris ipſius Chunimundi quondam à ſe occiſi capite in poculum redegit; &, addito intempeſtiuo ioco, dixit, *vt lætè biberet, cum patre ſuo.* Inſedit hæc iniuria altiùs mulieri, ſed animum preſſit, & tacuit. Neque enim verbis, ſed morte vlciſcendam judicauit. Vindictam, poſtquã ſatis coxit, ita effectui dedit. Erat Helmechildus quidam Longobardus, forma præſtans, bello ſtrenuus, & in armis ferox. Is puellam gynæcéi, in obſequijs Roſimundæ verſantem deperibat. Quod cùm non ignoraret regina, cœpit virgini ſuadere turpia, atque amatoris iuſſit obſequi obſcœnæ voluntati. At illa rem inhoneſtam auerſata, negauit ſe pudicitiam in propatulo habere. Apertiùs ergo regina agendum cenſuit, docuitque, non id ſe velle, vt ipſa caſtitatem proſtitueret, ſed vt tantummodo iuuenem irretiret, & clanculum ad ſe inuitaret, eoque veniente, ſe ſubduceret: reliquum negotium ſibi eſſe relinquendum. Virgo hactenus reginæ ſeruiendum exiſtimans, annuit. Re ita conſtituta, induit regina famulæ ſuæ veſtes, & tenebris nocturnis conſilium adiuuantibus, in deſignatum conſedit locum. Adeſt, condicta hora, iuuenis, & facit, quod nox, quod mulier, quod militaris licentia, quod petulantis adoleſcentiæ conſuetudo ſuaſerunt. Iam parabat abire, cùm regina eum pallio retinens eiuſcemodi ſermone interpellauit. Ne me tuam illam veterẽ beneuolentẽ eſſe arbitreris, ô Helmechilde;

Io. Naucler vol. 2. Chronogr. gener. 20 An. 574.

Regina sum. Vindicta me ad hoc facinus impulit, non libido. Tua fortuna, in tua manu est. Aut regnabis, aut occumbes. Vtrum vis, elige; vel accusari apud regem, vel regem obtruncare debes, ac me, cum regno Longobardorum, habere. Vide, quid præstet, solium, an sepulchrum. Succubuit iuuenis gemino ariete quassatus: nam hinc spes eum impulit, inde metus egit. Itaque Alboinum quiescentem, licet inuita manu, & ad primum vulnus resistere conantem occidit. Eius funus vbi multis Longobardorum lachrymis elatum fuit, annisa est Rosimunda Helmechildum declarare regem. Noluerunt Longobardi eum diademate ornare, qui per adulterium & plusquam parricidalem cædem sibi viam fecisset ad coronam. Quin & reginæ minas atque arma intentârunt. Illa & femina, & sceleris conscientia agitata, metu vindictæ, profugit. Neque profugit sola, sed fide publica à Longino habita, quidquid pecuniarum & regiæ gazæ habuerat Alboinus, imposuit nauibus. Comitati sunt illam filia Alsuinda & adulter. Athesi in Padum sunt delapsi, & per Adriaticum mare Rauennam peruenerunt. Ibi à Longino perhonorificè, magnoque apparatu sunt accepti. Aliquot menses, eo loco, summa in quiete fuerunt; sed, ne alij quiescerent, multa interim machinabantur, vt Longobardi Italiâ pellerentur. Conniuere, huc vsque, visus est diuinus oculus, & tantùm ostendit, sibi Alboini crudelitatem displicuisse. Nunc, vt etiam adulteros plecteret, alijs illecebris vindicem permisit excitari. Siquidem Longinus partim forma mulieris, partim auri cupiditate, partim etiam spe regni accensus Rosimundam omni genere officiorum ambiuit, delinitamque, vt ipse ea potitus Longobardorum regnum adipisci posset, eò induxit, vt se Italiæ reginam, fore crederet, si quidem Longinum sibi matrimonio iungeret. Sed obex erat remouendus. Facile fuit & hoc fæminæ maiora sibi promittenti persuadere. Itaque consentit in Helmechildum necandum. Captauit callida mulier occasionem, cùm Helmechildus de balneo exiret calens & sitibundus; tum enim, quasi noua Circe, poculum veneno infectum ei porrigens aiebat: *hoc bibe, quia vires vehementer alit*. Arripit ille craterem, & à tali manu auidiùs

diùs bibit. Verùm mox ſenſit, eſſe virulentum. Vna igitur manu Roſimundam, per capillos, tenuit, altera gladium vagina direptum ſtringens, id, quod in ſcypho reliquum erat, ipſam exhaurire perfidam coëgit. Ita non ſolùm ipſa, quod intriuerat, ebibit, ſed etiam duos maritos, duoque regna, vno hauſtu, amiſit; eodemque veneno, adulteram atque adulterum, Deo ſic juſtiſſimè vindicante, interemit. Nemo miretur, ſi Deus non impedit adulteria, in Mundo, ſed ſubinde hunc vel illum ſinit in facinus labi. Alboinus ſuperbè vxori inſultauit, & ex fida coniuge, adulteram fecit: adulteram Deus primùm regno, tum etiam vita eiecit; & occiſo adultero ſociam addidit, ne ſine comite eum mitteret ad Rhadamantum. Accuſet iniuſtus Dominum, *Dominus iuſtus in medio eius non faciet iniquitatem*: lateant noctu impuri, *manè, manè iudicium ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur; neſciuit autem iniquus confuſionem;* nam in tenebris peccans, non credidit turpiſſima ſua facinora in apricum proferenda. Sophon. 3. 5.

XII. Fulg. l. 8. c. 2.

Quemadmodum neque Gangulphi Burgundi ſub Pipino rege militis vxor, quæ adulterio commaculata, cùm probare vellet, innoxiam ſe eſſe, demerſâ, in frigido fonte, manu, adjuratione petijt, ne eam, ſine prodigij ſpecie, ſi culpam ferret, inde poſſet leuare. Mira & à Deo res facta fuit, cùm à fonte manum tolleret, deſiccatam extraxit; non aliter, quàm ſi in medijs eam ignibus tenuiſſet. Itaque, ob prodigium, à viro ſeparata fuit, jam antè ſeparata à Deo, qui adulterium periurio tegi non eſt paſſus, voluitque potiùs naturæ legem, in aqua, mutare, quàm vt, ſine prodigio, & velut tacendo, falſum juranti fœminæ adſtipulari videretur. Quare nec aqua impuram madefecit. Niſi manum ſiccam retraxiſſet, iuraſſet impia, ſe ſcelus abluiſſe. Nulla igitur mulier credat, furta ſua atque improbitates in lucem non venturas; hanc adulteram elementa prodiderunt. Quod etiam, apud illos, verum eſt, qui hanc hiſtoriam longè aliter veriúſque recenſent. Aiunt enim, hunc Gangulphum, qui Anno 759. ſanctitate claruit, emto, in Burgundia fonte, eundem in Francia, loco, cui nomen Vuarenna, elicuiſſe; nam precibus ad Deum fuſis impetrauit, vt inde huc fugeret, Sigebertus Erphordienſ. c. 67. & Vincentius lib. 23. c. 159. Sur. 11. Maij.

fugeret, & qui ibi se subduxerat, hîc emergeret. Cui miraculo alterum accessit. Vxor eius de adulterio delata, iussa ex illo lapidem tollere, sat frigido alioquin, brachium ambustum retraxit, abstracta à digitis & cubito, quousque aqua pertigerat, cute: quæ proinde ab illo dimissa, cum clerico adultero, vt infra referam, necem illi intulit. Ex eo tempore ille pro martyre est habitus, fonte miraculis compluribus eius sanctitati subscribente. Martyres tales, nostro æuo complures habere possemus; &, si fontes quoque nunc tales essent, etiam plures, quibus brachium immissum vstularetur.

CAPVT XXXIV.

Quarta permissorum à Deo adulteriorum caussa, vt Magistratui ciuili detur iustitiæ administrandæ occasio.

I. PHiloxenus Poeta, roganti cuidam, cur Sophocles probas inducat mulieres, ipse verò malas? dixit: *Quia Sophocles quidem, quales illas esse oporteat, dicit; ego autem quales sint.* Dixisset meliùs, Mulierum alias bonas esse, alias malas; illas à Sophocle laudari, istas à se perstringi. Neque enim omnes malæ, neque omnes bonæ sunt; vt proinde aliquæ, pro virtute, honorem, aliquæ pœnam, pro malitia sua, mereantur. Dat enim virtutum Auctor Deus & hinc mortalibus occasionem iustitiæ exercendæ: vt, quemadmodum ipse adulterij reos, lege præscripta, lapidibus iussit obrui; ita & illi adulteris non parcant. Quin & prodigijs subinde puniens eiuscemodi fœdos homines, ostendit deformitatem adulteriorum, vt fecit in illo milite, de quo Cantipratanus scribit sequentia. *Hic de latere coniugis, intempestæ noctis silentio, vice quadam, exsurgens, completo cum aliena flagitio, domum, luna lucente, redibat. Cuius faciem per fenestram intrantis vxor eminus contemplans, clamat horrificè. Ad cuius clamorem ancillæ domus, & famuli concurrentes, mox ad contuitum domini pariter conclamauerunt, quasi a conspectu dæmonis perturbati. Quod vt miles vidit, animaduertit, faciem suam à forma propria recessisse, & diuino iudicio secundùm vilitatem*

Num. 20.

Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 30. §. 4.

litatem peccati confusionis ignominiam induisse. Ergò vbi delituit vsque manè, properat versus Ecclesiam, vt confessus sacerdoti formam propriam recipere mereretur. Cui cùm vaccæ & pecudes villæ procedentes ad pascua longiùs obuiarent, mox diros dedêre mugitus, & quasi subitò minaci fulmine retroactæ, quæque, quoquo possunt, diffugiunt. Idem pastores & obuij quique fecerunt. Sacerdos autem in ostio Ecclesiæ ad dicendas horas residens, mox vt illum vidit, signauit se, & intrans Ecclesiam ostium post se claudit. Tunc miles, ante fores Ecclesiæ, se prosternens, miserere, inquit, pater sancte, miserere miserrimo peccatori. Non sum ille, qui videor, sed hoc mihi, peccatis meis exigentibus, accidit, vt in me laruata quasi dæmonis facies videatur, sed pœnitenti iniunge, quod vis, & sic de me, quod Deus voluerit, exspectabo. Nec mora, vbi miles cum mira contritione & lachrymis est confessus, larualis illa confusio detersa est, & propriam faciem cum sua integritate recepit. Simile quid, per omnia, mulieri adulteræ accidisse scribit Ioannes Nider, vt constet, in vtroque sexu, diabolicam, ab hoc vitio, existere deformitatē, nullo alio remedio, quàm pœnitentia, eluendam. Quæ si desit, non deest diuina manus, adulteris stigma inurens æternis sæculis duraturum. Quale fuit illud nobilis matronæ, cuius ad cadauer in sepulchrum illatum immanissimus, de silua, serpens identidem adrepere solitabat, totum depasturus, ni S. Marcellus Episcopus Parisiensis, & precibus, & baculo eum pepulisset. Sed non multum profuit, corpus colubro liberasse, dum anima in Acherontici draconis faucibus hæreret. Horrenda sunt supplicia, quæ, apud inferos, adulteris infligi docent variæ visiones Sanctorum. Sed & plurima exempla eorum, qui, in hac quoque vita, sunt à Deo, seuerissimè puniti, ob fidem coniugi datam non sanctè habitam. Quibus pœnis non tantùm delinquentes sunt ad pœnitentiam emendationemque vitæ vocati, sed etiam magistratus ad iustitiæ imitationem. Olim, teste Ænea Siluio, Lituanis mulieribus, virorum & magistratus permissu, palam in matrimonio, habebant concubinos, cùm interea pellicatus viris probro daretur. Dux Opauiæ vxori, quam acceperat, ex Lituania venienti, obuiam ibat: ibi & ipse talem vicarium cum sponsa inuenit, quem illico statuit

Ioan. Nider lib. 2. Fornic. cap. 10.

Fortunat. Ep. in vita S. Marcelli 1. Nouemb.

Aeneas Sylu. lib. 4. comment. de Alfonso.

tuit obijcere canibus laniandum. Dissimulent licet inertes viri, & magistratus malè feriati hoc crimen, Ducem tamen Opaniæ agit diuina Nemesis, quæ, & in hac vita, talibus intemperias conscientiamque mordentem, velut latrantes lacerantesque canes immittit, & in altera Cerbero Auernali obijciet laniandos. Hæc iustitia est ijs, qui præsunt, in documentum. Quamobrem Gonzaga seuerè animaduertit in illos, qui spoponderunt, se maritos liberos dimissuros, si eorum vxores sibi copulam gratificarentur. Consentit in adulterium, qui, cùm ex officio debet, non punit.

II. Et prorsus, debita Numinis imitatione, Politici magistratus, in adulteria animaduertunt; neque excusare se poterunt, apud diuinum tribunal, si hîc dissimulanter agunt, aut negli-

Rom. 1. 32. genter. *Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Itaque *digni sunt morte*, non solùm adulteri, sed etiam adulteriorum dissimulatores, qui dissimulando spondent impunitatem; impunitate autem homines inuitant ad scelera, absque metu, audenda ac repetenda. Quàm ô Superi, noxio atque inexcusabili se crimine obstringunt Principes ac Magistratus, in quorum propemodum oculis, certè auribus, adulteria impunè committuntur! Qui sciunt toties vxores, quoties noctes commutari; & tacent!

Rom. 13. 4. At non *sine caussa gladium portant*. Quid præsunt, si hîc desunt? non vult eos Deus ad Tartara ruere, per peccata aliorum; sed puniendis peccatis, iustitiæque administratione dignos cælo fieri.

III. Ob vnicam Helenam ab adultero Paride retentam, Græci Troiam, integro decennio, obsederunt, ac tandem captam flammis pessum dederunt. Itaque & regnum & tantæ opes Priami ab adulterio interierunt, Græcis tam iniustum nefas non ferentibus. Cur nos opes, cur regna terrent? cur labor ac difficultas à justitia abstrahit? *Fiat iustitia, & pereat Mundus.* Præstat damnare reos, quàm innocentes perire à dissimulatio-

Iust. Lipsius ad lib. 4. annal. Taciti. ne, ac fieri nocentes. Plus timendus est Deus, quàm reus. Romæ quoque lex Iulia de adulterio semper vindex fuit adulte-

riorum,

riorum, quidquid Socrates de pœna *fistrorum*, seu lupanarium, & tintinnabulis crimen augentibus, non sanantibus scribat: quasi sufficiat, vel licita sit pœna, qua ex adulteris scorta publica efficiuntur. Socrat. lib. hist. c. 18.

IV. Leuites profugam vxorem domum reducere conciliatam volebat; ea violata à Beniamitis, extremeque vexata occubuit. Itaque maritus *arripuit gladium, & cadauer vxoris, cum ossibus suis, in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel. Quod cùm vidissent singuli, conclamabant: Nunquam res talis facta est in Israel ex eo die, quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, vsque in præsens tempus: ferte sententiam, & in commune decernite, quid facto opus sit. Egressi itaque sunt omnes filij Israel, & pariter congregati, quasi vir vnus, de Dan vsque Bersabee, & terra Galaad ad Dominum in Maspha: omnesq; anguli populorum, & cuncta tribus Israël in Ecclesiam populi Dei conuenerunt, quadraginta millia peditum pugnatorum, &c.* Ad hos Leuites dixit: *Adestis omnes filij Israel, decernite, quid facere debeatis.* Hîc mihi zelum considerate. Agebatur de vnica muliere; de vna nocte; & ex omnibus terminis Israël, *egressi sunt omnes filij Israël*, adeò vt etiam omnes anguli populorum conuenirent. Et conuenerunt *ad Dominum in Maspha*, ne sine diuino nutu aliquid inciperent. Mox, Deo consulto, & ipsi inter sese consuluerunt, quid facto opus. Tot virorum consilia à matrimonio & à mariti læsi caussa steterunt. Vna fæmina cecidit, quam *quadraginta millia peditum pugnatorum* iuerunt vindicatum. *Stansq; omnis populus, quasi vnius hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisque intrabit domum: sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.* Hæc erat conspiratio. Ne autem sæuire, potiùs, quàm bellare dicerentur, reos facinoris dedi sibi in primis petierunt; quibus negatis, *surgentes venerunt in domum Dei, hoc est in Silo: consuluerúntq; Deum;* à quo Ducem Iudam acceperunt. Et tamen bis ingenti clade affecti, etiam tertia vice pugnauerunt. Adeò non deterriti sunt, pro justitia cadere, aut vincere. Vicerunt tandem, & mortem vnam clade ingenti multorum puniuerunt: *Et sic factum est, vt omnes, qui ceciderant de Beniamin in diuersis locis, essent viginti quinq; millia,*

Iudic. 19. 29.

Cap. 20. 1.

lia, pugnatores ad bella promtissimi. Neque hîc stetit vindicta. Quippe *regressi filij Israel omnes reliquias ciuitatis, à viris vsque ad iumenta, gladio percusserunt; cunctasq; vrbes & viculos Beniamin vorax flamma consumpsit.* Tantus zelus fuit Israëlitarum iustitiam amantium, atque odio prosequentium iniquitatem adulteriorum.

V. Expendant hanc historiam justitiæ ministri, qui pœnam ipsi mereri, quàm irrogare, malunt, cùm vitia alunt conniuendo. Adulteria, quin & veneficia aliaque nefaria crimina non desunt: desunt qui puniant. Quam verò ob caussam? Quia, vt cuiusque ingenium est, ita peccata ea leuia, aut certè non tantis impensis molestijsue arbitratur plectenda. Ast aliter hîc judicauit Deus, cuius auspicijs est pugnatum, aliter pugnatores Israëlitæ. Aliter judicabunt & ipsi aliquando, sed serò & jam judicandi; atque ab ipsis Ethnicis damnandi. Vt enim de ipsius Lucretiæ facto nihil dicam, quæ vel violentum in se atque culpa carens adulterium morte voluit emaculare, *ne vlla deinde impudica Lucretiæ exemplo viueret*: certè Lucretiâ è vulnere lapsâ,

Tit. Liu. l. 1. conclamauerunt vir paterque: *Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ se tenens, Per hunc, inquit, castissimum, ante regiam iniuriam, sanguinem iuro, vosq; dij testes facio, me L. Tarquinium Superbum, cum scelerata coniuge, & omni liberorum stirpe, ferro, igni, quacunque dehinc vi possim, exacturum; nec illos, nec alium quenquam regnare Romæ passurum. Cultrum deinde Collatino tradit, inde Lucretio, ac Valerio, stupentibus miraculo rei, vnde nouum in Bruti pectore ingenium. vt præceptum erat, iurant: totiq; ab luctu versi in iram, Brutum, iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. Elatum domo Lucretiæ corpus in forum deferunt, concientq; miraculo, vt fit, rei nouæ, atque indignitate homines, pro se quisque scelus regium ac vim queruntur, mouet tum patris mœstitia, tum Brutus castigator lachrymarum atque inertium querelarum, auctorq;, quod viros, quod Romanos deceret arma capiendi, aduersus hostilia ausos, ferocissimus quisque iuuenum cum armis voluntarius adest: sequitur & cetera iuuentus.* Hic ardor erat adulterium vindicandi, pro quo Tarquinius castra, exercitum, regnum, pa-

triam

triam amisit, nam ei exilium indictum est. Nec rex tantùm luit, sed regis etiam liberi vrbe exacti sunt; vt documentum essent, nulli de plebe adultero impune esse oportere, quando Romani ne regibus quidem pepercerunt. Quanquam & illud licet obseruare, permissum hoc stuprum à Deo in iustam Collatini pœnam admonitionemque, incautè, inter pocula, loquentium, sermonibusque vtentium ad libidines excitandas. Nam tum in castris, cùm ferro esset quies, vino pugnabatur, & fabulis Venerem, non Martem spirantibus. Siquidem *regij iuuenes interdum* (hodie non *interdum*, sed ferè continuò) *otium conuiuijs comessationibusq́ inter se terebant. Fortè potantibus his, apud Sex. Tarquinium, vbi & Collatinus cœnabat, Tarquinius, Egerij filius, incidit de vxoribus mentio. Suam quisq́ laudare miris modis, &c. ibi Sex. Tarquinium mala libido Lucretiæ per vim stuprandæ capit.* Hæc est debita merces maritorum vxores suas alijs laudantium & commendantium, hic fructus pudicitiam prostituentium colloquiorum. Qui laudat merces, vænales facit; & furibus se exponit, qui thesaurum non abscondit. Quàm autem longè grauiùs peccant illi viri, qui coniuges suas, in omni libertate, sinunt habitare solas, ibi, vbi ianua patet petulantiæ totius iuuentutis? Audit maritus, intrare comatulos, potare, saltare, pernoctare: & nihil mali metuit? ô stupidam patientiam! & quouis Bruto magis brutam! Hoc sæculi nostri dedecus est. Tarquinij non desunt, desunt Collatini.

Sed, vt ad viam redeat oratio, nihil mirum est, adulteria tam calidè punita, quando vel fornicationes ardentissimis animis sunt vindicatæ. *Vnus de filijs Israel intrauit, coram fratribus suis, ad scortum Madianitidem* (Cozbi filiam Sur principis nobilissimi Madianitarum) *vidente Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est, post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul.* Hoc, siue fecit singulari instinctu, siue authoritate Moysis videntis ac permittentis, siue potiùs iussu eiusdem, qui paulo priùs dixerat *ad iudices Israel: occidat vnusquisq́ proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor;* certè placuit

VI.

Num. 25. 6.

Deo dicenti: *Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filijs Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo.* Quis autem fuit zelus ille
Num. 25. 1. Dei? *Morabatur, eo tempore, Israel in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab.* Hæc promulsis, quæ pœnia? aut quis fuit zelus Dei? *Tolle cunctos Principes populi,* ait ad Moysen, *& suspende eos contra solem in patibulis.* Hoc Principibus euenit, fornicationem non punientibus: è populo *occisi sunt viginti quatuor millia;* ne quis dicat, nimis magnus numerus est adulterorum, ciuitas esset euacuanda; si omnes punirentur. Non excusat scelus, sed auget peccantium multitudo. Si multi delinquunt, multi plectendi sunt. Numerus non creuisset, si initijs obstitisset magistratus: qui si se numero sinit terreri, caueat, ne furorem Domini in se concitet, quem placare posset; si cum Phinees, zelo Dei, hominum flagitia extirparet. Nam
Psal. 105. 29. quando & Israëlitæ *irritauerunt eum in adinuentionibus suis: & multiplicata est in eis ruina, stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio.* Cessaret & nostra tam diuturna quassatio, si in ijs zelus hic Dei esset, quorum est in mala hominum facinora animaduertere. Non est hæc clementia, ô Principes: Dum vos parcitis flagitiosis, totas Deus punit communitates. Cessaret quassatio, si vos paucis victimis iram eius placaretis. Parcitis vni, occiditis multos. Immò dum nocenti parcitis, occiditis innocentes.

VII. Alius animus est ijs, qui Dei zelo ardent; quales fuêre
Gen. 34. 25. Simeon & Leui fratres Dinæ, qui ob sororis suæ raptum, Sichimitarum vrbem ingressi, *interfectisq; omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Quibus egressis, irruerunt super occisos ceteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri. Oues eorum, & armenta, & asinos cunctaq; vastantes, quæ in domibus & in agris erant: paruulos quoq; eorum, & vxores duxerunt captiuas.* Quantum apud hos odium impuritatis? Vna virgo violata est, & tota ciuitas vastata. Vnus peccauit, & omnes luerunt. Et qui peccauerat erat filius principis terræ illius: in tanto facinus alij dissimulassent; alij sororibus suis nuptias prensassent. Sed &

parens, & filius à Iacob puellam postea fratribusque puellæ, in coniugium, petiuerunt. Denique conditionem grauissimam, &, quæ religionis caput erat, impleuerunt, cùm se omnes Sichimitæ, gentis ritu, circumciderent. His omnibus insuper habitis, filij Iacob omnes vrbis masculos, ipsosq; etiam principes Hemor & Sichem interfecerunt, *in vltionem stupri.* Vtq; luculentior esset pœna, ipsam etiam vrbem depopulati sunt; ipsas oues, ipsa armenta innocua, asinos quoque & cuncta, quæ in domibus & in agris erant, vastauerunt. Ac ne quidquam intactum relinqueretur, paruulos quoque & vxores eorum rapuerunt in captiuitatem. Quid nostrum sæculum fecisset? Immo quid illi ipsi olim fecissent, si non virgo è paterna domo, sed vxor aliqua è mariti toro, vel à Paride, vel ab Herode rapta fuisset? Decem annos, populum totum vindictæ impendissent. At frigida nostra ætas, facilè judices obtulisset, qui dicerent: *Dissimulemus: quid, ob mulierem vnam, turbas dabimus? præstat habere tantos principes amicos, immo affines, quàm facere hostes. Præstat malum pati, quàm multiplicari. Quid enim non posset tricarum, rixarum, immo miseriarum oriri, si hic rigidè ageremus?* Hæc & similia dicunt, qui ne manifestariam quidem & compertam fugam rogo audent adiudicare, ne vnius indicio plures sint comprehendendæ; & labor crescat in reis examinandis, aut infamia criminis in familiâ serpat. Hoccine est esse judices? ita geruntur magistratus? ô justitia, justitia, vt dormis? ô Princeps, quàm longè abes à zelo Dei! à tuo munere? à rege illo, qui orauit? *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis!* Planè enim sunt verba malitiæ, non innocentiæ, quibus se judex excusat à scelerum impunitate. Excusare se potest, qui ignorantia, aut fragilitate deliquit; *excusationes in peccatis,* verba sunt malitiæ, quæ duplicant culpam; immo & triplicant, si hæ ipsæ excusationes excusentur; quod complures peruersè Politici facere non erubescunt. Psal. 140. 4.

VIII. At priuati sæpè homines opprobrij impatientes, aut quodam zelotypiæ dolore faciunt, quod, amore justitiæ, magistratum facere oporteret. Quot enim leguntur, adulterum, in angulo, post tapetia, vel sub lectica absconditum ac deprehen-

Val. Max. lib. 6. cap. 1.

ſum gladio confodiſſe? *Exercitu & copijs Gallogræcorum à Cn. Manlio conſule, in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Orgiagontis reguli vxor miræ pulchritudinis à centurione, cui cuſtodienda tradita erat, ſtuprum pati coacta: poſtquam ventum eſt in eum locum in quem centurio, miſſo nuncio, neceſſarios mulieris, pretium, quo eam redimerent, afferre iuſſerat: Aurum expendente centurione, & in eius pondus animo oculiſq́; intento, Gallogræcis lingua gentis ſuæ imperauit, vt eum occiderent. Interfecti deinde caput abſciſſum manibus retinens ad coniugem venit: abiectoq́; ante pedes eius, & iniuriæ & vltionis ſuæ ordinem expoſuit. Huius fœminæ quid aliud quiſquam, quàm corpus in poteſtatem hoſtium veniſſe dicat? Nam neque animus vinci, nec pudicitia capi potuit*: inquit Valerius. Addo ego, eam, priuata vltione, docuiſſe, quid adulteris, publica authoritate, debeatur: quæ authoritas, ſi officio ſuo deſit, diuinam non effugiet poteſtatem. Et ſanè quotidianum eſt, vt Iudex judicium mereatur.

IX.

Bonif. ep. 23. ad Theobaldum Anno Christi 170.

Refert Bonifacius Apoſtolicæ ſedis legatus, in antiqua Saxonia, ſi virgo paternam domum, vel ſi mulier maritata matrimonij fœdus adulterio maculauiſſet; coactam ſua ſibi manu laqueum inijcere, vitamq́ue ſibi ſuſpendio adimere: ſuper buſtum autem illius concrematæ corruptorem quoque illius appenſum fuiſſe: vel collecto feminarum agmine, per pagos villaſque, circumactam, virgis, flagris, cultellis, vſque ad mortem, laceratam; vt ferro & flamma, in documentum aliorum neque Deum, neque fidem, neque caſtitatem curantium, adulterium vindicaretur. Tantus tunc pudicitiæ zelus erat, vt Cupidinis ignem, Vulcani igne expiarent. Qua de cauſſa etiam Cranzius memorat, Anno 195. Mariam regis Aragonum filiam, Imperatricem Ottonis tertij vxorem, ob fidem marito non ſeruatam, publicè flammis traditam atque combuſtam eſſe. Nunc à multis dubitatur, an vel de triuio, aut in ponte ſedentes anus, quæ cum ipſo dæmone adulterauerunt, rogo debeantur. In militibus autem crimen veniabile, &, vt vocant, *peccatillum* eſt, ſi coniugem alterius violauit. Olim Aurelianus Imp. militem, qui adulterium, cum hoſpitis vxore commiſerat, ita

Cranz. lib. 4. Sax. cap. 26. Genebr. in Chron. l. 4.

ita puniuit, vt duarum arborum ramos, magna vi, ad terram inflexos traheret; ijsque militis pedes alligaret. Ita varicè astrictum, repentè laxatis ramis, sursum dimisit, vt in duas partes diruptus, vtrinque medius penderet. Hoc habuit, qui matrimonium diuisit. Constantinus Imp. ad Catullinum rescribens, jubet sacrilegos nuptiarum, tanquam manifestos parricidas, insui culeo viuos, vel exuri. Apud Cæsarem Baronium, in Alemannia, Otto Comes, à Ludouici Comitis (cuius vxorem publicis nuptijs, eo viuente, sibi nefandissimè copulârat) militibus decollatus est. Hunc Constantiensis Episcopus, non solùm excommunicauerat viuum, sed etiam, eum postea, apud monasterium in prædio ipsius constructum, à suis sepultum jussit iterum effodi atque sepulturâ asini sepeliri. Denique *in lege Moyses mandauit huiusmodi lapidari.* Et Ecclesiastica lege, *impedimentum criminis* est, si quis cum ea coniugium ineat, quam adulterio polluit, non tantùm quando adulter procurauit mortem coniugis suæ, vel mariti adulteræ, vt eam in vxorem ducere posset: vel si adultera procurâret mortem viri sui, vel vxoris adulteri, morte vera secuta: sed etiam si adulteri sibi inuicem dederint fidem de matrimonio, inter se contrahendo, post mortem vxoris adulteri, vel mariti adulteræ. Quantæ autem talibus olim impositæ sint pœnitentiæ, quantasque etiam hodie mereantur, prolixum esset differendi argumentum.

Io. Naucler. vol. 2. Chron. gener. 11. Anno 176.

L. 4. Quorum appell. C. Theod.

Baron. tom. 11. An. 1089. 4.

Ioan. 8. 5.

In cap. super hoc, de eo, qui duxit, quam &c. 2. Et can. Relatum 31. q. 3.

X.

Sic ergo ciuilis, sic Ecclesiasticus censuit magistratus judicandum, quia sciebant, se quoque & justitias suas à judice altiore judicandos, juxta illud: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat,* hoc est, *judices,* qui quemadmodum Deus Mundum gubernat, & in manu sua habet vitam & mortem nostram, ita & ipsi orbem regunt, ac habent vitæ necisque potestatem. Itaque si videt scelerum impunitatem, clamat è cælo: *Vsquequò iudicatis iniquitatem, & faciem peccatorum sumitis?* Quem locum ita intelligit D. Hieronymus: *Quando venerit ad vos judicium, non consideratis caussam, non consideratis judicium, sed personas eorum, qui caussas habent; ac si dicat: si venerit pauper habens negotium iustum, & venerit habens negotium nequam, vos personam accipitis, non negotium.* Itaque *vsquequò judicatis*

Psal. 81. 1.

Psal. 81. 2.

judicatis iniquitatem? Seu quare judicando committitis, iniquitatem, qui officio profitemini æquitatem? *& vsquequò facies peccatorum sumitis?* & non solùm facitis, vt meritò peccatores esse videamini, sed etiam faciem duntaxat, & superficiem, judicandorum aspicitis, personarum, non justitiæ acceptores? chlamydes purpureas, torques aureos, & serica pallia, titulumque magni nominis, non autem viscera meritaque caussæ interiora attendentes? Punitur rusticus adulter, cur non punitur nobilis eiusdem criminis reus? plebeium in scissili palliastro damnatis; cur conuictum manifestè nobilem absoluitis? quasi idem meliorem caussam habeat, qui habet vestem meliorem. Nonne videtis, in multis pagis, altaria vetusta, fumosa, nullo nitore culta, in quibus tamen venerabile est Sacramentum, & in eo ipse Christus? At nobilium, iuxtim, sepulchra marmore splendent dealbato & specioso, *quæ plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Si quis igitur, à Christo atque altari minimè ornato, ad tam splendidum Nobilis sepulchrum se conuerteret, illudq; præ Christo veneraretur, nonne demens esset? At hoc faciunt iudices isti, qui pauperis jure neglecto, secundùm eum sententiam pronunciant, qui foris amictu splendet, intus scatet iniquitate. His rectè ait Seruator: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate.* Idem ius Titio sit, quod Caio. Reus est, qui reum non plectit; aut qui etiam defendit, aut fouet flagitij obuelatione; qua se ipsum contaminat, & reum è diuinæ manus vindicta non liberat; facit ergo ex vno duos nocentes.

Matth. 23. 27.

Ioan. 7. 24.

XI. Sigebert. in Chron. Anno 870.

In cuius rei testimonium, refert Sigebertus, Lotharium Gallorum regem, adulterijs inquinatissimum, à Pontifice Nicolao sæpe serioque, de tam fœdo scelere emendando, admonitum, cùm pellicem Waldradam à se non expulisset, &, facta confessione, animum eam eijciendi, aut relinquendi non habuisset, itaque temerè atque indignè SS. Eucharistiæ Sacramentum percepisset, in morbum incidisse, atque haud diu postea è vita expulsum esse. Quod Apostolus, suo iam etiam tempore euenisse videns, homines ad accuratum conscientiæ examen, atque serium emendationis propositum adhortatus est his

his verbis: *Itaque, quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi;* non in Domino, sed in Baccho. Neq; verò Lotharius duntaxat adulteriũ luit, sed etiam tota illius nobilitas, quæ postquam impuram illius vitam, apud Pontificem Hadrianum, aulicis inuentionibus, mendacijsque politicis excusauit, ausa est, cum rege suo spurcissimo, itidem Christi sacrosanctum corpus, fallaci ore sumere. Eiuscemodi exemplis Deus, magistratum docet, quemadmodum & ipse, in adulteros, debeat animaduertere. Indi certè, in Insula S. Crucis matrimonium tam religiosè obseruant, vt adulteros, cum vxoribus & liberis, omnibusque bonis comburant; cum spurijs, neque edant, neque bibant: vsque adeò etiam in filijs scelera parentum auersantur. Quin ipse Nero, teste Suetonio, non ausus est interesse Eleusinijs sacris, quibus puri debebant interesse. Cur adulteros, non dicam ad mensam Domini, sed vel ad mensam nostram admittamus? Plerumque socij mensæ, etiam sunt socij morum. Nec sine caussa iaculum illud vibratur: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Apud Turcos, non plectuntur tantùm adulteria atrocibus supplicijs, sed etiam nefas est, vxores, in publico, aperta facie, conspici, vel colloqui cum viro alieno. Debent quidem abesse à coniugibus diffidentiæ; debent abesse temerariæ suspiciones; non nocent tamen prudentes cautelæ. Et coniugio indignus est, quisquis sciens nequitias dissimulat vxoris; aut ei, ne aut affines offendat, aut opes illius amittat, indulget, extra limites vaganti, corniger Actæon factus. Quod de M. Antonino Philosopho memorat Iulius Capitolinus his verbis: *Multi arbitrantur, Commodum omnino ex adulterio natum; siquidem Faustinam satis constat, apud Caietam, conditiones sibi nauticas & gladiatorias elegisse, de qua quum diceretur Antonino Marco, vt eam repudiaret, si non occideret, dixisse fertur.* SI VXOREM DIMITTIMVS, REDDAMVS ET DOTEM. *Dos autem quid complectebatur, nisi imperium,*

1. Cor. 11. 27

Georg. Nicol. in Syllog. Histor. l. 2 l. 21. ad Annum 1516.

Psal. 49. 18.

perium, quod ille ab socero, volente Adriano, adoptatus acceperat? Indigna res est, opes, nobilitatem, aut cognationes feminarum ita in viros dominari. Et tamen dominantur! Apud viros, qui hæc adorant, feminis licet, quidquid libet. Nihil timent, quas pecuniæ faciunt timendas. Et dudum Satyricus dixit:

Intolerabilius nihil est, quàm femina dives.

XII. Diodo. lib. 16. Philippo Macedonum regi Pausanias stipatorum vnus, mortem intulit, quòd, cùm de stupro, sibi ab Attalo cognato illius illato, apud eum quereretur, non vindicasset. Quid Deus faciet illis regibus, aut principibus, aut magistratibus, apud quos, in occasionem iustitiæ exercendæ, tot stupra adulteriaque, & omnis generis nefaria flagitia accusantur impunè? qui similes sunt idolis inauratis, seu Deo ficto, qui Deus non est; (Baruch. 6. 13.) *sceptrum autem habet, vt homo,* ait Baruch, *sicut judex regionis, qui in se peccantem non interficit. Habet etiam in manu gladium, & securim; se autem de bello & à latronibus non liberat.* Dum judici tali idolum, etiam vtique idolo iudicem Propheta voluit comparare. 1. Idolum inane est, & deceptio, non refugium miserorũ: (Isa. 40. 23.) punit Deus respublicas, *qui,* vt Isaias loquitur, *dat secretorum scrutatores, quasi non sint; judices terræ, velut inane fecit.* Ex inani dolio, aut scypho quis bibet? ab inani judice, quam impetrabis æquitatem? Inani qui nititur arundine, læditur, non fulcitur. Sic qui nititur principe justitiam negligente. (Isa. 36. 6.) *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: sic Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.* 2. Idolum sceptro superbit, sed nulla est in eo potestas: in judice tali, quasi nulla potestas esset, ita ea non vtitur. Mortuum judicamus hominem, in quo motum nullum videmus: nec iudex est iudex, *qui in se peccatum non interficit;* aut qui (Rom. 13. 4.) *gladium portat,* & vitæ necisque habet potestatem; neque tamen eam audet vsurpare. Olim Romanis Consulibus fasces virgarum securesque præferebantur; & hodie qui habent *merum imperium,* ijs gladius nudus præportatur, in signum, ad hoc eos esse principes, vt pacem publicam conseruent, & vitæ communis honestatem societatemque tueantur. Qua de caussa, vti

probos

probos lege, laude, præmijs prouocant, ita boni publici turba-
tores plectunt. Quod ni faciunt, bonum publicum ipsi turbant
atque euertunt; instarque idoli, sceptrum gerunt, titulo, non
regno, superbi: nomine reges, factis serui; non vsu, sed osten-
tatione gladij duces; siquidem neque se, neque alios *de bello &*
à latronibus liberant; belli ac latronum nutritores. Quare non
tantùm judices isti, *velut idolum inane* sunt; sed etiam sceptro &
gladio, se judices esse mentiuntur; &, quod peius est, gladium
in ipsius Reip. viscera conuertunt; dum eo, non innocentes,
sed reos defendunt. Defendit enim flagitia judex, qui non pu-
nit. *Vnde vobis notum sit, quia non sunt dij*, tales scilicet judices; Baruch. 6. 14.
ad veros enim duntaxat judices illud pertinet: *Ego dixi, dij estis*, Psal. 816. 6.
itemque: *Deus stetit in Synagoga Deorum*; si non sunt dij veri,
necesse est *idola* eum adorare, qui illos adorat. 3. Suspectos se
reddunt, qui adulteria vitiaque eiuscemodi sinunt esse impuni-
ta. Pronum enim est illis, qui, *in quo alios iudicant, se ipsos con-*
demnant, judicijs abstinere. Immò libentiùs castitatis amantes,
& flagitio non consentientes, per calumniam, ad tribunalia
citabunt.

Talis erat vterque Susannæus senex *judicans judicia iniusta*, XIII.
innocentes opprimens, & dimittens noxios. Hi Susannam mori Dan. 13. 53.
potiùs, quàm in flagitium consentire volentem, malitiosissimè
accusârunt, cum se ipsos accusare debuissent. Sed ita est, sæ-
pius à reis accusantur innocentes, quàm ab innocentibus rei:
& multi judices, vnde iustitiæ administrandæ haberent occa-
sionem, inde sibi sumunt caussam æternæ damnationis. *De qui-* Ibid. v. 5.
bus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone, à se-
nioribus judicibus, qui videbantur regere populum. Illi enim ipsi,
rei sunt, qui reos iudicare deberent. Sed seipsos suique similes Laërt. l. 1. c. 3.
non judicant; cùm, vt rectè Anacharsis dixit, leges, apud illos, Val. Max. l. 7.
similes sint telis aranearum, in quibus muscæ hærent, validio- cap. 2.
ra animalia peruolant; viduæ, pupilli, pauperes, si quid com-
miserunt, seuerissimè puniuntur: nullæ iuuant preces, nulla
valet excusatio: si diuites, si potentes decies idem fecerunt,
non attinguntur, quasi leges non omnibus scriptæ essent; aut
patibula tantùm pro paruis furibus erigerentur; & Magistra-

tus hortulanis similes forent, qui, ad aues à fructiferis arboribus absterrendas, non sericum aut pretiosum, sed vilem pannum solent suspendere; ita enim ad adulteros, ad latrones & fures è Rep. eliminandos, non ij, qui sericis vestibus fulgent, sed plerumque pannosi duntaxat suspenduntur. Quis tales judices judices esse dicat? Alienis peccatis iniusti fiunt, quibus punitis, justi cælum meruissent. Vt enim ægrorum morbi medicis occasionem offerunt ditescendi; ita adulteria aliaque crimina judicibus dant ansam justitiæ exercendæ, & merendi *coronam justitiæ.*

CAPVT XXXV.

Quinta caussa, aliarum virtutum occasio, permißione adulteriorum, hominibus à DEO oblata.

I. Agistratui, adulteriorum permissione, Deus caussam offert justitiæ, alijs patientiæ colendæ; virtutumque aliarum. Tam bonus artifex est orbis Gubernator, ex inhonesto vnius facto, promouet res alterius gloriosas. Difficile est, fateor, si coniux in suspicione adulterij ponatur, coniugem alterum esse patientem. Multi, si alterum vident vxoribus suis blandè palpari, si vel colloqui, si vel nutu, vel oculo vnico beneuolentiã propinare, illico sunt in vindicta; nec jam illis gestiunt pugni, sed ipsi etiam pruriunt pugiones. Et tamen sunt etiam, qui animo forti tunc dolorem ferant & perferant. Res non fuit; fuit tamen, apud ignorantem, species magna,

Matth. 1. 18. cùm, antequam MaterDei & Ioseph conuenirent, MARIA *inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto:* & tamen IOSEPH *vir eius, cùm esset iustus,* noluit *eam traducere,* seu ignominiosè accusare, atque in exemplum puniendam tradere; enim verò, vt

S. Augustinus ep. 54. & serm. 16. de Verb. Dom. D. Augustinus vertit, nec *diuulgare* voluit; hoc vtique exemplum suæ patientiæ vtilius censens ijs, qui, ob quoduis vel minimum indicium, illico vxores suas, maritosuè, vbique proclamant. Proclamant enim, non rumificant insipientes; nam postea, vbi probatio desit, cum infami coguntur habitare, &

mœrorem perpetem aſpicere, poſtquam vxores ſuas, ex oppro-
brio lachrymantes, concinnauerunt. Noluit hoc facere Ioſeph,
cuius proinde tam patientem clementiam, arcaniſſimi myſterij
patefactione, Angelus erudiuit, qui mentis ſeditionem illi om-
nem in tranquillum contulit.

A viro hoc ſumtum narraui, & è ſacris. Dabo & femi- II.
nam, atque è profana hiſtoria generoſitatis huius doctrinam.
Tertia Æmilia Africani prioris vxor, mater Corneliæ Gracchorum, Val. Maxim.
tantæ fuit comitatis, & patientiæ, vt cum ſciret, viro ſuo ancillulam lib. 6. c. 7.
ex ſuis gratam eſſe, diſsimulauerit, ne domitorem orbis Africani fœ-
mina impudicitiæ reum ageret: Tantumq́; à vindicta mens eius ab-
fuit, vt, poſt mortem Africani, manumiſſam ancillam in matrimo-
nium liberto ſuo daret. Scio quid iura ciuilia dicant, ſcilicet fæ-
minæ alienam prolem marito alendam dotandamq́ue ſuppo-
nentis adulterium magis æſtimari atque ſentiri; ſunt tamen fæ-
minæ riualium ac æmularum ſuarum longè impatientiores.
Quare tantò patientia eſt illuſtrior, quando ad hanc tam atro-
cem iniuriam ſibi impactam, poſſunt linguam continere, & ta-
cito corde premere dolorem illum, quem aliæ mulieres non
modò vicinis feminis, ſed etiam vicinis plateis, & ſæpe toti ci-
uitati conqueruntur. Neque enim multæ ſunt Saræ, quæ ſe- Gen. 16. 2.
cum Agar Ægyptiam ancillam ſuam patiantur. Quare profe-
ctò valde patientes eſſe oportet, & magnam, in cælo, coronam
mereri eas matronas, quæ ſtirpe antiqua, opibus & forma do-
tatæ, moribuſq́ue elegantiſſimis ornatæ; tamen vident coniu-
ges ſuos, vel ad viliſſimas aliò exerrare, vel etiam domi agere,
quæ non bellè quadrant matrimonijs, & tamen tacent; nullo-
q́ue, niſi Deo, conſcio, identidem ingemiſcunt, crucemq́ue
hanc ſuam, ſanè maximam, Creatori ſuo, offerunt. Hæ *fructũ* Luc. 8. 15.
afferunt in patientia: Hæ ſponſum Chriſtum habent. Hæ ſunt Matth. 5. 4.
lugendo beatæ, *quoniam conſolabuntur.* Viri autem earum du-
plici damnatione conterentur, & quia adulteri, & quia ſaxei,
quos neque patientiſſima tam honeſtarum matronarum mode-
ſtia refrænauit. Quanquam ſcio, non paucos è cœno hoc ex-
tractos, qui vxoris omnia ſcientis & tamen tacentis incredibili
tolerantia commoti reſipuerunt. Non enim tantam virtutem

Annales Soc. Iesu An. 1585. in Missione ad Chichimecas, in Prouinc. Mexican.

non amare potuissent. In Annuis litteris Societatis nostræ Indus quidam legitur aluisse domi suæ, in oculis coniugis, concubinam, non tam Venerem vt expleret, quàm vt coniugem irritaret. Huic nocturnas per tenebras, visa est horribilis caterua dæmonum, qui cubantis prementes fauces, animam intercluderent: vt ne manum quidem admouere posset ad imprimendum pectori crucis signum. Verùm adeò patiens fuit vxor eius, vt non modò non gauderet, aut insultaret marito, sed etiam doleret, & Deum Deique Matrem, pro eo precaretur. Itaque implorata Virgine Maria, per vxorem meliùs viro est factum. Postero igitur die, positis ritè noxis, sic deinceps est immutatus, vt familiarissimi non cognouerint eundem fuisse. Multi alij tales coniugum patientia in viam redierunt. Si vxores sæuijssent, Furiarum instar, tunc vtique non conciliati fuissent, sed eas magis abominati. Cui enim volupe est cum Furia habitare?

III. Bonsignor. Cacciaguerra de Sacr. commun l. 3. cap. 26.

Memorabile admodum est, quod insignis celebrisque Theologus Bonsignorius Cacciaguerra memorat de Christiana muliere fortissima, quæ non narratione, sed oculis suis accepit, mariti adulterinos amores. Ille enim haud contentus in lustra se abdere, atque infames lenonum domus adire, sed ita quoq; in illicitam Venerem insanijt, vt in proprias ædes, & fidelissimæ coniugis conspectum, scorta adduceret, publicus adulter. Vitium enim hoc, cùm vt flamma creuit, erumpit, neque sinit se in occulto cohiberi, & quomodo erubesceret, qui frontem amisit? Vxor igitur pietati dedita, ac Dei magis, quàm suam caussam agens, identidem occasionem captans, maritum, quàm potuit blandissimè, rogitauit, ne tales in domum introduceret, aut fidem sibi datam porrò violaret. Ob quam mitissimam admonitionem, asperè tractata est, & plerunque totidem verbera recepit, quot verba fecit. Aliquando peccatum mariti magis, quàm furorem verita, eiuscemodi eum sermone est affata. *Diu est, mi coniunx, cùm te patior exorbitantem, & tori iura transgredientem; pone, obsecro, tandem obscœnitatibus tuis modum ac finem. Hæc vita tibi & opes prodigit, & nomen bonum. In nulla te vnquam re læsi; tu autem quando cessabis me, quid dico, me? Deum offendere?*

cuius me iniuriæ magis tangunt, quàm propriæ. Crede mihi, adulteros ille grauiter solet punire: quorum scelera si, ad tempus, dissimulat, tandem grauitate supplicij compensat tarditatem. Dixit; & commouit virum, sed sicut furiosum, ad iram & crudelitatem. Stricto enim ferro eam adeò atrociter sauciauit, vt semianimē relinqueret. Aduolarunt ad tumultum vndique vicini, atque, vbi castissimam matronam ore pallidam, corpore reliquo, in suo sanguine iacentem repererunt, suaserunt sicario fugam, antè, quàm magistratus illum in vincula abduceret. Hîc rarum, in muliere, fortitudinis atque patientiæ exemplum audite. Aliæ coniuges sic tractatæ mille Diris & deuotionibus prosecutæ fuissent fugitiuum; vel se exanimatas finxissent: hæc recens percussa, & vulneribus plena contrarium egit. Iam rapuerat maritus pallium, vt fuga sibi consuleret, cùm cruentatis manibus vxor, in cælum sublatis, & oculis fletu sanguinem abluentibus, eum cœpit, quàm amantissimè alloqui, atque obtestari, ne fugeret. *Mi marite*, aiebat, *mane mecum; neque tibi quidquam metue: misericors Deus ita tibi ignoscet, longéque libentiùs, vti ego tibi, ex animi mei sententia, jam ignoui. Ea planè spe sum, vt confidam, nihil tibi mali euenturum, ob vulnera, quibus me concidisti. Quòd si etiam necessum esse videro, ipsa ego te, quibuscunque modis potero, excusabo.* Hæc tam heroica patientia audientibus in doctrinam, adultero autem fuit in medicinam. Addit author, eam feminæ huic tam admirandam animi fortitudinem aliunde non prouenisse, quàm è frequenti vsu sacræ communionis. Solebat enim mulier illa, octauo quoque die, ad sacram synaxim accedere. In fortitudine igitur cibi illius, plagas tam atroces, Spartana, immò Christiana nobilitate, tolerauit. Vtinam & aliæ coniuges ad hoc diuinum epulum libentiùs, quàm ad nuptiales dapes, & choreas iuuenum accederent. Discerent vtique mansuetudine sua, vel ferocissimos viros cicurare. Illæ enim, quæ pro verbo verba; pro vultuoso aspectu, sputa jaciunt, claues arripiunt, vngues stringunt, pugnos vibrant; mille pestilentias imprecantur, mille diabolos maritis optant; non habent artem maritorum placandorum; sed oleum flammæ affundunt, coniugesque domo exigunt. Quis enim sustineat,

sustineat, cum Hecuba, sub eodem tecto degere? Notissimum est, quod supra attigi, fuisse, qui suspendi in furcam mallet, quàm laqueo liberari, ab ea femina, quæ eum, dum jam duceretur, in matrimonium sibi deposcebat. Iudicauerat enim ex acumine nasi, nimis esse biliosam, eaque propter, cum carnifice potiùs ad coruos pergere, quàm, ad perpetuam litem, domum redire malebat. Vsque adeò, ipso patibulo maior crux est, *habitare cum muliere rixosa & iracunda.*

Prou. 21. 19.

IV. Marc. 6. 24. Matth. 14. 8.

Quod si quis iracundæ mulieris, & maximè etiam adulteræ exemplum cupit audire, S. Marcum adeat, aut Matthæum legat: inueniet mœcham, apud regem, effecisse, vt inter epulas, ferale illud ferculum in mensam inferretur, atque inter pictos pauones, inter phasianos, inter capita aprorum, cruentum Ioannis Baptistæ caput, manibus sanguine stillantibus apponeretur. Quis ibi sapientiam Numinis non cernit? Ex immanissimæ mulieris libidine nata crudelitas illustrissimum Martyrem Deo dedit. Truncatus est ferro, qui noluit conniuere adulterio. Crimen innocens reprehendit, & mortem meruit: mortem, quæ pariter & iniuria fuit, & corona. Nam Furia illa mortem illi, in pœnam procurauit, Deus in coronam. Quare vnde adulterium, inde & martyrium extitit; mulieris malitia, Numinis prouidentia.

V. Sur. 8. Iulij.

Quæ sanè etiam de alterius mœchæ flagitio sibi Martyrem fecit. Siquidem instar nouæ Herodiadis, Ethnica mulier ac Ducissa Geilana, legitimo coniuge perfidè deserto, Herbipoli, Gosberto Franconum Duci, per adulterij consuetudinem, adhæsit; quantumuis legitimi sui coniugis ille Germanus frater esset. Herodiadem habebat Franconia, debebat habere & Ioannem. Igitur misit, ea tempestate, Summus Pontifex Conon D. Kilianum in illas terræ partes, vt inibi Christum prædicaret. Nec cecidit semen in sterilem agrum. Ducem enim Gosbertum Christiana religione imbuit, atque lustralibus aquis tinxit. Dum eum cælesti pietate erudiret, monuit, fas non esse Christiano, eiusce modi mulierem, contra diuina & humana iura, secum retinere. Et habuit docilem ad omnia. Nam dux verbis eius persuasus, statuit eam, quàm primũ è bello redijsset,

(bellum enim illi instabat) à se amoliri. Iuit Dux in militiam, sed non latuit Geilanam consilium, neque author eius, de quo facile erat suspicari, etiamsi nullius illum adulatio prodidisset. Non calet femina, sed ardet, quando irascitur. Quare etiam Geilana, instar leænæ venatoris hastâ sauciæ, rugiebat; &, commodùm absente Duce Gosberto, nullum non lapidem mouebat, vt caput & vitam Kiliani peteret. Tandem duos, è fidissimis, quos habebat, ministris, immittens sicarios, multa jam nocte, jussit irrumpere ad innocentem Christi seruum, cum Colomanno Presbytero, & Totnano Diacono suo nocturnas preces persoluentem. Ibi immanis peragitur laniena. Occiduntur, pro vno, omnes: ne testis superset facinoris patrati. Visa est vicisse adultera, postquam cecidit adulterij castigator. Sed mox apparuit æquè gloria innocentum, ac pœna reorum. Cùm enim & alioqui homicidia non diu occultentur, ibi etiam cædes eodem est authore prodita, quo peracta. Vnum enim è percussoribus illico ater spiritus insedit, identidem eiulabiliter clamantem: *O Kiliane, Kiliane, quàm me acerbè affligis? Ab igne vror, & consumor. Quod commisi flagitium, celare non possum. Ensis ille impius tuo cruore respersus, mihi continuò ante oculos versatur; mihi imminet; me petit.* Talia satis diu vociferans, proprijs dentibus lacerauit, quidquid corporis dentibus potuit contingere. E reliquo postea trunco animam, cum dæmone, euomuit in Auernum. Alter verò eius comes, cædis conscius & socius, in rabiem efferatus, atque insanus factus suomet se gladio traiecit, perruptoque ventre, vnà & vitam & viscera effudit, vt percussorem ad promeritas, in Orco, flammas sequeretur. Geilana verò haud multò post & ipsa cruciatibus varijs diuinitus afflicta atque obruta, quàm, contentissimis vocibus exclamauit. *Merito meo, misera torqueor, quæ in sanctos viros tortores immisi. Meritò excrucior, quæ innocentibus cruciatu martyrium præparaui! O Kiliane. quàm vehementer instas! ô Colomanne, quam potenter ignem excitas! ô Totnane, quam diriter flammam sufflas & suffumigas! O Kiliane, nomen tibi est a calice: quàm amarum mihi propinas calicem? Vicistis me, ô martyres. Nondúmne etiam sufficit vicisse?* Talia cùm clamaret, adeò atrocibus agitata est

ta est tormentis, vt à multis validissimis viris vix posset teneri. Ab his tormentis, ad æterna descendit tormenta; punita, non correcta. Ita ostendit, adulteria, etiam in hac vita, Deum iudicem inuenire; si aliud nullum est, quod metuant, tribunal. Sic apparuit, bonis omnia cooperari in bonum; vt enim Confessarij, Concionatores, Exhortatores, virtutes exercent, dum alios reuocant à vitijs; ita & qui adulteria tollunt, possunt martyria mereri. Hoc deniq; pacto ostenditur, quàm iracunda bestia sit mulier impura. Nihil non audet, vt audeat, quod lubet. Si ergo inferni est imago, *habitare cum muliere rixosa & iracunda;* quibus libéret habitare cum ea, quæ venena, quæ vulnera, quæ funera meditatur?

Prou. 21, 19.

VI. Sed neque cum adultera libet habitare. Qua de caussa etiam, Ecclesiæ authoritate, separantur, qui plus ægri ex perfidia tali capiunt, quàm si cum fera degerent. Itaque inuenti sunt, qui comparis adulterio offensi, toti sese Deo colendo traderent, cùm antea essent diuisi. Relicta enim vxore, & rem suam sibi habere jussa, in ordines religiosos intrauerunt; aut aliò se in fugam penetrauerunt, Deo seruituri. *Paulus ille*, inquit Nicephorus, *qui ex virtute simplex est cognominatus*, (inter primos Antonij sectatores fuit.) *Quem ferunt rusticam vitam agentem, & cum formosa coniuge habitantem, postea quam eam in flagranti crimine cum mœcho concumbentem vidisset, grauiter subridentem, adhibito iureiurando, coniunctioni eius renunciasse: eaq; statim dimissa, ad Antonium peruenisse.* Hic qualis quantusque postea fuerit Asceta, totus orbis nouit. Vt talis fieret ex vxoris illi flagitio, occasionem præbuit Deus. De adulterio coniugij, de coniuge Mundi nauseam hausit Eremita, vt mallet, in solitudine, inter leones, quàm in vrbe cum lupa habitare.

1. Cor. 7, 33.

Nicephor. Callist. lib. 8. cap. 40.

VII. Gangulphus ille, de quo paulò suprà memoraui, cùm ruptam à coniuge matrimonij fidem, diuino judicio, comperisset, debitas ab ea pœnas exigere noluit; ne superioris vitæ innocentiam promulgando aut puniendo alieni sceleris næuo obscuraret, ita tamen est eam allocutus. *Optâram quidem, si fidem seruasses, & legi diuinæ conuenienter te gessisses, omnia tecum vitæ huius discrimina perpeti, & prospera atque aduersa omnia, vtcunq; sors tulisset.*

Sur. 11. Maij.

tulisset, æquo animo pariter suscipere, simul æquabiliter viuere, simul iucundè ab hac vita emigrare. Sed quando hoc te scelere obstrinxisti, morte quidem digna es, sed meis manibus nolim tibi necem adferre: diuino potiùs te judicio relinquo. Et, si quidem dignos pœnitentiæ fructus egeris, veniam à Deo impetrabis. Si autem tantæ nequitiæ finem non imposueris, cum authore eius diabolo flammis gehennæ inextinguibilibus concremaberis. Meo sanè deinceps contubernio nequaquam frueris. Habeas autem tibi, unde possis vitam sustentare, meam propter nuptias donationem. His dictis, cum suos conuocasset, ascenso curru, ad prædia sua, procul in Auabensi territorio sita, profectus est, pietatis illic & misericordiæ vacans operibus, nullumq́ tempus solitis virtutum studijs vacuum abire sinens. At mulier infelix, datam à beato viro possessionem adijt, & jam suæ relicta libertati, cum detestando illo Clerico, solitæ libidini indulsit. Interim vereri cœperunt, ne fortassit zelo inflammatus Gangulphus ambos repentè interficeret. Valde igitur in eam curam & cogitationem incubuere, quo modo illum possent è medio tollere. Quod & Clericus sicarium ipse agens fecit. Sed non dilata est diuina vindicta. Vix enim detestabili mulieri nuncium lætissimum suæ immanitatis tulit, & mox *cum facibus corporis viscera quoque in cloacam deposuit; negatoq́; ipsi pœnitendi spatio, infelicem animam in tartarum præmisit.* Hæc Surius. VIII.

Exercuit hîc benignum Numen Gangulphi patientiam, dum vxori noluit turbas concire, neque eam gladio verberare, aut magistratui obijcere. Ostendit insignem fidem, dum, cum vxore, si & ipsa fidelis fuisset, vsque ad extremum spiritum, omnem fortunam pati voluisset. Exhibuit magnum amorem honestatis, dum noluit viuere cum coniuge inhonesta, ne sceleris esset approbator. Monstrauit præclaram mansuetudinem, dum dimissæ alendæ suam propter nuptias donationem reliquit. Declarauit, nullum facinus tam fœdum esse, ex quo vitæ rectè instituendæ hauriri non possit occasio. Siquidem Gangulphus ab vxore scelesta se separans, Deo se pietatiq́ue consecrauit. Quod planè multi hodieq́ue faciunt, qui dum domesticas, inter coniuges, rixas, discordias, odia, imprecationes, perfidiasq́ue quotidie vident gliscere, immò ardere, tacitè se-

Matth. 19. 16. cum aiunt: *Si ita est caussa hominis cum vxore, non expedit nubere;* eaque propter vitam eligunt cælibem, & malunt sponte, in Religioso statu, Dei amore, obedire Superiori, quàm in coniugio vxoris tyrannidem perferre; aut intueri vitam libidinosam: quod & Gangulphus fecit, quem sapientissimus orbis Moderator, per vxoris adulterium, ad martyrium promouit. Quis ex hac radice, talem fructum sperauisset? Vt enim vxor eum necari voluit, impuritate agitata, ita ille necem sustinuit, ob amorem castitatis,

IX. At verò illud in primis animaduerto, Gangulphum de proiectissimi pudoris femina non desperauisse, dum eam sic est affatus: *Si dignos pœnitentiæ fructus egeris, veniam à Deo impetrabis.* Nimirum, eo etiam fine, cælestis illa Sapientia hæc patrari ab hominibus flagitia permittit, vt illorum quoque remissione, infinitæ misericordiæ suæ thesauros manifestet. Nullum, in Confessione, crimen malè verecundi homines aperire magis erubescunt. Nullum ferè homines magis excæcat. Nullum propè gignit citiùs desperationem; vel quia illecebris irretitos tenet, vel quia facit, vt præ eo, à carnalibus istis, cælum non ampliùs æstimetur. Qui si perpendant Dei clementiã, ad Deum

Ioan. 8. 3. redire discunt. Ad hunc finem pepercit Christus mulieri in adulterio deprehensæ & à Iudæis in medium adductæ accusatæque, vt intelligant omnes, quia *Dominus soluit compeditos, Do-*

Psal. 129. *minus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos,* dummodo ipsi se erigi

Luc. 7. patiantur, & ampliùs peccare nolint. Ad hunc finem Magdalenæ dimisit peccata multa, quæ cùm fuerit in ciuitate peccatrix, facilè potuit etiam cum coniugem habentibus peccare. Quæ enim ita lasciuiunt, haud magnopere curant, liberi aut in matrimonio positi, discrimen. Quod idem facilè credi potest de Maria Ægyptiaca, de nepte Abrahami Eremitæ, de Pelagia Antiochena, de Thaide Ægyptia, quæ omnes prostibula fuerunt & meretrices, in omni cœno libidinis volutatæ, & tamen veniam à Deo suæ impurissimæ vitæ impetrauerunt. Enimuerò ad magnam postea virtutum perfectionem euectæ fuerunt,

Rom. 5. 20. vt, *vbi abundauit delictum, superabundaret gratia.* Nam Thais quidem à Paphnutio Abbate conuersa, opes fortunasque om-

nes, quas non modicas corporis quæstu parauerat, constructâ pyra, in ignem coniecit; atque de lustro in claustrum; de lupanari in monasterium; à diaboli diuturna seruitute, ad omnipotentis Dei obsequium transiuit. Triennio clausa fleuerat fœdè acta; eo triennio exacto, Paulo Antonij Abbatis discipulo diuinitus patefactum est, dimissa esse Thaidi peccata. Quare à Paphnutio de cellæ primùm, deinde etiam à Deo de corporis carcere educta ad beatorum consórtia euolauit. Pelagia autem, quæ diuitijs, venustate vultus, turpitudine morum, Antiochiæ omnes antecesserat, à Nonno Heliopoleos Episcopo vanitatem dedocta, ita, errore agnito, immutata est, vt ornatum muliebrem omnem abijceret, &, quidquid habebat pecuniarum, pauperibus erogaret, vitatoque hominum contubernio ad malum pelliciente, in monte Oliueti, tuguriolum sibi poneret, & ne quis solitariæ feminæ insidiaretur, cælato sexu, se Pelagium nominaret. Tantum hæc inibi sanctitate excelluit, vt pelagus virtutum diceretur, quæ priùs fuerat vitiorum. Idem de Abrahami nepte dicitur, quæ lupa facta in ouem est mutata, postquam eam Eremita inuentam reduxit. Maria Ægyptiaca, quæ, ob infamem quæstum, ab aditu Ecclesiæ diuinitus est impedita, post lachrymas & pœnitentiam, eò sanctitatis est progressa, vt, inter precandum, è terra in sublime eleuaretur, & in terra orans terram non tangeret; Iordanem transiens aquas calcaret; moritura Zosimum cum SS. Eucharistia venientem haberet, ipsosque leones, vespillonum officio fungentes sortiri mereretur. Mariam Magdalenam, cùm nominaui, omnia dixi. In illa, velut in clarissimo speculo, reluxit diuinæ clementiæ exemplum. Verè illa dicere potuit: *Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Psal. 144.

X. Verum est, ea est peccati malitia, vt, si ea tantùm à peccatore aspiciatur, facilè illum in desperationem possit adducere. Quid enim peccato à creatura in Creatorem commisso peius? Iudas, cùm suam tantùm, in Magistrum, perfidiam ante oculos sibi poneret, laqueo sibi animam intertraxit. Hoc Cain, hoc alij duntaxat aspexerunt, qui *desperantes semetipsos* Ephes. 4. 18.

tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. Nimirum, qui, ob multitudinem magnitudinemq; peccatorum suorum, de cælo desperauerunt, cælum sibi volunt facere in terris. Itaque, vt S. Anselmus exponit prædictum locum Pauli, *in hoc deuoluti sunt, vt operentur omnimodam carnis immunditiam. Et hoc faciunt,* in auaritiam, *id est, in insatiabilitatem, quia sicut auarus nunquam reputat se satis habere: ita isti nunquam perueniunt ad immunditiæ saturitatem.* Quamobrem rectè dixit D. Chrysostomus: *Spem abijcere, non solùm id mali habet, quòd cæli portas nobis intercludit; aut quòd in peiorem ignauiam trahit, & contemtum: aliud habet pessimum, introducit enim in socordiam, qualis est satanæ. Etenim Diabolus ex nulla re tantus euasit, atque ex prima desperatione; vnde in socordiam, ceu per gradus, delapsus est. Vt primùm enim anima de consequenda salute dubitat, quo periclitetur præcipitio, ampliùs non sentit, dicendo & faciendo contra salutem suam. Sicut furia correpti, deperdita semel capitis sanitate, nihil verentur, nihil eos pudet, intrepidè quiduis audent, in ignem, in mare, in prærupta editaq; saxa impigrè conuolant. In hunc modum, qui se incuriæ, per desperationem, permisêre, deinceps intolerabiles sunt; per inuia vitiorum assiduè discursitant. Et neque imminens mors eos, ab insania, deterret, & à deprauatione infinitis se calamitatibus conficiunt.* Hæc Chrysostomus. Comicus quoque ait: *Ita diis placitum, voluptati vt mœror comes consequatur.* Nam his desperatis non solùm semper malè est ex animi anxij desperatione; sed etiam ex ipsa voluptatis insatiabilitate. Vident alios sperare æternam beatitudinem; vellent & ipsi sperare, sed putant se non posse, & cruciantur. Vident alios metuere gehennam; vellent & ipsi euadere gehennam; sed putant esse ineuitabilem; & conturbantur. Denique aiunt: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Ita suam duntaxat iniquitatem aspicientes, in barathrum desperationis sese jaciunt.

S. Anselm. in ep. Eph. 4.

S. Chrysost. tom. 5. ep. 5.

Plaut. in Amphitr.

Gen. 4. 13.

XI. Quòd si verò, suis criminibus, quantumcunque multis & magnis, infinitam Dei clementiam, misericordiam, ac bonitatem opponerent; si expenderent, eum Thaides, Pelagias, Abrahamæas neptes, Marias Ægyptiacas & Magdalenas, è lupanaribus,

ribus, & omni flagitiorum fæce eductas in gratiam recepisse; respirarent vtique & maximã spem veniæ consequendæ etiam ipsi conciperent, atque cum prodigo filio, ad desertum patrem, cum magna fiducia, reuerterentur. Nullum enim peccatum adeò trahit ad desperationẽm, sicut immensa Dei pietas retrahit ad spem peccati benignissimè remittendi. Extende peccatum, quantum potest, maior adhuc erit misericordia, quæ est infinita; tantoque maior esse cognoscitur, quanto maior est peccati miseria, circa quam misericordia versatur. Quod intelligens adulter Dauid, nec adulter tantùm, sed & innocentis Vriæ dolosus homicida, ausus est ad diuinas aures venire. Sciebat sua scelera esse magna, sed & misericordiam Dei magnam esse nouerat. Quare sic orauit: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* *Secundùm magnam,* ait, quid ita? Psal. 50.

An non omnis misericordia Dei magna est? cùm eadem sit semper? aut fortasse aliqua etiam parua misericordia est in Deo?. Est omnino, non quidem, si illa secundùm se spectetur; sed si consideretur, pro vt sese ad effectum, ac nostras miserias extendit. Sunt enim in nobis miseriæ quædam paruæ, & sunt miseriæ magnæ. Paruæ sunt miseriæ temporales, corporis morbi, febris, cæcitas; inopia, paupertas, calumniæ. Magnæ miseriæ sunt peccata animæ inhærentia, adulteria, furta, latrocinia: talibus miserijs nulla potest maior miseria reperiri. Misericordia ergo diuina, quæ corporales temporalesque hominum miserias tollit, etsi in se vna eademque sit, cum omni misericordia Dei, tamen ratione mali, quod tollit, parua dici potest; sicut parua gratia Cæsaris vocatur, qua alicui paucos nummos donat; magna, qua vitam donat. Vnde duo cæci Christum secuti tantùm dicebant: *Miserere nostri*; & alij duo cæci secus Matth. 9. 27.
viam sedentes itidem tantùm dicebant: *Miserere nostri*: Quin Matth. 20 30.
& Chananæa, cuius tamen filia *malè à dæmonio vexabatur,* tantùm clamauit: *Miserere mei, Domine*; non addidit, *secundùm magnam misericordiam tuam*: quia longè minus est, à dæmonio, quàm à peccato liberari. At Dauid, cùm ab adulterij homicidijque crimine vellet liberari, dixit: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* Maxima enim est miseriarũ, Matth. 15. 22.

 peccatum,

peccatum, & miseria quæ è peccato sequitur, ipsa gehenna: non tamen maior, quàm Dei misericordia, quæ & Dauidi ignouit, & Magdalenæ, & Mariæ Ægyptiacæ, & Abrahæ nepti, & Pelagiæ, & Thaidi, & ipsi in cruce latroni. Hæc est gloria Dei, quæ, per ipsa adulteria illustratur; patefit enim eius *magna misericordia*, dum etiam auferre magnam miseriam demonstratur.

Ouid. lib. 2. de Trist. *Nam nisi peccassem, quid tu concedere posses?*
Materiam veniæ sors tibi nostra dedit.

ait ille. Dum autem patefit Dei tam immensa clementia, in vno, spem facit omnibus adulteris, homicidis, & maximis peccatoribus, si velint, eandem misericordiam consequendi. Agite igitur, ô impuri, tandem desistite à vijs vestris pessimis; spem firmam concipite; redite ad Dominum cum Dauide; resipiscite cum filio prodigo; orate cum latrone; lachrymate cum Magdalena; cum Pelagia & Thaide, & alijs in fæda facinora lapsis, dicite: Hucusque, ô Deus, tristis fui; nunc *Exultabo, & lætabor in misericordia tua.* Nam tu *misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam.* Agam igitur pœnitentiam ex hac hora; neque ampliùs offendam tam clementem & benignum parentem, tam misericordem & bonum Creatorem: tam patientem ac mitem judicem, tam mei amantem Saluatorem; & si aliud nihil possum, saltem lachrymas fundam, pro eius honore & amore, qui pro salute mea sanguinem fudit. Quòd si quis coniugij *fidem*; id est fidelitatem, in seruandis mutuis promissis, violauit, tanto posthac eam pluris faciat; illudq; Apostoli diligenter pectori suo imprimat: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Grauiter S. Augustinus ait: *Huc accedit, quia in eo ipso, quòd sibi inuicem coniuges debitum soluunt, etiamsi id aliquanto intemperantiùs & incontinentiùs expetunt, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei tantum juris tribuit Apostolus, vt eam potestatem appellârit, dicens: Mulier non habet potestatem sui corporis; sed vir, &c. Huius autem fidei violatio dicitur adulterium, cùm vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero, vel altera, contra pactum coniugale concum-*

Psal. 30. Sap. 11.

1. Cor. 7. 3.

S. August. de bono coniugali c. 4.



concumbitur, atque ita frangitur fides, quæ etiam in rebus corporeis, & abiectis, magnum animi bonum est, & ideò eam saluti quoque corporali, quæ etiam vita ista continetur, certum est debere præponi. Illud quis putare posset, in hoc tamen coniugium cælibatui præstare, quòd in isto pronior sit lapsus, rarior in illo, ob remedium incontinentiæ, quod in eo habetur: respondet S. Chrysostomus: *Pudicitiam is qui vxorem habet, facile seruare posse videtur, quippe solatio non minimo suffultus; ceterùm in reliquis nulla comparatio est. Verùm sic quoque longè plures videas lapsos ex coniugatorum, quàm Monachorum ordine. Neque enim tam multi ex monasterijs ad matrimonia accedunt, quàm ex iugali toro se ad scorta recipiunt.* S. Chrysost. lib. 3. contr. Monast. Vituperat.

CAPVT XXXVI.

Quanta ex zelotypiæ & iræ vitio, præsertim in matrimonijs, mala oriantur?

VT, vitiorum occasione, possunt exerceri virtutes; ita vicissim quotidie, occasione virtutum vitia exercentur. Quare etiam, quemadmodum alij mœchis veniam dantes sunt patientes; ita alij castis atque innocentibus non illarum, sed sua culpa irascentes, dum crimen fingunt, in crimen incidunt. Siquidem non Helenas tantùm matrimonia habent, sed & Penelopas, & Lucretias, quæ fidem tori sacrosanctam seruant; & tamen non sunt in matrimonio beatæ. Nimirum, quos nequit humani generis hostis in adulteria pellicere, impellit in suspiciones adulteriorum; ob quas suspiciones vulgò ignotas, coniuges vtique *tribulationem carnis habent*, & sæpe funestum exitum. *Romanus ille, amicis castigantibus, quòd pudicæ diuiti, formosæq; vxori nuncium remisisset: pede porrecto, Hic quoque, inquit, calceus pulcher aspectu est, ac nouus, sed nemo scit, vbi me premat.* Non crimine tantùm premuntur coniuges, sed etiam criminis suspicione. Itaque iustus Deus permittit eiuscemodi suspiciones, non modò vt consors, & pars innocens matrimonij voluptatem, patiendi materia temperet; sed etiam vt suspiciosos, ipsa sua suspicione plectat: ac temere in I. Plutarch. in coniugialib. præcept.

judicia

judicia ruentes, judicijs suis afflictos erudiat. Quod si etiam alteri coniugum ira, & furor dominetur, in quæ plerumque suspicio, velut scintilla in flammam, per judicium firmum, erumpit; tum jam ad extrema mala deuenitur. Qua de caussa olim, *qui Iunoni nuptiali, seu pronubæ, sacrificarunt, y fel non cum reliqua confecerunt victima, sed exemptum, apud altare, abiecerunt. Quo instituto, legis author obscurè significauit, coniugio nunquam debere bilem iramq́; interesse.* Concordia, pax, & amor coniugium, quod quasi duorum est jugum, suaue reddunt; si autem suspicioni locus detur, facilè, velut ex ouo vipera prodit, judicium perfectum; ex judicio, tanquam ex vipera, omne malum, & corporis, & animæ. De corpore illud legimus: *Verè stultum interficit iracundia:* de anima istud: *Qui perdis animam in furore tuo.* Ortum & progressum huius furoris, apta similitudine expressit S. Dorotheus, per illum, qui vult ignem excitare. Is enim exiguæ prunæ, aut scintillis paruis stramen primùm, tum ligna superponens, tam diu sufflat, donec ignis erumpat. Vbi 1. fumus. 2. flamma. 3. prunæ è lignis. 4. carbones fiunt. Quod diabolum facere, dum rixas, discordias, neces ipsas vult, inter coniuges accendere, in certo ac tragico exemplo ostendam.

Idem ibid.

Iob. 5. 2.
Iob. 18. 4.

S. Doroth. serm. 8.

II. Historiam quidem non magnæ fidei author Auentinus refert, sed non idcirco falsa est; cùm ab authore malo etsi nulla narrationi fides & authoritas addatur, tamen etiam adimi non possit, si illa habeat testes alios omni exceptione maiores. Referunt ergo eandem Arenbekius, Andreas Presbyter, Vitus Eberspergensis, Erfordiani annales, Hundius, & tabulæ Donawerdanæ M S S. & alij. Ex Epitaphio Donawerdano constat Anno M. CC. LXVI. eam contigisse, & quidem inter magnos. Ludouico Seuero Boiorum Duci, Comiti Palatino Rheni Othonis filio, patri Ludouici Imperatoris præfecto prætorio ad Rhenum, Maria Henrici Landgrauij Hassiæ & Thuringiæ filia, ex illustrissima Brabantinorum Principum stirpe oriunda, in matrimonium fuit data. Virgo æquè moribus ac sanguine nobilis, neque minùs ob pudicitiam, quàm formam pretiosa. Fuit id initio lætum & felix matrimonium, mansissetque tale, si ipse Ludouicus domi manere potuisset. Sed, vt plerumque longa

Arenbek. & Andr. Anno cIↃ CC. LXI. Vitus Ebersp. Anno 1255. Erford. anal. cIↃ. CC LXXV. Hund. Metrop. 215. Rader. p. 2. Bauar. S.

longa coniugum abſentia, vel non reperit multas Penelopas, quæ ita domi contra procos, ſicut Vlyſſes foris contra hoſtes, pugnent; vel aliquid aliud ſerit infortuniorum; ita & hîc contigit. Infeſtârant tunc Rhenum prædones, vt neque itinera tuta eſſent, neque coloni, neque accolæ poſſent ſua tueri. Inierunt igitur ciuitates Rheni fœdus cum Ludouico, qui vires ſuas illuc attulit, & contra latrones fortiter fecit; nam captos vel occidit, vel in fugam abegit, &, exciſis receptaculis eorum, Rheno pacem, Rhenanis tranquillitatem reddidit.

Erat, ea tempeſtate, Werdea Sueuorum, nunc Donawerda vulgò appellata, per Conradum olim Hieroſolymorum & Siciliæ regem, Boio centum viginti octo millibus aureorum, cum alijs oppidis, foris, & pagis oppignorata. Ibi ergo Ludouicus in bellum iturus, Mariam nouam nuptam collocauit: vt tantiſper, cum Eliſabetha Siciliæ regina, tempus jucundiùs traduceret. Dum Princeps domo abſens, ad Rhenum, militat; etiam contra illum foris, & contra vxorem illius domi Orcus militauit. Et iuuit illum heri abſentia, animus ſucceſſu ferox, & feruidæ ætatis ardens genius. Agebat enim tum ſextum & vigeſimum annum Ludouicus. Hîc mihi jam conſiderate artes cacodæmonis, quibus, inter coniuges, & quoſcunque ſuſpicionibus nimis indulgentes, incendia maxima ſolet propagare. A minimo velut à ſcintilla incipit. Sed nihil eſt ita minimum, quod non poſſit grandeſcere. Et hoc debet eſſe coniugibus documentum, vt quidem parua, quæ patiuntur, magni nequaquam faciant; nihil tamen ita paruum eſſe exiſtiment, quo ipſi ſe offenſionem putent alteri parituros. Maria igitur Brabantina, Werdæ, pro occaſione, binas litteras exarauit, vnas ad Ludouicum, alteras ad Ruchonem ſeu Hirſutum, Comitem Silueſtrem, ex Othonis Wittelſpachij ſtirpe natum. Et, quia rudis tabellarius legere inſcriptionem non poterat, litteras ad maritum rubra, ad Comitem nigra cera ſignatas, hoc ipſo diſcrimine dignoſcendas tradidit. Illæ ad coniugem familiaritatis; iſtæ ad Comitem humanitatis teſtes fuerunt. O infelix femina, quàm longè ſatius fuiſſet, minùs hîc te humanam extitiſſe! Nam, etſi bona mente ſcripſiſti, non tamen

eadem mente acceptæ sunt epistolæ tuæ. Siquidem error nuncij, in exitium tuum cessit. Malæ is erat memoriæ, nec ampliùs recordabatur, vtri vtram epistolam tradi oporteret. Itaque ordinem litterarum inuertit, & Ruchoni inscriptas Ludouico porrexit; Ludouico destinatas Ruchoni traditurus.

Hæc erat scintilla, cui, in focum prauissimæ imaginationis incidenti, Ludouicus illico variarum rationum, cogitationum, & euentuum, velut stramen ac ligna superiniecit; Stygio suggestore, alia super alia ingerente ac sufflante. Si didicisset Ludouicus principijs obstare; si tentationibus occurrere; si reprimere suspiciones; si judicia suffrænare; scintillam momento extinxisset. Sed ætas, & animus præceps, non admisit moderationem. Et, *Nunquid, hæc est coniugis meæ manus, hoc sigillum Mariæ meæ;* inquiebat: *Ad Ruchonem scribit? me præterit? Et quis est Rucho? quis ego? quid nouæ nuptæ feci, vt alium me haberet chariorem?* Eiuscemodi cogitationibus, velut sufflatione, scintilla cœpit fumum gignere, seu animæ incalescentis turbationem, & ancipitem pugnam mentis; quæ vtique, agitatione vehementi, incendunt cor, &, instar fumi ignem præcedentis, oculos rationis offuscant, affectuque ferociente, intellectum ita obnubilant, vt non agnoscat, se præcipitari, iuxta illud: *Turbatus est à furore oculus meus; & conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.* Quin & Ethnici vox est: *Vt per nebulam corpora, sic per iram res videntur maiores:* Certè, qui aliquid serium vult agere, strepitu externo impeditur; quantò magis interior turbatio iræ mentem abducet à rectè judicando? Hinc ira, teste S. Gregorio, *intelligentiæ lucem subtrahit, cùm mentem permouendo confundit.* Nam, ob commotionem caloris, velociter ad vindictam impellentis, impetus iræ judicium rationis præoccupat, neque perfectè rationem audiens, neque audiri sinens. Quod Ludouico contigit, cui etsi incidebat in mentem, litteras alteri, & adeò honesto viro ac satrapæ scriptas, non sine grauibus caussis aperiendas; tamen, curiosissima suspicione stimulante, atque explorandi caussa, eas resignauit: Quas cùm, pari impotentia, auidus properante oculo, legisset, & animo perturbato, sensum earum non satis assecu-

Psal. 6. 8.
Psal. 30. 10.
Plutarch. l. de ira cohibend.

S. Greg. 5. Moral. c. 31.

tus esset; illico deteriora subesse, & se lupum auribus tenere ratus, crescentibus judicij tenebris, magis cœpit excæcari; existimans se clarè justam caussam deprehendisse irascendi. Nimirum, nulli ira sua videtur iniusta, teste S. Augustino; vnde tantò pertinaciùs, prætextu justitiæ, expetit vltionem: &, vt S. Gregorius ait: *omne, quod furor suggerit, rectum putat*. Qua de caussa, in diuinis libris, iratus *stultus* vocatur, & ira dicitur, *in sinu stulti requiescere*. Stultus enim est, qui eam admittit, eaq; admissa, magis stultescit; amittit enim lumen sapientiæ, & extinguit diuinæ gratiæ splendorem. Huius enim affectus *fumi* (vt Ioan. Damascenus loquitur) *sunt vapores fellis, qui amaricando turbant*.

S. Augustin. in Psal. 149.
S. Gregor. l. 5. Mor. cap. 30.
Iob. 5. 2.
Eccl. 7. 10.
S. Io. Damasc. l. 2. de fide. cap. 16.

Iuxta vetus prouerbium, *fumo flamma proxima est*. Quare etiam in hoc Principe, ex ea, quam dixi perturbatione, iræ flamma, seu feruor, & furiosus cordis impetus emicuit, quo toto corpore commotus, accenso sanguine, iram primùm in ipsum tabellarium concepit; & quidem eam iram, quæ meritò posset cum prunis ardentibus comparari. Nam morosè ardens, (qui est tertius iræ gradus) illicò decreuit, iniuriam, quam sibi illatam putabat, vltione atroci vindicare. Tunc ergo miser tabellarius, qui congiarium Principe datore dignum se sperabat reportaturum; vidit longè aliud agi; mutari scilicet legentis vultum; rugas ire in caperatam frontem; scintillas ex oculis prosilire; igne genas suffundi; & linguam, præ dolore, in contumelias solui non posse. Potuit tamen solui in fatalem sententiam. Iussit enim eum ex templo Ludouicus, tanquam lenonem & perductorem, ferro obtruncari; licet planè innocentem, & quid rerum ageretur in litteris ignorantem. O suspicio, quid non suggeris? ô judicium temerarium, quantum erras? ô ira, quid non facis? ô furor quantum excedis mensuram æquitatis? Quoties, dum iniuriam te accepisse judicas, iniuriam infers? Quoties innocentiam perdis, dum inuadis innocentes? Quàm cæco pede incedis? Quid enim censes? Num vxor tua, si vel maximè rea esset, amores suos tabellario patefaciet? homini plebeio, simplici, ignoto? Alias artes habent, quæ volunt amare. Longè cautiùs decipiunt. Et demus,

nuncium conſcium fuiſſe, nunquid, tibi epiſtolam hanc reddendo, perfidiam ſuam prodidiſſet? Denique, niſi te furor exoculaſſet, nuncquid nuncium interrogare, aut per alios examinare, vel quæſtioni ſubijcere, debuiſſes? Vides in quantam flammam iræ ſcintilla inundârit? Neque hîc inſania deſæuijt: in nigros carbones, hoc eſt, in conſummatam & radicatam iram; & continuam quandam iniuriæ memoriam tranſijt, atque in eiuſcemodi odium commutata eſt, vt cogitationibus vindictæ, tanquam dulci pabulo, ſeſe oblectaret; rationibuſq; nullis vindictæ ſumendæ poſſet exſatiari. Igitur, nuncio iniuſtè & præcipitanter interemto, Princeps furore incenſus, & meditatione ſuppliciorum plenus, relictis Ducibus, militibus, caſtris, omnibuſque negotijs publicis ſepoſitis, ab Rheno, citatis equis, paucis comitatus, maximis itineribus, Donawerdam aduolat, vindictæque imminens, præter omnium expectationem, vxori infeſtus adeſt. Verè igni ira comparatur; moras non patitur. Nam quàm primùm aliquid contra nos factum eſt, vel factum eſſe apprehendimus, ſtatim, dum id recens eſt, implacabiles & ſæui ſumus; & *ira correpti punimus; atque hoc ipſum, quòd, ira finita, non punimus, ſed languemus. Cum quidem id nobis euenit, quod ignauis nautis, qui tranquillo tempore, in ſtatione tenent naues, vento orto, nauigant cum periculo: etenim nos rationi in puniendo languorem & mollitiem tribuentes, feſtinamus ad pœnam, ira tanquam ſubito vento impellente.*

Plutarch. lib. de ira cohibend.

Expectaſſes, ô Princeps, tranquillitatem; tutiùs nauigaſſes, ſed verè ira magis accenditur ijs, quæ irati agunt, ac dicunt. Itaq; etiam cogitatio, & itineris feſtinatione incaleſcentis animus, & decreta vindictæ executio totum occupabant. In oculis ardor, pallor in vultu, in toto ore furor gliſcebat & hærebat. Obuiam accurrunt omnes; terrentur aſpectu omnes. Trepidant famuli, obſtupeſcit coniux, miratur regina ſoror Principis attonita, quid infauſti frater afferat; aut quid moliatur: nam ſimilis erat aliquid vel auſo, vel auſuro. Facilè viderunt, beneuolum non adueniſſe. Dum, ſumma expectatione, vniuerſi attendunt, quem exitum tam dirus aſpectus habiturus eſſet, aut in quem fulmen Iuppiter ſparſurus; ecce obuium

arcis

arcis Præfectum, & in Domini aduenientis seruitia intentum, neque sibi quidquam aut conscium, aut metuentem, per satellitem, ex improuiso mandat è vita exturbari, postea corripi vxorem iubet; & *Nempe tu es Bethsabea illa,* inquit, *qui, me, Vria tuo, in papilionibus morante, domi Dauidem reperisti, cum quo deliciareris, etiam foris, & per litteras, plus, quàm honestam decet, familiares? Haccine fides est tori? dum ego absens, in castris, ab latronibus purgo prouinciam, tu hostem in arcem, in domum, in cubiculum, in lectum accersis, ac regiam tuam iuxta ac meam stirpem, tam fœdo flagitio contaminas? Quid tibi cum Ruchene negotij? an, vti maiores illius Cæsarem in lecto decumbentem, domi suæ, impio ferro, conciderunt, ita & me tu, per nepotem adulterum tecum in toro decumbentẽ, Ægisthæo ritu, tanquã altera domi Clytemnestra Agamemnonem, inter hostes tutum, inter suos proditum elimines? Antevertam parricidium, i, lictor, ferrum expedi, corripe adulteram, feri sceleratum caput, in quo & vterus plectetur.*

Non lata, sed præcipitata hæc sententia fuit. Verùm ira sic suadet, & properare iubet Tartareus hostis, metuens, ne furor cum tempore resideat, aut reus ad defensionem sui admissus & auditus, ostendat, non in suo facto, sed in irascentis animo culpam esse. Non tantùm pœna, sed etiam modus pœnæ justus esse debet. Iustus autem esse non potest, nisi non damnetur pars inaudita. Vt ergo, qui fuerat iudicando temerarius, etiam damnando esset iniustus; aures quoq; non habuit, postquam mentem amisit Princeps. Quippe hîc *Mariam omnia excusantem, & Diuûm hominumq; fidem implorantem, testantemq; suam innocentiam surdus tamen reiecit; vti neque quicquam vel lachrymæ coniugis innocentis, vel familiæ trepidantis metus, vel sororis reginæ ad fratris pedes iacentis preces proficerent. Orabat hæc ducem, ne tam præcipiti ira in cædem rueret insontis: daret spacium animo: omnia, postero die, iustius executurum.* Et prorsus ita est, *sicut Phocio Athenienses, audita Alexandri morte, non sinebat præmaturè insurgere, neque celeriter credere, sed aiebat: Si hodie, Athenienses, mortuus est Alexander, etiam cras, ac perendie erit mortuus. Sic qui ad capiendum supplicium properat iratus, debet sibi subijcere: si hodie iste meruit pœnam, etiam cras erit, & perendie in noxa; neque* Plutarch. loc cit.

in eo mali quidquam est, si serius luit flagitium, sed si celeriter punitus perpetuò videatur insons. Quid putemus, Ludouicum facere debuisse? vtique par erat, vt tam immitem sententiam procrastinaret? *Sed clausæ erant aures, obstrepente ira;* sicut plerunque irati ne audire quidem volunt excusantem, nedum vt rationes ad animum admittant. Et, cùm irascamur omnibus, à quibus læsos nos putamus, tamen amicis, si nos offenderint, vel non iuuerint, magis succensemus, cùm eorum despectio indignior nobis videatur; iuxta illud, *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique;* ira Principis in eam immitissima fuit, quam antea videbatur impensissimè dilexisse, aut diligere debuisse. Itaque, frustra orante coniuge, deprecante sorore, aula tota illachyrmante, *vindicem suppliciorũ exequi iubet imperium. Qui, lamentante tota domo, principem feminam, ab omni flagitio alienam, & prorsus insontem, gladio percutit, & sanctum caput ab ceruicibus amputat.* Hoc habet. hoc Deus iustè permittit. Sic innocens iniuriam tam atrocem æquanimiter passa ad cælum tetendit, vt iam inter sanctos Bauariæ numeretur. Sic iræ nimium indulgens, se ipsum, quod dicitur, cum domo combussit. Quemadmodum & Saul Dauidem occidere volens, ne à filio suo Ionatha regni successionem tolleret, in Ionatham Filium conuersus arripuit lanceam, vt percuteret eum. Cur? *Iratus est Saul aduersus Ionatham:* ira excæcauit illum, vt non videret, se illum ipsum tollere velle, propter quem stabiliendum, Dauidem persequebatur. Verè Chrysostomus dixit: *Sibi ipsis imperare non valent iracundi; & qui à furore & ira vincuntur, similes sunt naui, quæ in media tempestate, à gubernatore destituta submergitur, vndequaq; procellis in eam ingressis: ira enim quasi fulmen, & tempestas quædam in animam irruit, seruientemq; sibi stupidum & amentem reddit.*

Psal. 56.

1. Reg. 20.

S. Chrys. ser. de mansuetud.

Immo iracundus similis est rupi, quæ ex alto monte auulsa, summo impetu lapsa sternit, quidquid occurrit, & se pariter, & obuia quæque perdit. Quare postquã Ludouicus adulterij suspicione semel à ratione cadens, irâ præcipitatus est, non potuit ampliùs retineri eius impetus. Occiderat tabellarium inscium, quid ferret, alioqui vtique cautiorem futurum;

rum; immo occidit in tabellario & pauperem illius vxorem & liberos, qui se, patre defuncto, alere non potuerunt. Occiderat virum nobilem arcis Præfectum, æquè innocentem. Occidit demum & coniugem nobilissimam atque innocentissimam. Nunquid furor tanto sanguine poterat restingui? Videte flammam, considerate ignem, intuemini prunas nondum extinctas. Nam facinus Ludouici hîc non stetit. *Helicam Brenneberglam nobilem è gynæceo virginem, tanquam consciam, pugione traijcit: Tandem omnes egressa limites sæuitia aulæ præsidem clarissimam & innocentissimam matronam, ex alta turris arce præcipitem deturbari imperat.* Huc vsque ira ascendit; huc vsque ducit suspicio; ita crescit judicium, vt non sistat in vno; omnes censentur peccauisse, qui peccare potuerunt. Quia autem, vt docet Aristoteles, ira non est ad mortuos, quia non dolent; quod tamē maximè quærunt irati in eis, quibus irascuntur; idcirco tandem *quinque funeribus iræ litatis furor indignantis* Ludouici *resedit: Rucho, errore cognito, principisq́ue cæde monitus, prouincia excessit, vbique suam & Mariæ cæsæ innocentiam lachrymis, verbis, & tabulis contestatus caussam omnibus probauit.* Aristot. 2. Rhet. c. 3.

Non probauit etiam caussam suam Ludouicus, quem aiunt, *prima statim nocte, quæ cædem secuta est, tantis curarum fluctibus agitatum, vti non solùm somnum capere non posset, sed, vrgentibus Mariæ manibus, adeo exagitaretur, vt qui iuuenili decoraq́ue coma, (sextum enim & vigesimum agebat annum) barbaq́ue florente, se cubitum contulisset, per noctem ita incanuerit, vti senem septuagenarium manè referret.* Itaque, posteaquā ira mente decesserat, magnitudinem facinoris, sera æstimatione, perspexit; sanguineque vxoris cruentus vehementer erubuit. *Malè nempe humanis ingenijs natura consuluit, quòd plerumque non futura, sed transacta perpendimus.* Et sicut ea, quæ mente captus temerariè fecit, postea fecisse dolet; sic quæ irati facimus, postea, cûm ad nos redimus, lachrymis & gemitu, & dolore digna judicamus. O quoties, in ira dicimus, aut facimus, cuius nos postea placatos subit pœnitudo; optaremusq́ue, nos nunquam iratos fuisse! *Ergo funere, ad S. Crucis VVerdeæ, condito, Dux Romam, vt ægro animo medicinam quæreret, profectus, facinus,* Curtius lib. 8. de clade Clyti.

apud

apud Pontificem Alexandrum IV. edidit, pacemq́, Numinis & delicti veniam exorauit. Discite à Ludouico pœnitentiam agere, qui in suspicando, temerè iudicando, & præproperè irascendo, Ludouicum imitamini. Discite, quàm antiqua res sit peregrinatio. Discite, quam Pontifices & antiqui Christiani pro magnis iniurijs putauerint faciendam satisfactionem. Siquidem Ludouicus, *ad placandam sibi Mariæ animam & parricidium expiandum, iussus est Religiosis S. Brunonis sodalibus domicilium ponere. Sed quia id genus hominum in Boica nullum erat, Cistertiensium contubernio amplum & nobile cœnobium in Principis Campo,* (Fürstenfeld dicto) *qui inter Augustam & Monachium est, condidit, prædijs & annuo victu auxit, quod hodieq́, floret.* Dici non potest, quàm multi hodieque impotenter irascantur, & quàm grandes alijs iniurias faciant, quos si non ferro, saltem verbo; si non ense, saltem corde occidunt, quibus pestem, mortem, fulmina & Diras, & omnia mala imprecantur. Num de satisfactione cogitant? num templa, sacella, altaria fundant, aut ornant? se ipsos, filios, & filias suas vsque ad superbiam, vsq; ad inuidiam, vsque ad inopiam, supra statum, & opes, ornant; & ornant, vt insidias faciant & patiantur: at, vt vel togam, in qua diu satis tripudiarunt; vel linteum altari tegendo; vel nummum, nescio, quo titulo, acceptum, & vtique Deo debitum offerant; hoc paucis in mentem venit: immo si possunt aliorum liberalitatem impedire; si possunt ipsa templa, subductis decimis; aut duplicato pretio, si ad templorum vsum aliquid fabricant, spoliare, non omittunt. Cùm tamen vtique etiam de templis suis dicturus sit Christus: *nudus eram, & vestistis me.* Quàm crebræ sunt inter coniuges eiusmodi cogitationes, suspiciones, querelæ vindictæ? quàm rara satisfactio?

III. Verùm hæc omnia vobis ipsis relinquo cogitanda. Illud, illud, exemplum ad nos clamat, vt, dum sapimus, cogitemus, quibus modis iram in nobis mitigare velimus. Nam irato loqui nihil prodest. Sicut enim stultus nullis rationibus mouetur, cùm sit à ratione alienus; ita in vanum laborat, qui vult

Plut. loc. cit. iracundum, dum in fermento est, cohibere. *Faciliùs in tempestate & alto mari nauis vacua aliunde gubernatorem recipiet, quàm homo*

homo ira feruens atque fluctuans alienam admittat orationem: si suam intus rationem non habeat præparatam. Sed quemadmodum, qui obsidionem expectant, desperatis externis auxilijs intro necessaria congerunt atque deponunt: ita maximè oportet, quæ aduersus iram faciunt, eminus è Philosophia desumta in animum comportare. Quippe non facile facultas dabitur, ea inferendi, cùm eorum vsum tempus postulabit. Non enim audit, ob tumultum, tunc anima, quæ foris sunt, nisi intus suam rationem habeat, quasi moderatorem. Itaque jam, dum sumus placidi, remedia circumspiciamus, & vel ex hoc ipso exemplo sumamus. Quorum primum est, errare nos plerumque, cùm ira mentem turbat, & appetitus vindictæ judicium impedit, neque sinit audire nos perfectè veram rationem. Alterum est, errorem non esse modicum; nam & illum torquet, quem possidet; & illi insidiatur, à quo se læsum existimat; & ad auersiones, ad odia, ad diuortia, ad homicidia procedit. Denique est janua omnium vitiorum. Tertium est, quia ira hominem à se ire facit, & in bestiam, in Furiam, in diabolum transmutat, omnibus meritò fugiendum & detestandum. *Tristes oculi iracundi,* ait S. Chrysostomus, *os obtortum, labia mobilia, & tumentia, lingua polluta, nemini parcens, mens in excessu posita, indecens habitus, tædij multum. Vide vultus à dæmonibus pressorum, ebriorum, & furentium, & dicito, in quo differat ab illis, nonne furoris totum est?* Quot blasphemias, quot sacramenta, quot Diras effundit iratus? Sylla dixit: *Sicut Hippocrates eum morbum periculosissimum ait esse; in quo ægrotantis facies sui dissimillima fiat; ita sentiens iratos maximè mutare faciem, colorem, incessum, vocem, veluti imaginem quandam eius affectionis animo mihi conformaui, admodum indignam rem existimans, si ita terribilis & abalienatus aliquando conspicerer ab amicis, & vxore, & filiabus, non visu modò ferus & insolens, sed & vocem edens immanem atque asperam: sicut ipse in quosdam incidissem, qui, præ ira, neque mores, neque formam, neque sermonis elegantiam, neque in colloquio, comitatem seruare poterant.* Cùm autem ira, discordia, odium, & dissensiones, apud omnes mortales, plurimùm mali efficiant; in matrimonijs tamen sunt longè perniciosissima: quemadmodum & concordia est anima coniugiorum. Et teste Euripide,

S. Chrysost. hom. 30. ad pop.

Euripid. in Medea.

 Quam

Quàm maxima existit salus,
Cum uxor cum viro non dißidet.

Quartum est, cùm hi sint effectus grauissimi, & alij complures, caussas tamen plerasque iræ esse longè leuissimas; vt hîc fuit, in Ludouico, scriptio litterarum, nuncij imprudentia; epistolæ commutatio. Et in alijs grauissimarum suspicionum, quænam caussæ sunt? Dicterium, iocus, risus, nutus, alterius detractio, narratio deprauata. Et irascuntur non solum hostibus, & inimicis, sed familiaribus, qui eis seruiunt, & amicis, qui coniunctissimi sunt; loco dilectionis, loco beneficiorum. Qui irascuntur? *Maximè irascitur auarus dispensatori, gulæ deditus coco; zelotypus uxori, ambitiosus maledicenti; semiebrij, & natura cholerici, ac qui consuetudine irasci didicerunt.* Depone iram, mitte gulam; zelum eijce; ambitionem execrare; ebrietatem vita; naturam doma, & consuetudinem consuetudini oppone; sic vinces.

IV. Quintum, quod maximè hîc ad rem pertinet, est, vt coniuges, ne minimam quidem dent caussam aliquid de se suspicandi; multò autem magis caueant, ne, ob minimam caussam, de altero suspicentur. Minimas caussas etiam vitandas esse, docuit S. Hieronymus, cuius sunt illa: *Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, ac degustatos cibos, blandasq; & dulces litterulas, sanctus amor non habet.* Nocuit multis, aspici: nocuit, salutari: nocuit, nominasse suspectum: nocuit donum misisse, aut visam esse, quasi misisset: nocuit aliquid perdidisse, quod apud alterum videretur. S. Ita annulum digito exutum deposuerat, quem rapuit de fenestra auis, inuenit is, qui marito Itæ à stabulis erat, & velut Fortunæ symbolum digito insertum gestauit. Hunc vbi vidit herus, crimen suspicatus, equo ad caudam seruum alligari iussit, atque raptum distrahi; coniugem verò è Tokhenburgensi arce, ac turri, quæ præaltæ rupi erat imposita præcipitauit innocentem; quam ille quidem elisam est arbitratus, Angeli verò susceperunt cadentem, atque, ceruo prælucente, in eremum perduxerunt, Christo sanctiùs, quàm marito, seruituram. Ita Deus præcocis iræ delictum, & iniustam suspicionem, deduxit in occasio-

S. Hieronym. ep. 2. ad Nepotianum.

nem vitæ sanctioris. Quantum postea erroris sui virum pœnituit, quando, inter venandum, in cælestem hanc prædam incidit? Sed serò fundit lachrymas crocodilus. Itaque intellexit tandem, & agnouit, se ipsum quoque nimis præcipitem fuisse, in coniuge præcipitanda.

V. Surius in Chron. ad an. 1528.

Quod & alteri illi contigit. Anno Christi 1528. Basileæ ciuis quidam cetera honestus, & locuples, Christophorus Bongartnerus, in eo solùm culpæ non expers, quòd vxorem suam, de adulterio suspectam haberet, nullo sufficiente argumento. Addidit vel casus, vel Orcus nouam suspicandi ansam. Quippe eam suspicionem auxit; quòd in famuli sui indusio ligulas sericas inuenerit, quas suas esse nouerat. Adit vxorem ira atque indignatione commotus; extorquet vi ab ea, vt fateatur, se cum famulo rem habuisse: id si faciat, promittit impunitatem: si neget, præsentem minatur mortem. Illa fatetur, quod non fecerat, sed mox fugit ad sororem in pagum. Attamen amicorum rogatu mulier conciliata marito rediit ad ædes illius. Ea nocte fertur ad commune admissa cubile. Atqui verò, altera die, quæ erat Dominica, ablegatâ famulâ, & liberis ex priore coniuge susceptis, primùm grauidam vxorem confodit. Inde filiam vix quadrimam interemit. Mox epistolam scripsit ad senatum, &, ter inuocato nomine Iesv, è summa ædium suarum parte se præcipitem dedit, fractis ceruicibus. Epistola illa continebat, quid, & quo animo fecisset. Porrò de eo licet mortuo, graue est sumtum supplicium; & corpus eius fractis ossibus sublimi rotæ impositum. Animam, quis dubitet in infernum cecidisse? Qua de caussa, in quantam iste se coniecit calamitatem? Ligula eum serica mouit, quam suam fuisse putauit: quasi non alia illi similis esse potuisset? aut illa ipsa ab hero amissa, à famulo quiuerit inueniri?

VI.

Nimirum zelotypia perturbationum omnium est truculentissima, quæ ita judicium euertit hominis, vt ex musca faciat elephantem, omniaque habeat, quæ circa vxorem aguntur, suspecta; tantoque maior est hæc perturbatio, quanto intemperantior amor, ex quo originem trahit. Quò enim vehementiùs aliquid amatur, eò contentiùs repellit, quidquid ei vel

S. Augustin. lib. 83. qq. q. 35. & 36. contrarium est, vel repugnat. Amor quippe *quidam motus est in amatum*, vt S. Augustinus loquitur. Quare, quisquis impensè aliquid amat, aut concupiscit, contra omnia ea, quæ consecutioni, aut quietæ fruitioni eius, quod amatur, repugnant, solet commoueri. Hinc coniuges zelo exardescunt, *ne per aliorum consortium impediatur singularitas, quam in vxore quærunt*, aut in viro. Haud absurdè igitur de Stoicorum sententia, Cicero Zelotypiam, in genere, finit, *ægritudinem ex hoc, quòd alter quoque potiatur eo quod quis concupiuit*, amore scilicet concupiscentiæ, ex quo etiam zelus inuidiæ pullulat, in illis, qui, quia excellere immoderatè appetunt, concitantur in eos, qui dum excellere videntur, eorum quoque videntur excellentiæ obstare. Sed longè sæuior est zelus ille, qui coniuges vrit: facilius enim quis eiusdem secum honoris, quàm eiusdem tori consortem patitur. Duos Consules vna vrbs habere potest, aut duos Gubernatores. Vni feminæ nulla gens concessit duos maritos. Atque idcirco rectiùs competit huic zelo illa eius descriptio, quòd *metus sit, ne quis habeat commune, quod tuum vnius esse velis*. Qui metus, tanquam pestilentia matrimoniorum, est eliminandus. Nam suspiciones parit, gignit discordias; excæcat mentes; procreat insidias; præcipitat animos in querelas, vindictas, cædes. Non est, vbi prudentia regit amorem: semper adhæret ijs, qui vxores suas depereunt, atque in eas, non stultorum tantùm ritu, sed etiam, *sicut equus & mulus*, insaniunt.

S. Thom. 1. 2. q. 28. a. 4. in c.

VII. Quamobrem, vt huic nimio amori medicinam faceret Deus, populo suo Israëlitico peculiares Zelotypiæ leges præscripsit. *Si spiritus Zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur; adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet supra eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium Zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino, assumetq; aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi in eam &c. adiurabitq; eam, & dicet: Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es, deserto mariti toro, non te nocebunt*

Num. 5. 14.

cebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi &c. Ita quodammodo, quasi per continuum miraculum, olim, apud Iudæos, adulterij scelus explorabatur: partim, ne si factum, quod suspicabantur, probare non possent Zelotypi, vxores occiderent; partim, vt amota omni suspicione ac metu, coniuges inter sese læto animo serenoque vitam agitarent. Apud Christianos quoq; olim mulieres suspectæ de adulterio se purgabant ferri candentis innoxio tactu calcatuúe, quod de S. Kunigunda Imperatrice legimus, aut aqua oleòue feruenti; vt alibi ostendimus. Quin & per duella. Sed hæc, nisi peculiari certoque Dei instinctu à sanctis facta, nunc non probantur; neque enim sunt à Deo instituta. Quare, tanquam quædam Dei tentatio, damnantur. Illa autem vetera Iudæorum, velut leges cærimoniales, dudum sunt abolita. Aboleatur & nimius ac insanus amor; satis tunc prospectum erit, ne in tragœdias erumpat. Quem in finem Tiraquellus hanc quoque legem ponit connubialem: CONIVGES ZELOTYPIAM, TANQVAM PESTEM OMNIVM TETERRIMAM, PERNICIOSISSIMAM, EXITIOSISSIMAM, FVGIVNTO. Tiraquell. leg. XVI. connub.

VIII. Oritur hic affectus 1. à natura & genio loci. Sunt enim aliæ atque aliæ nationes magis suspiciosæ, &, in hac præsertim re, diffidentes, quod Bodinus Italis & Hispanis ascribit; & de quadam gente, in Germania habetur, quæ ne minimum quidem alieni viri, cum vxoribus colloquium vult tolerare. Plutarchus memorat, apud Persas, eum non tantùm, qui appellasset, & attigisset regis pellicem, sed & qui in itinere propiùs præteruectus esset, capite mulctatum fuisse. 2. Oritur zelotypia à quorundam nimia sapientia. C. Sulpitius cùm sapere supra ceteros mortales vellet, vxorem suam repudiauit, quòd aperto capite ædes egressa esset: *Lex*, inquiebat, *tibi meos vnius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes: his esto speciosa, non aliorum oculis placens.* 3. Est & hæc *imprudentia stultorum errans*, vt omnem vmbram timeant, & vxores suas existiment vniuersis amabiles videri, æquè ac sibi. Non sinunt ergo illas salutari, non patiuntur quoquam prodire. Quin &, si in templum concedant, metuunt. Est sanè verum illud: *Qui expellit mulierem bonam*

Plutarch. in Artaxerxe.

Prou. 14. 8.

Prou. 18. 22.

bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est, & impius. Sed & ille non sapit, qui, quotquot domum suam frequentant, fures esse arbitratur: stultorumque est, putare, omnes homines esse baculi sui insidiatores. Hæc *cogitatio stulti peccatum est.* Ita Iustina nobilissima Romana puella ac virgo, ætatis suæ formosas omnes elegantia vultus supergressa; cum locupleti quidem, sed stolido, & furenti viro in matrimonium esset tradita; de excellenti illa specie in suspicionem marito venit. Is enim candidissimam vxoris ceruicem conspicatus, inclinantis se ad calceum exuendum, furore ex Zelotypia correptus, teneram puellam & nouam coniugem obtruncauit: quod ipse pati merebatur, nisi truncus antè fuisset. Appositè proinde epitaphio illius subscriptum est:

Prou. 24. 9.

Discite ab exemplo Iustinæ, discite patres;
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

IX. 4. Arripit Zelotypia illos non rarò, qui, quod ipsi faciunt, de alijs quoque libenter suspicantur. Talis erat castissimus ille Catullus, qui Gellium vt riualem suum malignè aspiciebat, quòd is à Lesbia *pulcher* dictus esset: quia & ipse, quas pulchras nominabat, amabat. Hinc maceratus ita alloquebatur semet ipsum.

Gellius est pulcher. quid ni? quem Lesbia malit,
Quàm te, cum tota gente, Catulle, tua.

Neque noua est hæc suspicandi caussa. Nam & apud alium Poëtam.

Ouid. lib. 7. Metam.

Esse metus cœpit. facies, ætasq; iubebant,
Credere adulterium. prohibebant credere mores.

5. Galenus feminas tradit huic vitio maximè obnoxias, præsertim prægnantes, ægritudine quadam: & *cuncta timemus amantes.* 6. Etiam iuuenes, & ferè adhuc pueri in matrimonio collocati, faciles sunt ad suspicandum, & proni ad querelas. Non rarò ita æstuant, vt mori malint, si speratâ non potiantur. Ita *C. Vibius adolescens intemperato amore percitus Putilliæ Sex. Puellæ gratissimæ, quòd alteri viro tradita, non sustinens, cruento gladio sibimet mortem consciuit.* 7. Extra dubium est, Zelotypiæ procuratorem esse communem humani generis inimicum.

cum. Qui ſi, inter coniuges, diſſidium fecit, vicit. Diſſidij autem præcipua eſt cauſſa ſuſpicio fidei violatæ. 8. Denique & Deus, in pœnam, ſæpe permittit, vt coniuges ſentiant *tribulationes carnis*, inter quas non minima eſt Zelotypia, quæ cùm ſola cruciet, tamen multa ſecum trahit alia mala.

X. Poëtæ ſanè fingunt, Circem veneficam, cùm ægrè ferret Scyllam nympham à Glauco amari, fontem, in quo ſe illa lauabat, veneno infeciſſe, cuius virtute Scylla ſit in monſtrum marinũ commutata. Quot viri fæminæq; veneno pereunt, aut etiam ferro, ob criminis huius ſuſpicionem? Quot, dum ſuſpicione tracti, curioſè in comparem inquirunt, morte luunt ſuam curioſitatem? Cyanippum Theſſalum vxor Leuconoa Zelotypa ſuſpectum habebat, quaſi in ſiluis aliud, quàm feras venaretur. Exijt, inter fruteta ſe abſcondit; latentem, in venatione, canes inuenerunt, & tanquam in feram irruentes ſtatim lacerauerunt. Ite curioſæ, ſtate ad ianuas & feneſtras, arbitramini maritorum colloquia; obſeruate nutus; quid conſequemini? Si canes vobis pepercerint, linguæ hominum lacerabunt. Suſpectas enim & ipſas eſſe oportere dicent, quæ omnia ſuſpicantur. Qualis enim quiſque eſt, talem ferè & alterum cenſet eſſe. Bella eſt & alia fabula Cephali, inter venandum, Auram in refrigerium vocantis, quam cum vxor eius Procris Nympham eſſe arbitraretur, in virgultis ſe recondidit, contemplatura, cuiuſnam virginis cupiditate Cephalus flagraret. Motis autem hinc inde virgultis maritus in his feram latere putans, emiſſo iaculo, coniugem inſcius peremit. Tanti ſtetit diffidentiæ curioſitas. Verùm hæc licet ſuſpicio vxorum meruerit, tamen illis, maritis non volentibus, contigerunt. Multi ſuſpicione præcipites, atque ira feroces in iniurioſas vindictas excanduerunt; & quidem magni, quos par erat, nihil graue, ſine conſilio, ſtatuere; cuius rei ſupra in Ludouico Seuero exemplum deduximus, hîc autem aliud ex Imperatoria aula ſubiungemus. (Ouid. lib. 7. Metam.)

XI. *Cùm, in florentiſſimo ſtatu pietatis & pacis Auguſti Theodoſius Eudocia & Pulcheria, cum ſororibus, Conſtantinopoli, verſarentur, orbe terrarum tam inuſitati exempli ſpectaculo perculſo ſtupenteq;* (Matth. Rader. in aula S. Theodoſij)

Pulcheriæ & Eudociæ cap. xvi.

teq; ; spes esse poterat, aureum postliminio seculum rediturum. Ad principum enim non tam leges & edicta, quàm facta & vitam respicere mortales, & componere se consueuerunt. Cùm ecce tibi tantam gratiarum & virtutum concordiam, pietatem & religionem, inferorum furia Erynnis inuidiæ & discordiarum procreatrix nec ferre, nec pati diutiùs potuit, totoq; Acheronte contra hos soles & hanc arcem sanctitatis atque concordiæ excito, cæpit serere primum, in regia, offensarum, dubiæ fidei, liuoris, suspicionis semina: deinde mox in apertum proferre. Initium hoc fuit inter Theodosium & Eudociam, ab hoc principio natum. In Theophaniorum celebritate, imperatori cum solemni comitatu pompaq; ad sanctam ædem egresso, homo peregrinus fortunæq; tenuis pomum Phrygium inusitatæ magnitudinis donum offert. Imperator, cum proceribus, mali generosi molem admiratus, centum quinquaginta aureos pauperi, pro dono, reposuit, munusq; Eudociæ Augustæ misit; Eudocia Paulino ægro tum à pedibus, quem propter excellentem cùm eruditionem, tum virtutem egregiè charum habebat, præsertim quòd nuptiarum fuisset paranymphus, & in ea re Augustam non parum iuuisset. Sed eheu! caussa mali semper malum, discordiæ pomum illud, non concordiæ fuit. Paulinus ignarus pomum ab Augusto ad Augustam profectum, remittit Theodosio, tanquam rarum & peregrinum generosissimi fructus miraculum, & signum officij sui, in Imperatorem. Imperator sequius rem interpretatus, agnouit illico pomum, quod Eudociæ miserat, à Paulino donatum. Trahit factum in suspicionem adulterij, seruari clam malum iubet. Accersitam Eudociam rogat, vbi pomum sit antè à se missum? Eudocia perculsa verebatur, ne si Paulinum nominaret, Imperator alia suspicaretur, se edisse affirmat. Itane inquit Imperator, ex animi tui sententia comedisti? Comedi, inquit. Per salutem tuam, ait Imperator, comedisti? Deierat illa: per salutem, imo exitium suũ. Profert inde pomum Theodosius, Paulinumq; eadem nocte interficit, ab Eudocia abnoctat. Deiurium enim auxerat conceptam antea suspicionem. Abstinet ab omni coniugis consuetudine, & omnia per Pulcheriam transigit. quæ res gemino telo confixit animum Eudociæ, quòd in suam contumeliam Paulinum interfectum sciret, & se contemtâ, omnia per Pulcheriam confici. Huc vsque conscendit suspicio, & zelotypia, vt etiam regum atque Impera-

Imperatorum ſolia euertat; vt innocentes deijciat; vt ex ipſa virtute venenum eliciat. Eudocia ægrotantis memor, genium ſuum defraudauerat, vt in morbo jacenti ſolatium aſpergeret, inuſitati fructus nouitate. Quin & beneficio grata, munus miſit Paulino benefactori. Vtitur hac occaſione Stygius hoſtis, & tempeſtatem illi coquit, de beneficentia. Quin & Paulinus ipſe Imperatori ſuſpectus eſſe non debuiſſet, eo ipſo, quia Paulinus, ſi ſibi malè conſcius fuiſſet, nequaquam Imperatori munus miſiſſet, ab Imperatrice acceptum. Quanquam, in Eudocia, clarè monentur feminæ, ne maritis ſuis mentiantur. Suſpectum eſt enim quidquid mendacio tectum deprehenditur. Faſſa eſſet Imperatrix, ſe ægrotanti benefactori ſuo, grati animi beneuolentiâ, pomum miſiſſe, jam omnem ex Imperatoris animo ſuſpicionem aboleuiſſet. Sed hæc eſt mundi vanitas: ipſa etiam Imperia ab erroribus pendent, & leuiſſimis cauſſis amittuntur.

XII. Quamobrem minùs mirandùm eſt, ſi, etiam inter priuatos, cauſſæ friuolæ tragicos ſæpe exitus ſortiuntur. Audiui ſæpius, fuiſſe feminam, quæ, cùm caſtiſſimum ac pietati addictiſſimum coniugem haberet, muliebri curioſitate, indagâſit, quid ille quotidie, Deum precari ſolitaret. Habebat is, in Muſæo, aram, in qua Chriſtus humani generis Redemtor cruci ſuffixus poſitus erat: ante eam crucem, precatorium libellum relinquebat, & quidem plerumque, vt fit, apertum, ne labor eſſet in requirendo. Inuenit infelix mulier plerunque Pſalmos Dauidis, qui *pœnitentiales* vocantur. Eos nimirum vir in promtu eſſe volebat. Quid ibi zizaniorum egit ſeminator? Mulieri ſuggeſſit, *Non de nihilo, maritum illius eo orandi genere vti: hos Pſalmos à Dauide, ob adulterium pœnitentiam agente, fuiſſe compoſitos ac recitatos.* Colligit inde zelotypa vxor, eandem, etiam marito ſuo, cauſſam eſſe oportere; vt cui crimen commune eſſet, cum Dauide, eâdem precandi, & pœnitendi formulâ vteretur. Queritur vicinis; luget, deflet ſe vnà ac maritum. Et (vt contingit, ſi imperitus medicus conſulitur) apud ſuſpicioſas mulierculas, ſuſpicionem non ſanatam, ſed nutritam & nimium quantum auctam reportat. Quæ eò miſeram diſcruciauit, vt

ſibi ipſa præ mœrore, violentas manus inferret. Quid denique ſecurum erit, inter coniuges; ſi pietas trahitur in adulterij ſuſpicionem? Si, inter Chriſtianos, hæc exempla reperiuntur, quid miramur Trebiam Fibuſtio lachrymas & æternos luctus reliquiſſe, quæ, extremo zelo, in furorem conuerſo amore, ſemet, ferro per medium pectus tranſacto, necauit? Talis bellua eſt zelotypia; turbat coniugium, diſſociat coniuges, exitijs peſſimis virum feminamq; affligit; vt meritò hunc capiti huic, è D. Chryſoſtomo epilogum poſſim apponere.

Poliphilus in hypnerotomachia.

XIII. S. Chryſoſt. lib. de virginit. cap. 52.

Si quis coniugatus ad zelotypiam propenſus ſit, etiam ſi falſa aliqua ſpecie, eo morbo correptus ſit; quid huiuſmodi homine miſerabilius eſſe poteſt? Quod prælium? quàm tempeſtatem? cum huiuſmodi ſuſpicione, vel furore comparantes, eius imaginem proferemus? omnia doloris, omnia ſuſpicionis, omnia ſeditionis, ac perturbationis referta ſunt. Et qui eo furore corripitur, nihilo meliùs afficitur, quàm qui aut agitantur à dæmonibus, aut mente capiuntur, adeò continenter effertur, & inſultat, & ſtomachatur omnibus. In obuium omnino, & innocentiſſimum quemque ſemper exercet iracundiam; ſiue is ſeruus ſit, ſiue filius, ſiue quicunque alius: voluptas autem omnis excluditur, angorum, moleſtiarum, & lacrymarum ſunt omnia plena; etiamſi domi ſe contineat, ſi in publicum prodeat, ſi peregrinetur, vbique malis tentatur, quæ quouis aculeo grauiùs eius animum mordent & ſtimulant, nec ipſi vllam quietis partem capere patiuntur, neque verò morbus triſtitiam ſolùm, ſed etiam iram intolerabilem ingenerare ſolet, & hæc per ſe ſingula captũ perdere queunt. Cum verò concurrunt omnia ad hominem aſſiduè opprimendum & affligendum, neque ei minimum dant reſpirandi locum, quo non id eſt mortis genere calamitoſius? Nam vel ſi ſummam quis egeſtatem commemorârit, ſi morbum inſanabilem, ſi ignem, ſi ferrum, nihil illi attulerit par; atque id, tantum hi, qui ſunt experti, benè nouerunt; nemo autem oratione complecti poteſt mali huius magnitudinem incredibilem; cùm eam vir, quam habet charam, ſuſpectam ſibi habere cogatur, & quid illi ſolatio eſſe poteſt? Siue enim ſomnum, ſiue cibum capere, non tam cibis menſam, quàm peſtiferis venenis refertam putabit. Quæ cùm animaduertiſſet Salomon, Dura, inquit, ſicut infernus, æmulatio. Et idem, æmulationis plenus eius viri animus non

Cant. 6. 8. Prouerb. 6.

parcet

parcet in judicij die, nec vllo pretio inimicitias deponet, neque multis muneribus placabitur. Ea enim huius morbi insania est, vt, neque sumpto de eo supplicio, à quo læsus sit, dolorem æger abijciat. Itaque multi, adultero sæpe sibi sublato, neque iram, neque languorem tollere potuerunt. Sunt qui, etiam vxore occisa, ijdem manserint, vel maiori etiam rogo consumpti sint; ac vir quidem, etiamsi nihil verum repererit, intus tamen miserijs viuat. Multò autem grauiora, quàm ea sint, quæ sustinet vir, præfert misera & infelix vxor. Cùm enim eum, qui se, in omnibus molestijs, consolari deberet, & à quo defensionem exspectare oportebat, immaniorem in se, atque omnium sibi inimicissimum esse videat, quid reliquum exspectare potest? ad quem confugiet? vbi præcluso portu, & innumerabilibus molibus oppositis referto, malorum finem reperiat, tum etiam iniquioribus vtitur seruis, & ancillis, quàm viro. Cùm enim suspectum per se, & ingratum est hoc hominum genus: tum verò, si ad maiorem licentiam peruenerint, & dominos inter se dissentire intellexerint; magnam ad insolentiam ansam sumunt illorum discordiam. Etenim illis, per summam licentiam, addere, afferre de suo, & comminisci licet, quæcunque voluerint; tum quoque suis criminationibus maiorem dant materiam suspicioni. Nam vt semel animus graui hoc morbo occupatus est, facilè credit omnia, & æquè se præbet omnibus attentum, vt qui calumniatorem à veraci diiudicare nequeat; quin etiam huiusmodi homines eos certiores authores habent, qui suspicionem maximè augent, quàm qui eam minuere student, sic illi reliquum est, vt contubernales homines non secus ac fugitiuos seruos, & eorum vxores timeat necessario. Quod igitur tempus à lacrymis vacuum erit? quæ nox? quæ lux? qui festus dies, quando libera à gemitu, à fletu & lamentationibus poterit esse? Vndique minæ, contumeliæ, conuiciaque, jactantur, tum à viro, sine caussa, timente; tum à seruis, omnia denique tremoris & timoris refertæ. Non enim aditus, & exitus solùm curiosiùs obseruantur: sed in verba etiam, in adspectum, in suspiria, studiosissimè inquiritur, atque illam oportet vel saxo immobiliorem cuncta ferre silentio, & grauiorem in modum, quàm qui vinculis constricti sunt, in thalamo hærere perpetuo; vel si exire, loqui, aut ingemiscere velit, omnium reddere rationem, caussamque, apud corruptos illos judices, dicere; ancillas, inquam, & seruos. Inter hæc

autem mala, si infinitam vim diuitiarum, si mensas conquisitißimis cibis exstructas, si seruorum greges, si nominis splendorem, si magnam potentiam & summam gloriam, si maiorem claritatem & amplitudinem ponere velis, si nihil omnino relinquas eorum, quæ exspectandam vitam videntur efficere, sed omnibus vnum in locum diligenter collatis, & cum hac molestia comparatis, non apparebit quidem vlla earum rerum species voluptatis, sed sicut in ingens aliquod pelagus paruam ignis incidentis scintillam sic illam interire par est. Hæc autem ita sunt, cùm vir eam habet suspicionem. Si quando verò inciderit vxor in huiusmodi perturbationem, neque enim id rarò accidere solet, vir quidem faciliùs eam perferet, quàm vxor; plus autem doloris ad illam miseram redundabit, neque enim iisdem armis in eum, qui sibi suspectus sit, poterit vti: nam quis tulerit, vt, suæ vxoris jussu, domi perpetuò commoretur? aut quis è numero seruorum in dominum curiosus audebit esse? Non igitur his machinationibus se ipsa consolari, neque iram querimoniis euomere queat: nam vt eam vir semel fortè, aut iterum conquerentem ferat, sic si nullum fecerit querendi finem, citò eam doceat præstare id ferre silentio, & dolore tabescere. Et hæc quidem de suspicionibus. Sin autem à veris causis ea perturbatio proficiscatur, vxorem è viri læsi manibus quis eripiet? Quin etiam his legibus suffragantibus adductam in judicium omnium sibi charißimam coniugem iugulabit, ac vir quidem legum pœnam effugiet, at è superiori loco Dei judicio condemnabitur. Hæc autem omnia ab statu virginitatis longißimè sunt remota.

XIV. Huc vsque Chrysostomus perorauit, pro virginitate. *Qui potest capere, capiat.* Qui non capit, coniugio se committat, atque in eo ita viuat, vt neque vxori præbeat vllam occasionem suspicandi; neque, si ab vxore aliquid dici audiat, aut fieri videat, quod suspicione dignum sit, à perturbatione se sinat superari, putetque, se id commeruisse; quando vel ipse similia commisit; vel suspicionibus insueuit frænos laxare; vel Deum aliò vocantem, & *consilia* meliora non est secutus. Denique in mente esse debet, & multa in aures falsa posse venire, cùm ipsi sæpe oculi decipiantur; atque Iosepho Patriarchæ castissimo eiuscemodi calumnia sit impacta; & bonis hominibus mala citiùs excusari, quàm judicari. Sanctissimum exemplum est: Gen.39.13.

Cùm



Cùm esset desponsata mater Christi Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Quo exemplo monentur coniuges, ne statim, quacunque etiam de caussa, vel vir vxorem, vel vxor virum infamet. Præstat iniuriam pati, quàm facere. Cur euulgas, miser, quod nondum scis esse verum? Et quidem id, quod, etsi verum esset, meliùs occultè corrigi fortasse posset, quàm publica traduci infamatione. Tu autem vxor, tu marite, si innocens es, & tamen hac calumnia affligeris, Deiparæ exemplum imitare, quæ immensa patientia siluit, neque se ipsam, verbo vllo excusauit, sed Deo innocentiæ suæ caussam excusationemque omnem commisit, meruitque habere Angelum excusatorem. Quod si verò vel certò constat, peccasse maritum, aut vxorem deliquisse, scito, in patientia, clypeum esse, cùm alia omnia desunt arma. *Tertia Æmilia Africani prioris vxor, mater Corneliæ Gracchorum, tantæ fuit comitatis & patientiæ, vt cùm sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit: ne domitorem orbis Africani fœmina impudicitiæ reum ageret. Tantumq́ue à vindicta mens eius abfuit, vt post mortem Africani manumissam ancillam in matrimonium liberto suo daret.*

Matth. 1. 18.

Val. Maxim. lib. 6. c. 7.

CAPVT XXXVII.

Sterilitas proli opposita, an Matrimonio, aut coniugibus officiat?

I.



Satis dixisse mihi videor de ijs, quæ *Fidem, primum matrimonij bonum,* bono Deo permittente, temerant. Venio nunc ad *alterum* matrimonij *bonum*, quod est *Proles*, cuius præcipuè gratia matrimonia ineuntur. Inde, teste Gellio, *matrimonij* nomen est, quia mulier nubit, vt mater efficiatur. *Matrimonium,* inquit S. Augustinus, *ex hoc appellatum est, quòd non ob aliud debeat femina nubere, quàm vt mater fiat.* Nam, *si bestiæ amant suos fœtus; & gignendis conueniunt liberis*, vt Arnobius ait, cur non hominibus quoque coniugia eligentibus prolis subrogandæ sit cura, & dulcedo, cùm fuerit pro-

Gell. l. 18. c. 6.

S. August. l. 19 cont. Faust. cap. 26.

Arnob aduers. gent. l. 7.

Macrob. l. 1. Saturnal. cap. 16. A Gellius lib. 17. cap. vlt. creata? Et finis est matrimonij *liberûm quærendorum caussa.* Vel, vt illa, apud Ennium, ait: *Ducit me vxorem sibi liberûm quæsendûm gratia.* Quapropter Caruilius Ruga, apud Gellium, *de amicorum sententia, diuortium cum vxore fecit, quòd sterilis esset; iurassetq; apud Censores, vxorem se liberûm quærendorum caussa ducere.* Hoc iubet natura, vt genus humanum conseruetur; hoc voluit Deus, vt repleatur cœlum; hoc optant coniuges, quia in prole supersunt parentes; qui in filijs imaginem suam intuentur, & solatium habent in successione. Hinc & in viam

Tob. 10. 4. dimisso, & spe tardiùs redeunte Tobia, *flebat mater eius irremediabilibus lachrymis atque dicebat: Heu, heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Et apud Poëtam, magnum quiddam est, *spes tanta nepotum.* Quin & in

Prou. 17. 6. sacris, *corona senum filij filiorum* vocantur. Enimuerò ipse cæle-

Matth. 17. 5. stis Pater, de nube, locutus dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* quem Filium etsi sine matre habuit, secundùm diuinam naturam, ostendit tamen, in filijs è matrimonio natis esse quandam diuinitatis imitationem; quam & fæcunditas repræsentat, & amor, qui est erga prolem, tanquam quoddam eximium bonum, quo mortales, etiam post interitum suum, perseuerant, atque immortalitatem, quam Angeli naturâ suâ habent, propagatione quodammodo assequuntur. Existimant enim, se in liberis viuere.

II. Hoc tale tantumque matrimonij bonum adeò multis est intermixtum malis, vt itidem homines, ob ea, quiritandi potiùs, quàm, ob prolem, Deum laudandi celebrandique, occasionem nancisci sibi videantur. 1. Quàm multis proles omnino nulla datur? etiam pijs? etiam sanctis? *Erat enim Sarai ste-*

Gen. 11. 30. Gen. 16. 4. *rilis, nec habebat liberos.* Cuius ancilla Agar *concepisse se videns despexit Dominam suam.* Quod quàm acerbum fuerit Saræ, se-

Gen. 30. 1. quens satis indicat historia. Ita etiam *cernens Rachel, quòd infæcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioqui moriar.* Tantum mali est sterilitas, vt mors tolerabilior censeatur. Quin & alij sterilitate afflicti leguntur, vt Pharao,

& Ma-

& Manue *habens vxorem sterilem.* Annam certè *affligebat æmula eius* (Phenenna) *& vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret, quòd Dominus conclusisset vuluam eius, &c. porrò illa flebat, & non capiebat cibum.* Denique & Elisabeth Zachariæ vxor erat sterilis; adeò vt, ex eo naturæ vitio, illi à populo irridente, nomen fuerit excogitatum, ita enim ex Angeli verbis colligi potest, dum ait: *Hic mensis sextus est illi, quæ* VOCATVR *sterilis.* Vnde videmus, non solùm miserum censeri, esse *sterilem*, sed etiam probrosum, *sterilem* nominari. 2. Etsi quidam steriles non sunt, tamen in luctum cadunt, dum per abortum amittunt, quod cum ingenti spe atque lætitia feliciter in vtero conceptum fuisse intellexerunt. 3. Ipse vterus, quantum onus, quot fastidia secum fert? 4. Quoties proles vix nata, in cunis moritur, cum tantis parentum lamentis, quantis eorum lætitijs est edita? Quare, quod de Marcello vaticinatur ille apud Poëtam.

Iudic. 13. 2.
1. Reg. 2. 6.
Luc. 1. 7.
Luc. 1. 36.

Ostendent terris hunc tantùm fata, neq; vltra
Esse sinent.

Virgil. 6. Æneid.

idem dici potest de multis, quorum tota vita est, *nasci, & denasci.* 5. Quid quòd multis proles nascitur non sua, vel certè incerta, ob tot cuculos? 6. Iam verò ante, quàm etiam genuina proles nata parentes oblectet, quanti sunt in partu dolores? Quanta est in educandis liberis cura? quanta solicitudo? quanti sumtus? 7. Quàm multi casus accidunt filijs, qui in parentes redundant? 8. Quoties etiam Heroum filij sunt noxæ? Neque enim à Cicerone duntaxat filius degenerauit; aut vnicus tantùm filius fuit, qui *Prodigi* nomen mereretur. 9. Denique quot filij & filiæ non solùm, sunt in parentes ingratæ, vt pro amore odium; pro blanditijs conuitia, pro beneficijs mille iniurias renumerent; verùm eo vsque progrediuntur, vt, plus quàm viperina immanitate, illis, per parricidia, vitam adimant, à quibus vitam acceperunt? Ob hæc talia non pauci maledicentissimis linguis matrimonij lacerant existimationem, cuius incommoda diuinæ Prouidentiæ judicijs accidentia, ne ciuili quidem animo ferunt, cùm ferre deberent pectore Christiano, Verùm & istos erroris atque dementiæ com-

Luc. 15.

pletos ostendent judicia Dei ad suas caussas reuocata, quæ paulò attentiùs expensa omnem amouent à matrimonijs reprehensionem, omnemque diuinæ prouidentiæ dispositionem demonstrant prædicabilem & gloriandam.

III. Atque in primis è D. Paulo, sciendum est, matrimonij statum, non esse statum ita felicem ac beatum, vt nullis incommodis, aut procellis verberetur. Verum est, si *nupserit virgo* (libera, & innupta, nec Deo consecrata) *non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi, aperientes sibi, per coniugij copulam, dolorum officinam*, inquit S. Basilius. Est enim tribulatio carnis, quæ circa carnem versatur, & carnem affligit; eaque sanè, in matrimonijs multiplex. Nam præter seruitutem mutuam, curas, timores, zelotypiam, rixas, familiæ apparatum, opum, affinitatum, statuum curandorum & augendorum sollicitudinem, mariti, aut vxoris dominationē, garrulitatem, choleram, linguam, vngues, claues, fustes, socordiam, ebrietatem, prodigalitatem, paupertatem, planè etiam illa, quæ paulò priùs, recensita sunt, coniuges multos comitantur. Quid ita? 1. Quia Deus nullum omnino, in hac vita, statum voluit esse omni ex parte beatum, ne veræ illius æternæque beatitudinis homines obliuiscerentur. 2. Vt sentiretur illa peccato debita maledictio: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui;* itemque, *in sudore vultus tui vesceris pane.* 3. Quia, ne virgo, quæ cum S. Agnete dicere potest, *regna mundi & omnem gloriam eorum contempsi, propter amorem Domini mei IESV Christi,* in matrimonio, sibi omnia aurea & mellea imaginaretur, quemadmodum Paulus, ita & ipse Deus, *tribulationem carnis,* voluptati carnis, quæ in coniugio est, opposuit, ostenditque spinas in rosis latere, absinthiumque sacchario permistum coniugibus propinari. Adeò enim voluptas illa vilis & cum brutis communis, ac verecundiæ plena, momentoque transiens, per tot, & longè grauiores tribulationes, eliditur, vt vix æstimari mereatur. Et sit quantacunque putatur, profectò magnis & multis incommodis illico, solet magno fœnore, compensari. Quæ si quis nosse vult, audiat passim, apud amicos, conque-

1. Cor. 7, 28.

S. Basilius lib. de sancta virg.

Gen. 3. 16.

S. Ambros. serm. 90.

conquerentes coniuges. Alij enim lamentantur, se prole carere; alij, si proles est in spe, prægnantium vxorum morbos accusant, & cum ægrotantibus ægrotant. Statim enim etiam postquam concepta est soboles, subeunt fastidia stomachi, insomnia mentis, vertigines capitis, dentium dolores, melancholiæ, præcordiorum angustiæ, peregrini & planè absurdi appetitus, defectus virium, imbecillitates insolitæ, totiusq; naturæ perturbatio. Quin & acerrimi sequuntur in partu cruciatus; qui aliquando tanti sunt, vt, dum prolem in lucem promouent, matrem luce priuent. Neque enim è viuis duntaxat matribus mortui sæpè liberi prodeunt; sed etiam non raro viui infantes, è mortuis matribus exciduntur. Vnde aiunt & primum *Cæsarem*, à cæso matris vtero, esse cognominatum. Et quanquam etiam auspicatiùs quis nascatur, tamen quantæ inde molestiæ turmatim exurgunt? quanti nascuntur labores? quàm assidui, in domo, ploratus & eiulatus? An non proles edita mox quotidie & continuò mundanda est, cibanda, fasciandæ, vestienda, reponenda, cunis agitanda, vt dormiat? eximenda, vt sugat? disponenda, vt exoneret? verbis & cantu assiduè mulcenda, ne ploret? ita vt matres, totos dies & noctes, circa infantes occupentur, nec aliud fere facere, aut cogitare possint. Omitto sordes, pædorem, lauationes mille, morbos innumeros, pericula assidua tam matrum, quàm paruulorũ. Hæc talia tanquam acetum sunt coniugalis voluptatis. Hæc inobediens illa mater meruit cui dictum est: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries. His malis libera est virginitas*, inquit S. Chrysostomus, *& continentia. In coniugio autem haud facile est, hæc non inuenire. Quod si in rebus, quæ secundæ videntur, tantæ molestiæ ac calamitates existunt, quid in illis fieri dices, quas aduersas esse constat? non enim est coniunx de vna morte sollicita, licet illi semel tantùm moriendum sit; neque pro vnica anima laborat, licet vnicâ prædita sit; sed in timore & tremore versatur viri, liberorum, cognatorum, seruorum, & quo radix in plures diffunditur ramos, eo maioribus ipsa curis afficitur; & in his singulis, siue iactura pecuniæ facta sit, siue corpus morbo teneatur, siue quid, quod nolit, acciderit, lamentari debet, non secus ac illi,*

Plin. lib. 7. nat. hist. c. 9.

S. Chrys. lib. de virginit. c. 53.

quibus acciderunt. Quòd si illi priùs moriantur, lugebit ipsa: quòd si parum remanserit, nec sincerum solatium reperiet; timor enim, quo eius afficitur animus, & sollicitudo pro viuis & mortuis, terrebit eam. Quam autem vitam viuet, qui alienas calamitates cogitur lugere? At, inquies, non omnibus hæc accidunt semper. Sed neque omnes omnium sunt expertes. Quicunque autem rei periculum non fecerunt, eos tamen eiusdem expectatione esse cruciatos. At virgo tum à re, tum à rei timore libera est. Præstat ergo status virginitatis. Qui autem putant se, in matrimonio, voluptatem consecuturos, nôrint voluptati annexas esse tribulationes, vnà cum delicijs in trutinam mittendas; ad quas nunc peculiariter considerandas accedam.

IV. 1. Steriles sunt multi parentes? ita est, non potest negari. Similes sunt vxor sterilis, & arbor sterilis, quæ fructus

Luc. 13. 4. nullos parit, & frustra *terram occupat*. Planè sic res habet. At quid si multis sua sterilitas prodest? Multi damnarentur, si filios haberent; vel quia eorum exorbitante amore Dei amorem amitterent, & alios, per vim & fraudes, depauperarent, vt ditarent suos: vel quia eos in timore Domini, non educarent, sed in omni vestium, lenocinij, vitæque vanitate. *Ne iucunderis*

Eccli. 16. 1. *in filijs impijs*, ait Ecclesiasticus, *si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum. Melior est enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et vtile est mori sine filijs, quàm relinquere filios impios*, qui mundum disturbent, iram diuinam prouocent, Orcum impleant. Quàm miserum est, filios gehennæ & flammis peperisse! Multi adeò sunt inopes, vt se ipsos sustentare non possint, qui cruciantur, quoties eis filius nascitur, in eadem paupertate inediáque victurus. Vnde de tali parente vul-

Eccl. 5. 13. gus, non sine sarcasmo, dicere solet illud; *Generauit filium, qui in summa egestate erit*. Vt quid hæres desideratur, vbi deest hæreditas, qui ex genitoribus egenis faciat pauperiores? & famentibus etiam id, quod modicum habent, deuoret? Sæpe etiam nimis auidi opum corradendarum, sic dedocentur auaritiam sectari, cùm videant, sibi deesse, quibus diuitias colligant, & accumulent thesauros. Nam si, qui steriles se esse experiuntur.

tur, *Usque ad canitiem, & nostrum istud viuere triste*, vt nummis parcant, genium suum defraudant; citò inuenient, qui dicat: Eccle. 4. 8.
Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole: vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs: nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima. Sapientiùs alij vtuntur sua sterilitate. Nam cùm eis hæres non est in terris, Deum, aut Diuos, in cælis, bonorum suorum hæredes scribunt; *vt faciant sibi amicos de mammona iniquitatis.* Luc. 16. 9.
Quot, hac occasione templa sunt ædificata, dotata, ornata? quot structa monasteria? quot erecta gymnasia? quot fundata stipendia? Infinitus hîc campus esset enumerandi. Sufficiat notissimum illud, quod Ecclesia quotannis celebrat. *Liberio Summo Pontifice Ioannes Patricius Romanus, & vxor pari nobilitate, cùm liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent, suam hæreditatem sanctissimæ Virgini Dei Matri vouerunt: ab ea summis precibus assiduè petentes, vt in quod pium opus eam pecuniam potissimùm erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces & vota ex animo facta, B. V. Maria benignè audiens miraculo comprobauit. Nonis igitur Augusti, quo tempore in vrbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contexit:* In Breuiario Rom. 5. Aug.
Dei autem Mater seorsim Ioannem, & seorsim eius coniugem, enimuerò ipsum etiam Summum Pontificem edocuit, quid eo portento significaretur. Stat igitur Ecclesia *sanctæ Mariæ maioris* dicta in monumentum fæcundissimæ sterilitatis, vt quæ possit etiam eiuscemodi templa generare.

V.

Esto itaque, à Deo sint quidam coniuges infæcundi, sterilitas tamen illis vtilis est. Quis non laudet potiùs, quàm accuset vtilitatem? Et sanè, sterilitatem à Deo esse, probè sciuit etiam Iacob, licet fortasse Rachel ignorârit; qua dicente, *Da mihi liberos, alioqui moriar*, iratus respondit Iacob: *Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?* Quo loco aiunt Hebræi, Deum sibi quatuor claues naturæ reseruasse, *clauem pluuiarum*, vt eas ad libitum emittat, & effundat ex suis thesauris: *clauem vitæ*, seu generationis: *clauem alimoniæ* ad famem depellendam: & *clauem sepulchrorum*, id est, resurrectionis. In solius Gen. 30. 2. De pluuijs Deut. 28. 12. de fame. Psal. 144. 16. de resurrect. Ezech. 37. 12.

igitur Numinis potestate est, donare, vel negare filios. Ex il-
Prou. 13. 22. lius benedictione, *bonus relinquit hæredes filios, & nepotes*, & ad
Psal. 127. 3. eum, qui timet Dominum, dicitur: *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filij tui, sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*
Leuit. 20. 20. Præuaricatoribus autem sæpius dicitur: *Absq; liberis morientur, absq; liberis erunt.* Est itaque sterilitas à Deo, & est, tanquam pœna, à Deo. Quanquam non semper tanquam pœna: cùm vtique Abraham & Sara, itemque Zacharias & Elisabeth, alijque steriles legantur iusti extitisse. Siquidem de his dicitur:
Luc. 1. 6. *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, sine querela, & non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Quid ita iustos affligit Deus, vt illis benedictionem prolis subducat?
Psal. 83. 13. quid in illis reperit puniendum? ille Deus, qui non *priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia?*

VI. Respondet Isaias: *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fru-*
Isa. 3. 10. *ctum adinuentionum suarum comedet.* Quocunque duxerit Deus,
Sap. 10. 10. *iustum duxit per vias rectas.* Non punit, qui dat meliora. Bonum ergo fuit justis, & *per vias rectas eos duxit*, quando eos duxit ad vitam perfectiorem; vt, amore toto, quem in liberis partitim impendissent, in datorem liberorum translato, dicerent: *Deus meus, & omnia.* Se magis amat, quàm Deum, qui Deum propter liberos amat duntaxat. Deum propter Deum amat, qui Deum amat, etiam optatis liberis destitutus. Quod sancti illi fecerunt, qui, cùm steriles essent, tamen iusti esse non desiêre. Quanquam & alijs de caussis eos sapientissima Dei bonitas, ad tempus, liberis priuauit, vt scilicet & agnoscerent, cum Iacob, vnde hoc donum esset, atque, pro eo dono adipiscendo, Deum precarentur; vtque diu dilatum gaudium cumulatiùs cresceret, filio in senectute demum concesso. Denique obseruent Sancti, plerosque diu sterilibus parentibus postea natos, magnos atque admirabiles euasisse. Sic Abrahamo suus Isaac, sic Racheli Iosephus, sic parentibus suis fortis ille Samson; sic
Iudic. 13. 2. Annæ magnus Samuel, sic Zachariæ & Elisabeth, Ioannes da-
Luc. 1. 13. tus est, Angelo ad Zachariam dicente: *Vxor tua Elisabeth pariet*

tibi

tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram Domino, &c. Sic, teste S. Damasceno, *Ioachim venerandam & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum vetus Anna, cùm sterilis esset, per votum, & repromissionem genuit Samuelem: ita & hæc per supplicationem, & repromissionem, Dei genitricem, diuino munere accepit: vt & in hoc nulla illustrium mulierum posterior esset.* S. Ioan. Damascenus de Fid. orthod. lib. 4. c. 15.

VII.

Quid pusillanimes estis, ô steriles, si natura vobis non morigeratur: aut si preces vestræ non audiuntur? Negat vobis filios Deus? Ast aliquid dat, quod est præstantius. Seipsum dat, & vos illis Elcanæ verbis compellat: *Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* Non habetis hæredes? At Deus ipse, cuius sunt vniuersa, dignatur hæres esse vester, ille vult acceptare à vobis, quod ipse dedit. Ideò liberis caretis, ne vobis necesse sit, thesauros reponere. Liberiùs, & liberaliùs opes dispensat, qui scit, se filijs nihil prodigere. Si filij vobis desunt, pauperes pro liberis habete; in illos nummos vestros effundite; hos à vobis vult Deus nutriri, loco filiorum, sicut Iob eos tanquam filios habuit. Cui etsi filij & filiæ essent; tamen adeò liberalis fuit in egenos, vt *patrem pauperum* se meritò appellârit. Vobis quæ erit excusatio, si diuitijs abundatis, neque de dote vlla corradenda solliciti estis, & tamen neque templis, neque Religiosis, neque alijs Dei ministris, aut peregrinis, aut ægrotis, aut ante fores vestras iacentibus, nummulorum aut ciborum quidquam suppeditatis; bis miseri, & quia prole priuamini, & quia non vtimini, ad salutem vestram, vestra sterilitate. Quid si eleemosynis vestris etiam à Deo hæredes impetraretis, sicut planè multi & precibus, & eleemosynis filios impetrauerunt; neque pauci votis & Diuorum inuocatione, filios adepti sunt. Sic enim vult amicos suos honorare Deus; sic rogari ipse, vt spem nostram fiduciamque exerceamus. Exempla sunt plurima. Ad hunc enim modum *deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit ei conceptum Rebeccæ.* D. Chrysostomus censet Isaacum per viginti annos, orasse, pro tollenda Rebeccæ steri-

1. Reg. 1. 8.

Iob. 29. 16.

Gen. 25. 21.

ſterilitate, ac, vigeſimo demum anno, id impetraſſe. Iſaac quippe duxit Rebeccam anno ætatis ſuæ quadrageſimo, ac demum, anno ſexageſimo, gennit ex ea Iacob & Eſau, *vt & nos*,
S. Chryſoſt. hom. 49. ait S. Pater, *æmulantes iuſtum, aſsidui ſimus, in diuinis precibus, ſi quando aliquid à Deo petierimus, Si enim iuſtus ille ita virtute præditus, & tantam apud Deum gratiam habens, tantam præ ſe tulit conſtantiam & ſtudium, continuò Deum orandi, ita vt ſolueretur Rebeccæ ſterilitas; quid dicemus nos, qui tantis peccatorum oneribus premimur? Sed etſi paruo tempore ſtudium aliquod & diligentiam exhibuerimus, torpeſcimus, & reſilimus, niſi ſtatim exaudiamur.*

VIII. Exiſtimant Hebræi, Rachelem, cùm diceret ad Iacob, *Da mihi liberos*, ad Iſaac & Rebeccam alluſiſſe, vt ſenſus ſit: *Da mihi liberos*, ſicut dedit Iſaac pater tuus Rebeccæ, precibus ſcilicet ſuis impetrando, vt Rebecca fæcunda eſſet. Itaque ora, ad eum modum, mecum & tu, Iacob, exemplo parentis tui. Nam Rachelem oraſſe, feminã tam piam, dubium non eſt; ſed volebat habere maritum vnà precantem, vt duos Deus citiùs
1. Reg. 1. 10. exaudiret. De Anna quis neſcit? quæ *cùm eſſet amaro animo, orauit ad dominum flens largiter, & votum vouit dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisq́; ſeruæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, &c.* Ad hunc modum illa *multiplicauit* preces: quibus & Heli ſuas adijciens
Luc. 1. 11. dixit: *Deus Iſraël det tibi petitionem tuam.* Zachariæ item non niſi in templó oranti, & incenſum ponenti apparuit Angelus, filiumque promiſit. Ac, ne quis neſciat, eum tunc à Deo filium popoſciſſe, perſpicuè id Angelus indicauit illis verbis; *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium.* Hæc ergo erat eius apud Deum deprecatio. Audite hæc, qui tantopere filios deſideratis. Filij à Deo, precibus & diuinis laudibus, non blaſphemijs, non impatientijs, non incantationibus magorum impetrantur. Faceſſere debent Orciniana remedia, apud eum, qui è cælo auxilium expectat.

IX. Vult autem & ſanctos ſuos Mundi Gubernator, his beneficijs largiendis, illuſtrari. Extant plurimæ, in probatis au-

 thoribus,

thoribus, historiæ, quæ id confirment, de Deipara, de Apostolis, de alijs Sanctis. De Deipara Lucius Marinus hanc tradit. Toleti duo ciues erant, stirpe & pietate clari, Stephanus & Lucia, bonorum coniugum exemplar. Sed prole carebant. Hi, quod natura negabat, à Superis petiêre. Pater assiduè munera pauperibus erogabat. Mater dies noctesque, orationibus ad Dei genitricem fusis, impendebat, rogitans identidem, vt sibi tandem diu optata proles nasceretur. Huic quiescenti aliquando Maria Virgo clara in luce, sese visendam præbuit, eamque his verbis affata est: *Lucia, tibi filium prænuncio nasciturum, qui magnam Hispanis omnibus lucem afferet.* Hæc vbi locuta est, diuino splendore luculentiùs radians, ab illius oculis euanuit. Prædictionis veritatem euentus probauit. Natus est enim inde S. Ildefonsus, clarissimus Archiepiscopus Toletanus, cui, post illa, rem diuinam celebraturo Dei eadem parens vestem candidam obtulit, qui & vitam suam illi consecrauit, à qua acceperat. Magno numero similia possent recenseri, quæ vicinis & temporibus, & locis contigerunt; sed nota non indigent narratione. Post Deum ad neminem, in hac caussa, dignius recurritur, quàm ad Mariam, quæ cùm sit Mater DEI, merita est vtique etiam, vt sit patrona matrum aliarum.

Lucius Marin. Sic. lib. 5. de reb. Hisp.

X.

De Apostolorum auxilio, extat in marmore quodam Romæ, in templo S. Saluatoris de Lauro, præclarum sanè monumentum. Anno 1474. Ioannes Mates & Catharina Calagnira Barcinonenses, cùm annos octo egissent, sine prole, pro ea obtinenda, voto domi concepto; & in ipsa S. Seueri Ecclesia, renouato, sacrum solenne faciendum curârunt, in honorem duodecim Apostolorum, accensis totidem cereis, quorum singulis singula Apostolorum nomina scripta affigebantur. Audierunt Apostoli vota precantium. Quippe sequentibus duodecim annis, duodecim proles habuerunt. Indita sunt & filijs nomina Apostolorum. Quodque fuit mirum, singuli quoque, postquam vitæ suæ terminum attigerunt, circa festum illius Apostoli, cuius nomen gerebant, obiêre. Vltimus fuit superstes Petrus Mates, I. V. Doctor & cubicularius Apostolicus, qui & hæc, Romæ, in marmor incidi curauit, in S. Saluatore de

Lauro.

Lauro. Qua Ecclesiâ flammis absumtâ, marmor in claustrum est translatum. De Martyribus, de Confessoribus, deque alijs Sanctis, ac præsertim etiam de S. nostro Ignatio, sunt tot exempla, vt volumen conficerent. De S. Maurilio sterilem sanante, Surius testatur, vti & de Amata S. Nicolai Tolentini matre, quæ, postquam jam multo tempore vixit cum marito suo sterilis, magno prolis desiderio ardens, sicut & vir eius, imitatione Annæ veteris, in templum intrans, incensissima pietate erga S. Nicolaum Episcopum exardescens, flensque vberrimè, votum Domino eiuscemodi verbis nuncupauit: *Domine IESV Christe, qui omnia potes, respice pietatis oculis ancillam tuam, & aufer à me sterilitatis opprobrium, præstaq; mihi vt filium concipiam, seruum tuum, eumq; pariam in laudem & gloriam nominis tui. Sed quia preces meæ paruæ sunt, & exiles, in conspectu maiestatis tuæ, S. Nicolaum Antistitem tuum, suppliciter deprecor, vt eius orationibus merear à te Deo omnipotente consolationem accipere: polliceor enim, me celeberrimum eius tumulum adituram, vnà cum marito meo, seruo tuo.* Hac formulâ orauit. Nocte media Angelus & illam, & maritum iussit ad S. Nicolaum Barrensem peregrinari. Eò vbi venêre, inter precandum, ante altare illius, præ lassitudine in somnum lapsi ipsum Pontificio ornatu Nicolaum conspexerunt, qui eis filium promisit suo nomine appellandum. Hinc ergo Nicolaum Tolentinum nacti sumus. Qua vna in re & suam potentiam, & Sancti sui gloriam, & sterilium parentum fidem atque pietatem, & ad extremum sterilitatis remedium mundi Rector demonstrauit.

Sur. 13. Septembr. in vit. S. Mauril. & 10. Septem. in vit. S. Nicolai.

XI. Erunt, qui hæc vt sunt somniata, sic referri dicant. Sed non poterunt inficiari, eam piorum hominum esse, apud Deum, authoritatem, vt etiam in viuis, atque hac mortali terra, prolem legantur obtinuisse. Elisæus Propheta hospitij gratiam compensaturus ex Sunamitide, Giezi iusserat interrogare, quidnam sibi cuperet vicissim gratiæ reponi? cui Giezi, *Ne quæras*, inquit, *filium enim non habet, & vir eius senex est. Præcepit itaq; vt vocaret eam: quæ cùm vocata fuisset, & stetisset ante ostium, dixit ad eam, in tempore isto & in hac eadem hora; si vita comes fuerit, habebis in vtero filium,* Dixit ille, nec aures duntaxat saginauit.

4. Reg. 4. 14.

Vt

Vt dixit, ita etiam euenit. Nondum abbreuiata est manus Domini: etiam in nouo testamento, per suos Sanctos, similia patrauit. *Leo Magnus, qui Romanum administrabat imperium, naturam autem regere non poterat, quia proles ei deerat mascula, quid fecit? Confugit ad Deum omnium Dominum, apud ipsum Daniele vsus intercessore. Ille verò paruit, &, anno sequenti parituram esse vxorem protinus significauit. Res ergo, vt dixerat, successit, & natura cessit precibus, non solùm ad hoc, vt daret filium, sed ad hoc etiam, vt daret illo tempore, quo sancti os diuinum prædixerat. Sic ille non solùm erat filius precationis, sed etiam per preces dabat alijs, vt haberent filios. Idcirco eum remunerans Imperator tertiæ columnæ iecit fundamentum.* Ab eodem postea Daniele eminens femina Rais contendit, vt funiculum, quem ei porrexerat, pedi ex assidua statione læso circumuolueret sacraretque, rata sancto contactu funiculum fore sterilitati pellendæ salutarem. Annuit Daniel, simulque & filium eam habituram, & Zenonem nominandum prædixit. Pari pacto, cùm, apud Scotos, quondam Dauid rex, eximia fortitudine ac prudentia vir, regni gubernacula teneret, ducta in matrimonium Cæcilia regis Siciliæ filia, postquam multo tempore, nulla spe prolis, vnà vixissent, tandem precibus Guallafferi Dublinensis Antistitis filium à Deo impetrarunt, quem idem Guallafferus lustralibus aquis tinctum Rumoldum nominauit, atque etiam in disciplinam susceptum optimis moribus imbuit. Ex quibus omnibus videre licet, Deum non solùm habere iustas grauesque caussas, sed etiam pulcherrima remedia sterilitatis permittendæ, aut tollendæ.

Sur. 11. Decemb. in vita Daniel. Styl. c. 21. Baron. An. 476.

Ibid. c. 41.

Enimuerò cùm primi motoris sit, secundarum caussarum cursum non impedire, fit persæpe, vt natura aliorum aliter sit disposita, aliosque siccitas nimia, & alios nimia frigiditas, vel instrumenta gignendi reddant ad generandum inhabiles. Quæ medicorum scholis disputanda relinquo. Illud solùm addo, Deum non astringi, ad homines miraculis sanandos. Sicut ergo alios morbos, ita & hoc naturæ vitium potest suæ indoli relinquere. Neque verò merentur omnes, vt à maleficis & maleficijs defendantur; cùm sibiipsis non caueant, neque XII.

Deum orent, vt illis caueatur. Quamobrem frequentissimè, vel ex inuidia æmulorum, vel vindicta riualium, vel odio inimicorum, accidit, vt, sponsi, præsertim tempore nuptiarũ, magicis artibus ligentur. Dædalum huic rei inueniendæ fuisse Alastorem, non debet ambigi. Et, præter Doctores, ostendit quotidiana experientia, maleficijs matrimoniorum vsum impediri. Nouit enim nimis diabolus, quibus id fieri modis possit. Quorum quidem complures ab authoribus recensentur. At quid inde? An non tales, eiuscemodi permitti malum, potuerunt commereri? An non, si sunt innocentes, vel hac cruce possunt patientiæ coronam consequi? An non sunt Ecclesiæ exorcismi, aut auxilia Sanctorum? Enimuerò, an non impotentiâ ex maleficio consurgente, si illud sit perpetuum, matrimonia dirimuntur? An non leguntur etiam maleficio soluti, qui pœnitentia acta iram Dei maleficium permittentis mitigauerunt? Quod si nullum remedium humanum aut diuinum iuuat, patientia iuuat, quæ nullum Christianum sinit maleficia maleficio tollere. Semper enim malum est, mali dæmonis auxilium inuocare. *Non declinetis ad magos, neque ab hariolis aliquid sciscitemini*, ait Deus. Magni res meriti est, potiùs prole orbari velle, quàm ad illicita remedia currere. Et ipse humani generis hostis, sæpe maleficijs mortales vexat, vt ad maleficia alijs maleficijs abolenda pelliciantur. Honorat enim eum, quisquis ab illo opem flagitat.

S. Thom. 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. Delrius lib. 3. disq. p. 1. q. 4. sect. 8.

Sanch. l. 7. de matrim. d. 94. n. 8. & seqq.

Leuit. 19.

XIII. Hæ omnes caussæ tametsi non essent, an non ea Deo sufficeret, quia ipse vitæ author est, & scit, num profuturi sint coniugibus liberi, an eos in calamitatis barathrum acturi? Quàm multis liberi obsunt? Quàm multi, per summum nefas, prolem ipsi intemperantia cibi & potus; astrictione; pharmacis & superstitiosis, alijsque nefandis artibus, impediunt ne concipiatur? Tales sunt, qualis *fuit Her primogenitus Iudæ, nequam in conspectu Domini: & ab eo occisus est:* & qualis fuit Onan frater eius, qui *sciens, non sibi nasci filios, introiens ad vxorem fratris sui semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* Vbi non solùm Hebræi, sed etiam nostri authores consentiunt, tam

Gen. 38. 7.

Her, quàm Onan mollitiei & retractus peccato grauissimè, contra naturam generationis, finemque matrimonij, deliquisse; remque, vt scriptura ait, *detestabilem* fecisse; quam, quia fœtum perdit, Hebręi solent cum homicidio comparare. Quam sceleris enormitatem, quia multi coniugum, ob inopiam, liberos euitantium, non satis agnoscunt, meritò Confessarij pœnitentibus debent inculcare. Ob hoc crimen Her *occisus est*. Ob hoc flagitium Onam *percussit Dominus*. Vtique per Angelum malum, quemadmodum per Asmodæum, libidinosos Saræ maritos. Nec sanè vulgari morte sublati sunt, sed, vt Abulensis animaduertit, terribili plaga, quæ ab irato Deo venisse palam notaretur. Quod si, illo tam rudi adhuc sæculo contigit, quæ pœna manebit eos, qui crimen istud, post tam claram Euangelij lucem, & tam seueram D. Pauli dicentis: *neque molles regnum Dei possidebunt*; sententiam, toties iterant? Heu quantum, hoc scelere, & mundum inquinari, & irritari Deum, vidit, & testata est S. Christina mirabilis? quàm paucos ex hoc cœno emergere, qui diutiùs in eo hæserint, alij experti sunt? Quantum denique, in æternis flammis, tormentorum isti sibi deliciatores thesaurizant? Si hos tales nascituros videat Mundi Gubernator, an non rectè velit potiùs coniuges steriles esse, quàm talium liberorum parentes? quibus vtique melius est non nasci, quàm nasci naturæ euersores, homines mastigeos, inferni titiones.

Tob. 3. 7.

1 Cor. 6. 9.

XIV.

Denique vt, diuersis modis, punire mortales Deum posse, intelligamus, punit is alios sterilitate, alios ipsa multitudine liberorum. Hinc, vt sæpe audimus, diuites abundare opibus, sed carere gnatis; ita multos scimus, qui ipsi non habent, quod rodant, & tamen, totos numerant greges filiorum, vxore, singulis annis censum dante. Nimirum vult illos Numen, hac ipsa comedentium copia excitare ad laborem. Non rarò, etiam temerè de alijs cogitantes sic plectit, vt ipsi habeant, quod in alijs vel vituperio, vel sarcasmo dignum esse, censuerunt. Neque enim inuitæ risus ebullijt, aut incogitanti excidit calumnia illi dominæ, quæ pœna talionis punita nobilissimæ Welforum prosapiæ nomen fecit. Irmentrudis Isenbardi Comitis Altorfi vxor,

Philipp. Camerar. Cen-

tur. 2. horar. subcesiuar. c. 66. ex Reineri Reineccij historia, de prosapia VVelforum.

vxor, fœminam quandam vidit, quæ tergeminos pepererat: eam non solùm adulterij insimulare ausa fuit, quòd fieri posse negaret, vt ex vno viro tot simul liberi conciperentur, sed insuper vt culeo insueretur, & in profluente submergeretur, apud maritum, temerario ausu, accusauit. Vna opera & hanc puniuit, & illam defendit innocentium Protector Deus. Vix annus ierat, cùm & ipsa Irmentrudis vterum gessit, maritoque absente, liberos omnino duodecim enixa est, mares omnes, sed corporibus perpusillis. Quamobrem suo ore damnata, & adulterij infamiam, & pœnam talionis meruit. Verita igitur, ne maritus redux, eodem argumento similique in illam sententia vteretur, eamque in præterfluentem proijci iuberet, mandauit ancillæ, vt è recens natis vndecim clam in propinquum riuum enecandi iactarentur; vnico retento, quem ipsa educaret. Noluit innocentes perire Deus, uoluitque feminam temeritatis ream palam facere. Itaque Isenbardus aliunde domum rediens, in illam ipsam mulierculam incidit, quæ mergendos infantes baiulauit. Quæsiuit, quid in pollubro ferret? Respondit illa expedito mendacio, catulos se ferre degeneres, quos in riuo Schercij vellet suffocare. Iussit eos Comes retegi inspiciendos, &, tergiuersante muliere, cupiditate videndi magis incensus, imperiosiùs iussit, frustraque refragante illa, operculum detraxit, reperitque, pro catulis, infantes vndecim. Adhibitis igitur grauissimis minis edoctus, quid coniugi suæ accidisset, omnes seruari, & clam vxore educari iussit. Hos postea pubescentes, vnà cum filio, quem mater domi eduxerat, vocatos vxori stitit: quæ, cognita lineamentorum similitudine, & stimulante conscientia, rem totam, vti acciderat, confessa, veniamque deprecata est. In huius rei memoriam illustris Welforum familia nomen sortita est. Maluisset vtique hæc domina minùs esse fæcunda, quæ, anno priore, nimis facunda fuit, verbo per jugulum redituro.

XV. Longè adhuc euidentior Dei manus fuit in simili historia, quam non Fazellus modò & Erasmus Roterodamus, sed etiam Ludouicus Viues, Ludouicus Guicciardinus, Guido à Dominico Petri, & Ioannes Christouallensis, alijque testatissimam reddunt.

Ludou. Guicciard. in descriptione

reddunt. Anno salutis cIↄ cc. LXVI. paupercula quædam femina, à Margarita Henneburgensi Comitissa subsidium, ad vitam sustendandam petierat. Et, vt eius misericordiam ampliùs prouocaret, puerpera erat, tantoque indigentior, quia pepererat gemellos. Quàm magna est coniunctio, inter superbiam & opes? Comitissa enim, quæ opulenta erat, facilè præ se omnes despiciebat, proiectaque erat, ad alios temerè iudicandos. Itaque inopem illam, non solùm, sine stipe, inanem à se dimisit, verùm etiam, de crimine admisso, ac velut adulteram insimulauit: ac pro eo, quo erat fastu, tanquam ex tripode, pronunciauit, sibi contra naturæ vires videri, fæminam castam, ex vno viro, gemellos concipere posse. Quapropter, hoc vtique gemellorum partu proditum esse, illam coniugialis fidei oblitam, sese alijs viris præfractè turpiterque prostituisse. Duplici ictu vulnerata innocens paupercula, & ignominiosæ scilicet repulsæ & criminosæ exprobrationis, ingemuit; oculisque in cælum sublatis: *Vos Superos pudicitiæ meæ testes, teq; ipsum cordium inspectorem Deum appello,* dixit, *rogoq; , vt, quia mihi opes, ceteraq; fortunæ bona negastis, saltem innocentiam meam, fidemq; coniugij inuiolatè seruatam defendatis. Luculentè autem me defensam tunc arbitrabor, si videro ab insolenti hac Comitissa, vno partu, tot liberos in lucem editos, quot dies annum complent.* Quàm verè dictum est: *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum, deridetur enim iusti simplicitas. Lampas contemta, apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum!* Paupercula illa, pro stipe, clamauit ad sibi astantem dominam, & non est audita: clamauit vsque ad cælum, & est exaudita. Itaque, Anno Christi suprà nominato, cIↄ cc. LXVI. ætatis autem suæ XLII. ipso die Parasceues, nona hora antemeridiana, Margarita Henneburgensis Comitissa infantes viuos & integros promiscui sexus trecentos sexaginta quatuor peperit; singulos magnitudine gallinarum. Lustrati sunt sacris vndis omnes. Masculis Guido (vel vt alij volunt, Otto) Ioannis, at fæmellis Elisabethæ nomen imposuit. Fuit autem Guido, qui eos initiauit Episcopus suffraganeus Traiectensis. Fama, per ciues, ducta, & publicis inscriptionibus est celebrata. Infantes verò, haud

Be'gij. Guido à Domin. Annal. Flandric. lib. 9. Ioan. Christouall. in Itinerario Philippi Reg. Hisp. cum ad Carolum V. in Germaniam iret.

Iob. 12. 4.

haud diu postea, cum matre è vita decedentes, in eadem simul vrna, tumulati sunt, in Monialium ordinis S. Bernardi monasterio Loduno, non procul ab Haga Holandiæ vico maximo, vbi hoc Epitaphium illis est positum. *Illustris Domini Florentij Comitis Holandiæ filia, cuius mater fuit Mathildis, filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Gulielmum Alamanniæ Regem. Hæc præfata Domina Margareta, Anno salutis millesimo, ducentesimo, sexagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die parasceues, hora nona ante meridiem, peperit infantes viuos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor; qui, postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus, & magnatibus, in pelui quadam baptismi sacramentum percepissent, & masculis Ioannes, fæmellis verò nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul, cum matris anima ad Deum æternaliter victura, redierunt: corpora autem, sub hoc saxo requiescunt.* Sicut ergo sterilitas & pœna esse potest, & beneficium Dei, ita potest etiam fertilitas parentum non tantùm eiusdem esse donum, verùm diuinæ quoque vindictæ monumentum. Optimè igitur faciunt, qui in vtramque partem contenti Conditorem laudant, seu dantem liberos, seu negantem.

CAPVT XXXVIII.

Cur Matrimonia abortibus contristentur?

I. Langebant piæ mulieres Christum, cùm cruce oneratus in supplicij locum exiret; ad quas ille conuersus, jubebat eas super se ipsas flere, & super filios suos. Luc. 23. 29. Caussam adijciens dicebat: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.* Quod vel ad obsidionem Hierosolymitanam, vel ad extremi judicij tempus pertinebat, quemadmodum & Matth. 24. 19. illud: *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Sed profectò potest etiam apposité, reliquis temporibus accommodari. Sæpe enim tantis prægnantes & nutrientes malis afficiuntur, vt palam beatas vocent steriles, quæ non genuerunt. Nam etsi

conce-

conceperint, quantæ mox sequuntur cruces? abortus, vteri molestia, partus, mors prolis intempestiua, suspicio patris alieni, seductio, consortia mala, inobedientia, rebellio, alea, compotationes, scortationes, & mille dedecora filiorum: & quantò meliores sunt parentes, tantò illis ægriùs facit, si malos liberos sortiantur. Frequentissimum enim est, vt filij filiæué degenerent. Nec sanè ex malo coruo duntaxat malum nascitur ouum, sed etiam ab equo sæpe generatur mulus. Adamo suus natus est Cain; Noëmo suus ille Cham; Abrahamo Ismael; Isaaco pilosus Esau; Iacobo Ruben. Quin & Dauid filium habuit Amnon incestum, & rebellantem Absalonem. Nonnè his satius fuisset, caruisse filijs, quàm in illis genuisse fratricidas, aut patris irrisores, contemtores, persecutores? Ita, si vel maximè sterilitas à matrimonijs abesset, tamen alia complura mala pullulant inde, querelis obnoxia. Negari hæc non possunt; sed, indictâ caussâ, non damnandus est author matrimoniorum; qui si sexcenta incommoda permittit, mille habet caussas eorum permittendorum.

II. Atque vt intempestiui partus originem indagemus, sæpe eius caussa est natura deficiens; sæpe mater efficiens; sæpe Deus puniens, aut ad bonum aliquod impellens. Natura, quæ non rarò in ceteris animantibus impeditur, ne ad finem suum pertingat, cur in homine sit immunis? Inter apum morbos numerant, *cùm fauos non explent, cleron vocant. Iidem blapsigoniam, si fœtum non peragant. Est in cælo, qui vocatur lacteus circulus. Huius defluuio, velut ex vbere aliquo, sata cuncta lactescunt, duorum siderum obseruatione, aquilæ, in septentrionali parte, & in austrina caniculæ. Horum siderum diebus, si purus atq; mitis aër genitalem illum lacteumq; succũ transmisit in terras, læta adolescunt sata. Si Luna roscidum frigus aspersit, admixta amaritudo, vt in lacte, puerperium necat.* Certa obseruatio est, vno anno, plures fieri, quàm altero, abortiones. Siderum ea iniuria est, quæ dum rebus alijs prosunt, herbis & frugiferis terris minùs sunt benigna. Et prodest vniuerso, alia alijs annis meliùs prouenire. Neque eadem stellarum positura potest rebus contrarijs fauere. Debuerant in tanta rerum varietate omnia omnibus,

Plin. l. 11. c. 19.

Idem lib. 18. cap. 29.

bus, non singula singulis prodesse. Hæc est, in Mundo, discors concordia, & discordia concors; qui Mundus quemadmodum habet principia rerum producendarum, ita debet & habere earundem finiendarum. Nihil nasceretur, si nihil interiret. Desinerent existere mutationes, nisi ortus & interitus vices alternarent. Diuinæ sapientiæ consilio, soli *succedit nox*, hyemi ver & æstas. Denique *vnius corruptio, est alterius generatio*. Quæ disponere, & per secundas caussas, est supremi Gubernatoris, qui apud se *mensuratos habet annos*, menses, diem, & horam *vitæ*, in qua quisque cedere debet, & locum dare successori: siue natus, siue non natus. De terra sumus, in terram omnes debemus reuerti.

Sap. 7. 30. Psal. 38. 6. Gen. 3. 19.

Serius, aut citius metam properamus ad vnam.

III. Quod si verò quis, ob hæc, naturam accusat, cur eam non vicissim laudat, vt quæ non solùm, aduersus sterilitatem, verùm etiam ad abortum cauendum tot remedia suppeditauit? Immo cur non accusat ipsos parentes, & matres, ipsa Medea crudeliores, quæ sua culpa tot abortus & faciunt & patiuntur? Non enim tacebo de ijs, quas carnifex sui esse juris ait, quæ, vt virgines putentur, nôrunt quid edere, vel bibere debeant, vt fætum in vtero occidant, aut omnino sterilescant. *Si rixati fuerint viri*, ait vetus lex, *& percusserit quis mulierem prægnantem, & abortum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint*. Adeò etiam casus non fuit impunitus. Quid malitiæ debebitur? In ciuilibus legibus ita Paulus decernit. *Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa bonorum parte relegantur. Quod si eo mulier, aut homo perierit* (intellige fœtum jam animatum) *summo supplicio adficiuntor*. Grauiùs SS. PP. loquuntur. D. Hieronymus: *Sterilitatem*, inquit, *præbibunt hodie, & nec dum sati hominis homicidium faciunt*. Assonat D. Augustinus, cuius hæc sunt: *Nulla mulier potiones ad abortum accipiat, nec conceptos natos occidat. Quæ mortiferas potiones accipit, vt non concipiat, quantoscunque parere potuisset, tantorum homicidiorum est rea*. Pressiùs Tertullianus: *Etiam conceptum adhuc*

Exod. 21. 22. L. si quis aliquid §. Qui abortionis ff. de Pœnis. S. Hieronym. ep. 22. Tertull. aduersus gent.

huc in vtero, inquit, dum adhuc *sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nasci. Nec refert natam qui eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, qui futurus est, etiam factus jam omnis in semine.*

IV.

Neque opus est, tantos citare Patres, adeò hæc res barbara, immanis & naturæ inimica est, vt vel ipsi eam Ethnici sint extremè detestati. Neque verò juris Consulti tantùm, sed etiam medici, sed historici, sed oratores, sed poëtæ contra hanc pestem calamum & linguam strinxerunt. *Abortiuum dare*, inquit ille, *nulli vnquam fas est. Vt enim Hippocratis testatur oratio, tam duri reatus conscientia medicorum innocens officium non debet maculare.* Immo Hippocrates juramento Medicum cauere voluit, ne cuiquam *abortiuum* (Græcis *ἀμβλωθρίδιον*) daret. Ammianus Marcellinus acriter insectatur Eusebiam, ob hoc scelus, quòd scilicet Helenam sororem Constantij Iuliani Cæsaris coniugem, Romam specie affectionis ductam, venenum bibere, per fraudem illexerit, vt quotiescunque concepisset, immaturum abijceret partum. Nam & pridem in Gallijs, cùm marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo, vt obstetrix corrupta mercede, mox natum præsecto, plus quàm conuenerat, vmbilico, necaret. Tanta tamque diligens opera nauabatur, ne fortissimi viri soboles appareret. Sed Oratorem audiamus. Cicero enim, in Cluentiana, laudat judices, qui Milesiam quandam damnârint, quòd, accepta ab hæredibus secundis pecunia, sibi ipsa medicamentis partum abegisset; additis rationibus, quòd improbè fecisset, quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum Reip. ciuem sustulisset: itaque pecuniam illam acceptam, non solutionem legatorum, sed mercedem abortionis esse appellandam. Ipse Ouidius in tales exclamat:

Theodor. Priscian. ad Victoriam lib. 3.

Cic. orat. pro A. Cluentio.

Ouid. lib. 2. eleg. 14.

Quæ prima instituit teneros auellere fœtus,
Militia fuerat digna perire sua.
Si mos antiquus placuisset matribus idem,
Gens hominum vitio deperitura fuit.
Scilicet vt careat rugarum crimine venter,
Sternetur pugnæ tristis arena tuæ.

Vestra quid effoditis subiectis viscera telis,
Et nondum natis dira venena datis?

Obseruant nonnulli, diuina Nemesi, iustissimóque judicio, eas ipsas frequenter matres necari, aut graue corporis perpeti detrimentum, quæ venenum transmittunt, ad fœtum à se expellendum. Ita, juxta illud: *Qui fodit foueam, incidet in eam*, vnà hæ nouercæ veriùs, quàm matres, cum filijs, in sepulchrum inferuntur, quàm filij sui, vtique morte digniores: quibus tam diris cur venenum parceret, ingenij sui oblitum, quod innocentes è medio tollit, in medio earum jacentes? Itaque nec apio, nec hedera coronandæ sunt, quæ apio, aut hedera, in naturæ ignominiam, vti didicerunt.

Prou. 26. 27.

V. Quare mirari satis non possum, Aristotelem vsque adeò politiæ, & moris Græci studiosum fuisse, vt obliuisceretur naturæ. Nam vbi docet, felicitatem ciuitatis, in amplitudine atque multitudine hominum, non consistere, sed attendendum, ne quid desit, vel supersit, venit in eam quæstionem, quæ est de numero liberorum, non nimis augendo; ostenditque, quid sui judicij sit, de more veterum Græcorum, quibus licebat exponere necareque liberos, si eos alere noluissent. Neque enim ea illis res fraudi erat. Cuius inhumanæ consuetudinis plenæ sunt fabulæ Comicorũ & Tragicorum. Fert igitur Philosophus primò hanc sententiam: *De exponendis autem liberis & alendis, sit lex, Nihil mancum debileq́; alere.* In quæ verba Victorius sic commentatur: *Nullo pacto vult orbatum sensu, membroq́; aliquo corporis, vsibus humanis necessario, siue pluribus, ali. Quod probabat antiquitas, quia hi Reip. vtiles nullam in partem sunt (molesti autem multis modis ceteris) sed etiam quia illi ipsi nullum verum fructum vitæ gustant. Conflictantur autem necessariò multis miserijs. Nostra pietas Christiana hoc sustulit, tantumq́; concedit monstra extingui, & partus, qui magis belluæ, quàm hominis speciem referunt.* Certè Christus *debiles & claudos*, & vnum oculum habentes ad cælum admittit: & vult nos, miseratione horum, cælum promereri. Quemadmodum olim *accesserunt ad eum turba multa, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.* Quare Christo

Aristot. lib. 7. Polit. c. 16.

Matth. 18. 8.

Matth. 15. 30.

repugnat ferinus mos ille Græcorum, in hominibus inutilibus è Rep. remouendis. Nec Christo tantùm, sed etiam Christianis, qui Nosodochia, Xenodochia aliasque eiuscemodi domus in hunc finẽ ædificant, vt in illis eiuscemodi miserabiles homines alantur, hoc ipso sunt vtilissimi, vt habeant, erga quos exerceant charitatem, quam excluserunt, quorum lex fuit: *Nihil mancum debileq; alere.* Si sic omnis Resp. ageret, quò tandem isti deberent portari, si paruuli sunt, nisi vt lupis pabulum essent! aut, si adultiores in similem corporis defectum incidissent, quò eos oporteret migrare, nisi in extremas solitudines, bis miseri, & quia debiles, & quia, ipsi fame confecti, famẽ explerent belluarum, dentibus earum laniandi ac deuorandi? Iam alterum modum, paulò subtiliùs, & in speciem mitiùs, re ipsa autem impiè præscribit Aristoteles, quo caueri possit, ne in Rep. ciuium numerus turbam numerumque conuenientem excedat. *Propter multitudinem autem liberorum*, inquit, *si ordo gentium vetuerit* (multitudinem) *lex sit, nihil exponere eorum, quæ genita sunt, definitam enim esse oportet multitudinem procreandorum liberorum. Si autem aliquibus præter hæc copulatis exortum fuerit* (seu si coniugibus plures liberi, quàm legibus definitum sit, nascantur) *antequam sensus & vita existat, abortum eò importare oportet. Sanctum enim, & non sanctum definitum erit sensu ac vita*, id est, fœtus antè quam sentiat & viuat, si opprimatur, nihil peccatur, quia tum nec homo, nec animal dici potest: quando verò jam sentit, & viuit, sine crimine id fieri non potest. Ne ergo soboles nimis crescat, in illis locis, vbi lege interdictum est, ne quis pater alat plures liberos, quàm statutum sit, non probat Aristoteles expositionem necemque eorum, qui, sine corporis defectu, procreati sunt; sed satius esse putat, huic malo priùs remedium adhibere, & antè, quàm editi sint in lucem, vt in vtero matrum, perdantur; eo tamen discrimine adhibito, vt non omnis abortio, sed illa duntaxat, quæ conceptui liberorum propinqua est; & priùs, quàm sensus vitæque participes fiant, procuretur. Hæc mens fuit Ethnici Philosophi. Paulo mitiùs Plato, *Si plures generentur*, inquit, *vel isti supernumerarij diuidantur inter eos, qui liberos non habent, vt eos adoptent, vel co-*

loniæ deriuentur, vel prohibeatur procreatio. Hæc isti. Aliter Christiani. Quamuis enim teste Nonio, *aborsus ille dicendus sit, qui est in primis mensibus, cùm conceptui exordium factum est, abortus prope tempus pariendi;* atque etiam Iurisconsulti, & communis opinio rectè crimen maius censeant, si fœtus expellatur jam animatus; culpa tamen grauissima etiam est, abigere fœtum inchoatum. Quare meritò suprà citatus Tertullianus ait: *Etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam qui eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, qui futurus est, etiam fructus omnis jam in semine.*

VI. Nullam itaque defensionem habent istæ Medeæ, quæ quia ortum prolis habent, vel pudore, vel timore, exosum, faciunt abortum; nec verentur veneno occidere, cuius morte mortem merentur. Quarum sanè mulierum longè maior est numerus, quàm existimetur. Nam etsi multæ nec ferro vtantur, nec malum venenum faciant, vt vel vterum ante tempus exonerent, vel quod maturum profuderunt, interimant; plurimæ tamen sunt, quæ multis alijs modis prolem intra viscera sua occidunt. Quædam, vbi se grauidas sentiunt, ita delicatè desident, ac si nefas esset surgere de sella, aut è lecto pedem efferre; vel, si ambulant, ita ambulant, ac si Iunonis sacra ferrent. Atqui torpor iste fœtui nocet. Quemadmodum & ira atque excandescentia matris, quæ in prolem, per biliosum nutrimentum redundat. Aristotelem audiamus: *Oportet autem,* ait, *& prægnantes curam gerere corporum non desidiæ deditas, neque alimento tenui vtentes. Hoc autem facile erit legumlatori præstare, si jusserit, vt singulis diebus iter quoddam faciant, ad cultum Dearum, quæ sunt nactæ honorem, vt opem ferant generationi: mente autem contrà atque corpore, sedatiùs remißiusque degere conuenit, apparet enim, quæ gignuntur, ad se ducere non parum ab ea, quæ in vtero habet, pariter ac stirpes è tellure.* Hæc magnus Philosophus, qui duo præcipua, vel tria vitia perstringit, earum, quæ, licet liberos & hæredes optarent, tamen liberos ipsæ destruunt. Primum igitur est magnis illis Iunonibus probè inculcandum, quæ nimiùm cauendo nimiùm nocent; quia enim Varro monet, vterum fe-

Aristot. lib. 7. Polit. c. 16.

Varro l. 2. de re Rust. c. 4.

renti cauendum, *ne, dum exilire velit, prægnans abortet*, aut quia audiunt, multas, dum grandia pondera sustulerunt, dum duas, tres, quatuor horas, instar Baccharum, saltando, vires attenuârunt, intempestiuè peperisse; ipsæ in contrarium stultæ, ita lecto, vel lecticæ affiguntur, vt plerumque iaceant, vel sese moueant instar cochlearum, passusque omnes numerent. Aristoteles vult, *vt singulis diebus iter quoddam faciant*. Quis iter vocat, ascendisse per scalas? & tamen vel hoc detrectant quædam. Ita dum corpus non exercent, necessariò *excrementorum plenæ sunt, quæ res obest valde ijs, quos in vtero habent*. Et quidem rusticorum vxoribus hinc nullum est periculum, neque feminis, labore se familiamque sustentantibus. Dominæ, Cleopatræ illæ, & quæ pompis gaudent, stolatæque solent vocari, hîc sese matres factas ostentant; atque vt sciantur portare, sese portari sinunt. His ergo Philosophus, ex veteri quidem more, per legum latores, præscribi vult, vt, *singulis diebus, iter quoddam faciant, ad cultum Dearum, quæ sunt nactæ honorem, vt opem ferant generationi*. Quod sanè, quia ad falsas Deas iter instituebatur, meritò potest dici, fuisse superstitiosum, non solùm à Naustrata aliqua Terentiana, verùm multò magis ab homine Christiano. Sed Christianæ feminæ alias veras Diuas & Diuos habent, ad quas, *singulis diebus iter quoddam faciant, ad cultum eorum & earum, quæ sunt nactæ honorem, vt opem ferant generationi*. Et sanè vidi Principes feminas, quæ id factitarent; immo, quæ longa itinera susciperent, laborem nullum nullamúe fatigationem refugientes. Hoc igitur primum est.

Alterum est, vt *alimento tenui vtens*, vires non debilitet, neque corpus extenuet, aut laxet, quæ est prægnans. Magna est talibus, apud viros, licentia, qui putant eis nihil negandum, quod petunt: quasi in illis appetitus sit mensura sanitatis. Itaque fungos, boletos, tucetaque crassa, limum, lateres, testas, & quid non vorant? Scio imaginationi subinde aliquid dandum; sed ordinarius tamen cibus debet esse solidus & temperatus; ne nimis crebrò, & ferè singulis horis comedant; ne cibum super cibum inijciant, ventremque farciant, ac priore alimento nondum concocto, alterum stomacho obtrudant, ca- VII.

loremque natiuum obruant. Vnde indigestum quoque & crudum alimentum ad fœtum deriuari sit necesse. Quædam ita saginant sese, vt nescias, quid de ijs sit censendum, pinguésne vocare debeas, an prægnantes? Abdomini natas, an natos daturas? Profectò antiquum illud experientia confirmat: *Steriliora cuncta pinguia, & in maribus, & in feminis.* Quare, non opus est, ad interimendam in vtero prolem, haurire quæsitum, apud Pharmacopolas, venenum, quotidianus istis cibus in venenum vertitur; quemadmodum & potus. Citatur à Nonio Marcello Varronis locus pro Cellio, vel Fundanio, de admirandis rebus, his verbis. *Vinum quod ibi natum sit, in quodam loco, si prægnans biberit, fieri vt abortiatur.* Neque huic duntaxat vino inest hæc vis. Omne vinum, & vel maximè generosa illa ex Hispanijs, Creta, & calidioribus vineis petita, dum nimium siccant, vel matres steriles, vel prolem faciunt abortiuam, si auidiùs intemperantiusque bibantur. Noui feminam, quæ Massico delectata, quinquies abortum eiecit; postquam autem illud, consilio medicorum desijt bibere, cœpit parere. Itaque *in vino luxuria est*, & fertilitas vitiorum, non liberorum. *Væ*, igitur, *qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* Vituperabilis est ebrietas, in omni homine; quia sopit rationem, quæ hominem à pecude discriminat: sed in femina etiam detestabilis est; quippe in ea, cum ratione, etiam extinguit pudorem, & fertilitatem. Quæ non ex inuidia sexus à me dicuntur, sed vt ostendam sterilitates & abortus non trahendos esse, ad naturæ Authorem accusandum; cùm præcipua caussa sint, ipsi qui de sterilitate conqueruntur.

Plin. lib. 11. Nat. hist. c. 37.

Ephes. 5. 18.

VIII. Nam tertium est, quod Aristoteles obseruat, in prægnantibus; ex cuius præscripto, eas *mente, contrà atque corpore, sedatiùs remißiúsq; degere conuenit. Apparet enim*, ait, *quæ gignuntur ad se ducere non parum, ab ea, quæ in vtero habet, pariter ac stirpes è tellure.* Quamobrem, sicut, quæ parere feliciter volunt, corpus debent exercere, ita etiam oportet eas animum habere tranquillum vacuumque à molestijs ac sollicitudine. Obest enim magnopere fœtui, labisque non parum affert, in-

quem

quem aliquid curarum ac molestiarum matris penetrat. Itaq; ægritudines ac molestiæ longè pellendæ sunt à mulieribus vterum ferentibus, præsertim cùm iam partui propinquæ sunt; operaque potiùs danda, vt hilares sint ac iucundè viuant. Ita enim, vt è bona gleba, bonus fructus nascetur; quemadmodum prolem quoque afficit matris ægritudo. Audiant hoc tristes, & quauis caussa irascentes Megæræ; audiant mariti, qui prægnantes identidem contumelijs affligunt, & conuitijs verberant; nec raró calcibus feriunt. Quis tunc fœtum occidit? quis procurat abortionem? Deus, an parentes? Profectò ipsi parentes, qui & subitis terroribus, filum maturitatis incîdunt; & sæpe etiam multa sibi imaginando, alijsque rebus, præsertim fæminæ, intempestiuum partum, exturbant: quarum perturbatio maxima est, nolle lac præbere ijs, quos genuerunt; nolle molestias pati infantium; rugas cauere, timere dolorem partus. Ob quam rem, apud Satyricum, fæminæ diuites & delicatæ carpuntur; & hæc caussa ipsa indigitatur:

Quòd iacet aurato vix vlla puerpera lecto, Iuuenal. sat. 16.
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit.

Quod posset sanè multis etiam alijs exemplis ostendi. Nam quædam plantas nôrunt; quædam odoribus fugant, quod metuunt; quædam, ne virginum gracilitatem amisisse videantur; ita ventrem atque latera arctè constringunt, vt necesse sit, fœtum suffocari. Denique ferè tot sunt infantum occidendorum modi, quot ingenia perfidarum: quæ meritò possunt, cùm Herode comparari; immo illius immanitati etiam anteferri. Herodes enim natos occidi iussit, illæ occidunt nondum natos: Herodes pueros duntaxat interemit, illæ pueros simul & puellas interimunt: Herodes eos mactauit, *qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius;* illæ in toto orbe, hoc crimé patrant; Matth. 2, 16. Herodes infanticidia non sua, sed satellitum manu peregit; illæ sua manu, non aliorum, sed suos filios filiasque è vita exturbant. Quid ergo mortalium stultitia hîc tacet? cur non has mulieres ad hominum tribunal rapit, aut vocat ad diuinum?

Quanquam

IX. Quanquam & Deus ipse mille caussas habet, vt matres patresque puniat abortu filiorum. Viuit pater intemperantissimè; nulla illi est cura Numinis; nulla solidæ pietatis; sibi vult exactissimè seruiri; Deo nec ipse seruit, nec sinit seruire suos; è templo facit locum confabulationis; è domo Dei, speluncam latronum; denique totos dies non cogitat, nisi vanitatem; & miratur, si sibi non datur filius, aut si vxor parit antè, quàm sit pariendum? Clarum hîc apponam diuinæ maledictionis exemplum, quod, in celebri quadam Germaniæ ciuitate, accidisse, non solùm certis testibus accepi, sed ab illis ipsis audiui, quibus accidit. Par coniugum conuenerat nominatis parentibus ortum. Habitabant in abundantia opum, & delitiarum. Maritus antiqui moris, neque fallacijs septus erat. Vxor sedula & laboriosa. Citò post nuptias, venerant in spem hæredis acquirendi. Altero enim mense vterus tumescebat. Sed non durauit ea spes diu. Tertius enim mensis vix abierat medius, cùm & conceptus ex vtero fructus abijt. In luctu fuerunt parentes, sed paulo post eum luctum noua spes pepulit, vtero demum crescente. Verùm & hæc lætitia non perseuerauit nisi ad mensem quartum. Eo misera mulier secundam passa est abortionem. Postea & tertiam. Deinde & quartam, semperque tardiorem ac difficiliorem. In quinto tandem abortu, pænè interijt, mortuo grandiore puero edito, per ingentes cruciatus. Euasit tamen ex hoc quoque naufragio. Vbi tabulas collegit; & ad vires redijt, apud varios medicos, videns se diu frustra remedium quæsiuisse, animæ medicum adiuit, à quo ad me adducta. Ego, cùm quærerem, an non meminisset se, in aliqua re, DEI iram meruisse, intellexi, illam aliquando Concionatoris oratione incensam, puellari feruore, voto se se castitatis obstrinxisse: quo nondum soluta, nupsisset. Suasi, vt dispensationem peteret. Ea impetrata, postea feliciter enixa est, neque vnquam ampliùs, in partu periclitata. Quis neget, hîc Deo caussam fuisse sufficientē, vt liberos huic fæminæ negaret? eamque sineret cruciari? Non decet virgines Deo sacratas parere. Meritò igitur experta est, quid sit, fidem cælesti sponso datam violare.

Habet

Habet DEVS & alias abortus permittendi caussas. Aspecto, in transitu, aliquando homine à natiuitate cæco, Christum *interrogauerunt discipuli eius: Rabbi, Quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS: Neque hic peccauit, neque parentes eius; sed vt manifestentur opera Dei in illo.* *Alia nempe est percussio,* ait S. Gregorius, *qua peccator percutitur, vt sine retractatione puniatur; alia, qua peccator percutitur, vt corrigatur; alia qua quisquam percutitur, non vt præterita corrigat, sed ne ventura committat; alia per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur; sed dum inopinata salus percussionem sequitur, saluantis virtus cognita ardentiùs ametur.* Quantos vidimus, qui, ad exemplum Abrahæ, aliorumque, post longissimam hæredis acquirendi expectationem, filios adepti, DEO Diuisque longè ampliores gratias retulerunt? Immo quàm impensissimè rogauerunt, vt, sublato impedimento, liberos adipiscerentur. Quem in finem etiam abortiuos gigni sequens historia docet, Eutychij Constantinopolitani Episcopi virtutem illustrans. X. Ioan. 9. 2. S.Gregor. l. 1. Moral. c. 6.

Erat in vrbe Amasea quidam Androgynus legitima vxore copulatus: qui cùm filijs procreandis, operam darent, ita frustrabantur, vt infantes, antè, quàm è ventre exirent, immaturi præriperentur; ex quo parentes ipsi magno mœrore afficiebantur. Quid igitur faciunt? Vtile consilium capiunt. Confugiunt ad Deum, qui mortuos etiam potest per seruos suos; in vitam reuocare. Imitantur viduam illam Sareptanam, cuius filium Elias suscitauit: Sunamitidem imitantur, quæ cucurrit ad Eliseum, cùm filius eius in cœnaculo mortuus jaceret. Confugiunt & ipsi ad beatum virum (Eutychium) *supplicant, vt precibus suis impetret, ne infantes sibi in lucem editi statim moriantur. Quæ cùm pro illis precatus esset, ambos vnxit oleo sancto, tum eo, quod è pretiosa cruce, tum illo quod ex sanctæ puræq; Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ nostræ dominæ venerandæ imagine scaturire solet Sozopoli, dicens: In nomine Domini nostri IESV Christi. Hæc enim verba cunctis ægrotantibus, qui ad se accedebant, solitus erat adhibere, quemadmodum & S. Iacobus præcipit, sed non vt in Sacramento. Cùm igitur precandi finem fecisset, & tanquam gratia quadam afflatus taceret: mox, Nomen illi* XI. Cæs. Baron. tom. 7. Anno 564.

(inquit) Petrum imponetis, & viuet. Erat enim mulier grauida. Cùm autem ego adessem & respondissem: At si feminam, inquiens, pariet, ecquod illi nomen imponent? Minimè, inquit, sed Petrum vocabunt, & saluus erit. Quibus verbis gaudentes, tanquam puerum nondum natum in vlnis gestarent, domum reuersi sunt. Tempore jam impleto, peperit filium, quemadmodum antè viderat, & prædixerat seruus Dei. Quem cùm baptizandum curassent parentes, & nominassent Petrum: posteà vna cum ipso ad virum sanctum accedentes, complexi sunt pedes eius, & confessi sunt, quæ sibi fecisset Deus, & quòd sui misertus esset. Impositis autem puero manibus, vir sanctus benedixit ei. Sed cùm creuisset ille, qui ex præcognitione & precibus genitus fuerat, alter natus est illis. Itaque venientes rursus, ambos filios ad sanctum virum attulerunt, laudantesq; Deum rogabant, quo nomine postremus deberet appellari. Qui geminos filios intuitus, illud Salomonis venustè vsurpauit: FRATER QVI COADIVVATVR A FRATRE, QVASI CIVITAS FIRMA. *Parentibus autem illorum dixit: Ioannem hunc appellabitis: quoniam in æde sancti Ioannis preces vestras Dominus Deus audiuit. Hæc Eustathius, qui his omnibus præsens aderat.* Apparet igitur, ex hac historia, Deum, per abortus, parentes excitare, vt piorum preces implorent, atque ita & illi iuuentur, & isti illustrentur. Olei quoque sacri & reliquiarum virtus de cælo accepta hinc fit manifesta. Quin & illud ostenditur, Diuos, in quorum templis orationes funduntur, & ipsos suas orationes addere. Neque enim alia de caussa S. Episcopus parentibus his dixit: *Ioannem hunc appellabitis, quoniam in æde S. Ioannis preces vestras Dominus Deus audiuit.* Monentur denique omnes, qui à Diuis beneficia accipiunt, vt gratias reddant. Idcirco enim hunc puerum Eutychius voluit Ioannem appellari, vt quoties nominaretur, toties beneficij accepti admoneretur.

Prou. 18.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

A prole matri, in vtero & partu, cur dolor veniat? à quo purissima Dei Mater, exempta fuit.



IVlius Cæsar olim, *villam à fundamentis inchoatam, quia non tota ad animum ei responderat, diruit.* Ita multæ mulieres inchoatos partus destruunt, quia eis non placet, quòd, crescente partu, crescere molestias vteri experiantur. Has molestias, & ipsos etiam partus dolores, quæ detrectant ferre, ipsum judicem summum, indictâ caussâ, damnant. Facilè enim Deus justam habuisse caussam, ostendi potest, quando dixit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Participes communis culpæ, fas est & pœnam communem pati. Dolet sæpe pueris venter, ex pomorum aliorumque fructuum intemperato esu: cur Eua, quæ vetito pomo intemperatissimè inhiauit, inde ventris dolores non meruisset? Iure, post pomum illud, cepas edere cogitur.

I. Sueton. in Cæs.

Gen. 3. 16.

II.

Quanquam & alijs de caussis grauidæ mulieres molestiâ vexantur. Vt enim de caussis naturalibus taceam; tamen naturæ author non rarò eiuscemodi cruciatibus aliud destinat. *Deprecatus est Isaac Dominum, pro vxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ: Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitq; vt consuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo; & duo populi ex ventre tuo diuidentur, &c.* Duo igitur hi pueri, Iacob & Esau, in vtero matris, *collidebantur,* aut, vt S. Hieronymus legit, *calcitrabant,* vel, vt Symmachus vertit; *colluctabantur,* cum haud exiguo matris cruciatu, dum vterque gestijt, prior exire, vt primogenitus esset. Quæ paruulorum lucta, non vi naturæ, sed DEI nutu facta est, in præsagium concertationis, pro primogenitura, inter Esau & Iacob, futuræ. Vbi Rupertus, more suo, eleganter ait: *Vtriusque habitus ostendit, quis intus fuerit princeps duelli, videlicet Esau, collisus à Iacob, quasi fugere videtur; isq; manu tenens pedem insequentis, ac terga deuicta pulsantis schema præfert:* additque, allegoricè, hac lucta Iacob & Esau, Christianorum

Gen. 25. 21.

norum cum Iudæis luctam significari. Priores enim sunt Iudæi, sed Christiani, præ illis, benedictionem obtinuerunt. Existimant quidem nonnulli, hanc collisionem Iacob similem fuisse exultationi Ioannis Baptistæ in vtero matris, ac proinde non minùs Iacob, quàm Ioannem Baptistam in vtero fuisse sanctificatum. Atqui non Iacob tantùm, sed Esau quoque se mouit in vtero, num & ille exultauit, aut ibi est sanctificatus? nequaquam. Itaque *collidebantur in vtero paruuli* in præsagium futuræ inter eos concertationis, pro iure primogenituræ ac paternæ prædictionis; quemadmodum & aliorum illustrium virorum vita, & facinora sæpe ostentis fuerunt præsignificata: sic vt de S. Dominici matre refertur, quæ grauida, sibi visa est per somniũ, ferre in vtero catulum, qui ore facem gestaret, qua orbem terrarum incenderet. Ita nimirum doctrinâ & sanctitate homines erat inflammaturus. Quin & Alexandri Magni mater aliquid simile vidit. Et Socrates dormiens vidit oloris pullum sibi in gremio plumescere, qui continuò, exortis alis, in altum euolans suauissimos cantus edere videbatur. Plato videlicet Socratis discipulus portendebatur, qui inter Philosophos sapientiâ & facundiâ eminentissimè excelluit. Quare cùm postridiè Plato à patre Socrati sisteretur, *Hic est*, inquiebat, *Cygnus, quem vidi.* Ad eundem modum collisio duorum paruulorum, significabat diuinitus, duos filios futuros patres & capita duarum gentium, Iudæorum & Idumæorum, quæ inuicem aduersantes erant collidendæ.

S. Ambros. lib. 4. de Fide c. 4. & hist. Scholast.

Laërt. in Platone.

III. Aliam quoque caussam hinc intelligimus, ob quam Deus matribus vteri dolores sinit esse molestos. Postquam enim Rebecca sensit collisos inter se fratres, *Perrexit, vt consuleret Dominum*, in Monte Moria scilicet, per Melchisedech. Nam, vt D. Chrysostomus ait, Rebecca, per sacerdotem, Deum consuluit, & per eundem, à Deo, responsum accepit. Vnde addit: *Vide, quanta & tunc erat sacerdotum dignitas.* Docentur ergo hinc grauidæ mulieres, tunc se moneri, quando onus, & imbecillitates, & dolores vteri sentiunt, vt sæpius adeant sacerdotem, eique suæ animæ onera, & imbecillitatem, peccataque, cum dolore, exponant & confiteantur; discantque, quo pacto

S. Chrysost. hom. 50.

sese

ſeſe debeant ad inſtans periculum, præparare. Cùm enim neſciant, num viuæ atque incolumes, è puerperio, ſint emerſuræ, cur audent periculo ſe committere, ad moriendum imparatæ? Paraphraſtes Hieroſolymitanus & Hebræi, illud de Rebecca, *Perrexit, vt conſuleret Dominum*, vertunt: *abijt, vt peteret miſericordiam, in domo, vbi concionabatur Sem.* Quia Sem filius Noë etiamnum erat ſuperſtes: quippe cùm mortuus ſit, quando Iacob annum quinquageſimum agebat. Et putant Hebræi, Melchiſedec fuiſſe Sem. Huius igitur Rebeccæ exemplo, prouidè prægnantes ſæpius adeunt templum, *vt petant miſericordiam*, & felicem ſucceſſum in partione conſequantur. Quo fine & ſacrificia offerri, & Sanctos in vota vocari meritò volunt; quin & dona offerunt, aut ſuſpendunt, ad aras Diuorum. Multum efficiunt, ſi feminas ad diuinos honores trahunt vteri dolores. Non igitur dolentes mirari debent, aut, ob quamcunque moleſtiam, dicere: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Gen. 25.22.

IV. Noctuæ atque veſpertiliones, ſi auroræ lucem ferre oculis non poſſunt, quo modo ferent ſolem meridianum? Feles, quæ pluuiam fugiunt, ne madefiant, quid ſentient in amnem lapſæ? Tu quoque, mulier, quam, ob exiguos vteri dolores, pœnitet concepiſſe, quid dictura es, cùm ad partus tui perueneris cruciatus? cùm puerperij te ſordes torquebunt? cùm biduo, triduoué jacebis & eniti non poteris? cùm proli vitam ac lucem dans, ſenties tibi oculos tenebrari, & vitam incîdi? Nam & ipſa, *cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus, periclitari cœpit. Dixitq́ʒ ei obſtetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima, præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij ſui Benoni, id eſt, Filius doloris mei. Mortua eſt ergo Rachel.* Eodem genere mortis aliæ plurimæ perierunt, & quotidie ferè, hinc inde, perire audiuntur: quæ non tantùm filios ſuos, *Benoni*, ſeu filios doloris poſſunt nominare, ſed etiam dicere: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* præſertim, cùm dolores parturientium ſint maximi, tales enim ſi indicandi ſunt, aiunt diuinæ litteræ: *ibi dolores, vt parturien-* Gen. 18.17. Pſal. 47.8.

Deut. 2. 25. *tis.* Item: *in morem parturientium contremiscant, & dolore tene-*
Eccli. 48. 21. *antur.* Et: *doluerunt, quasi parturientes mulieres.*

V. Multa hîc possunt responderi. 1. Homini esse cum cæteris animantibus, in pariendo, conditionem parem. Si ergo reliqua animalia, cum dolore, enituntur, quæ nunquam peccauerunt; quid mirum est, si mulier sentit, cùm parit, cui in
Gen. 3. 16. pœnam dictum est, *In dolore paries filios?* 2. Vt post morbum, gratior est sanitas; post noctem, dies iucundior; serenitas commendatior, post tempestatem; ita, post dolorem partus, proles longè maiorem affert voluptatem. Hoc Christus indi-
Ioan. 16. 21. cauit. *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Gratiora nobis esse solent, quæ magno labore constiterunt. 3. Quin & liberi tanto magis æstimare ac venerari debent matres suas, quanto sciunt se maiore ab illis labore & cruciatu in vtero gestatos, atque in lucem editos. Hanc amoris caussam filio suo in memoriam reuocauit fortissima illa matrum, cùm ad tormenta eum
2. Machab. 7. 27. fortiter subeunda animaret. Ita enim inquiebat: *Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi.* 4. Veterum opinio fuit, felices fore proles, quę matre moriente in lucem prodijssent. Nam etsi viperarum esse dicant, matre enecta, nasci; tamen in hominibus putabant id roboris esse, & futurę signum magnitudinis, vt in filio compensetur, quod in matre amittitur. Talis prodijt Scipio Africanus; talis Iulius Cęsar, Cęsarum primus, quem alij quidem à cęsarie, alij verò à cęso matris vtero Cęsarem volunt esse nuncupatum. Ego certè magnum, hac ætate, heroëm noui, qui non natus est, nisi matre lacerata. Atque vt alia exempla omittam, hunc ipsum, de quo egimus *Benoni,* quem mater Rachël *filium* vocauit *doloris,* Iacob *pater*
Gen. 18. 18. *appellauit Beniamin, id est, filius dexteræ;* idque post mortem matris: vt non solùm ostenderet, se æquo animo illam ferre, sed etiam filios ad idem excitaret, hac spe & nomine, quòd futurus esset *Beniamin,* id est, *filius dexteræ,* quod apud Hebręos non tantùm significat charissimum, & ad dexteram suam collocan-

dum;

dum; verùm etiam *felicem* & *validum*, dextera enim symbolū est roboris & felicitatis. Hebræi enim, eum qui strenuus, acer, & fortis est, *virum dexteræ*, aut *virtutis* solent nuncupare. Quàm autem Beniamitæ validi fuerint, demonstrauit bellum, quod soli, contra omnes tribus Israël gesserunt. Iudic. 20. 16. Hinc clara est compensatio. Magna magnis constant.

VI.

5. Mihi à diuina prouidentia etiam videtur, in hac re, Dei matris excellentia Mundo demonstrata. Sicut enim illam peccatum originis non maculauit, ita neque maledictio Euæ comprehendit. Omni mulieri dictum reliquæ est, *in dolore paries filios*, soli Mariæ Deiparæ id dictum non est; vt vel meritò, sicut in pariendo excepta est à communi pœna, ita etiam in nascendo excepta videatur à culpa. Et profectò res est supra omnem naturam, sine dolore omni peperisse. Nemo autem est, qui Virginem hanc in partu permansisse crediderit, & non etiam peperisse, sine dolore, affirmârit. Hæc enim duo, sese necessitate quadam trahunt. Ita vnanimi consensu SS. PP. docuerunt, conuenienter Prophetæ de ea dicenti: Isa. 66. 7. *Antequam parturiret, peperit; & antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Septuaginta legunt: *Antequam veniat dolor parturientium, effugit, & peperit masculum.* Subscribunt duo Gregorij, Nazianzenus & Nyssenus, itemque Damascenus, Augustinus, Bernardus & alij. Quorum Patrum & authoritas, & rationes pondus habent. Aiunt enim maximè decuisse Christum, vt ortu suo, nullum prorsus, etiam temporale Matri afferret incommodum, præsertim quia facillimè poterat eiuscemodi nocumentum vitari. Damascenus & alij PP. eam potissimùm rationem afferunt, quòd dolor partus libidini & voluptati conceptionis respondeat. S. Damasceni verba sunt: *Quam voluptas non anteiuit, nec dolor quidem in partu sequutus est.* D. Thomas Philosophicam addit rationem. *dolor parientis*, inquiens, *caussatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur: Christus est egressus ex clauso vtero matris, & sic nulla violentia apertionis meatuum ibi fuit; & propter hoc, in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio. Sed fuit ibi maxima iucunditas, ex hoc, quòd homo Deus est natus in mundum, secundùm illud Isaiæ 35. Germinans*

Nazianz. de Christo Patiente in Tragœd. Nyss. orat. 1. de Resurrect. Damascen. l. 4. de fide. cap. 35. Aug. serm. 14. de Natiu. Bern. serm. 3. In Missus est. S. Thom. 3. p. q. 35. a. 6.

Germinans germinabit, ſicut lilium, & exultabit lætabunda & laudans. Duo hinc errores corriguntur. Primus eſt in lib. de ortu Saluatoris apocrypho, in quo leguntur ad Chriſti natiuitatem veniſſe obſtetrices; quibus opus non erat. Vnde poſtquam
Luc. 2. 7. diuiniſſima Mater *peperit filium ſuum primogenitum,* ipſa *pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepio,* non obſtetrices, quarum
S. Hieronym. ep. 1. t. 2. aliàs hoc ſolet eſſe officium. *Nulla ibi, obſtetrix*, ait S. Hieronymus, *nulla muliercularum ſedulitas interceßit, ipſa & mater, & obſtetrix fuit. Pannis, inquit, inuoluit infantem, & poſuit in præſepio. Quæ ſententia apocryphorum deliramenta conuincit.* Inter quæ eſt & alter ille vel error, vel ſimplex puerperij repręſentandi modus; quo, in nonnullis templis, intemerata Virgo, tanquam in lecto jacens, more ſcilicet ceterarum mulierculaum è puerperio debilitata, proponitur, ad excitandam, in prægnantibus, aut puerperis, pietatem. Quanquam enim vel grauidę, vel enixę rectiſſimè diuinam puerperam venerentur, non debent tamen, ad hanc pietatem trahi eo genere imaginũ, quo facilè poſſunt induci, vt putent Dei quoque Matrem, cum dolore peperiſſe, atque ex debilitate virium indiguiſſe, vt, per ſex hebdomades, in lecto jacens, vires recuperaret. Prudenter igitur doctiores Parochi, remota è templis ſuis hac ſimplicitate, Chriſti in prӕſepio jacentis, & Matris eius adorantis illum ſubſtituunt ſimulachrum. Nullum enim hîc eſt periculum errandi, niſi apud eos, qui errore maiore ſibi perſuaderi ſinunt, ſtatuas, à Catholicis, tanquam Deos & Deas, latrię cultu, adorari. Quod qui credunt, vel hinc deprehendant, quàm malè credant.

VII. Poſtquam pepererunt reliquę matres, ſordibus puerperij obnoxię ſunt, moleſtia vtique etiam non minima. Aio & hanc
Gen. 3. 16. moleſtiam pertinere ad illam pœnam, *In dolore paries filios,* eſſeque quandam illius partem; nihil enim obſtat, aliquid ſimul & in pœnam, & ex natura eſſe. Ita enim etiam dictum eſt de terra,
Gen. 3. 18. quę natura ſua parit ſpinas & tribulos, *ſpinas & tribulos pariet tibi,* in peccati vindictam. Si ergo naturalis parientium dolor, ex diuiſione, aut violenta compreſſione, vel relaxatione partium ortus, ordinariè impediri non debet, & ſimul eſſe

poteſt

potest in pœnam, cur non idem de his posset cogitari? Aristoteles certè & Galenus docent, quando homo concipitur, membranas quasdam in vtero matris formari, in quibus fœtus inuoluatur, atque intra illas, vsque ad tempus partionis, contineatur. Hæ membranæ varia habent nomina, vulgò *secundinæ* vocari solent, rumpunturque, tempore natiuitatis, vt proles exeat; post cuius egressum, mater secundinas eijcit, & cum illis copiam sanguinis, qui ad nutrimentum prolis illic fuerat congregatus. Arist. l. 2. de Generat. animal. cap. 4. Galen. l. de formatione fœtus.

Verùm & hîc aliquid, in Deipara, peculiare considerant docentque Theologi. Nam, etsi dubitandum non sit, Christi quoque Seruatoris corpusculum, intra eiuscemodi membranas, fuisse conceptum; siquidem aliàs non habuisset naturalem statum in vtero matris, neque naturali modo potuisset alimentum exugere, neque ab externis alterationibus defendi, ad quæ munia hæ membranæ à natura suppeditantur: nihilo tamen minùs à Patribus in Trullo congregatis traditum est, Matrem Christi, in partu suo *secundinas* non emisisse. Et addunt: *Non licere, ex communibus, & ijs, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem Virginis partum, quæ supra mentem, & sermonem Verbum peperit, definire, metiri, ac describere.* Hic canon plus quàm à ducentis viginti Patribus editus est, & in septima Synodo cum alijs approbatus. Assonat D. Cyprianus, *Maria,* inquiens, *genitrix & obstetrix, nullus dolor, nulla naturæ contumelia, in puerperio.* Et S. Augustinus ait, *Stulte, vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre?* Ex quibus intelligere est, non solùm à Deipara secundinas, in partu, non fuisse emissas, sed etiam natiuitatem illam sacratissimam, sine vllis omnino sordibus purissimè fuisse peractam: vt illi rectè accommodari possit illud: *Germinans germinabit, sicut lilium.* Quare, eodem loco, affirmat D. Cyprianus, prodijsse Christum ex Virgine, *sicut fructum ex arbore, aut sicut radium ex sole.* Et Germani nostri appositè canunt: Als die Sonn durchscheint das Glaß/vnd doch nit verſehret das. hoc est, *sicut sol per inuiolatum vitrum tralucet.* Facilè enim potuit Christus, sicut per naturales vias prodijt, sine ruptione claustri virginalis, ita etiam exiuisse per illas membranas, absq; VIII. Can. 79. Synod. 7. act. 7. can. 1. S. Cypr. serm. de Natiuit. S. Augustin. lib. de quinq; hæresib. c. 5. Isa. 35.

ruptione, penetrando. Membranæ autem illæ in aliam materiam resolutæ, vel in alium locum, diuina vi transferri potuerunt.

IX. Luc. 2. 22. Hanc ipsam ob caussam SS. PP. tradunt B. Virginem purificatione non indiguisse. Legimus sanè: *Et postquam impleti sunt dies Purgationis eius, secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino.* Impleti dies sunt quadraginta, vt ex legibus Iudaicis constat, & Ecclesiastica traditione. Exod. 13. & Leuit. 12. Et à natiuitate Christi, vsque ad illum diem, mansit B. Virgo in Bethlehem, legem Purificationis obseruans. Qua in re sanctè & conuenienter egit. Vt enim par fuit, Christum, licet impurus ac peccator esset existimandus, legem circumcisionis seruare, ad humilitatem & obedientiam seruandam, omnemque scandali occasionem vitandam, ita & Matrem eius, ob easdem S Bern. serm. 3. de Purif. caussas decuit purificari. *Esto itaque*, ait S. Bernardus, *ô Beata Virgo, inter mulieres, tanquam vna earum, nam & Filius tuus sic est in numero puerorum*: Etsi autem conueniens id fuit, tamen necessarium non fuit, quia ratio seu caussa huius legis, in DEI parente locum non habuit. Cùm enim lex illa lata sit, ob immunditiam corporalem parturientium, ex fluxu sanguinis prouenientem, iuxta illud: *Orabit pro ea sacerdos, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui;* conficitur, Matrem virginem sub ratione legis non fuisse comprehensam. Siquidem & partus eius purissimus omnisque sordis immunis fuit. *Nihil in hoc conceptu,* S. Bern. serm. 3. in Missus est. *nihil in partu impurum fuit*, in Mariæ persona, ait S. Bernardus, *nihil illicitum, nihil purgandum, Nimirum, cùm proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum, quid in me legalis purificet obseruatio! quæ purissima facta sum, ipso partu immaculato?* Cyrill. Alex. lib. 2. de fide. Et Cyrillus Alexandrinus. *Quòd si is, qui Deus secundùm naturam est, vtpote vnigenitus Dei filius, seruili forma indutus, sacræq; Virginis primogenitus appellari non dedignatus, semetipsum redemtionem pro omnibus tradidit: clarè patet, in quantam impietatem prolabantur Ariani, qui Deiparam Mariam ijs sacrificijs, quæ pro puerperis ex lege offerri mos erat, opus habuisse asserunt.* Itaque *quamuis purgationis dies ad beatam Mariam Virginem non* Euseb. Emiss. *pertineant*, inquit Eusebius Emissenus, *expectauit tamen ipsa,*

donec

donec omnes purgationis dies complerentur, quos non sibi, sed alijs mulieribus lex constituerat. Non enim de ea dictum fuerat, omne sanctum non tanget, quæ ipsum sanctum sanctorum, in gremio tenebat, in sinu fouebat, & virgineo lacte nutriebat. serm. de Purificat.

X.

Quanquam igitur purissima Mater, extra legis huius caussam fuerit, quæri tamen potest, an saltem verba legis ad eam pertineant? Solent enim leges obligare, quamuis ratio earum, in particulari cesset. Quare licet absque macula esset, atque idcirco nulla purificatione indigeret, potuisset tamen verbis legis esse comprehensa. Quod tamen meritò SS. PP. negant, quorum vna sententia est, legi illi de Purificatione, non absque singulari Spiritus S. prouidentia & mysterio, addita esse illa verba: *Mulier, si suscepto semine, pepererit masculum,* vt scilicet indicaretur, ea lege non esse comprehensam mulierē illam, quæ, absque suscepto semine, masculum esset paritura. *Bene dixit, secundùm legem Moysi,* ait Theophylactus, *nam, secundùm veritatem nulla necessitate astringebatur: dictum enim est in lege, mulier, quæ suscepto semine conceperit.* Quæ mirè faciunt, ad Mariæ Dei Matris excellentiam gloriamque intelligendam. Perhonorificum enim fuit, admirandam huius virginis conceptionem, tanto antea tempore, à Moyse, propheticè fuisse indicatam: illamque ab hac lege exemtam; quæ tamen, ne scandalo esset alijs eam exceptionem ignorantibus, eidem esset obeditura. Hæc omnia, quia in alijs feminis, & cum dolore, & cum secundinis ac sordibus partum edentibus, non reperiuntur, faciunt vtique Dei parentem his donis priuilegijsque singularem, & suspiciendam. Quotquot igitur puerperæ, in partu eiulant, quotquot indigent lauacris & purificationibus, testantur, aliam illam esse Matrem, quæ sine suscepto semine concipere, sine molestia vterum gestare, sine dolore parere, sine purificatione purissima semper Virgo potuit permanere. Ad cuius imitationem, permissum est ab Ecclesia feminis, vt, si velint, aliquamdiu possint ab ingressu templi abstinere; ac postea secum deferre prolem, vt pro ea preces ad Dominum fundantur. Quia tamen lex illa Mosaica de Purificatione, sicut & aliæ cærimoniales omnes veteris Testamenti jam sunt antiquatæ, monendæ

Orig. hom. 8. in Leuit. Rupert. l. 2. in Leuit. c. 12.

Theophyl. in Luc. 2.

Capit. vnic. de Purificat. Post part.

nendæ ſunt mulierculæ alioqui ad ſuperſtitionem pronæ, ne putent ſe, ea in re, ſeruare legem veterem, more Iudaico, ſed vt id ſolùm faciant, ob reuerentiam loci ſacri, & cauſſa religionis. Facillimum eſt hîc errare, & à medio deflectere. Dei Mater legem Moyſis potuit, non debuit ſeruare; ſeruauit tamen, vt *omnem iuſtitiam adimpleret*, ſicut Filius illius. Aliæ feminæ, non poſſunt, non debent legem ſeruare abrogatam; ſi tamen, in reuerentia templo exhibenda, Dei Matrem volunt imitari, id facere non prohibentur; quia Chriſti Matrem, in hac re, imitari, non eſt Iudaicum, ſed Chriſtianum. Vt tamen etiam animæ earum purificentur, longè res Deo gratior, iſtiſque vtilior eſt, vt prolem ſiſtant Domino, & ſe ſacerdoti, illique impatientias ſuas, atque alia delicta puerperij confiteantur. Corporum purificatio cæremonia eſt; religio purificatio animarum.

XI. Quæ cum lacte infantibus eſt inſtillanda: & vel veteres Romani imitandi, quorum ſeueritatem & diſciplinam, in educandis formandiſque liberis, Quintilianus (nec enim Tacitus illius libri author eſt) his verbis laudat, *Iam primùm*, inquit, *ſuus cuique filius ex caſta parente natus, non in cellâ emptæ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, & inſeruire liberis. Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis, ſpectatiſq; moribus, omnis cuiuſpiam familiæ ſoboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhoneſtum factu videretur. Ac non ſtudia modò curaſq;, ſed remiſſiones etiam, luſuſq; puerorum ſanctitate quadam, ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Attiam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accipiemus. Quæ diſciplina & ſeueritas eò pertinebat, vt ſincera & integra, & nullis prauitatibus detorta, vniuſcuiuſque natura toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas, & ſiue ad rem militarem, ſiue ad iuris ſcientiam, ſiue ad eloquentiæ ſtudium inclinâſſet, id ſolum ageret, id vniuerſum hauriret. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus aut alter ex omnibus ſeruis plerumq; viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri ſtatim & rudes animi erudiuntur. Nec quiſquam in tota domo*

Fab. Quintilian. in lib. ſeu dialogo de oratoribus.

domo pensi habet, quid coram infante Domino aut dicat, aut faciat, quando etiam ipsi parentes nec probitati, neq; modestiæ paruulos assuefaciunt, sed lasciuiæ & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & sui alieniq; contemptus. Iam verò propria & peculiaria huius vrbis vitia penè in vtero Matris concipi mihi videntur.

CAPVT XL.

Quantæ parentibus, sæpè in matrimonio à liberis, & quas ob causas, cruces enascantur?

EST sanè ita, vt Christus dixit, tristitia mulieris parientis leuatur, *cùm peperit puerum, & jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum:* nec minùs tam pater gaudet, quàm mater. Sed & hoc gaudium sæpè turbatur suspicione, coniectura, euentu inexpectato, morte immatura pueri parentibus erepti, aut sanè ita moribus deformati, vt eum parentes optarent, in primo balneo fuisse suffocatum: adeò sæpe est, in partu, lætitia præcoqua nimium intempestiueque gliscens. Nam etsi mater de prole certa est, dolet tamen si videt virum dubitare. Probè hæc aduertit D. Basilius, cuius hæc sunt. *Quæ mortali connubio coniuncta est, ad suam ipsius curam viri quoque altera adiecta geminam, in vna anima, ex coniuncto sibi corpore, sollicitudinem necessariò sustinet. Vbi verò filios, post cubiculi solennia & secreta commercia parturire atque in lucem edere cœperit, per vnum quemque nascentem animo scinditur, & præsentibus tristibus nasciturі cura semper adijcitur.* Et paulò pòst: *Vbi filios edidit, aut ad bonam frugem illi euaserunt, & maiores, illorum absentia, iugiter dolores tolerat, quàm parturiens tulerat* (quod in absentia filij senioris Tobiæ vxor questibus assiduis testata est) *aut malos euasisse considerat, & maiùs ex ea procuratione liberorum, quàm si permansisset sterilis, opprobrium sustinet.* Verissima hæc sunt. Apud patrem autem etiam plura. Quoties enim proles incerta est, ob cuculos? quoties saltem suspicio est, quæ cruciat, aut coniectura? Noui bellici nominis virũ, qui non metuebat hostem, sed vxorem: nam quia senior ipse nunquam fidebat coniugi iuniori,

I. Ioan. 16. 17.

S. Basil. de vera Virgin.

ſemper ora timebat aliena. Accidit, vt vxor innocens illi filium pareret, ſed vultu admodum deformem, & vtriq; parentum valde diſſimilem; quem ille nolebat agnoſcere pro ſuo, ſeque eapropter, vſque ad mortem affligebat. Quid doloris ſenſiſſet, ſi adulterij conuicta fuiſſet vxor, quem ſuſpicio, & tam leuis coniectura enecauit? Nec tamen ſemper vana eſt ſuſpicio, euentuſque ipſe ſubinde demonſtrat, quàm vana fuerit lætitia patris prægeſtientis.

II. Michael Piccartus in Epiſodio narratiido; c. 2. *Eſt in Italia Plumbinum oppidum nobile quod nonnulli Populinum appellant, tanquam ex Populoniæ ruinis ædificatum, ſitum id eſt, in littore Thuſci maris, Ilua inſulæ oppoſitum, quæ ferri venis inexhauſta magnum quotannis vectigal, Plumbini domino præbebat. Huic oppido præerat Iacobus Appianus, circa annum ſalutis 1390. ex pago Appiano, in orâ Piſana, cognomentum adeptus, ex Paulâ nobiliſſima femina Martini V. Pontificis ſorore natus, princeps, vt laudatur, pacificus, & à vicinis omnibus amatus. Hic cùm ex coniuge virilis ſexus ſobolem non ſuſciperet, cupiditate nominis generiſq; proferendi, extra matrimonium, hæredem quæſiuit; & concubinam amare cœpit, quam cùm prægnantem animaduertiſſet, mira voluptate perfuſus cùm pariendi tempus jam prope adeſſe animaduerteret, ad Florentinos, Senenſeſq;, incredibili gaudio geſtiens ſcripſit, atq; vti legatos ad ſe mitterent ac partum de ſacro fonte leuarent, futuros compatres magnis precibus inuitauit. Paritum eſt, venêre ad diem dictam legati Interim mulier inter obſtetricum manus, diu laborans tandem Æthiopem peperit. Quæ res vt riſum in populo cachinnumq; excitauit, ita ſplendidas iſtas compaternitates interrupit, ac ſpes & gaudium Appiani mirificè conturbauit, tibicen tum forte Maurus in familia eius erat, ex quo natum puerum credidêre, & is quidem mox vbi detectum flagitium intellexit, ſaluti ſuæ fuga conſuluit, partumq; mulieri, ludibrium principi reliquit.*

III. Deponebant olim matres, humi, prolem, quam pepererant; eam maritus, ſi pro ſua agnouiſſet, leuabat, vnde & liberos dicebatur *ſuſtuliſſe*. Sunt qui tantopere non curant, vnde prolem habeant, dummodo habeant hæredem. Legitimam, an illegitimam prolem ſuſcipiant, nihil morantur. Quorum itidem

Sap. 3. 16. gaudium non ſolet eſſe diuturnum. Quia *filij adulterorum in*

inconſum-

inconsummatione erunt, & ab iniquo toro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Et, si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes. Quod expertus est Dauid, quando *percussit Dominus paruulum, quem pepererat vxor Vriæ Dauid, & desperatus est. Deprecatusq́ue est Dauid Dominum pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram. Venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum, vt surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum. Accidit autem, die septima, vt moreretur infans: timueruntq́ue serui Dauid nunciare ei, quòd mortuus esset paruulus.* Tantus est parentibus è prole dolor, si, vix data, eis rursum morte auferatur. Immo, quò diutius & in maiorem spem vixit filius, eò in maiorem conijcit parentes luctum. Quod vel Poëta sciens his carminibus deplorauit. 2.Reg. 12, 15.

IV. Virgil. lib. 6. Æneid.

Atque hîc Æneas (vnà namq́ue ire videbat
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis:
Sed frons læta parum, & deiecto lumina vultu)
Quis Pater ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius? anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circà comitum? quantum instar in ipso est?
Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.
Tum pater Anchises lacrymis ingressus obortis.
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum.
Ostendent terris hunc tantum fata: neque vltrà
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens Superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos, ille virûm magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus: vel quæ Tyberine videbis
Funera: cùm tumulum præterlabere iacenem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet auos: nec Romula quondam
Vllo se tantum tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, inuictaq́ue bello
Dextera: non illi quisquam se impune tulisset

Obuius

Obuius armato: seu cùm pedes iret in hostem:
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas:
Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.
Purpureos spargam flores: animamq; nepotis
His saltem accumulem donis: & fungar inani
Munere.

V. 2. Reg. 18. 33. In sacris litteris, audierat Dauid à Chusi, occisum esse Absalom, rebellem illum, & patri suo rebellantem. *Contristatus itaque rex ascendit cœnaculum portæ & fleuit. Et sic loquebatur vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Absalom? Porrò rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi, Absalom, Absalom fili mi.* (2. Reg. 19. 4.) Tantus erat amor patris, vel in rebellem; vt victoriam ipsam non æstimaret, filio interfecto; cui vita rapta est, dum voluit rapere sceptrum paternum. Quis non videat quantos ex hoc filio hauserit luctus pater? aut in quantum dedecus transierit ambitio in arbore exaltandi Absalonis? Nimirum *Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur.* (Prou. 17. 25.) Quid magis fatuum, quàm persequi patrem tam sapientem? & rege superstite armato, regnum affectare? Verè tunc fuit *ira patris filius stultus, & dolor matris, quæ genuit eum.* Quantum doluisset Dauid, si eum Absalom nunquam contristasset, qui mori voluit, pro rebellante? Quamuis vtique maiore eum moestitia affecit rebellando, atque alia perperam multa agendo, quàm cùm moreretur. Prudens enim & pius pater, qualis Dauid erat, plus offenditur filij reatu, quàm obitu; & mauult habere nullum, quàm impium.

VI. Beza in Iconibus virorũ suorum illustrium. Hoc argumento, commendat, aut certè excusat Beza perpetuum cælibatum Iacobi Sturmij Argentinensis patricij, de quo, post multas laudes, sic ait: *Illud tamen in Sturmio fortasse quispiam meritò reprehenderit, quòd in perpetuo cælibatu viuens hæredem suarum virtutum patriæ videri posset inuidisse. Sed quid si veritus est, vetus illud, & quidem reipsa frequenter approbatum: Heroum filij noxæ?* Quo loco Beza alioqui cùm suis, eos reprehendens qui, vt maiore cum puritate Deo seruiant à coniugio abstinent

abstinent viuuntque in cælibatu, Sturmium vel excusat, vel etiam laudat, quòd voluerit coniuge & coniugio carere malorum liberorum & ignauæ posteritatis metu. Nec sanè paucos ea res absterret. Vident enim quotidie, ante oculos, quantum liberi, si sint parui, parentibus creent laborem, quantam curam, quantosque dolores, si adolescant. Maior enim proles plerumque maioris sollicitudinis fit caussa: ne ægrotet; ne morbo, vel ferro extinguatur; ne malo consortio ad flagitia & dedecora abripiatur; ne alea, ne pila, ne poculis bona parentum dilapidet; ne inconsulto matrimonio se inuoluat, ne in parentes ipsos insurgat, & vel vi, vel fraude pecunias, vestes, gemmas subducat. Et sanè non rarò etiam sanctissimi parentes filios suos domi optimè educatos, foris audiunt factos esse sceleratos, tanto maiore suo cum dolore, quanto ipsi sunt honestatis amantiores. Quanquam neque mali parentes malos filios tolerant sine cruciatu. Quò enim in iram sunt promptiorrs, eò impatientiùs ferunt, si contumeliam à gnatis suis patiantur. Et quidem si de bonis parentibus loquamur, quid Adamum putemus, in suo Cain, solatij habuisse? Si doluit, ob vnum filium interfectum, quantò grauiùs afflictus fuit, ob alterum interfectorem, quem vidit fratricidam se genuisse: vti & postea Dauid, cuius filius Amnon re turpissima cum sorore peracta, à fratre item suo temulentus est cæsus. Et idem timere debuit Isaac, & Rebecca; metuebant enim ne Iacob ab Esau occideretur. Abraham ab Ismaële, Iacob à Ruben quis nescit plus tædij, quàm gaudij recepisse? Noë verò quid non audiuit sibi à filio Cham factum esse dormienti? Neque enim huic satis fuit, aspexisse patrem suum inuerecundè, sed id etiam *nunciauit duobus fratribus suis foras*. O quoties videmus filios parentibus suis illudentes, vultu, nutu, dictis, & cachinnis bilem mouentes! Erat in quadam Imperali ciuitate masculus, *musculus* vulgò dictus, quòd ipsis pygmæis esset minor. Hic vxorem, cuius cingulum vix vertice æquabat, verberaturus in scamnum assiliebat, vt eam colaphis mulcere posset. Emerat aliquando vxor eius anseres, quos conclaui intulit. Anseres infestis rostris vexantium liberorum oculos appetebant. Sed Gen. 9. 22.

illi non tam de se, quàm de joco folliciti identidem clamitabant, *Pater mi, ascende scamnum, ne tibi quoque oculos effodiant*. Et placebat hoc matri, quòd filios haberet tam iocosos. Pater tamen facilè conijciebat, quid sibi ab adultis expectandum esset, quem vix nati & fari incipientes jam derisui haberent. Leue est hoc. inueniuntur filij & filiæ, qui in aperta conuitia, opprobria, contumelias, iniuriasque parentum excandescunt, atque in tantum eos luctum conijciunt, vt non rarò, ne tam acerba dicta factaúe diutiùs ferre cogantur, sibi ipsis violentas manus inferre meditentur. Exemplis hîc supersedeo, quorum multa satis, in libro *De gnauo & ignauo filio*, sunt à me commemorata.

VII. Ex his omnibus perspicuum fit, *bonum prolis*, in coniugio, plurima habere opposita mala, quibus amarescat: nempe 1. mordet suspicio patrem, ne alterius filium, pro suo, alat. 2. vulnerat illum probabilis coniectura. 3. cruciant illum absentia, morbi, periculaque mille liberorum. 4. enecat mors immatura, dum cogitur prolem sepelire, à qua sibi oculos claudendos sperabat. 5. lacerant denique, velut Pentheum sorores, vitia moresque inquinati liberorum. Cur igitur in bono Matrimonij statu, hæc Mundi Gubernator permittit esse? Sæ-

Iob. 21. 19. pe enim de parente aliquo dici potest. *Deus seruabit filijs illius dolorem patris: & cùm reddiderit, tunc sciet.* At *quis arguet coram eo viam eius?* Habet enim multas & æquissimas caussas. 1. Nullum vult esse, in hac vita statum vndequaque felicem, vt ad feliciorem, in altera, aspiremus. Quare, postquam dixit

1. Cor. 7. 28. Apostolus, *Si acceperis vxorem, non peccasti. Et, si nupserit virgo, non peccauit*, disertis verbis *adiecit*: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Hoc acetum affudit, ne quis merum, in coniugio, mulsum expectaret, aut matrimonium putaret excellentius quid esse, quàm cœlibatum.

VIII. 2. Multi sanè timent, alienam esse prolem, quam alunt, vt suam. Sed huius metus ipsi sunt caussa. Cur enim suspiciosè & criminosè de alijs cogitare consueuerunt? Magnus est horum numerus, quia

Omnes, quibus res minùs secundæ, magis sunt nescio quo modo Terent. Adelph.
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis,
Propter suam impotentiam, se semper credunt negligi:

Ita, dum de alijs malè judicant, se ipsos sollicitudine plectunt. Est enim omnis affectus inordinatus similis *arcui prauo*, qui tela retorquet in iaculantem. 3. Quanquam sanè non raró coniectura nitatur non futili argumento, tamen plerumque isti ipsi mariti perfidas faciunt suas vxores. Cur enim eas tantopere ornant oculis alienis? qui equum comit, emtores allicit: & phaleræ adduntur foras producendo in spectaculum, in stabulo demuntur. Cur ad omnes choreas mittunt? cur omnibus eas oportet epulis, iocis, ludis, angulis, tenebris, stationibus, sessionibus interesse? Sed dominas volunt, & dominantes.

Quæ indotata est, ea in potestate est viri. Plaut. in Aulularia.
Dotatæ mactant & malo, & damno viros.
Nulla igitur dicat; Equidem dotem ad te attuli
Maiorem multò, quàm tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquum est purpuram atq; aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedissequos:
Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.
Nunc quoquo venias, plus plaustrorum in ædibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum est præquam vbi sumtus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius;
Caupones patagiarij, indusiarij,
Flammearij, violarij, carinarij;
Aut manulearij, aut murrobathrarij;
Propolæ, linteones, calceolarij,
Sedentarij, sutores, diabathrarij.
Petunt fullones, sarcinatores petunt.
Strophiarij astant, astant semizonarij.
Iam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt.
Trecenti cum stant phylacistæ in atrijs,
Textores limbolarij, arcularij ducuntur: datur
Æs, iamq; hosce absolutos censeas,

Cùm incedunt infectores crocotarij,
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat.

Talem mulierem, qui pati potest, qui ambit, qui incitat, qui instigat, vt sese ornet, patiatur etiam admiratores & insidiatores, necesse est: vel doceat eam, domi se viro suo ornare; ac subducere oculis alienis. Minus insidiarum habet, quæ minus habet munditiarum. Dum comuntur, venduntur; vel certè foro parantur, & emtoribus prostituuntur.

IX. Tob. 10. 1. 4. Tristis est absentia liberorum? Ita *cùm moras faceret Tobias, caussa nuptiarum, solicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas, quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? Putásne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam? Cœpit autem contristari nimis ipse, & Anna vxor eius cum eo: & cœperunt ambo simul flere: eò quòd, die statuto, minimè reuerteretur filius eorum ad eos. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu, heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis, &c.* Hæc tristis absentia filiorum sæpe magnam habet vtilitatē, sæpe etiam necessitatem. Numquid enim omnes liberi possunt semper manere domi? quorum si magnus numerus est, alibi debent quærere & panem, & larem. Quia ita, dum coloniæ educuntur, satisfit præcepto illi,
Gen. 1. 28. *replete terram, & subijcite eam.* Quàm multi domi effeminarentur, si non aliò migrarent, vbi linguas, vbi artes, vbi mores addiscunt bonos? Patuit in Ioseph, quid eius absentia, licet Iacobo Patriarchæ diu mœstissima, tamen & patri & fratri-
Gen. 45. 7. bus, & vniuersis postea Israëlitis profuerit. *Præmisit me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum,* ait. Quanta è Tobiæ filij itinere absentiaque bona extiterunt? Acquisiuit filius Angelum comitem in via, doctorem in pisce, custodem in periculis, contra Asmodæum defensorem, procuratorem pecuniæ, conciliatorem sponsæ, medicum parentis, nuncium diuini fauoris. Mansisset cæcus domi parens, nisi filius fel piscis aliunde attulisset. Eguisset Anna mater, nisi ei, cum vxore, diui-

re, diuitias filius apportasset. Tantum valuit absentia filij. Quæ alijs etiam idcirco prodest, quia, filijs præsentibus, amore nimio, indulgentia, conniuentia, blanditijs, sæpe etiam excandescentia, & mille alijs modis peccauissent.

5. Quæ etiam sæpe in caussa sunt, vt filij, ante tempus, è vita eijciantur, atque, vtroque parente viuo, viui pestem oppetant, juxta illud: *Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.* Magno in luctu fuit Dauid, cùm paruulus ægrotaret. At fuit ille paruulus ex adulterio susceptus. Occidit Vriam Dauid, vt adulterium tegeret; & non occideret Deus paruulum illius, vt adulterum plecteret? Plurima exempla sunt, in quibus, vt parentum peccata puniret, filios Deus morbis afflictauit, aut morte sustulit. Absalom sanè & ipse triplici hasta confossus, dum ex arbore penderet, an non occidi meruit; qui, si penes ipsum fuisset, patrem & regno, & vita priuasset? *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram,* ait Dominus. Discolis, & parentum suorum persecutoribus non promisit longæuam vitam. Non enim digni sunt, quos terra sustineat. Mortè igitur dignus fuit Absalom Patris persecutor. Sed & Dauid Absalonem nimium dilexit, minimumque ei indulsit. Et vtique meruit talem prolem amittere, in cuius amissione beneficio affectus est. Beneficium quippe est, amittere persecutorem. Quid conqueri possunt parentes de filiorum morte, quam ipsi merentur, optant, aut procurant? Ludouicum Francorum regem Cleri bona vsurpantem S. Bernardus admonuit. Sed surdum. Neque enim ille abstinuit. Cui Bernardus: *Hæc tua, Rex, pertinacia*, inquit, *filij interitu mulctabitur.* Dictum factum. Philippus enim Ludouici filius, animi caussa, in campos exierat, & dum extra Parisiensis ciuitatis muros asturcone tollutim veheretur, inter crura lasciuientis equi sus domestica intercurrit. Equus igitur territus ac ferociter cespitans iuuenem humi deturbauit. Quo ex casu, nocte insequente, decessit. Cuius mors, sicut Ludouico mœrori fuit, ita eum etiam admonuit, vt de futuris magis, quàm de præsentibus solicitus esset; & sacra non tangeret. Tum enim in mentem illi venit D. Bernardi vaticinium. Duo

X.
Psal. 108. 12
2. Reg. 12. 15.
Exod. 20. 12.
Robert. Gaguinus lib. 6. Annal. de Francorum gestis.

itaque Ludouicus è filij morte beneficia accepit, emendatus est, & hîc punitus, ne, ob violata Ecclesiæ bona, æternas sustinere pœnas cogeretur. Seruasset filium, si, quæ Dei erant, Deo reddidisset. Venerunt aliquando ad Ammonem Ægyptium sanctitatis fama celebrem parentes duo, eique filium rabidi canis morsu periclitantem eiulantes obtulerunt, rogitantes vti eum curare dignaretur, quibus ille dixit: *Non eget mea curatione: sed vos, si vultis reddere bouem, quem rapuistis, dominis suis, ægrotus repentè sanabitur.* Quod etiam contigit. Mox enim vbi restitutus est bos, est etiam puer sanitati restitutus. Discant hinc, qui multa malis titulis coaceruant, infelix esse lucrum ex alieno. Illud enim dum acquirunt, sua & suos amittunt. Quare se ipsos accusent, non Deum iustum vindicem, si patiuntur, quod meruerunt.

Histor. tripart. lib. 1. cap. 11.

XI. 6. Quid quòd multi ipsi optant, aut procurant etiam interitum filiorum? Non afferam è fabulis Medeas, aut Prognas: in sacris litteris inueniuntur, qui *immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan. Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum.* Herodes Ascalonita tanto furore in bimos exarsit, inter quos voluit Christum interficere, vt ne suis quidem filijs pepercerit. Quam ob caussam, teste Macrobio, Augustus dixit: *Melius est, Herodis porcum esse, quàm filium.* De imprecationibus, deque alijs in filios diritatibus passim occurrunt historiæ. Et nota est illa, quam apud S. Augustinum legimus, & retulit proprio libello Paulus, ex illis fratribus vnus, qui ob iniuriam matri illatam, eius imprecatione, horribili tremore quatiebantur. Volunt vtique parentes obtinere, quod imprecantur. Quid possunt igitur conqueri, si habent, quod volunt? immo quod faciunt. Nam sunt qui naturæ & ipsi Deo leges præscribere non verentur, &, nisi prolem nullam volunt, occiderentque vel ipsi, nisi Deus obstaret, eriperetque nonnullos, velut infantem Moysen è manu Pharaonis; vt S. Virgini Perpetuæ contigit. Habebat hæc nobilem parentem, qui in regiam aulam se conferens prægnanti vxori

Psal. 105. 37.

Orosius l. 7. cap. 3.

Delrio lib. 3. disquis.

S. Aug l. 22. de ciuit. c. 18.

Abbas Carolus in stema-

suæ

suæ edixit, si puellam pareret, morte luituram. Paucis postea diebus peperit puellam. minarum itaque & mortis metu iussit infantem obstetricis manu occidi. Obstetrix obtorto collo interemtam puellam existimans, sub stramine occuluit. Interea Angelus patri eius in aula apparens mandauit, vt actutum domum rediens filiam à Deo datam susciperet, susceptamque in monasterio montis Romarici sacris aquis tingi curaret, Pompeiana in patrinam rogata, filiaque Perpetuâ nuncupata. Addidit, seuera monitione, ne vxori puerperæ quidquam mali eapropter inferret; filiam autem monasterio relinqueret educandam. Accepto mandato parens illico domum reuersus, de nato infante, quæsiuit, vbi esset? Respondit puerpera, abortum se passam; immaturum partum in cloacas abiectum esse. Institit maritus, neque antè cessauit vrgere familiam, quàm illi partus est allatus. Quem sanè crudelis obstetrix mortuum cùm afferre vellet, reperit vegetum & incolumem, digito vno os signantem. Allata est puella, & in dicto cœnobio ita piè educta, vt tandem potestate, & pietate omnibus præluceret. Sic Deus etiam suum & Virginis filium, ab Herodis immanitate, sic Moysen à tyrannide Pharaonis liberauit. Quem vt imitantur boni sollicitique parentes, ita illi Pharaoni & Herodi sunt similes, qui liberos suos, aut non nasci, aut non viuere, aut non ita viuere optant & curant, vt à fide & virtute non degenerent. Degenerare enim volunt prolem suam, quicunque non dant operam, vt honestè educetur.

te Christi. 12. die Septemb.

Matth. 2.

XII. 7. Alij quidem non optant, neque volunt habere filios degeneres, faciunt tamen, vt degenerent, & omnibus ærumnis parentes afficiant. Cur enim eos educant in omnem vanitatem, si nolunt habere vanos? cur eis omnia ipsi permittunt, si eis volunt noxia ab alijs negari? Cùm Zeno Imperator Rom. filium suum admodum adolescentem cuperet relinquere imperij successorem, non modò dignitatibus eum ornabat, verùm & corpus exercere jubebat ad staturæ incrementum. Proceres imperatorij potestatem nacti fisci affatim exhauriendi, operam dabant gnauam, vt adolescens Sybaritico luxu corrumperetur, & lenocinijs eum, ad insanos æqualium amores incitabant.

Baron. Anno 485. ex Suida.

Quare

Quare omni vitæ ratione ad voluptatem ac superbiam comparata, juuenis ab omni honestate remotus, & iam tum arrogantiam, ob expectationẽ imperij, è vultu elucentem præ se ferens, supercilium tollere, sublimis incedere, & erigere ceruices cœpit, atque erga omnes non alium se præbere, quàm aduersus seruos. Hæc patri placebant, sed displicebant Numini, cuius est, humiliare eos, qui se exaltant. Vt ergo & natiuam, & doctam in eo improbitatem deprimeret, alui profluuio, multos dies, in lecto iacentem & omnia inquinantem, immatura ætate rebus humanis exemit. Sic neque Zeno filium, neque filius imperium habuit. Quid lamentamini, ô matres, si liberi vestri vobis eripiantur, & mores eorum vos verberant? Si non vultis habere malos, bene eos educate: si vultis habere longæuos, nolite facere superbos. Cur auro infasciatis, qui nesciunt, quid sit aurum? cur purpura inuoluitis, *adhuc à matre rubentes?* cur mulso & saccharo stomachum euertitis? cur vix pedibus insistere gnaris, ostenditis, quid sit saltare? cur, inter pueros & puellas, choreas & nuptias instituitis, & ludendo docetis, quod appetant peccando? In quibusdam locis, mercatores, si telam textor afferat praui laboris & malè textam, mediam disrumpunt, ne ad alios emenda transferatur. Multos filios malè eductos Deus è medio tollit, ne terram frustra occupent. Quis in caussa est, is qui malos è medio sustulit, an is, qui, vt mali fierent, malè eos educauit? Tragicam rem narrat D. Augustinus, vel quisquis is est author, his verbis. *Accidit hodie terribilis casus præclarißimo ciui nostro Hipponensi Cyrillo. Ecce enim, vt scitis, potens erat inter nos opere & sermone, & ferè dilectus ab omnibus. Filium habebat, & eum vnicum poßidebat. Et quia vnicus erat, eum superfluè diligebat, & supra Deum. Ideò superfluo amore inebriatus filium corrigere negligebat, dans etiam potestatem faciendi omnia, quæ placita essent illi. O dolorosa libertas! ô grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! Ecce filios se dicunt diligere, quos iugulari procurant. Dicunt eos amare, quibus iam suspendia parant. Dicunt patres, filios se nutrire: sed ecce iam pater & filius ambo in foueam cadunt. Quare pater cum filio cadit in foueam, nisi quia pater cæcus est, quia malus, & quia salutem*

In serm. 33. ad fratres in Eremo.

tem suam & filiorum videtur negligere? Quando, & quo modo pater hæc neglexerit, nisi quando filio libertatem donauit, quando eum corrigere neglexit, quando virgæ pepercit, quando ei semper serenam faciem demonstrauit? Cupitis audire nunc, quo modo pater & filius ambo in foueam cadunt? Licet enim sciatis, tamen, quia est necesse, vt vos, quàm diu viuitis, timeatis, ideò quæ hodie facta sunt, iterum dicere non erubesco. Ecce enim Cyrillus vester filium habebat, vt scitis, quem corrigere negligebat, & luxuriosè viuendo consumsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem oppressit; sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores ad mortem violauit. Talisné filius vita dignus fuit? Magnis sanè, immo maximis hic incommodis & damnis affecit patrem, afflixit matrem, conturbauit matrimonium. Sed pater prima caussa fuit. Quod ipse sibi intriuit, id exêdit. Ferat pœnam, qui admisit culpam.

XIII. Mirum autem non est, à filijs, ad parentes ignauos, cruces eiuscemodi venire, cùm non pauci, ob filios negligenter educatos, & in hac vita, ad tempus; & in altera, æternùm puniantur. Testis est D. Hieronymus, Prætextatam nobilem & locupletem Romanam feminam, ab Hymetio marito suo Virginis Eustochij cognato, persuasam, vt eandem virginem, post mundi contemtum, Deo consecratam, profanis vanisque vestibus indueret, capillosque eius in turritos cincinnos superbè crisparet. Quo ornatu cogitabat innocentem animulam irretire, eique virginitatis, & vitæ religiosioris nauseam inijcere. Vtinam hanc historiam multæ matres legerent, vel audirent, quæ totæ sunt, in comendis, pingendis, & Dearum ritu vestiendis suis puellis, vt eas à castiore vita auocent ad vanitatem. Considerent, quid vnguentorum odor, coma calamistrata, & inustæ calida acu notæ, margaritarúmque ornatus mereant. Vix abijt ille dies, quo Prætextata Eustochium ita, vti dixeram, expoliuit, cùm proxima nocte, dormienti adfuit sæuùm intuens Angelus, & vehementi eam oratione, in hunc modum, compellans. *Tantæné tu audaciæ, tantæ temeritatis extitisti, vt mariti tui mandatum pluris faceres, quàm præceptum Christi? Tuné caput Virginis Christo sponsæ sacrilegis ausa es ma-*

S. Hieronymus ep. ad Lætam.

 nibus

nibus attingere? Ecce iam nunc illæ ipsæ tuæ sacrilegæ manus tibi exarescent, vt è cruciatu discas, quantum facinus perpetraris. Neque hoc sceleri tuo supplicium sufficit. Insuper, quinque abhinc mensibus transactis, in infernum mitteris. Quæ omnia, vti prædicta sunt, sic euenêre; prodiditque repentinus interitus, feram illius pœnitentiam fuisse. Non erat Prætextatæ filia Eustochium, sed instar filiæ tamen habita, quare & Prætextata instar malæ matris est punita; vt Deum timere discant parentes, qui liberos suos Dei timorem non docent.

XIV. Quanquam, si vel nihil peccent parentes, tamen iusto iudicio subinde sinit eorum liberos, vel morbis absumi, vel venenis occidi, vel casibus ac ruinis opprimi Deus, frænumque relaxat cacodæmoni, aut eius ministris veneficis, vt proles in innocentia moriatur, juxta illud: *Placens Deo factus est dilectus,*
Sap. 4. 10. *& viuens inter peccatores translatus est. raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius:* vel si non alia sit caussa, sæpe charissima proles subducitur, vt opes aliò transeant, sicut Latino regi contigit:

Virgil. lib. 7. Æneid.

> *Filius huic fato diuûm prolesq; virilis*
> *Nulla fuit, primaq; oriens erepta iuuenta est.*

Gen. 22. 2. Sæpe tollitur in parentum probationem. Sicut enim Abrahamum ipse probauit, quando eum iussit filium suum immolare; ita & in virtutis ac patientiæ demonstrationem, permisit, vt ad
Iob, 1. 18. Iobum intraret, qui diceret: *Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi.* Quid fecit, hoc nuncio accepto, Iob? an matrimonium, aut ipsum Deum accusauit? nequaquam. Sed *tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua,* non indignatione, sed doloris ostensione, & *tonso capite corruens in terram adorauit, & dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his, non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Sic oportet facere parentes, qui filios amiserunt: non sicut

quædam

quædam notissimi nominis femina, quæ amisso filio, per triduum, non potuit vlla vel ratione, vel oratione persuaderi, aut cohiberi à Dei Mundum gubernantis judicijs identidem reprehendendis & accusandis, vt verè tunc expediret *magis vrsæ occurrere, raptis fœtibus*; quarto postea die, vel doloris impatientia, vel Dei vindicta & ipsa è vita decessit. Nec mihi dicat quispiam, mulierem fuisse; fuit & illa mulier, cuius *filius vnicus* defunctus ex Naim efferebatur, quæ etsi flebat, non tamen lamentabatur, non crines lacerabat, non vomebat in superos conuitia, non Deum, non naturam in ius vocabat: solo fletu mouebat Dominum, vt eam miraculo consolaretur. Pudeat Christianum impatientem, si audiat Ethnicum, filij morte significata, dixisse: *Sciebam me mortalem genuisse.* Denique quisquis vel malè moratos, vel non diu sospites & superstites in quibusdam matrimonijs, liberos esse videt, consideret etiam multos reperiri, qui parentes colant, venerentur, sustentent, honorent, & consolatione maxima afficiant. Cuius rei, vel in solo Iosepho Patriarcha luculentum est exemplum. Et verè scripsit S. Hieronymus, *sicut boni filij adulterorum nulla est defensio: sic mali filij coniugatorum nullum crimen est matrimonij; quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis caussa vitiorum est atque virtutum.*

Prou. 17. 12.
Luc. 7. 12.
Gen. 45. & seqq.
S. Hieronym. ep. Ruffin.

CAPVT XLI.

Quid sit, & quanti faciendum tertium matrimonij bonum, seu insolubilitas?


N fabulis est, famam aliquando longè latéque, per orbem terrarum deportatam, constantique omnium sermone celebratam esse, de Sole vxorem ducturo. Ibi clarissimæ futuræ nuptiæ sperabantur. Exultabant aues luce augenda. Gratulabantur sibi Cimerij de extendendo die. Sed præcipuè lætabantur ranæ serenitatem frequentiorem habituræ, jamque tripudiantes & Hymenæum canentes summis aquis innatabant. Quibus choros in orbem agentibus, rana senior, & vna de numero, ac genere illarum, quas, in Lycia, vagans I.

Ouid. lib. 6. Metam.

vagans Latona de rusticis ranas esse iussit, ipsaque ætate prudentior superuenit. Quæ postquam tripudiandi caussam intellexit, plangere potiùs, quàm plaudere ranas ceteras jussit. *Si enim*, inquiebat, *hic vnus sol radijs suis & calore lacunas paludesq́; nostras ebibit, quid futurum est, si filios plures sit procreaturus?* Hominum quoque multi nuptijs & prole gaudent, quam optant numerosam, sed non vident, opes suas ab vna consumi, & se vnà cum liberis, si plures acquirerent, aut non alij super alios morerentur, ad summam inopiam adigendos. Itaque illis sat in matrimonio boni esse debet fidus coniunx, exemplo illius,

1. Reg. 1. 8. qui dixit: *Numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* Filij possunt, cum prodigo illo deserere parentes, si vel maximè viuant; coniunx coniugem deserere non potest. Quamobrem rectè D. Augustinus, in lib. de bono coniugij ait: *Coniugium mihi bonum videtur, non propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem.* Atque hoc est tertium matrimonij *bonum*, quod S. Augustinus *sacramentum*, alij appellant *insolubilitatem*: quæ in eo consistit, vt, post initum semel coniugium, alter ab altero nunquam separetur. Nec est, inter humanas necessitudines, arctius aut inuiolabilius vllum vinculum, quàm vinculum matrimonij. Hinc ex Adami costa Deus fecit Euam, vt significaret virum & vxorem non tam duos esse, quàm vnum; immo indiuisibiles esse atque inseparabiles. *Et erunt duo in carne vna.* Sicut ergo vna caro non potest diuidi, & vna manere, ita non potest coniunx à coniuge separari; cùm sit *vna caro* cum coniuge. Siquidem vnitati diuisio, hoc est, diuortium, & polygamia repugnat. Quoniam igitur coniugij pactum bonum est, bonum vtique erit, id pactum non posse rescindi.

II.

1. Cor. 7. 10. Diuina hoc lege cautum est. *Iis, qui matrimonio iuncti sunt*, ait Apostolus, *præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat*, ne quoad habitationem quidem. Sine graui & iusta caussa scilicet; siquidem ob fornicationem, & alias iustas caussas, licet dimittere, quod attinet ad tori quidem consortium. Diuortium enim etiam iustum & licitum,

licitum, non soluit vinculum matrimonij. Quare, etsi coniunx sit adultera, aut vir adulter, tamen neque viro innocenti, neque innocenti vxori fas est aliud matrimonium inire. Quod clarè affirmat S. Paulus, dum ait: *Quòd si discesserit* vxor: præcipere Dominum, *manere innuptam.* Solo enim toro & cohabitatione, non autem etiam vinculo separantur. Haud igitur licet alium, vel aliam ducere, vt non solùm SS. Patres & Concilia, sed ipse etiam Apostolus paulò infrà disertiùs docet, dum ait: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: quòd si dormierit vir eius, liberata est; cui vult nubat, tantùm in Domino;* hoc est, secundùm legem Dei; prolis, non libidinis caussa; & cum timore DEI; in Domini Ecclesia, non Pagano, aut hæretico; id ob periculum peruersionis, Ecclesiâ vetante. Cùm autem dicat Paulus, *præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere;* si quis vult scire, vbi Dominus præcipiat, apud Matthæum inueniet Christum dicentem: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et paulò post: *Qui dimiserit vxorem suam, excepta caussa fornicationis, & duxerit aliam, mœchatur.* Vbi sensus non est, eum, qui ob fornicationem licitè dimisit vxorem, aliam ducendo non mœchari. Sicut enim ex illo: *scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi*, non licet inferre: Qui igitur nescit bonũ, non peccat, cùm etiã sint peccata per ignorantiam, vt ait S. Augustinus: ita malè ratiocinatur, qui ex eo, quia non licet vxorem bonam dimittere, & aliam ducere, colligit, fas esse, aliam ducere, quia malam & adulteram fas est dimittere. Grande igitur est & firmum hoc vinculum, quia vsque ad mortem durat.

S. Hieronym. apud Amand. S. Aug. lib. 2. de adult. coniug. cap. 4. Conc. Mileuit. c. 17. Elibertin. cap 9. Trid. sess. 24. Can. 7. 1 Cor. 7. 39. Matth. 19. 6. Iac. 4. 17. S. Aug. lib. 1. de adulterin. coniugijs, c. 8.

III. Cuius vim egregiè expressit D. Augustinus his verbis. *Cauere debet charitas coniugalis, ne dum sibi quærit, vnde ampliùs honoretur, coniugi faciat, vnde damnetur. Qui enim dimittit vxorem suam, excepta caussa fornicationis, facit eam mœchari. Vsque adeò fœdus illud initum nuptiale, cuiusdam sacramenti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem, viuente viro, à quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit: Et ille huius mali caussa est, qui reliquit. Miror autem si, quemadmodum licet dimittere adulteram vxorem: ita liceat à dimissa alteram ducere. Facit enim hac de re*

S. Augustin. lib. de bono coniug. c. 9.

1. Cor. 7. 11. *sancta scriptura difficilem nodum, dicente Apostolo, ex præcepto Do-*
Matth. 19. 9. *mini, virum à muliere non discedere debere: quòd si discesserit mane-re innuptam, aut viro suo reconciliari: dum recedere vtique & ma-nere innupta, nisi ab adultero viro non debeat, ne recedendo ab eo, qui adulter non est, faciat eum mœchari: reconciliari autem viro, vel tolerando, si se ipsa continere non potest, vel correcto forsitã rectè potest. Quomodo autem viro poßit esse licentia ducendæ alterius, si adulte-ram reliquerit, cùm mulieri non sit potestas nubendi alteri, si adulte-rum reliquerit, non video. Quæ si ita sunt, tantum valet illud socia-le vinculum coniugum, vt cùm causâ procreandi colligitur, nec ipsa causâ procreandi soluatur. Posset enim homo sterilem dimittere vxo-rem, & ducere de qua filios habeat, & tamen non licet, & nostris qui-dem iam temporibus, ac more Romano nec superducere, vt amplius habeat, quàm vnam viuam: & vtique relicta adultera, vel relicto adultero possent plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret.* Et libro primo de nuptijs & concupiscent. *Vsque adeò inter viuentes manent semel inita fœdera nuptiarum, vt potiùs inter se sint coniuges etiam separati, quàm cum his, quibus ad-hæserunt.* Et paulò post: *Manet inter viuentes quoddam vincu-lum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio poßit au-ferre: sicut apostata anima velut de coniugio recedens Christi, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod in lauacro regene-rationis accepit: redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui receßit, ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij.*

IV. Illud hîc obseruandum est, *sacramenti* nomen duobus ac-
Vide Vasq. d. 2. n. 53. Con. d. 24. dub. 1. cipi modis. 1. Pro signo sacro spiritualis matrimonij Christi cum Ecclesia, per naturæ humanæ assumtionem, perque vnio-nem amicitiæ & gratiæ hominum iustorum. 2. Non solùm pro eiuscemodi signo, sed etiam pro signo efficaci & practico, quale vt esset, primùm institutum est à Christo. Quanquam igitur, juxta c. *Gaudens. de diuortijs*, etiam infidelium & primo-rum parentum matrimonium illam Christi cum Ecclesia con-
Eph. 5. 32. iunctionem significârit, & eapropter ab Apostolo *magnum sa-cramentum* fuerit appellatum; non tamen gratiam conferebat ex opere operato, vt nostrum: etsi ex ipsa natura sua, etiam

inter Ethnicos (licet id non ita curantes) secum traheret tertium hoc matrimonij *bonum*, quod D. Augustinus, nimirum priore modo, vocat *sacramentum*, &, vt ipse exponit, in eo consistit, *vt coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, ne caussâ quidem prolis, alteri coniungatur*. Huius enim tam indissolubilis nodi caussa est ipsum jus naturæ, accedente Dei ordinatione, commutandi corporis potestatem non aliter dantis, quàm in perpetuum; juxta illa: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*: item *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: Et: *Qui dimiserit vxorem, mœchatur*. Hoc *bonum* æstimant, qui vxores habent bonas, & ipsi sunt boni: malum autem videtur ijs, qui mali ipsi in malas, immo & in bonas vxores inciderunt; mallent enim ab eis posse liberari; &, si fas esset, haud secus cum ijs agerent, quàm cum equis; qui, si vitium alunt, si sunt calcitrones, si rodunt præsepe, si arbore quauis obuia territi resiliunt, si noctem ferunt in oculis, si scabie infecti contagium seminant, si sunt succussores, aut si ob aliam caussam non placent, venduntur, vel permutantur, neque rarò etiam traduntur canicidæ ad cultrum, vt vel de corio lucrum paretur, si aliter non prosint. Ad hunc modum, si perinde vxores malas, aut malos maritos liceret vendere, ô quàm, singulis nundinis, plenum esset forum eiuscemodi mercibus? quæ vtique vænales non prostituerentur, si isti tales *bonum* quoddam esse judicarent, coniugij inseparabilitatem, & vinculum, quod Apostolus ipse nominat *corporis seruitutem*; quæ cùm sit mutua coniugum obligatio, qua corpus vnius alteri, vsq; ad mortem, obstrictum manet; reddit vtique mali consortis tantò peiorem cohabitationem, quantò eam facit arctiorem & diuturniorem. Hac seruitute & malorum necessitate, non pauci sunt, qui putent coniugia contaminari, & contumeliam potiùs, quàm *boni* alicuius famam noménque mereri.

S. Aug. lib. 9. super Gen. c. 7. & l. de Nuptijs & concup. c. 11. & 17.
Con. d. 26. num. 17. & 26. ex cap. fin. de condit. appositis, & Trid. sess. 24.
Gen. 2.
Matth. 19.
Luc. 16.
1. Cor. 7.

V. Secundo modo apud multos, qui se vxoribus aut maritis etiam optimis existimant esse felicitatos, coniugium non est *sacramentum*. Quod fit, quotiescunque coniugum vel vterque, vel alteruter non est *sacramenti*, (vt est signum efficax & practicum gratiæ, à Christo institutum) capax; nimirum quia caret

Bec. cap. 44. q. 4. num. 8.
Laym. p. 2. c. 1. num. 1.
Henriq. l. 11. cap. 3.

Baptismo

Baptismo (qui est janua sacramentorum) neque consensus ad sacramentum requisitus ibi esse solet. Quo pacto enim in sacramentum consentit, si vel alteruter, vel vterque sit Iudæus, si Turca, si Ethnicus, quorum apud Indos vtrosque innumerabilis est multitudo? Quare licet Hispanus Catholicus sponsus Ethnicam ducat Peruanam, aut ex insulis Philippinis, haud tamen erit illud matrimonium censendum tale *sacramentum*, sponsa præcisè contractum, sponso etiam *sacramentum*, quale Christus instituit, destinante. Quin etsi duo Indi, aut alij infideles qui inter se matrimonium contraxerunt, eo jam contracto, postea Christo addicti baptismo tingantur, tamen non illico coniugium illud fit, hoc sensu, *sacramentum*. Etsi enim signum sit coniunctionis Christi cum Ecclesia; non est tamen illud signum efficax gratiæ prout à Christo est institutum, cuius reuerentia Christiani, adhuc meritò se magis ligatos arbitrantur. Atque hinc habent vtique Christiani, quod sibi gratulentur, quia Iudæorum, aliorumque infidelium matrimonia, etsi naturâ sua, insolubilia sint, Christianorum tamen simul etiam sunt efficacia, efficereque possunt, vt insolubilitas hæc grata sit atque iucunda. Habent item caussam cauendi, ne se in Iudæorum, aut Ethnicorum coniugia præcipitent. Habent item infideles caussam, vt ad Ecclesiam Christi transeant. Nam baptizati denuo contrahere possunt, vt è coniugio fiat practicum gratiæ signum *sacramentumue*.

Con. d. 24. num. 25 Vaz. de matrim. d. 2. cap. 10. n. 116. & 126.

Sanch. l. 2. d. 9. n. 5.

VI. Qui in margine nauis, inter fluctus, vehuntur, optant, gaudentque esse ligati, ne excutiantur. Tale vinculum est matrimoniorum: ligat in securitatem, astringit in amorem: facit, vt, quod tanquam bonum semel electum est, semper habeatur. At multis hoc malum videtur, & cuperent à malo liberari: Quid si cuperent contra suam vtilitatem? Quid si supremi Gubernatoris beneficam manum à se auerterent? Nam vel boni sunt coniuges, & inuicem amantes, & eapropter bonum est illis, status perpetuitas, quia amantes nihil magis timent, quàm separari; quod testantur lachrymæ atque luctus, quos in coniugum funeribus ostendunt: vel mali sunt, & hoc ipso merentur coniuncti manere, vt malum simul sit, atque mala vxor

malum

malum maritum, maritúsque malus malam vxorem plectat, coërceátque. Quòd si verò vnus coniugum bonus, alter malus existat, neque hîc deest prouidentia iustitiáque Dei. Nam mala pars bonam exercet, & velut Xantippe, Socrati præbet occasionem philosophandi: bona autem pars malam exemplo potest emendare & verbo. Quid si & bonus alioqui coniux malam aliquando meruit vxorem adipisci? Cur enim sese in nuptias tam improuidè immersit? cur formam, & non virtutem aspexit? cur carnem, & non rationem consuluit? cur compotoribus, & non potiùs parentibus credidit? cur vnâ chorea, vno munusculo, vno blandiore se oculo capi permisit? Igitur, si cetera est bonus, cetera felix, coniugio luat temeritatem, & exemplo suo doceat alios esse, in sectandis feminis, cautiores. Multi, qui vel sibi ipsis suspecti sunt, vel quibus suspecti sunt alij, quasi eos essent ad statum religiosum pertracturi, quàm timidè tales adeunt? quàm attentè verba eorum omnia expendunt? quàm artificiosè illos declinant? ne in retia incidant, aut vt veriùs dicam, ne Mundo nuntium remittere, & Deo seruire persuadeantur? Cur non pari cautela vtuntur, quando in gynæcéum intrant, & cum puellis confabulantur, aut inter conuiuia lasciuiunt? Cur ibi nulla metuunt retia? cur ibi viscum non timent? cur ibi tam securè omnia promittunt? cur per iocos seria agunt, & verbis mellitissimis, dum insidias struunt, insidias incurrunt? an non legerunt? *Homo, qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus.* Habeant ergo, quod quæsiuerunt. Trahere eos volebat Deus *in funiculis Adam, in vinculis charitatis*; illi autem alia vincula ambierunt. Maneant igitur ligati, neque Dei accusent inclementiam, sed suam dementiam agnoscant; qua vocanti Christo, & diuinæ voluntati restiterunt; ob hoc vtique pœna digni; qua vt eos plecteret, justissimo judicio, eorum voluntati satisfecit. Habent vxorem, quam habere voluerunt; etsi non qualem voluerunt. Sibi imputent errorem, quem corrigere meliùs non possunt, quàm si libenter sint cum ea, cum qua semper esse debent. Sic eis insolubilitas sua bona videbitur.

Prou. 29. 5.

Osee. 4. 11.

VII. Nam esse hoc vinculum aliquod matrimonij *bonum* etiam Ethnici ipsi agnouerunt. Apud quos Plutarchus ait: *Vt vincula ex commissura vires accipiunt; sic ex consensu viri & mulieris, familiæ status.* Horatius ita canit:

Horat. lib. 1. carm. 13.

Felices ter & ampliùs,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsos querimonijs
Supremâ citiùs soluet amor die.

Veteres Germani vxores, tanquam laborum, periculorumq; socias duxerunt. *Femina autem vicißim,* ait Tacitus, *vnum accipit maritum, quo modo vnum corpus, vnamq; vitam, ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament.* Ita igitur, ex antiqua formula, vir cum vxore, & vxor cum viro manet, *quoad viuet, & quoad morietur;* sicut anima manet cum corpore. Quamobrem etiam Pythagoras dixit: *in amico coniugio, esse vnam animam in duobus corporibus.* Quare sicut corpus nihil potest absque animo, nec animus rectè valet, nisi corpore incolumi, ita inter vxorem & maritum necesse est, vt sit constans coniunctio. Sic scilicet vir *adhærebit vxori suæ;* & vxor viro. Hoc vinculo tracta Hypsicratea Mithridatis regis Ponti vxor deuictum fugientemque maritum, per aduersa omnia, est secuta. Hoc vinculo illigata fuit Thesea Dionysij soror Polyxeno nupta, quæ, postquam maritus, metu Tyranni profugisset, & rex sororem accusaret, quòd conscia fugæ mariti, non indicasset: *Adeóne,* inquiebat, *Dionysi me vilem, abiectiq; animi feminam iudicas, vt, si sensissem illum moliri fugam, non me illi nauigationis & omnium fortunarum comitem additura fuerim? Sulpicia autem cùm à matre Iulia diligentißimè custodiretur, ne Lentulum Cruscellionem virum suum proscriptum à triumuiris in Siciliam sequeretur; nihilominus famulari veste sumta, cum duabus ancillis, totidemq; seruis ad eum clandestina fuga peruenit. Nec recusauit seipsam proscribere, vt ei fides sua in coniuge proscripto, constaret. Q. Lucretium proscriptum à triumuiris vxor Thuria inter cameram & tectum cubiculi abditum, vna conscia ancilla, ab imminente exitio, non sine magno periculo suo, tutum præstitit, singulariq; fide id egit, vt, cùm ceteri proscripti in alienis*

Tacit. de morib. Germanor.

A. Gellius lib. 7. c. 21.

Gen. 2. 24.

Val. Maxim. lib. 6. c. 7.

alienis & hostilibus regionibus, per summos corporis & animi cruciatus, vix euaderent; ille, in cubiculo, & in coniugis sinu, salutem retineret. Memorabile est exemplum feminarum Lacænarum, quæ captiuos viros, mutatis vestibus liberauerunt, ipsæq; , in captiuorũ locum se substituerunt. Idem traditur de vxoribus Minyarũ, cùm enim mariti earum, propter affectatũ regnũ Spartæ, publicæ custodiæ inclusi capitali seruarentur supplicio, quod vetere instituto Lacedæmoniorum, nocturno tempore, passuri erant, eæ ex illustri sanguine natæ, velut perituros viros extremùm allocuturæ, impetrato à custodibus aditu, carcerem intrârunt, commutataque veste, per simulationem doloris, velatis capitibus eos abire passæ sunt. Dignæ profectò, quibus Minyæ nuberent. Atque hæ quidem periculo vitæ sese exposuerunt, matrimonij amore, ac ne eas mors diuideret.

VIII. Propert. l. 2. el. 7.

Aliæ ita se arctè obstrictas esse maritis putauerunt, vt etiam in morte nollent ab illis separari, illud vsurpantes: *diducere amantes Non queat inuitos Iuppiter ipse duos.* Extat memorabilis epistola Plinij ad nepotem, de Arria Cecinnæ Pæti vxore, quæ, postquam damnatum virum suum præsensit, intellexitque ei delectum necis datum; adijt illum, per speciem consolaturæ. Sed vbi eum, ad fortiter moriendum, est adhortata, verbisque amantissimis ei valedixt, in conspectu illius, gladio, quem sub veste abditum attulerat, pectus suum confodit, eundemque è vulnere extractum, suoque sanguine tepentem marito porrigens, vltimam hanc vocem moriens edidit:

Plin l. 3. ep. ad Nepot.

Siqua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Dido Pygmalionis soror, quæ Carthaginem condidit, cùm ab Hyarba rege Libyæ, in coniugium peteretur, extructâ Sichæi quondam mariti honoribus pyrâ, sua se sponte in ignem iniecit, arsura potiùs, quàm nuptura, nam, vt Tertullianus ait: *profuga in alieno solo, vbi nuptias regis vltro optasse debuerat, ne tamen secundas experiretur, maluit è contrario vri, quàm nubere.* Rursus, capta & incensa Carthagine, cùm se Hasdrubalis vxor cerneret à Romanis capiendam, apprehensis vtrimque duobus filiolis, in subiectum domus suæ deuolauit incendium. Nicerati

Tertull. in Exhort. ad castitatem. Et S. Hieronym. l. 1. aduers. Iouinianum.

quoque coniunx iniuriæ marito illatæ impatiens, mortem sibi ipsa conciuit, ne triginta tyrannorum, quos Lysander victis Athenis imposuerat, libidinem sustineret. Quæ ego non laudo tanquam benè rectéque facta, quippe quia nulli se fas est interficere, sed quanta, inter veros coniuges, sit coniunctio, ostendo. Nimirum *fortis, vt mors, dilectio*; &, vt medici astruunt, in sinistra parte existentes plagas ad dexteram sensum referre, sic vxorem viri, & virum vxoris sentire doloris conuenit irritamenta. Pertinet ad hanc classem Portia Bruti vxor, Catonis filia, quæ posteaquam sensit, conspiratum de Cæsare interficiendo, ea nocte, quæ præcessit diem, in quo Cæsar occisus est, egresso cubiculum Bruto cultellum tonsorium velut vnguium resecandorum gratia poposcit, eoque quasi forte de manibus elapso, se ipsam grauiter vulnerauit. Mox Brutus clamore ancillarum in cubiculum reuocatus, obiurgare eam cœpit, quòd tonsoris præripuisset officium. Hîc illa clam marito: *Non hoc*, inquit, *temerè feci: nam experiri volui, si quod constitutum est, parum cesserit ex sententia, quàm æquo animo me ferro sim peremptura.*

Cant. 8. 6.
Cæl Rhodig. lib. 28. c. 21.
Plutarch in Bruto.

IX. Eadem Portia, cùm diutiùs lugeret maritum, rogata, quem esset habitura diem luctus vltimum? respondit: *Quem & vitæ*: Sic illa Ethnica, magno sanè cum dedecore plurimarum Christianarum, quæ, viro nondum elato, jam nupserunt. *Habent locum maledicti crebræ nuptiæ: quæ multis nubit, multis non placet*: ait Seneca. Quare eadem Portia, dum laudaretur apud eam mulier quædam vt bene morata, quæ tamen iterarat matrimonium, *Felix*, aiebat, *ac pudica matrona non nubit nisi semel.* Quæ sententia S. Paulo repugnat dicenti: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. Quòd si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Multæ nihilominus, primi coniugis amore, à secundis nuptijs abstinent; ne amor tepescat. Et laudabiliter. Nimis extendunt amorem coniugis, quæ cum eo non solùm mori volunt, verùm etiam sepeliri. Qualis fuit, quæ sibi Romæ hoc monumentum ipsa fecit. *P. Cornelia Annia, ne in desolata orbitate superuiuerem misera, viuam me vltro in hanc arcam, cum viro defuncto, incomparabili*

1. Cor. 7. 39.

amore

amore dilecto damnatam dedo, &c. Vale vita. Nec vnum est exemplum. Hota vxor Rahi cuiusdam Mauri ducis in regno Fessæ fortissimi capta, cùm à marito insigni audacia & fortitudine cæsis Lusitanis in libertatem vindicata esset, paulò post, viro inter præliandũ interfecto, funus illius, cum multis lachrymis & eiulatu procurauit, atq; corpus illius in sepulchrum magnis sumtibus extructum intulit. Humato viro, totis nouem diebus à cibo & potu omni sese abstinuit. Ita inedia cruciabili consumta tandem & ipsa è vita discedens suis mandatum dedit, vti se cum viro sepelirent, *Indignum namq; statuit, à viro, quem vnicè amârat, & à quo ardenter amata fuerat, aut morte, aut sepultura diuelli.* Paulò laudabilius se ab alijs occidi passa est altera illa Smyrnea femina, quam Sabellicus refert, Smyrna, in bello, contra Turcos, à Venetis capta, florenti ætate ad naues captiuam abductam, ante mariti sepulchrum, in quod fortè inciderat, procubuisse, flebilique lamentatione illud complexam, dulcissimum mariti nomen sæpius vocasse, tandemq; in hæc verba erupisse: *En, coniunx dilectißime, extremus patriæ casus efficit, vt me, quam nullus amor, nulla vis vnquam, quò minùs tua fuerim, semperq; futura essem, vetare potuit; crudelißimi hostis manus in perpetuam captiuitatem abducat? Separabor infelix à tuo conspectu, nec dulcem patriam, nec monumentum hoc dulcißimum ampliùs visura. Has ergo supremas lachrymas tuis misceo cineribus; his inferijs tuos manes supremùm ciebo. Sed quid ita? moriar potiùs, quàm suauißimo hoc complexu diuellar.* In hunc modum sepulchro hærens, cùm neque minis, neque alia vi facilè diuelli posset, à temerario milite traiecta, hac sola re felix, quo voluit loco relicta est. Magnus amor, & verè inseparabilis coniunctio! Verè *fortis vt mors dilectio.* Hinc, in epistolis Indicis habetur, Goënses viduas, antequã edicto regio vetitũ esset, vnà cum maritorum cadaueribus se cremendas tradidisse.

Hieronym. Osorius in Africis historijs lib. 10.

Sabellic. l. 9. dec. ad 3. de reb. Venetis.

Cant. 8. 6.
Epist. Indica. An. 1566.

X.

Mirabile est amoris, quanquam itidem vltra limites progressi, exemplum, quod Scardeonius memorat de Blanca Rubea virilis animi femina. Anno Redemti humani generis M. CC. LIII. Patauinum mancipium Bassianum, proditione occupatum est. Dum hostis irrumperet, non solùm Blancæ

Bernard. Scardeon. in Antiquit. Patauina lib. 3. de claris mulieribus class. 14.

maritus, tanquam Cocles aliquis fortiter sese obiecit, sed ipsa quoque Blanca, velut armata Pallas stetit inter pugnantes. Sed potentia vincente, cecidit maritus, capta est vxor, armisque spoliata, in triumphum ducta, & multùm repugnans ad tyrannum perducta. In cuius conspectum vbi peruenit, capta victorem cepit, sed inuita. Erat enim elegantis formæ; vtque Iuditham referret, dux imitatus est Holofernem, cuius impuram caussam, opes, authoritas, potentia, & victoria recens egerunt. Sed vicit victorem Blanca, quæ neque precibus, neque precio potuit expugnari, vt libidinosi ducis lasciuiæ desiderijsque assentiretur. Quid agunt amore insanientes? cùm blanditijs vota sua assequi non possunt, violentia vtuntur; vis enim & fraus eodem apud illos loco est. Quare postquam vidit dux, apud castam hanc Lucretiam delinimentis nihil effici, tentauit iniectis manibus impetrare, quod sponte captiua facere recusasset. Dum igitur vim adhibet, illa captata occasione, de fenestra se præcipitem dedit, præoptans vitam cum jam amisso marito, quàm pudicitiam cum salaci tyranno perdere. Alto casu afflicta, non exanimata fuit. Sublata igitur de terra, sicut erat sanguine deturpata & morituræ simillima in lectum est delata, atque medicorum industriæ curæque tradita. Conualuit, haud post multos dies. Sed adhuc impurus ille ægrotabat animo. Iussit ergo eam denuo ad se perduci. Dixit, fecit omnia, quæ tales solent, frustra fuit. Blanca in continentiæ proposito constans mansit. At quid insani non audent? Acciolinus (ita enim impudens ille vocabatur) ne victor victus à femina diceretur, ea per seruos nefariè ligatâ, & frustra legem Corneliam de vi inuocante potitus est, libidini crudelitatem adiungens. Blanca hac contumelia & labe illata, ita doluit, vt nollet diutiùs, in viuis superesse. Eo tamen & consilio, & dolore dissimulato amicos rogauit, vt eorum operâ, sibi ad leuandum mortui mariti desiderium, & ad sedandam aliquantisper animi tristitiam, sepulti & jam fœtentis mariti cadauer liceret inspicere. Annuunt, remouetur sepulchrale saxum, & in latus erigitur, egeritur humus, fossaque patefacta maritus ostenditur. Ibi Blanca ingenti cum eiulatu, supra defuncti ca-

dauer, sese extemplo proijcit, atque ita repagulo, quo lapis tumuli sustinebatur, reuulso, fracta sub lapide ceruice, vnà cum marito, partim in vltionem pudicitiæ, partim ad testandum coniugis dilectissimi amorem, & mortua est, & sepulta. Ob quod facinus non Christianum quidem, tamen ex coniugis & castitatis amore profectum, Blanca, adhuc hodie, in Italia, mirificè & ab historicis, & à Poëtis celebratur. Simile consilium, dissimilem exitum habuit femina illa Ephesina, quæ mariti amore, in eodem, quo conditus erat, hypogæo, statuerat se inediâ enecare. Et fecisset, nisi nox, & miles, & ancilla, & fames, & sitis aliud suasissent. Itaque, quia Blanca non fuit, mutauit voluntatem, &, in ipso mariti sepulchro, nuptias celebrauit: vt muliebris quoque inconstantiæ atque fragilitatis exemplo viri discerent, nullam sibi de vxorio amore promittere æternitatem.

Petron. Arb. in Satyr.

Quanquam enim multæ feminæ multiq; viri illud P. Syri, XI.
improbè Neptunum accusare, qui semel à naufragio liberatus, iterum mari se credit, perindeq; facere, secunda coniugia ineuntes, crebrò in ore habent; immo pleriq; quando adhuc dolor à funere coniugis est recens; pauci tamen & paucæ admodum sunt, quæ Valeriam, aut Anniam imitentur. Valeria à quodam rogata, quam ob rem, defuncto Seruio marito, nulli posthac nubere vellet? *Ideò*, inquit, *hoc facio, quia Seruius meus, licet alijs defunctus sit, apud me tamen viuit, viuetq; semper*. Annia autem ab amicis admonita, vt, post defunctum priorem maritum, alteri nuberet, cùm ætas esset & integra, & forma præstantissima adhuc: quorum alterum præberet spem prolis; alterum promitteret amorem mutuum: *Nullo*, inquit, *pacto hoc factura sum: si enim bono viro nupsero, nolo posthac timere ne amittam: sin verò malo, quæ me caperet dementia, vt, post optimum, talem admitterem?* Hæ profectò heroides vinculo, neq; per mortem dissolubili, maritis suis fuêre connexæ: magis quàm illa piscatrix, quæ ægrotanti viro se colligauit, atque vt vnà vterq; dolorem & vitam finiret, simul cum eo de rupe in lacum præcipitem dedit. Stultum & hoc ligamen. Mutua coniugum obligatio, qua corpus vnius alteri indissolubiliter obstringitur, tantùm vsque ad

Erasm. lib. 8. Apoph.

Fulgosus l. 4 cap. 6.

Rom. 7. ad mortem manet, morte autem soluitur, teste Apostolo. Quamobrem si quis diuinitus ad vitam reuocaretur, etiam priore coniuge superstite ac inuita, posset aliam ducere. Vix tamen credibile est, Seruium, si reuixisset, aliam ducturum fuisse, quàm Valeriam; neque aliam, nisi Anniam, si illius maritus fuisset vitæ restitutus. Vinculo enim amoris, etiam vinculo matrimonij solutus, sensisset se obligatum.

XII. Cuius vinculi firmitas, etiam inter vitæ huius incommoda, fit admodum conspicua. Descripsit mihi vir litteratus iter suum, quod per montes illi fuit. In eo itinere significauit, se, in domicilio quodam opulento, exceptum splendidè, nulla re magis delectatum, quàm quòd, in tanta coniugum duorum diuersitate, tantam vidisset animorum coniunctionem. Vir erat stolidus, & supra omnes infantes infans; vxor sapientissima, & quæ posset Abigail etiam hoc nomine vocari. Nam maritum Nabal dici ex merito, omnes facilè iudicabant. Præterquam quòd loqui non posset, nihil illo erat inquinatius; nihil sordidius. Stillabant oculi; mucus pendebat è naso; tibialia defluentia pedes pilosos, quales Faunorum esse solent, ostendebant seminudos. Pigebat illum nares mungere, caligas attrahere, adducere crurum tegumenta, ori cibum admouere; deniq; bestiam, non hominem putauisses, si de moribus iudicandus fuisset. *Cùm me videret*, scribit ille literator, *præ lætitia, toto capite irruit in fenestras, qui alioqui ad charorum aspectum gratulabundus tantùm soleret pertundere digito vnum orbiculum, aut brachium duntaxat traijcere per fenestram. Ego in mensa illi assidens, & ex aureis argenteisq; vasis edens ac potans, penè fœtoris intolerantia in animi deliquium lapsus sum: quæ tamen vxori, (vtique gratia Sacramenti) erant omnia mera balsama, rosæ, saccharum.* Nam ita consolantibus illam solebat respondere. Quæ & addebat: *Si fieret sibi optio ex omnibus viris, qui fuêre, sunt, & erunt in vniuerso terrarum orbe, vnum eligendi, nullum prorsus, præ illo, alium se electuram.* Nimirum quia vtique non voluptatis, sed prolis caussa nupsit, spretis ijs, quæ aliæ quærunt, viro contenta fuit. Et ratam habuit eam electionem amoremque Devs. Nam à tali viro sustulit filium Principe dignum patre, materna indole, paternis opibus præstantem.

Magna sunt hæc indissolubilis, inter coniuges, amoris vinculiq; exempla, & vtique docentia, viuos non esse vllis illecebris aliorum, aut molestijs domesticis separandos, cùm tot sint reperti coniuges, qui nec mortui vellent amorem aliò transferre, immò qui cum morientibus vellent commori, & cum sepultis vnà sepeliri. Et reperta est femina, quæ mariti ipsa sepulchrum vellet esse. *Artemisia*, ait Gellius, *Mausolum virum amasse fertur, supra omnes amorum fabulas, vltraq; affectionis humanæ fidem. Mausolus autem fuit, vt M. Tullius ait, Rex terræ Cariæ; vt quidam Græcarum historiarum scriptores, prouinciæ Græciæ præfectus, satrapen Græci vocant. is Mausolus vbi fato perfunctus inter lamenta & manus vxoris, funere magnifico sepultus est; Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans vxor ossa cineremq; eius mixta odoribus contusáque in faciem pulueris aquæ indidit, ebibitq; , multáque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur. Molita quoque est ingenti impetu operis, conseruandæ mariti memoriæ sepulchrum illud memoratißimum, dignatúmque numerari inter septem omnium terrarum spectacula. Monumentum Artemisia quum Dis Manibus Mausoli dicaret, ἀγῶνα, laudibus eius dicundis, facit, ponitq; prœmia pecuniæ, aliarúmque rerum bonarum amplißima. ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua præstabili Theopompus, Theodectes, Naucrates. Sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum ijs certauisse memoriæ mandauerint. Sed eo certamine vicisse Theopompum iudicatum est. Is fuit Isocratis discipulus, extat nunc quoque Theodecti tragœdia, quæ inscribitur, Mausolus: in qua eum magis, quàm in prosa placuisse Higinus in exemplis refert.* Non fuit in his Ethnicis matrimonium sacramentum, tanquam signum efficax gratiæ, fuit tamen tanquam signum indissolubilis Christi cum Ecclesia coniunctionis, atq; insuper tam arcta amoris connexio, ipsa natura docente, vt neque ipsa eam mors potuerit dissoluere; certè saltem vt multi & multæ dissoluere non vellent, quamuis vtique, post coniugis obitum, superstes etiamnum posset nouas nuptias celebrare. Nimirum indissolubilitatis istius radix est ius Naturæ, supposita ordinatione Dei, commutandi corporis potestatem non aliter dantis, quàm in perpetuum, hoc est, vsq; ad mortem.

XIII.

A. Gellius lib. 10. Noct. cap. 18.

Cap. fin. de conditionib. appositis & Trid. sess. 24.

XIV. Ad nexum hunc conseruandum, etiam miracula Devs ostendit. Nam fuit vxor, quæ, ne alijs, quàm marito, placeret, precibus impetrauit deformitatem; rursusque, ne marito displiceret, diuersis precibus, pristinum nitorem veterisq; formæ gratiam recuperauit. Erat, in Sueuia, nobilis mulier, vultu lucido, & oculos trahente; itaque gratijs omnibus pleno, vt, inter omnes patriæ suæ feminas, longè pulcherrima haberetur. Tantæ venustatis fama multos ciebat spectatores. Multi igitur genere nobiles, & opibus potentes ad eam vndiq; confluebant, visuri vnde vulnerarentur. Quod prudentem feminam non latuit; sed quia pietatis ac honestatis erat amantissima, ideò vehementer animo affligebatur, ne vel alijs ruinæ occasionem præberet, vel ipsa periclitaretur. Quippe *magno cum periculo custoditur, quòd multis placet.* Habebat domi secretum ab alijs sacrarium. In illud igitur ingressa, vt aduenarum se conspectui subduceret, cecidit in genua, vtque oratio diuinas aures tantò citiùs molliret, etiam lachrymæ ex oculis illius ceciderunt. Calidè itaque flens: *Video mihi*, inquit, *Christe* Iesv, *ex carne, qua induisti me, periculum imminere.* Fortiter quidem animum meum fixisti. Sed quis suæ fortitudini fidat, si Dauid, si Salomon, si exercitatissimi athletæ prostrati sunt? Et quanquam ipsa nulla tangar vanitate; tamen flammas fero, & cupidinis ignem alijs inijcio. *Rogo igitur te, misericordissime Pater, & Domine, vt speciem meam in tantam fœditatem commutes, vt sit carnis miseræ turpitudo in horrore potior, quàm pulchritudo fuerit in honore.* Dixit, & habuit, quod petiuit. Extemplo enim niuea frons & roseæ genæ colorem perdiderunt, statimq; gratiosus ille vultus lepra fœdissima contabuit. Eruperunt vndique turpes pustulæ. Contraxit cutem squamosa scabies. Oculi, qui priùs, instar stellarum lucebant, suffuso sanguine, tumuerunt. Nasus gibbosa deformitate contortus est. Os ipsum denique modestissimis labris compressum antea, nunc morbo laceratū, detestabili rictu hiauit. Dixisses catharma esse, & laruam Auernalem. Maritus sanè illius, ob faciem à facie consueta tam alienam, vxorem in ipsa vxore quæsiuit. Egredienti enim ex oratorio occurrens, ex solo vestium indicio coniecturam faciens,

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 30. §. 29.

ciens, quæsiuit: Num ipsa, an potiùs spectrum aliquod esset? Respondente autem illa, se esse illius vxorem, cohorruit, vocataque ad tam triste spectaculum vniuersa familia, clamor & planctus, in tota domo, est exauditus admirantium & interrogantium, quidnam tam subitò dominæ accidisset, aut quis ex Charitum quarta quartam fecisset Furiarum? Nec mansit admiratio in illa domo. Manauit rumor ad vicinos, volauit fama ad remotos. Contristati sunt parentes, miserati amici, turbati omnes. Pro se quisque, vt fit, remedium suggerit formæ veteris reducendæ. Citatur & medicus: sed pronunciat, manifestariam esse lepram; curari non posse; metu contagij, extra hominum consortium relegandam. Non satis igitur fuit, vt amitteret gloriam venustatis, etiam domo propria eliminata, & in desertæ cuiusdam casæ angulum est ire iussa. Ibi nimirum satis tuto loco, contra procorum insidias futura. Audijt hoc factum, quidam è D. Dominici familia sacerdos, qui illi à sacris Confessionibus erat. Hic, vt afflictissimam consolaretur, protinus ad illam accurrit: sed longè aliter, quàm metuebat, affectam reperit. Neque enim illa ex casu mœsta fuit, sed, quasi magno beneficio donata, exultauit, Deoque se gratias debere dixit. Tanto maiorem in admirationem raptus sacerdos, tam monstrificæ admirationis, atque inopinati morbi caussam quæsiuit. Quam vt intellexit, bona quidem mente ac simplicitate ortam, sed in præiudicium matrimonij adhibitam dixit. Quare velut iratus, his eam verbis compellauit. *O miserrima & stultissima mulierum, quæ in contumeliam & periculum viri tui opus Dei in te precum instantia destruxisti, Parentesq́; & amicos tuos, qui Deum laudauerunt, & venerati sunt in te, ad blasphemandum nunc per tale infortunium coëgisti. Age nunc charissima, insiste precibus ad contrarium gestæ rei diuinam misericordiam interpella.* Hæc monuit, & discessit. Illo digresso, pia mulier in lachrymas effusa Deum eiuscemodi verbis est allocuta: *Domine Pater & Dominator vitæ meæ, vt liberiore mente, & puriore spiritu seruire tibi, hoc in me flagellum lepræ à tua bonitate fidis precibus expetiui. Sed quia audio à Patre meo spirituali, cui me tota deuotione commisi, contra salutem meam, hoc à te omnium Domino petiuisse, rogo te, per*

 tuam

tuam benigniſſimam charitatem, vt in me tuum plaſma reſtituas,
ſecundùm quod tuæ placuit optimæ voluntati. Quàm verè Prophe-
Pſal. 144. 19. ta dixit: *Voluntatem timentium ſe faciet?* Vix in hunc modum
precata eſt, & iam annuit illi Deus. Quàm citò enim priùs ex
formoſa facta fuerat deformis, tam citò deformitatem iterum
depoſuit, quaſi penes ipſam eſſet, vultum coloremq; mutare.
Claruit enim cutis, rubuerunt genæ, frons priſtinum cando-
rem recepit; neque vllum in tota facie veſtigium maculæ re-
manſit. Reſtituta ſibi, ingenti gaudio, à marito excepta eſt;
haud aliter quàm ſi è tumulo rediuiua domum rediјſſet. Fuit,
eo die, familiæ triumphale feſtum; quod de domo in domum,
atque de vicinia in viciniam eſt propagatum, fama volante.
Gratulabantur amici, geſtiebant cognati, patria applaudebat:
omnes inclytam Chriſti pietatem laudauerunt, qui prodigio
effecit, ne matrimonium aut illecebrâ violaretur, aut à marito
vxor, ob morbum, ſepararetur. Quanquam & illud, in reſtau-
rato hoc coniugio, eſt ſiue ænigma, ſiue ſacramentum, quòd
Chriſtus & ipſe ſiue animam, ſiue Eccleſiam, tanquam ſpon-
Ephes. 5.24. ſam, mundam eſſe velit; *Sicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita &*
mulieres viris ſuis in omnibus. Ob quam rem meritò Apoſtolus
ait: *Viri, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam,*
& ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro
aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non ha-
bentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſan-
cta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores ſuas, vt cor-
pora ſua.

XV. Quo loco multa à coniugibus ad Chriſtum & Eccleſiam; atque hinc rurſus ad coniuges trahuntur. 1. Quemadmodum viri volunt vxores habere non fœdas, non leproſas, ſed immaculatas; ita Chriſtus vult habere Eccleſiam *macula aut ruga* carentem. 2. Sicut *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro, in verbo vitæ,* ſeu per ſacram & viuificam verborum baptiſmi formam; ita & mariti debent, ſua ſancta conuerſatione, vxores ab omni leuitate, dicacitate, ſuperbia aliјſque muliebribus vitiјs, emundare, vt ſint ſine macula. 3 Ne quis autem nimium, in hac vita, exigi

putet,

putet: per *maculam* & *rugam* S. Paulus intelligit peccata mortifera; quia etsi Ecclesia, sine omni *macula* & *ruga*, futura sit in cælo, in hac tamen vita nondum est talis, in qua etiam Sancti non sunt sine venialibus peccatis, & *iustus septies cadit in die*; cùm hîc sit inchoata tantùm quædam sanctitas, in cælo perficienda. 4. Etsi Ecclesia dicitur non habere *maculam* peccati, aut *rugam* vetustatis, non tamen conficitur, solos sanctos & iustos esse in Ecclesia. Ecclesia enim, sine *macula* & *ruga*, *sancta* vocatur, non quasi omnes, quotquot in ea sunt, tales sint; sed quòd præcipua Ecclesiæ pars, quæ Christo proximè adhæret, nimirum Sancti, qui non tantùm fide, sed & gratia & charitate præditi sunt, denominationem dent Sanctitatis: quemadmodum Academia aliqua, ob multos doctos in ea viros, docta appellatur, licet in ea multi etiam sint indocti. Quanquam etiam Ecclesia rectè sancta vocetur, quia sanctas leges, sancta sacramenta, sanctum sanguinem Christi habet; Christusque, quantum est penes ipsum, Ecclesiam planè sanctificauit, cùm omnia illi dederit, ad sanctitatem acquirendam, requisita. Ad eundem modum maritus, sanctas debet in sua domo leges constituere; sanctus & ipse esse; &, quantum ex illius est parte, nullam nisi pietatis præbere occasionem. Quod si subinde in quosdam næuos vxoris incurrit, meminisse eum oportet, nihil ita, in hac vita perfectum inueniri, vt in altera non possit perfici. Neque tamen statim abijciendus est amor coniugalis, aut de alia cogitandum, quando vel vultus, vel nutus, vel passus vnus vxoris displicet. Vinculum, quod tam leui tactu rumpitur, non est adamantinum; cùm tamen indissolubili matrimonij nodo colligatos necesse sit, plus esse constrictos, quàm si adamante vincirentur.

Ita intelligendus est S. Aug. lib. Retract. c. 8.



CAPVT XLII.

An insolubilitas nonnullis meritò quoddam malum matrimonij esse videatur?

I. HVic igitur tanto matrimonij *bono*, seu *insolubilitati* duo quæ suprà tetigi, aduersari videntur. Primum est, quòd id multis *malum* potiùs, quàm *bonum matrimonij* sit nominandum. Mallent enim matrimonium solubile esse, ac mutari posse. Hinc morte vxoris aut mariti gaudent, vt fiat illud: *Viduæ illius non plorabunt.* Alterum, quòd vice versa, ijs, qui coniuges amant, coniugium satis insolubile nequaquam videatur esse. Nam ad primum quod attinet, quis dicat, esse bonum, gestare compedes, manicis ligari, constringi catenis, ferro vinciri ad remos ducendos, aut funibus catastæ esse illaqueatum? At plurimi remigare in mari mallent, aut catenis esse constricti, quas sperarent se rumpere posse, quàm vxori aut marito inseparabiliter esse addicti: cùm sit *plaga cordis mulier nequam*; & præstet, scriptura teste, *commorari leoni & draconi, quàm habitare cum muliere nequam.* Est enim vtique plaga maxima & continua; siquidem per totam vitam durat. *Alligatus es vxori? noli quærere solutionem.* Vult enim Apostolus, vt *vnusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Et vinculum matrimonij, vinculum est adamantinum. Hoc vinculo quisnam abliguritori astrictam feminam honestam videt, & non aspicit, vt olim Perseus

Iob. 27.15.

Eccles. 25. 31. ib. v. 22.

1. Cor. 7. 27.

Ouid. lib. 4. Metam.

Andromedam ad duras religatam brachia cautes,

aitque *ô istis non digna catenis?* Sed ipsi maximè coniuges non rarò, sub hoc iugo, gemunt, & suspirant, vellentque hunc nodum plus quàm Gordium, si non possit solui, etiam rumpi. Quod ille fecit, qui diuino humanoque iure posthabito, vetulam suam vxorem, cum iuuencula alterius commutauit, pro mantissa, & vaccam addens; quasi idem ius esset equorum, & vxorum.

II. Neque vetula tantùm ætas nauseam parit, ob quam multi, velut veterem rugisque contractam vestem, coniugem contemnunt, optarentque à se amoliri, si possent; sed multò magis

mores

mores asperi, morbosi, incompositi, barbari. Haud enim *pactum Pithei* vbique locum habet; quod, vt in historicis Suidæ refertur, in prouerbium abijt. Ille enim *continenter cum vxore iurgans, coram amicis pepigit, se neque verberare, neque vapulare, neque mordere, neque morderi; neque mulierem capillis trahere, neque ab ea* barbâ *trahi velle.* Rusticus fuit, qui, defuncta vxore, solantibus diceret: vxorem inuitam, se non inuito, mortuam esse. Caussam rogatus, respondit, diuturni admodum coniugij toto tempore, nunquam se idem cum coniuge sensisse, nisi quòd aliquando, ardente domo, vterque priùs inde euadere contenderit. Aliam olim *fuisse*, aiunt, *neque frugi, neque operæ probæ feminam, mariti ingratijs pleraq; omnia actitantem, & morosam toties atq; iurgiosam, quoties nihil ex animi sententia imperitabatur. Vsum fortè venisse, vt ad vorticosum amnem egressa, & eadem prolapsa aquis mergeretur. Ea re confestim domum perlata, vulgatoq; coniugis funere, maritus composito ad mœstitiam vultu, querulus accurrere, de loco, deq; letho scitari. Erant qui homini ad extremum flumen deducto satisfecêre. Et nimirum hoc loci, inquiunt, fatale domus tuæ est præcipitium. Enimuerò hic calamitosus ille eiulare; miserum se, & ærumnosum dicere; vxorem sibi, quam viuam non posset, certè mortuam reposcere, & sacrum Nouemdial optare. Sed qui spectaculo aderant, ei animum sufficere, operamq; instare promittere. Accipit viduus conditionem, indeq; aduersa ripa instituit vltimas retro scaturigines legere, siqua cadauer ex aquis emersum pateret. Id alij conspicati, & in risum effusi, eam verò luculentam dictitant esse stultitiam, quando nihil contra torrentem agi, sed omnia secundo amne ferri insuessent. Quo ille conuitio nihil sanè permotus, sibi omnium vni aiebat de indole, atque ingenio feminæ compertum exploratumq; esse: eam, quoad vixerat, semper in vetitum niti solitam, neque dum, tametsi mortuam, eos mores desiturã: sibi indubiè certum persuasumq; esse, illam proinde (seciùs multo ac alias res) in aduersum flumen niti.*

Talem nacti vxorem vtique optant multi non solùm in præterfluente mergi, sed etiã in mare Creticum portari. Hinc inter Alpes, non nemo fertur, coniuge sua, inter extremos dolores, cum morte proxima luctante, tibiam arripuisse, & cho- III.

reæ læ-

reæ lætissimæ modulos incinuisse. Mirantibus, & increpantibus ac cessare iubentibus dixit: Wir seynd mit Frewden zusammen kommen/so wöllen wir auch in Frewden von einander scheyden. Hoc est, *Cum gaudio nuptias celebraui, cum gaudio etiam exequias celebrabo,* vt vltima primis conueniant. Hoc est, quod in Græcis epigrammatis ille maritus queritur, se in toto matrimonio suo, tantùm duas felices lætasque horas habuisse,

Καὶ μίαν ἐν θαλάμῳ, καὶ μίαν ἐν θανάτῳ: Fecit igitur ei
Lætitiam primam thalamus, tumulusq́; secundam.

Sæpius audiui, vxorem cuiusdam grauiter ægrotantem, in tam profundum somnum lapsam, vt ab omnibus pro mortua habita, in capulum imponeretur, atque iam etiam efferretur. In funebri pompa, cùm baiuli incautiùs festinarent, sandapilam, in quodam flexu plateæ, ad angulum domus, impegerunt. Concusso vehementer feretro, quæ intus iacebat excitata ad se rediјt, & inde etiam ad maritum. Non potuit illam domo excludere, licet optaret, sub monte, cum Encelado, sepultam. Postquam autem aliquamdiu denuò vnà vixerunt, cœpit vxor denuò ægrotare, ex quo morbo verè defuncta est. Funere iam processuro viduus baiulos ad se vocatos seriò monuit, vt si iuxta flexum plateæ funus portarent, diligenter attenderent, ne, feretro ad angulum domus denuò offenso, vxorem quoque denuò excitarent. Quæ siue historia est, siue fabula, satis tamen indicat, optari potiùs à multis coniugij solutionem, quàm *indissolubilitatem.* Ego sanè arcularium noui, qui peste correptus, vxore eadem lue infecta, singulis pænè horis, interrogauit: An vxor sua nondum defuncta esset? Tandem vbi illi nunciatum est, vixisse vxorem; iam igitur, inquiebat, & ego libenter è vita discedam, dummodo illa, non superuiuat. Vnica igitur hora elapsa, eam secutus est. Quò? nescio, timeo. Et hic ipse tamen, dum mentio fieret apud alios, nunquam solebat de vxore sua malè loqui, neque audiebatur cum illa litigare. Quid optasset, si habuisset litigiosam? aut qualis illa fuit, cuius in dialogismo, hoc circumfertur epitaphium? HEVS VIATOR, MIRACVLVM. HIC VIR ET VXOR NON LITIGANT. QVI SVMVS NON DICO, AT IPSA DICAM, HIC BEBRIVS EBRIVS

ME EBRIAM NVNCVPAT. NON DICO AMPLIVS. HEV VXOR, ETIAM MORTVA LITIGAS! Quid quòd multi, nisi in propinquo mortem sponsæ esse sperarent, ne nuptias quidem celebrarent? Notum est illud, de eo, qui idcirco vxorem duxit, quia tussiuit: sperauit enim tussim esse bonæ rei nunciam, hoc est, vetulam citò morituram, & aurum relicturam. His igitur talibus omnibus *insolubilitas* matrimonij quia molestissima est, *non modò hanc ipsam rem necessitatem dicemus, sed pœnam & supplicium,* ait S. Chrysostomus.

S. Chrys. lib. de Virginit. cap. 43.

IV.

Hæc est obiectio, quæ vulgo, & nouas vxores optantibus, tædio antiquarum, persuadet, non *bonum, sed malum matrimonij esse ac dici debere inseparabilitatem.* Qua de caussa, non C. Caligula modò, apud Suetonium & Xiphilinum, sicut Memmium Regulum coëgit, vt Lolliam Paulinam vxorem suam dimitteret, sibiq; desponderet, ita & eandem rursum, pari leuitate repudiauit, sed alij hodie etiam multi, vt suprà dixi, vxores mutant, sicut equos, aut domos; & migrant de vna ad alteram: sed reluctante conscientia, repugnante Paulo, irascente Deo. His igitur respondeo, multis sanè malè esse, quòd non possint à coniugibus separari: sed quæro, num id malum ex coniugio, an ex coniugibus proueniat? Si ex coniugio, cur boni coniuges, tam ægrè separantur? Cur nihil timent magis, quàm ne mors, aut alius infelix casus eos diuellat? Ex quo clarum est, coniugio culpam non esse tribuendam. Tribuenda est igitur coniugibus: quibus si, suâ culpâ, malè est, cur Deum accusant coniugij institutorem, & iustum temeritatis punitorem? Vt enim nihil dicam de desertoribus suæ vocationis, de quibus suprà memini, illud iterum iterumque monendum est, imprudenter cæpta plerumque infeliciter finiri. Quàm temerariè non pauci vxores ducunt; quàm sine vlla deliberatione, sine consilio, ne parentibus quidem interrogatis, se in nuptias conijciunt? Vna ebrietas, chorea vna, vnum munusculum, vnus annulus, vnus oculus, vnus nutus sponsos facit. Quam nunquam antea viderunt; cuius sermones, mores, opes nunquam explorauerunt, eam, quæ ex itinere in hospitio diuertit, & de fenestra vinulè salutauit transeuntem,

leuiculam, fatuam, loquacem, dicacem, voracem, bibacem, & à sex jam alijs procantibus repudiatam, illico oculis destinant, & plenis desiderijs venantur. Fuit non ita pridem iuuenis, qui manè in scholis cæsus virgis, à prandio vxorem duxit, in solatium doloris. Adeò in promtu sunt nuptiæ etiam adolescentibus. Quin & illi assiduè loquuntur de thalamis, qui adhuc apti essent cunis. Apud quos verè malitia dicitur ætatem superare. Nec pudet pueros fari, quod viri erubescant. Immo adeò imberbes ad coniugia anhelant, vt dubitari possit, vter è sponsis nubat, ille an illa? vterque ad æqualitatem mento glaber. Vt enim illa crinito capite pro Apolline, ita ille inuesti facie pro vna de Musis potest haberi. Quod enim sponsæ sexus, id sponso dat ætas, vnica vertigine in nuptias consentienti. Quod & de feminis potest dici. Duarum exempla certissima refero, quæ Suecico hoc bello, Monachij, muliebris leuitatis illustre dederunt documentum. Ancillæ eæ fuerunt, ast, vt dominæ fierent, maritos non quæsiuerunt, sed fortè transeuntibus, velut auis visco, adhæserunt. Crebrò tunc, per vrbem, milites vel noui, vel veterani, proficiscebantur. Ancillarum ergo vna, cùm milites traducerentur, è puteo aquam hauriebat, neque pileo tecta, neque lacernulâ amicta. Illam ita haurientem, siue ioco, siue petulantia militari gregarius miles sic appellans salutabat: *Quid seruilia ista facis? me comitare:* dixit, & vxorem habuit. Nam illico eum est secuta, neque cuiquam domi valedicens, neque quidquam recularum suarum secum vt portaret auferens; ipsâ etiam hydriâ ad puteum relictâ. Quod tanto minùs est mirandum, cùm altera ancilla in aditu, atque ad ianuam ædium suarum stans, & infantem dominæ brachijs gestans, à simili milite transeunte inuitata, infantem ipsum in foribus depositum deseruerit, militemque sit secuta, nunquam antea vel visu, vel auditu cognitum. Quis equum tam temerè emeret? quis ex improuiso domum, aut villam incognitam præstinaret? Quare etiam hac de caussa stultè se excusârunt illi, quorum

Luc. 14. 18. vnus dixit: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam:* alter autem, *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* Stultissimi homines, itáne *villam* & *boues* emitis non visos? & probatis,

postquam

postquam emistis? Quid, si displiceant, facietis? Pari stultitia siue iuuenes, siue puellæ coniugibus se tradunt ignaræ, an sint eos postea amaturi. Et villarum aut boum emptio, potest retractari, si fraus, si vitium latens deprehendatur; qui autem vxorem duxit, non potest retractare contractum. Tanto igitur maior est temeritas, & pœna sua dignior, si quis sese in matrimonium præcipitat, antea non diligenter expensum. Itaque *videte, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed sapientes. Nolite fieri, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos*: exagitat eos; seminat discordias, lites, & mille mala, quæ vtique matrimonium reddunt onerosum & exosum. Itaque his talibus, qui brutorum more conueniunt, & sine ratione vxores non eligunt, sed impetu quodam voluptatis ducunt, meritò postea displicet, quod immeritò appetiuerunt. *Vera prudentia eorum, quæ agenda, & non agenda sunt, cognitio est; quam si quis ritè sectatus fuerit, nunquam ab officio virtuteque abscedet; nunquam vitiorum pestem incurret. Igitur qui prudentiæ sermones cognoscit, vt bonus trapezita, quod bonum fuerit, retinebit, & ab omni specie mala abstinebit*, ait S. Basilius. Et alibi. *In omni*, inquit, *quæ suscipitur, actione, antecedere prudentia debet. Nam, ea remota, nihil cuiusuis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. Ratio verò & prudentia, vbi rebus bonis idoneum tempus ac modum definiunt, mirabile est, quantus, ex earum vsu, cùm in dantes, tum in accipientes fructus redundet.* Itaque & qui vxorem prudenter elegit, libenter seruat, nec optat eius amissionem. Siquidem, teste D. Bernardo, *discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem etiam & perpetuitatem.* Nihil ergo mirandum, si coniugium non optat perpetuum esse, qui in illud se, sine discretione, immersit.

Eph 5.15. Psal. 31. 9. Tob. 6.17. S. Basil. hom. 12. Idem in Constit. monast. c. 15. S. Bern. serm. 49. in Cantic.

V.

Et quoniam in nostra caussa cæci judices sumus, affectu sententiam trahente, etiam illi, qui sibi alioqui sapere videntur, in re tanti ponderis, alios consulere consueuerunt; quanto id

id æquius est, eos facere, quos aut ætas adhuc nondum docuit sapere, aut iuuenilis impetus, & præceps cupiditas in sua desideria trahit? *Qui sapiens est, audit consilia.* Et hoc ipsum consulit diuina sapientia, dum ait: *Fili, sine consilio nihil facias*; ne dum, vt vxorem ducas, *& post factum non pœnitebis.* Si autem quisquam est in hac re consulendus, consulendi sunt parentes, & quia obseruantia hoc suadet, & quia illi annis & experientia sunt prudentiores; & quia vtique liberis suis, quàm optimè volunt: & quia exempla sanctorum ita docent. Nam & Isaac vxorem accepit, quam pater ei dedit, & Rebecca consilium patris sui in ea re secuta est: & filio suo Iacob in mandatis dedit, vt non acciperet vxorem de filiabus Palæstinorum, sed aliquam ex filiabus Laban. Quin, in veteri lege, præceptum de matrimonio filiorum parentibus potiùs datur, quàm filijs, ne iungantur Chananæis. Hinc S. Ambrosius laudat illud Euripidis virginem ita loquentem facientis: *Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum.* Et alibi scribit, Sysinnium iustè indignatum, quòd, se inscio, filius vxorem ducere voluisset. Delinquunt igitur liberi, quando sine iusta & rationabili caussa, parentibus inscijs aut inuitis, matrimonia ineunt. Horum consilia & consensum temerè qui neglexerunt, sæpe puniti sunt, nimisque eos serò pœnituit, postquam iam inter medios vortices & fluctus frustra conati sunt euadere. Memorat Amphilochius Episcopus, Proterio senatorij ordinis viro, filiam fuisse formæ non contemnendæ. Eam domesticus seruus deperibat, homo nequam, cui ne quidquam deesset improbitatis, artes magicæ coronidem, ad cetera scelera addiderunt. His vsus puellam decepit, eamque tam insano amore dementauit, vt illa mentis incendium non posset premere, sed, palam erumpentibus flammis, seruum in matrimonium sibi dari postularet. Pater, qui & conditionem seruilem horrebat in proco, & filiam iam dudum Deo consecrarat, ægerrimè petitionem illius intellexit, multisque ei rationibus obsistebat. Sed ardebat puella, rationesque rationibus opponebat; cumque parens minis, & precibus eam conaretur à vecordi consilio abducere, *Aut comple,* inquiebat filia, *desiderium, aut breui me extinctam*

Prou. 12. 15.
Eccles. 32. 24.
Gen. 24. 67.
Gen. 28. 1.
Exod. 34. 16.
Deut. 7. 3.
S. Ambr. l. 1. de Abraham cap. vlt.
S. Ambr. in ep ad Sysinnium.
Amphiloch. in vita S. Basilij apud Sur. 1. Ian.

tinctam videbis; additque, *Ni quantocyus consentiret, in die iudicij, rationem pro occisa filia redditurum.* Talibus verbis pater in mœrorem datus, tristitiaque pænè absorptus, amicissimos quosque interrogauit, quid sibi esset faciendum? Consuluerunt illi omnes, satius esse, vt amore insanientem in vita conseruaret, quàm vt, negato coniuge, caussa esset mortis violentæ. Igitur filiæ ad se vocatæ mœsta voce dixit: *Vade, misera, multùm lugebis aliquando, cùm facti pœnitebit, nec tamen mederi poteris.* Exultauit filia hoc consensu, quantumuis extorto. Fiunt nuptiæ. Gaudet sponsa, ridet sponsus, triumphat diabolus. Sed breue fuit gaudium diuina benedictione destitutum. Non diu enim, post coniugium initum, obseruatum est, seruum non ingredi Ecclesiam, neque esse Christianum. Quod quàm primùm relatum est nouæ nuptæ, doloris vehementia humi se prostrauit, suisque faciem vnguibus discerpsit, pectusque pugnis tundens, tota in planctus effusa sic est vociferata: *Nemo parentibus non obediens saluus vnquam fuit. Quis patri meo annunciabit ignominiam meam? Heu me miseram, in quantam me perditionis voraginem demersi? Cur in lucem edita sum, cur non continuò rapta sum?*

VI. Quis huic tam amaro coniugio caussa fuit? Deus? an homo? an diabolus? Nimirum diaboli instinctu, hominis consensu, Dei permissu talia contingunt. A Deo pœna est, ab homine culpa. Vtraque nos docet, ne inconsultò quidquam agamus. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, ait Salomon. Et S. Basilius: *Profectò diuina quædam res est consilium*, inquit, *est namq; animi coniunctio, charitatis fructus, mentis demissæ demonstratio. Superbia enim magna habetur, existimare nullius se egere auxilio, ac sibi ipsi penitus acquiescere, quasi vel solus sapiat, vel quàm optima in medium consulere valeat. Quare nequaquam cunctemur ijs nos submittere, qui nobis ea quæ decora sunt, consulunt; nec vnquam turpe esse ducamus, confidere, alios, quoad vitam instituendam, nobis longè esse prudentiores. Magnam profectò affert hominibus vtilitatem consilium, eò, quòd nemo sibi sufficiat ad electionem rerum vtilium honestarumúe, sed pluribus sanè socijs, ijsq; solertibus opus habet.* Quare etiam, qui volunt matrimonijs se tradere, ne eos pacti pœniteat, non innitantur prudentiæ suæ; sed priùs generatim

Prou. 3. 5. S. Basil. orat. 21. de felicitate.

 delibe-

deliberent. *Sitné vxor ducenda? An vita cælebs eligenda? Eaq; vel in sæculo, vel in Religioso aliquo Ordine ducenda?* Deinde, si quid statuerunt, ad peculiaria est descendendum, *Quænam scilicet vxor? quando? vbi? & quibus conditionibus ducenda? Aut quis Ordo, vel status potissimùm, ad Dei gloriam, & propriæ animæ salutem consequendam, eligendus?* Quæ omnia cum Patre spirituali quidem rectè consultantur, possunt tamen & alij viri Deum timentes interrogari. Quod si de re vxoria agitur, par est vtique, conscios etiam esse parentes: si de Religioso statu ineundo, rarò *caro & sanguis* boni sunt consultores. Vocante summo rerum Domino, *obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Et fuit, qui sanctissimè suaderet alteri, vt, *per calcatum patrem* in limine se opponentem, iret ad Christum. Amantur filij magis plerumque à parentibus, quàm parentes à filijs, & tamen Abraham, vt Deo obediret, filium suum voluit immolare: cur non vicissim filius vellet relinquere patrem, & *adhærere Deo,* quod *bonum est?* cùm per matrimonium, *relinquat homo patrem suum & matrem suam, & adhæreat vxori suæ?* ac Christus dicat: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Certè S. Ambrosius, docens, patre inuito, sic puellam posse continentiam vouere, sicut nubere, ait, *cui licet maritum eligere, non licet Deum præferre?* Nam etsi suprà dixi, delinquere eos liberos, qui sine consensu parentum matrimonia ineunt, addidi tamen, si id sine iusta & rationabili caussa fiat. Potest enim id fieri, inscijs parentibus, quando credibile est, coniugium tale parentes ratum habituros, vt fecit Tobias in aliena regione, quem Angelus, qui cum eo erat, non iussit expectare consensum parentum. Potest etiam fieri, vt pater prolem iniustè arceat à coniugio. Certè si sermo sit de matrimonio non jam contrahendo, sed contracto, *Iure* (ait Synodus Tridentina) *damnandi sunt illi, qui falsò affirmant matrimonia à filijs familiàs, sine consensu parentum, contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.* Et in Iure Canonico, ait de puella nubili Clemens III. *quia habet liberum arbitrium in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.* Aliud autem est, quærere, quid necessarium sit, & aliud, quid conueniat? Si pubertas,

Act. 5. 29.

Psal. 72. 28.
Gen. 2, 24.
Matth. 10. 37.

S. Ambr. lib. de Virginibus,

Tob. 7, 10.

Sess. 24. cap. 1.

c. cum virum tit. de Regularibus.

tas, quam Canones requirunt, si consensus mutuus, si Parochus
& duo testes adsint, etiam inscijs parentibus, fit coniugium;
quod tamen non conuenit esse indeliberatum.

VII.

Quemcunque enim quis statum aggredi velit, sine delibe-
ratione matura, aggredi non debet. *Palpebræ tuæ præcedant gres-* Prou. 4. 25.
sus tuos, monet prouerbium. Quid mirum, si viam recalcat,
qui nesciuit, quò iret, dum exiret? Facilè emptionis pœnitet
eum, qui in tenebris emit mercem mala fide ambulantem.
Quid enim diuortia accusat, qui vel ipse, in matrimonio, ita
se gessit, vt bona coniuge indignus esset; vel coniugi omnia in-
dulsit, vt, illius culpa, insolesceret, eamque dimittere oporteret?
Denique non est matrimonium ita penitus insolubile, vt, ante
mortem etiam, nulla fieri possit dissolutio, in remedium illo-
rum coniugum, qui periculosè, & odiose cohabitarent. *Quos* Isidor. in
Deus coniunxit, homo non separet, subaudi violenter, sine lege, absq; Matth. 19.
*ratione. Non enim homo separat, quos pœna damnat, quos reatus
accusat, quos maleficium coarctat*, ait Isidorus. Potest itaque *in-
dissolubilitas* matrimonij per eum, cui est mutandi potestas, tolli,
conditione accedente, quæ parit exemtionem. Neque mira-
culo opus est, quale scribit Pontius Compluti accidisse, physi- Pont. lib. 7.
ca sexûs mutatione; desinit enim vtiq; esse maritus aut vxor, cap. 57.
qui vir, aut quæ mulier desinit esse; sed sufficit alijs etiam mo-
dis mutari materiam, seu rem, sub obiecto quidem legis per se
contentam, at nunc tali conditione, per accidens, affectam, vt
jam ab vniuersalitate subiecti, sub quo priùs erat, excludatur.
Hanc rescindendi matrimonij potestatem Deus in vtroque Te-
stamento ostendit, quando ius corporis vtrimque traditum,
vtrique restituit, vt illud alteri tradere posset. In veteri Testa- Deut. 24.
mento concessus fuit libellus repudij. In nouo, sustulit quidem 1. Esdræ 10. 3.
Christus libellum repudij; dedit tamen licentiam, vt infidelis & seqq.
conuersus vxorem permanere nolentem dimittere, & aliam Matth. 19.
ducere posset, teste Paulo dicente: *Quòd si infidelis discedit, disce-* 1. Cor. 7. 15.
dat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.
Discedit autem infidelis non tantùm quando aliò migrat, sed Ita Innocent.
etiam quando non vult, modo decenti, cohabitare, hoc est, si- III. c. 7. & 8.
ne blasphemia Creatoris, sine Fidei iniuria, sine scandalo, sine de diuortijs.

solliciti-

sollicitatione ad apostasiam, vel ad aliud graue peccatum. Quoniam autem solutio coniugij, aut saltem separatio tori ac cohabitationis, subinde, ad regimen animarum non modò vtilis, verùm etiam necessaria est, dedit Christus etiam Pontifici & Ecclesiæ amplissimam potestatem soluendi, quidquid esset solubile, & cuius solutio ad ordinariam animarum gubernationem prodesset.

Matth. 16. Sanch. l. 2. d. 14. n. 2. Bon. q. 2. p. 11.

VIII. Qua in re nonnulla se offerunt non ignoranda. 1. enim in Ecclesiæ potestate est, vt rata, sed nondum consummata fidelium (infideles enim, quia Ecclesiasticæ potestati non subsunt, à Pontifice iuuari non possunt) matrimonia ob bonum publicum aliamúe grauem caussam, possit rescindere. Quo pacto Paulus III. & Pius V. ex consilio Nauarri, ter aut quater, in matrimonijs nondum consummatis, dispensauerunt: & generalis per professionem religiosam, dirimendi matrimonij rati concessio facta est. 2. Magis tamen insolubile est matrimonium à fidelibus consummatum. Magna enim hinc, in susceptione, & educatione prolis, incommoda oriuntur. Et suppetunt alia remedia, quibus Ecclesia sibi subiectos ad officium potest compellere. 3. E matrimonio non tantùm hæc *insolubilitas* prouenit, sed etiam *obligatio cohabitandi*, seu coniunctio tori & mensæ, quæ ad prolem adipiscendam educendamque, ad incontinentiam vitandam, ad *domum regendam* atque alia talia requiritur; indicata illis verbis: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ:* Quia autem *mulier si primatum habeat, contraria est viro suo*, idcirco *vir est caput mulieris*, & totius familiæ gubernator, vnde locus habitationis à viro potest assignari, quem mulier, etiam extra patriam atque in exilium sequi debet, nisi de hoc aliter conuentum sit, in matrimonij contractu. Hac de caussa B. Virgo Deipara Iosephum secuta esset in Ægyptum, etiamsi Angelo non monente Iosephus eò voluisset proficisci. 4. Hæc cohabitandi obligatio multis est iucunda, multis acerba. Sed remedium præsto est. Minus est cohabitationem, quàm coniugium dissoluere. Inest enim huic ad cohabitandum obligationi tacita conditio, si scilicet alter quoque se obliget, & obligationi satisfaciat. 5. Hinc

Cap. 2. 7. & 14. de conuersione cõiugat. c. 16. de sponsal. & Trid. sess. 24. can. 6.

Genes. 2. Eccli. 25. 30. Eph. 5.

Matth. 2.

innocens

innocens coniunx non obſtringitur, ad adulteram ſecum in toro, aut domo ſeruandam. *Frangenti fidem, non tenemur ſeruare fidem.* Et hoc ſenſu permittit Seruator dimittere vxorem, *ob fornicationem*, domicilij ſcilicet, non vinculi matrimonialis diuortio. Cùm autem neque iudices puniant crimina niſi legitimè probata, neuter coniunx debet, aut poteſt, ob incertam ſuſpicionem, alterum ſui iuris poſſeſſione priuare. Neque verò diuortia tantùm fieri poſſunt publicâ Iudicij, ſed etiam priuatâ authoritate, ſi adulterium publicè notorium. Tunc enim nec ſcandalum exiſtit, nec noua infamia ſurgit. 6. Hunc in modum facto diuortio, poteſt innocens coniunx ſtatum mutare, atque in religionem ſe abdere, & imitari Paulum eremitam, vel Gangulphum, de quibus ſuprà memoraui. Nec enim tenetur recipere nocentem, quantumuis pœnitentem. 7. Neque ſanè etiam cohabitandi obligatio ita arcta eſt, vt cum graui quoque animæ vel corporis incommodo coniugês cogat cohabitare. Quare diuortium, non ob ſolam coniugis fornicationem, ſed etiam ob alias cauſſas, ſi non vſque ad mortem, ſaltem ad tempus fieri poteſt, ad graue corporis, vel animæ damnum euitandum; cùm nemo vlli corpus, aut animam ſuam aliter obligare cenſeatur. Itaque ſi alteruter coniux hæreſin vrgeat, ſi ſit Oreſtes & in furiam datus, ſi flagellifer Aiax, ſi veneficus, lue Gallica, aut morbo Syllano, ſi lepra, aut alio contagioſo morbo inquinatus; ſi plagoſus, ſi crudelis, ſi vitilitigator; eſt modus ſeparationis; quàm diu cauſſæ hæ perſeuerant: quæ ſi tollantur, à diuortio, ad conſortium coniugale eſt redeundum. Et par eſt ratio, ſi mulier ſit talis: ſi ſemper tonet, cum Canidia tempeſtates, cum Dalila inſidias coquat. *Non eſt caput nequius, ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum ſuum, tanquam vrſus, & quaſi ſaccum oſtendit. In medio proximorum ingemuit vir eius, & audiens ſuſpirauit modicum. Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris.* Ab huius igitur contubernio vir quoque habet modum ſecedendi: non tantùm *ad tempus, vt vacet orationi*; ſed quàm diu durat malum. Quid

Reg. 75. in ſexto. Matth. 19.

Con. d. 35. num. 2. Henriq l. 11. c. 17. Sanch. l. 10. d. 12. n. 13. & 25.

Nicephor. l. 8 hiſt. Eccleſ. cap. 40.

Paul. Laym. p. 3. c. 7. n. 17.

Eccli. 25. 22.

quòd etiam sponte, ex mutuo coniugum consensu, vterque potest ingredi in religionem? Vsque adeò multis modis Deus matrimonijs prospexit, vt *insolubilitate* eorum nemo ad animæ suæ exitium obligaretur. Sed multi etiam hîc sua culpa, malunt ægrotare, quàm admittere medicinam.

CAPVT XLIII.

Quinam, & an rectè matrimonium adhuc magis insolubile esse optarent?

I. Vc vsque de illis locuti sumus, quibus *insolubilitas* est odiosa; nunc etiam aliquid respondendum est ijs, qui mallent ipsam *insolubilitatem*, magis esse insolubilem, & nullo vel casu, vel interitu disrumpi posse. Nam vti diuersa sunt, inter mortales ingenia, ita & diuersa iudicia desideriaque inueniuntur. Quemadmodum igitur alij infaustis optant coniugijs absolui, ita & alij ea vellent perpetuare, quibus coniugia fausta contigerunt. His tam diuersis, immo aduersis, non eadem remedia sunt proponenda. Ambierat, in Saxonia, quidam insignem sponsam; eum fatuus homo interrogauit: *Ecquando tandem eam ducturus esset?* Respondit: *Patienter expectandum esse, donec ea sibi permitteretur.* Subiecit non fatuè fatuus: *Vbi eam acquisieris, expectandum quoque erit patienter, donec ab ea denuò absoluaris.* Alijs scilicet præsentia, alijs absentia coniugis est molesta. Illorum igitur medicina est mors vxoris, horum vita illius. Hæc præsentia multis interrumpitur modis. 1. Iam vir abest domo, jam mulier, vel amore vagandi, vel necessitate negotiorum. 2. Virum itinera, bella, hostes abducunt; & hi sæpe etiam vxorem. 3. Vtrique morbi in caussa sunt, vt præsentes, absentes videantur. 4. Quin haud rarò, in ipso demum matrimonio, impedimenta quædam patescunt, ob quæ matrimonium dirimitur. 5. Mors denique certa est omnibus, quæ tantò amariùs diuellit coniuges, quantò dulciùs vnà vixerunt, vt proinde dici possit: *Siccine separat amara mors?* Aduertens hæc D. Chrysostomus ait: *Si coniuges concordissimè vixerint, illis inijcitur timor, ne mors dirimat coniun-*

1. Reg. 15. 32.

S. Chrysf. lib. de virginit. cap. 53.

coniunctionis voluptatem, quod reipsa aliquando fieri est necesse: & consuetudo diuturna disiunctionem intolerabilem facit. Si verò antequam vir coniunctiones gustaret, orbatus est coniuge, maiore in luctu erit, & tanquam ex contrarijs caussis, parem vtriq; molestiam trahunt. Quid verò commemoranda sunt, quæ inter coniugij tempus molesta acciderunt? Diuturnæ peregrinationes, coniunctæ inter eos solicitudines, morbi, mortes. Hæc è matrimonio fausto infaustum faciunt, neque contra ea facilè adpromissorem, vadem, prædemúe inuenies.

Sunt hæc; sed vel ab hominum culpa, vel à Mundi natura veniunt, vt ostendant, nullis in hac vita delitijs esse perpetuitatem. 1. Qui absunt à coniugibus, vagandi amore, coniuges non diligunt. Itaque culpa sua absunt. Quod si sciat coniugum alter, qui domi manet, gaudere debet, si absit, à quo, aut à qua non diligitur, aut etiam odio habetur. Cùm vtique melius sit, procul esse ab inimicis. Quòd si nonnullos amantes negotia vel propria diuellunt, vel dominorum; ciet id quidem nonnunquam gemitus, nonnunquam & lachrymas, sed amorem firmat, desiderio absentium crescente; & gaudium multiplicat, tam diu omnibus votis suspirijsque desiderato domum redeunte. Quod vtrumq; in Penelopa atq; Vlysse suo Homerus demonstrauit. 2. Si non solùm negotia quotidiana, verùm etiam longiora itinera, bella, hostes ipsi coniugem abducant, vt in memorato Vlysse contigit, tanto maius absentis desiderium excitatur; tanto fides domi castè viuentis illustrior redditur. Quanquam & qui foris, in bello, diutiùs rem strenuè gerit, clarior euadit. Plus enim Respublica debet amari, quàm vxor; & maior est gloria, in bello versari inter tela, quàm domi sedere ad colum, & telas tractare. Quod si & hostes maritum, aut maritam abducant, communis est casus, neque matrimonio proprius. Potest enim & pater à filio, & filius à patre, & quiuis amicus ab amico abduci, hoste prædominante. Non esset humanus status coniugium, si homines ab humanis casibus liberaret. Et si vel maximè coniunx sit bello captus, aut abrepta filia, est spes & modus restitutionis impetrandæ, quemadmodum Chrysæ Chryseis est restituta. Neque supra

 mulie-

muliebrem patientiam debet esse, si vir eius sit ab hoste captus; sola enim cruciatur absentia, cùm maritus & absentiam, & captiuitatem, & mille alia incommoda debeat sustinere. Multoque indignius est, si vir impatienter ferat, vxorem sibi ab hoste esse abreptam. Briseida Agamemnon Achilli abripuerat; quam rem grauiter ferens Achilles, noluit ampliùs pugnare; neque antè vnquam potuit, vel donis, vel precibus, vel minis induci vt pugnaret, quàm Patroclum charissimũ socium, in armis suis audiuit ab Hectore interfectum. Hîc solùm fortis non fuit Achilles, vt de illo Martio heroë scriberetur:

Homer. Iliad. 1. Horat. 2. Carm. ode. 4.

Ille etiam abrepta desertus coniunge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.

Fortis est vel vir, vel femina, si absente coniuge, suam Deo & mundo, probat castitatem. Sicut enim mulier *præparata ad capiendas animas; garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians:* illud pro argumento admiscet: *Non est enim vir in domo sua, abijt via longissima:* ita vicissim est

Prou. 7. 10.

Felix Admeti coniunx, & lectus Vlyssis,
Et quæcunque viri femina limen amat.

Propert. l. 2. eleg. 6.

Testudo semper domi est, ita & mulier pudica; etiam viro absente, & diu absente, & longinquos ad Indos absente.

Penelope poterat bis denos salua per annos
Viuere tam multis fœmina digna procis.
Visura & quamuis nunquam speraret Vlyssem,
Illum expectando facta remansit anus.

Idem. l. 2. eleg. 9.

Et vel idcirco itinera incidunt, diuiduntque coniugatos. Quæ intelligenda sunt de ijs, qui mancipia non sunt. Nam vt paulo infra dicam, si quis liber per errorem seruam in matrimonium accipiat, impedimentum est vtique *dirimens;* quia redundat in errorem circa substantiam obligationis corporum, quorum vterque coniunx vult æqualem potestatem, cum indiuidua vitæ societate accipere. Atqui serua libero, vel liberæ seruus tradere æqualem non potest, eò ipso, quia à Domino suo diu noctuque, non obstante Matrimonij vinculo, occupari, & in remotissimas quoque terras potest ablegari.

3. Morbi quidem nullis sunt, quàm coniugibus, importuniores, quia vno semper morbo ægrotant duo; & dolente viro vxor amans dolet, vxoreque malè affecta, afficitur malè etiam amans maritus. At quis coniuges à morbis eximios judicet esse oportere? omne coniugium est inter mortales; &, quia morti, ideò & morbis subiectos. Qui immortales erunt, in cælo, *neq; nubent, neq; nubentur.* Ibi enim neminem nasci necesse est, vbi nemo moritur. In terris vt alij possint succedere, debent decedere alij: vt decedant, ægrotant. Hæc est mortalium natura. Sed & idcirco morbi coniugibus prosunt, quia non solùm præbent occasionem exercendæ patientiæ atque charitatis, sed etiam detegunt mutuum eorum amorem. Non potest enim latere amantis cura & solicitudo, & dolor, affectusque dicentis: III. Marc. 12. 25.

Mortem ego non fugiam morte subire tua.

Nam & qui magis amat, magis succurrit, magis vigilat, magis pro ægrotante laborat: & qui videt magis sibi succurri, amorem magis agnoscit, amoreque accenditur, sanitatique redditus, vices reddit, memor exempli, curæque sibi impensæ. Hos ergo tales morbi non disiungunt; immo coniungunt magis.

4. Multi, matrimonijs pleno consensu contractis, optarent & sani & ægroti vnà manere, sed coguntur sese deserere vel inuiti, itidem vtique sua culpa; cur enim inconsultò matrimonia contraxerunt? cur ausi sunt velle colligari, cum quibus colligari non potuerunt? Nam *sicut ferrum misceri non potest testæ,* ita quidam ad coniugium inidonei sunt, ob impedimenta partim diuinarum, partim humanarum legum authoritate, opposita. Quemadmodum enim summus Mundi Gubernator res naturales, per caussas naturales perficit; sic humanos quoque contractus dirigit humanarum legum authoritate. Itaque non tantùm à natura & Dei institutione, in SS. litteris nonnulli ad matrimonium inhabiles declarantur; sed etiam vtriusque Reip. Christianæ magistratibus Deus dedit potestatem populos in pace regendi, ad quam potestatem pertinet, vt per matrimonia huius pacis & tranquillitatis propagatio & salus non impediatur. Cùm itaque forma essentialis Matrimonij sit IV. Dan. 2, 43. Canon. 2. 27. q. 2.

 mutuus

mutuus contrahentium consensus, qui corpora contrahentium afficit, quà sunt ad vsum coniugalem idonea, fit vt id quod vel substantiam huius consensus destruit, vel hanc corporum aptitudinē tollit, *Matrimonij impedimentum* nominetur. Atque vt de illis impedimentis, quæ quia impediunt, ne nuptiæ licitè contrahi possint, *impedientia* vocantur, nihil hîc dicam; eò quòd non cum substantia, sed solennitate duntaxat huius sacramenti pugnent, atque idcirco matrimonia non dirimant: certè multi, sine vllo discrimine, sine deliberatione, & ratione, nuptias celebrant, cum quibus neque licitè, neque validè eas possunt celebrare. Quid ergo mirum, si dissuere debent, quod malè consuerunt? De his impedimentis copiosè disserunt, qui de conscientiæ casibus scripserunt. Obiter ea percurrisse satis erit, ad monendos homines, ne sint in coniugijs ineundis leues & præcipites, & legum Ecclesiasticarum negligentes; neque priuatim contrahant, quod postea publicè est retractandum.

V. L. 15. de Iurisdict. omnium Iudicū. L. 8. & 9. C. de iuris & facti ignorantia. Reg. 117. § de reg. iuris.

Primum itaque impedimentum est, *Error*, quia, vt iura dicunt, *Errantis nullus est consensus*. Cùm enim voluntas nihil appetat, nisi quod est cognitum, in incognitum vtique non potest consentire. Itaque *Error* vel *ignorantia* tollit consensum voluntatis, quæ potest esse, vel de persona ipsa, vel de qualitate, vel de conditione personæ. Si error intercesserit circa personam, vt si quis contrahit cum Lia, putans esse Rachelem, nullum est matrimonium, nisi post errorem deprehensum, in matrimonium de nouo consentiat; vti fecit Iacob Patriarcha. Si error contingat in *Nomine*, vel *qualitate*, vt si quis cum ignobili, aut paupere contrahat, quam existimauit esse nobilem aut opulentam; aut cum vitiata, quam credidit esse virginem; stat matrimonium; nisi qualitas illa in pactum fuerit deducta, vel etiam in personam redundârit: vt si qua heroina putauit se nubere primogenito Regis, cùm is sibi hoc nomen falsò arrogârit. Plus est, si error interueniat in *conditione*, quàm in *qualitate personæ*: vt si quis seruam inueniat conuincatque esse, quam sibi persuasit esse liberam; nisi & ipse seruus sit, vel, errore patefacto, ratum habeat matrimonium, vel cum illa ma-

Gen. 29. 24.

Cap. 2. & vlt. de coniugio seruorum.

trimo-

trimonium consummârit. Sicut enim error ipsius personæ, tollit materiam, scilicet ipsam personam contrahentem; ita ignorantia conditionis in persona tollit partem materiæ: siquidem serui non habent plenam corporis sui potestatem. Error autem qualitatis, vel opum spectat tantùm ad accidentales eius circumstantias, quæ secundariò, in matrimonijs considerantur. Non enim multùm refert, Mariáne aliqua, an Martha vocetur; quamuis sciam à Prædicante aliquo Lutherano hanc regulam obseruatam & alijs traditam esse, in Wirtenbergia:

Vxorem ducturus ab R. tibi disce cauere:
Iras & guerras R. habet omnis habens.

quales sunt *Maria, Martha, Margareta:* mar, mar, mar. Hic Prædicans, si cum Iosepho vixisset, vtique non dixisset cum Angelo: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Porrò validè etiam non contrahunt, qui humanæ notitiæ, circa Personam, & obligationem præsentem sunt incapaces, vt pueri, furiosi, perpetuò amentes, valdè ebrij, surdi simul & à primo ortu cæci, tanquam nullo modo docibiles, & quicunque deliberatum consensum habere nequeunt, aut liberi arbitrij vsu carent. Item qui ordinibus sacris, seu maioribus, sunt initiati, idque vel ob votum solenne castitatis his ordinibus non diuino, sed Ecclesiastico iure annexum, vt quidam volunt; vel, vt alij verosimiliùs docent, ob antiquissimam Ecclesiæ constitutionem. Quin & is, qui *votum solenne,* in approbata Religione, emisit, inhabilis est ad matrimonium. Quare neque iste, neque illi, seu religiosi, seu parochi, seu etiam diaconi, aut subdiaconi vxorem ducunt, sed meretricem. A qua meritò sunt separandi; quamuis ægrè ab hoc visco separentur, sicut & illi, quibus *impedimentum criminis* obstat. An non enim jure ab inuicem diuelluntur adulteri, qui sciunt priores adhuc suos coniuges viuere, & tamen nuptias nouas superinducunt? digni, quos vel carnifex diuidat? vel adulteri, qui sibi inuicem impiam fidem dederunt de coniugio inter se ineundo, post mortem vxoris adulteri, vel mariti adulteræ? multóq; magis, si adulter mortem coniugis suæ, vel mariti adulteræ procurauit, vt eam posset in vxorem ducere? Hos quis simul esse

Matth. 1. 20.

Conc. Trid. sess. 24. Can. 9.

Can. relatum 31. q. 1. 3. C. super hoc. de eo qui duxit in matr.

esse non indignè ferat, per tanta crimina ad connubium grassatos? Pari pacto, quis eos in matrimonio stabiliat, qui nulla *religionis*, nulla *consanguinitatis*, nulla *affinitatis*, aut vllius *cognationis* ratione habita, ea matrimonia eligunt, à quibus natura abhorret? Quis patrem filiæ, matrem filij esse coniugem æquo animo audiat? Quis cum Ioanne non dicat, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui?* Et Oedipos vel veteres Ethnicorum tragœdiæ deplorauerunt. Denique *impotentia*, quæ & perpetua est, & matrimonium antecessit, ipso iure naturæ facit matrimonium esse nullum; quomodo enim potest is se ad coniugium alligare, qui nequit perficere actum matrimonialem? An non præstat huiscemodi dirimere, vt alter alibi remedium quærat, qui *impotentia* non laborat? Quare hæc ipsa talis separatio bonum est quoddam matrimonij; neque potest sine calumnia accusari; sicut & illæ, quæ sunt strictim à nobis enumeratæ.

Marc. 6, 18.

VI. 5. Igitur restat sola mors, quæ sanè est longè amarissima amantibus, ob tres caussas. 1. Quia charos diuellit. 2. Quia viduos aut viduas facit; quis autem nescit vel viduorum desolationem, vel calamitatem viduarum? 3. Quia rarò secundus maritus, aut secunda vxor est melior. Ordine singula retexam. Fatendum enim est primò, mortem talibus multò esse acerbiorem, quàm quibus coniunx non est.

Propert. l. 2, eleg. 8.

Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cùm miseræ permiscuit ossa puellæ,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?

An non audimus quotidie, *Nolo viuere, postquam vitam, postquã animam meam amisi. Simul moriar, simul sepeliar?*

Tantus in erepto sæuit amore dolor.

At hic ipse dolor docet, longè mitiorem esse mortem ijs, qui in cælibatu coniuge caruerunt, longè vitam feliciorem. Nam neque ipsi morientes solliciti sunt pro superstite coniuge; neque tristantur coniuge priùs moriente. Deinde ista, per mortem, allata separatio, coniuges monet, ne se hîc esse beatos arbitrentur, sed semper meminerint, delicias suas finiendas, & ad aliam beatitudinem aspirandum; ad quam, nisi per mortem, nunquam peruenirent.

Quid

Quid quòd ipsi sæpe sibi coniuges in caussa sunt mortis celerioris? Cambles rex, noctu, vt fertur, præ amore, vxorem suam vorauit; manè adhuc manu eius in ore reperta. Ac ne hunc solum hoc fecisse putemus, multi amore nimio vxores suas perdunt, dum eis noxia quæque permittunt. Immo se ipsos, dum vxoribus omnia permittunt, exitio obijciunt. *Syra Semiramis, vernæ regij ancilla, corpore quæstum fecerat. Quæ, cùm in ipsam incidisset ipsamq́ dilexisset Ninus, ita hominem in potestatem suam redegit contempsitq́, vt licere peteret sibi, & permitti, vnum diem, in solio regio sedere, diademate redimitam, & responsa gentibus dantem. Quod ille cùm concessisset, edixissetq́, vt omnes ei, perinde ac sibi parerent, & dicto essent audientes: gessit se in primis præceptis, vt periculum faceret, moderatè. Quos vt nihil obstrepentes, sed impigrè mandata exequentes vidit, Ninum corripi; mox vinciri iussit; denique etiam obtruncari. Quibus transactis, regnauit per Asiam clarè, longo tempore.* Habuisset & Ninus vitam longiorem, nisi nimis vxorius fuisset. VII. Plutarch. in serm. amat.

Talia connubia, & tales celebrent Hymenæos
Egregium Veneris genus. Virgil. lib. 7. Æneid.

Candaules quoque nimium vxorem adamabat, eamq́, præ amore, arbitrabatur omnium feminarum esse pulcherrimam, Hoc ita esse sibi persuadens, apud Gygem Dascyli filium ex satellitibus suis (erat enim is maximè acceptus, & quo ministro in rebus magis arduis vtebatur) speciem vxoris supra modum extollebat. Et quia magis incredulæ sunt aures hominibus, quàm oculi, inuito ostendit, non quo decebat modo. Itaque, ob id probrum dormiens eiusdem vxoris iussu & ope, manu autem Gygis interfectus est; vna nocte, & regnũ, & vxorẽ, & vitam amittens; victurus, si aspectũ coniugis solus frui potuisset. Itaq; ipse luit linguæ & petulantiæ suæ leuitatem; quemadmodum Lucretia illa Romana viri proditionem; quam vtique diutiùs habuisset Collatinus, nisi in vino eam alijs laudauisset. Itaque sæpe vel sibi ipsis, vel thalami consorti mortem consciscunt nimij coniugum amatores; quas pro idolis habent, & tanquam Deas adorant. Igitur neque sceptrum ijs tradere oportet, neque eas alijs ostentare, aut prædicare, ne vel volentes, vel nolentes separentur. Herodot. li. 1.

VIII. Vincent. l. 3. Hist. VVierus l. 2. c. 46. de præstigijs dæm.

Quanquam nonnulli, ingratijs suis, sint caussa bonæ separationis. Mirabile est, quod complures scribunt authores, in egregiã admonitionem eorum, qui se temerè cuiuis credunt, & notas ignotasque mulieres, nullo discrimine, in familiaritatem, in domum, in thalamum & connubium admittunt. In Sicilia, sub Rogerio, iuuenis quidam strenuus, & natandi apprimè peritus, circa crepusculum exierat, &, lucente luna, æstus diurnos in mari temperabat. Ibi, dum aquis fertur, & iucundè lauat, fortasse & inuerecundè, videt mulierem post se natantem, haud secus ac socium aliquẽ ludere gestientẽ, aut volentẽ mergere eum, qui prænatabat. Apprehensam igitur crinibus in littus extrahit, quasi ex Acidalijs fontibus è tribus gratijs vnam. O prædonem! ô prædam! ô infelicem piscationem! Putat se Andromedam reperisse, aut incidisse in Dianam lauantem, & non timet, ne fiat Actæon. Dum eam in ripa sedentem capillis tenet, affatur comissimè & interrogat: Quænam sit, aut vnde huc veniat? sed multis quæstionibus ne verbum quidem extorquet. Satis ea erat magna suspicandi caussa; &, nihil boni subesse, vel silentium ipsum loquebatur. Sed cæca est cupiditas, facilè excusat, quod amat. Cetera nolo dicere. Certè quia ei placuit, pallio opertam secum domum duxit; quin & duxit in vxorem. O temeraria iuuentus! ô improuida ætas, quoties te existimas esse cum homine, & es cum dæmone! Iam diu cum hac Nympha habitauerat adolescens, & verò etiam elegantem admodum filium ex ea susceperat, cùm eum aliquando optimorum vnus sociorum visitauit. Venerunt fortè in eum sermonem, vt de vxoris patria, & stirpe quæreretur. Respondit vecors maritus, nihil se earum rerum scire, nisi quòd è mari illam, quasi muræнam extraxerit, atque interea verbum ex illa nullum quiuerit exprimere. Cui socius meliùs sapere assuetus: *Quantum video*, inquit, *profectò Phantasma est tua vxor, atque è Tartareis laruis vna. Egóne silere illam tam diu paterer? ego non adigerem ad edendam veritatem? Ego cum Sigalionis filia, aut cum Angerona ipsa habitarem? Fraus est certa. Harpyia aliqua hìc latet. Verberibus verba extunderem, si verbis responsum non impetrarem.* Expauit iuuenis maritus ad hanc obiurgatio-

iurgationem veteris amici. Mox etiam excanduit. Itaq; ferro correpto vxorem aggressus fari iussit. Qua nescio quid barbarum infrendente, minitari cœpit, se filium, quem ex ea sustulerat, interfecturum illico, ni loqui vellet, suamque originem, & solum patrium fateri. Ad quas minas, *Væ misero tibi,* inquit illa, *utilem perdis vxorem, dum me effari cogis. Mansissem tecum, ac in rem tuam esset, si iniunctum mihi silentium permisisses. Nunc autem me posthac non aspicies.* Cum dicto euanuit, ostenditq; se vmbram, aut nubem, illum Ixionem fuisse. Neq; satis fuit, vxorem æquè celeriter amissam, ac leuiter acceptam esse, puer quoque, vbi adoleuit, cœpit marinum balneum frequentare. Tandem igitur, die quodam, multis natando sese oblectantibus, inter alios, etiam is ipse denuo in vndis brachia quatiens exultauit; occurrit ergo illi, omnibus spectantibus, seu marina mulier, seu phantastica Siren, atque ex omnium oculis abripuit, nunquam postea ampliùs visum. Sic & vxorem, & filium perdidit festinus & præceps nuptiator. Simile quid circumfertur de Melusina, quod si fabulam sapit; fabula tamen non est, quod in nostra vicinia constat euenisse: vt profectò in iocum trahere non debeant, qui eundem scopulum cauere jubentur. Ah quot vel ego noui iuuenes, quot viros sic deceptos, vt dum putarent se Iunonē habere, aut aliam mulierem, ipsum cacodæmonem, ambabus vlnis amplecterentur; atq; ita capientes caperentur! Quanto tales beneficio afficit, qui tali eos connubio liberat? liberat enim à pessima mali dæmonis seruitute. Quamuis (prô dolor!) plerumque hoc connubium nimis solet esse insolubile; tametsi amabile non est, sed miserum & detestandum: & tali vitæ vtiq; debet mors præoptari.

Quid si & sanctus quidam amor nonnullos coniuges vita priuat, vt coniuges suos in vita seruent? *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* S. Candida iunior, Neapoli, anno Christi 532. nobilibus parentibus orta à teneris vnguiculis pietati & misericordiæ erga pauperes addictissima; nunquam otiosa, semper aut lectione, aut precatione, aut meditatione, aut æqualium exhortatione, aut dissidentium conciliatione occupata; vt parentum obedi-

IX. Ioan. 15. 13.

Ferrarius 4. Septemb.

ret voluntati, pio viro nupsit. A quo cùm filium nacta esset, cœpit matrimonij curas experiri. Nam & maritus, & filius in grauem incidit morbum: quo inualescente vterque breui erat moriturus. Sed quid non facit amor? Quæ vtrumque habebat vitâ suâ chariorem, Deum incensè rogauit, vt vtrique vitam prolongare, & sibi, eorum loco, adimere vellet. Rogauit, impetrauit. Postea in S. Andreæ templo sepulta, miraculis luxit. Iucundum non fuerit huic marito vxorem amittere, tamen vtile fuit: immo & magnum Dei beneficium fuit. Neq; hic inter coniuges rarus est amor. Sæpe sunt, qui pro coniuge mortem volunt oppetere. Et oppetunt non pauci. Bona est itaq; talis mors coniugatis, quia maxima est amoris probatio.

CAPVT XLIV.

De Bono viduitatis.

L.



AT alterum erat, *Quod viduos mors faciat, viduasq́;?* Facit sanè, & sunt sua incommoda viduitati. Verùm qui matrimonij priùs incommoda experti sunt, facilè postea sustinent incommoda viduitatis, *passi grauiora.* Sicut leuius est, tolerare morsus muscarum, quàm vesparum ictus; & expeditius fluuium, quàm Oceanum traijcere. Gratiam sibi factam existimat, cui compedes demuntur è carcere dimisso; etsi pedem non audeat efferre è ciuitate. Ita duras compedes deposuit, quisquis vinculo coniugij est liberatus; etsi non liberatus est ab omni vitæ istius calamitate: à qua, non coniugis, sed propria mors tantùm homines solet eximere. Viduitatis statum matrimonio etiam excellentia antistare, ipse Apostolus docet his verbis: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. quòd si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat: tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium: puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam;* qui est Spiritus consilij. Quàm clarè autem viduam ait esse vxore *beatiorem?* tum hîc in quieta, Deo dicata, & sanctiore vita; tum post mortem, in maiore beatitudine & gloria. Vt enim viduitas matrimonio melior est, ita quoq; maior eius

1. Cor. 7. 31.

erit

erit in cælo corona: teste S. Augustino, Ambrosio, alijsque Patribus. Enimuerò, in cælo, & apud mortales, magna semper fuit laus viduarum, quæ cùm possent denuo nubere, amore primi mariti, immo amore castitatis, *vniuiræ*, quàm *biuiræ*, esse maluerunt. Hæc est enim dos viduæ post voluptatis experientiam continentis, de qua laudatur, in veteri Testamento Iudith, eò *quòd castitatem amauerit, & post virum suum alterum nescierit*; in nouo autem Dominum, ad suscitandum à mortuis adolescentem, etiam illud mouit, quia *erat filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat*. Quin & Gentilium judicio magna fuit gloria viduarum, præsertim, si *post virum suum alterum nescissent*. Hinc Dido, apud Poëtam ita gloriatur:

S. Augustin. lib. de bono viduitatis. S. Ambros. l. de viduis. Iudith. 15. 11. Luc. 7. 12.

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, seruetq; sepulchro.

II. Et S. Apostolus ait: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Si communi lege naturæ*, ait de Didone S. Hieronymus, *damnat gentilis vidua omnes voluptates, quid expectandum est à vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solùm ei dat, qui defunctus est, sed & ei, cum quo regnatura est?* Cùm autem Paulus viduas vult honorari, duplicem honorem intelligit, proprium, qui in reuerentia quadam consistit, & eum, qui fit, quando oblationibus fidelium sustentantur. *Honor* enim, vt ait idem S. Pater, *in scriptura non tam in salutationibus deferendis, quàm in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur*. Et vel hinc etiam addit Apostolus: *Quæ verè viduæ sunt*, hoc est, destitutæ, desolatæ, orbæ, & pauperes. Hæ ab Ecclesia alebantur: & sub cura Episcopi erant. Quocirca Chrysostomus, inter alias caussas, cur fugeret episcopatum, quasi onus suos humeros superans, hanc adfert, quòd oporteat Episcopum curare viduas, & eis prouidere. Et Cornelius Papa numerat Romæ viduas cum indigentibus mille quingentas, *quas omnes*, inquit, *alit Deus in Ecclesia sua*. Quia igitur *verè viduæ* sunt, quæ sunt omni ope destitutæ, viduæ diuites, vel quæ parentes, filios aut nepotes opulentos poterant adire, non *verè viduæ*, hoc est, omni auxilio orbæ habebantur. Et tamen illæ quoque, suo modo, honorabantur. Nam ex eis delectæ sunt diaconissæ & similes, quæ imperitas

1. Timoth. 5. 3. S. Hieronym. ep. ad Saluinam. S. Hieronym. in cap. 13. Matthæi. S. Chrys. l. 3. de Sacerd. Apud Euseb. lib. 6. hist. cap. 33. S. Epiphan. hæres. 79.

 mulieres

mulieres fidei dogmatis instruxerunt, & præpararunt ad Baptismum; ac quasi matres & præfectæ aliarum feminarum extiterunt, pauperumq; & ægrotorum curam gesserunt, quin & mensis, & eleemosynis præfuerunt. Quod intelligere est ex *murmure Græcorum aduersus Hebræos, eò quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.* Harum diaconissarum laicarum, nullaq; ordinatione consecratarum officium præterea erat, vt ex Epiphanio & Clemente colligitur, præesse ijs templi foribus, per quas feminæ in templum ingrediebantur, vbi itidem distinctum à viris locum habuerunt. Quam ob caussam S. Ignatius Martyr diaconissas vocat vestibulorum custodes. Hæ etiam, persecutionum tempore, clam mittebantur, quò diaconus venire non poterat, vt Episcopi consilia, solatia, mandata, ad fideles perferrent; eosque in fide firmarent, in paupertate subleuarent, in morbis curarent. Quin & in baptismo, Confirmatione, morte, mulierũ corpora deuestiebant, vnctiones abstergebant, cadauera lauabant componebantq; ad sepulturam. Atque huiusmodi diaconissæ fuerunt diu in Ecclesia Græca: Latini autem eas statim aboleuerunt, vt ex Conc. Aurelianensi constat. Sicut etiam statim tempore Apostolorum, facta est aliqua mutatio, mulierum enim loco, electi sunt diaconi, qui mensis & eleemosynis præessent; ita tamen vt viduæ ab hac cura, præsertim circa mulieres, non penitus excluderentur; sed diaconos haberent præsides, quibus ipsæ subseruirent. Harum virtutes multas & præclaras Apostolus attingit. Erat enim earum, *filios, nepotes, & domum suam regere, Mutuam vicem reddere parentibus,* sicut ciconiæ solent, dum nutriunt à quibus nutritæ: *Sperare in Deum,* loco parentis & mariti futurum prouisorem: *Instare obsecrationibus & orationibus, nocte ac die: In delicijs non esse: Irreprehensibiles esse.* Alijs pijs operibus, maximè autem misericordiæ atq; hospitalitatis se dedere. Ea autem, quæ alijs erat præficienda, *vidua eligebatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerat vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.* Vt autem olim, Apostolorum ætate, fuêre quædam virgines,

Act. 6. 1.

Epiphan. hæres. 79. Clem. l. 3. constit. cap. 15.

Conc. Aurelian. II. Can. 17.

Act. 6. 2.

1. Cor. 5. 4.

Conc. Carẽ

quæ

quæ ſe totas Chriſto conſecrabant, quarum aliæ ſeorſim in domibus ſuis degebant, aliæ ſimul viuebant, quemadmodum jam fit in monaſterijs: ita & ſimiles erant viduæ. De ſimul viuentibus ita ſcribit S. Ignatius martyr: *Saluto collegium virginum, & cœtum viduarum.* Hæ igitur viduæ à mundo ſeparatæ vni Deo & pietati vacabant. Hæ caſtitatem vouebant. Qua de cauſſa Apoſtolus aiebat, aliquas ex eis *primam fidem* (id eſt, votum) *irritam feciſſe.* Tempore D. Auguſtini & Innocentij, etiam diſtinctum habitum gerebant, laico in religioſum & nigrum mutato. Vnde D. Auguſtinus reprehendit Ecdiceam, quòd, inſcio marito, veſtem laicam depoſuiſſet, atque in pulla tunica incederet. Tales viduæ an non erant maritatis tranquilliores, ſanctiores, beatiores? Et tales quoque vidui innumeri fuerunt, vt iure eos coniugatis, velut Megiſtanas Armenij, cenſeas anteponendos.

thag. III. can. 33.

S. Ignat. ep. ad Philippenſes.

1. Cor. 5. 11.

Conc. Arauſican. cap. 15. Carthag. IV. c. 104. S. Auguſt. ep. 199.

III. Sed quia vis exemplis ineſt, age viduas aliquot virtute inclytas in medium adducamus, quarum primam ſe offert, non iam *fortiſſima Tyndaridarum*, ſed Hebræarum fæminarum Iudith, virilis animi mulier; quæ plures habebat in pectore virtutes, quàm circa collum vniones. Ea multis proauis, ſed mente magis generoſa, defuncto viro, *in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium* (vt non ſolùm ſecreto cubiculo excluderet occaſionem colloquendi cum viris, ſed & carnem domeſticum hoſtem reſtringeret) *ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbata, & neomenias, & feſta domus Iſraël.* Hanc ne inopia ieiunijs videretur addixiſſe, ei *vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam ac poſſeſſiones armentis boum & gregibus ouium plenas. Erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Eius ſapientia, ſpes in Deum, libertas corrigendi diffidentes, & Deo diem præſcribentes è ſermone illius eluxit. Eius authoritas ab Ozia & presbyteris eſt confirmata dicentibus: *Omnia quæ locuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis vlla reprehenſio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es, & timens Deum.* Poſt hæc *ingreſſa eſt oratorium ſuum: & induens ſe cilicio*

Iudith, 8. 5.

se cilicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum. Talis vna puella comitante, contra potentissimum hostem processit. *Egreditur castitas oppugnatura lasciuiam*, ait S. Fulgentius, *& ad interitum superbiæ humilitas sancta procedit, ille pugnabat armis, ista ieiuniis: ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncauit vna mulier tanti agminis ducem, & insperatam Dei populo reddidit libertatem.* Et quia par est, viduas *non multo vino deditas* esse, femina illa ieiunijs præparata temulentum Holofernem occidit. *Aduertitis*, inquit S. Ambrosius, *quantum nocere poßit mulieribus ebrietas, quando viros vina sic soluunt, vt vincantur à feminis. Esto igitur vidua temperans; casta primùm à vino, vt casta poßis esse ab adultero. nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Iudith bibisset, dormisset cum adultero: sed quia non bibit, haud difficilè ebrios exercitus vnius sobrietas & vincere potuit, & eludere.* Vigilauit, orauit, somno vinoque sepultum iugulauit, & caput retulit in triumphum. Quanta ea victoria fuit? & quanti boni caussa? quanta hostium cædes, ciuium spolia, populi gaudia, feminæ triumphantis gloria? *Tanti dux femina facti:* & femina viro suo viduata, longéque iam illustrior, quàm priùs maritata.

S. Fulgentius ep. 2. c. 14.

S. Ambros. lib. de viduis.

IV. In nouo Testamento viduarum decus adhuc magis effloruit. Longè enim plures possunt numerari. Agmen ducat *Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationib. seruiens nocte & die.* Et quia toties adibat templum, meritò etiam, qua Messias eò portatus erat, *ipsâ hora superueniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israël.* Vsque adeò non solùm amabat, sed etiam prædicabat Christum femina, *cuius diuersorium erat in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio*, ait S. Ambrosius. Hanc imitabantur illæ viduæ Apostolicis institutis congregatæ, de quibus paulò priùs commemoraui. Valdeque à Christo laudata est illa, quæ tantis donatoribus est

Luc. 2. 36.

S. Ambros. in c. 2. Lucæ.

prælata.

prælata. *Sedens IESVS contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium; & multi diuites iactabant multa. Cùm venisset autem vidua vna pauper, misit duo minuta, quod est quadrans; & conuocans discipulos suos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc verò de penuria sua omnia, quæ habuit, misit, totum victum suum.* Quod si fecisset viuente marito, sine metu non fuisset. Iam ergo à coniuge libera, etiam potuit esse liberalis. Vt multæ aliæ viduæ, quæ postquam vxores esse desierunt, cœperunt fieri pauperum matres, dotem suam in Christum transferentes. Marc. 12. 41.

Quales viduæ S. Paula Romana, Blæsilla, Melaniaq; extiterunt; vt in earum vita eas describit S. Hieronymus. De virtute atque imagine sua notissima Elisabeth regis Hungariæ filia, marito sibi adhuc admodum iuuenculæ erepto, omnem curam, laborem, & vitam pauperum ægrotorumque necessitati consecrauit, non dedignata, regijs manibus, *sanctorum pedes*, immo & scabiosa leprosorum capita lauare. Quirina S. Laurentij Iustiniani Patriarchæ Veneti mater, nobilissimi sanguinis mulier, anno ætatis quarto supra vigesimum, coniuge mortuo, cum quinq; liberis superstes, *domum suam regens*, reliquam omnem vitam cælibem duxit, filiosque in timore Dei & diuinis mandatis incedere docens, diu noctuq; orationibus vacauit; ac, ne in delicijs mortua esset, quoad vixit, catena ærea tenerum corpusculum arctissimè constrinxit. Florentissima ætate, vigilijs palluit, ieiunijs carnem ita macerauit, vt tota ossea videretur. Nihil tamen impensiùs curauit, quàm pauperes, erga quos benefica non solùm ipsa misericordiæ suæ viscera Mundo ostendit, verùm etiam operam identidem dedit, vt liberos quoq; suos, sicut exemplo, ita & verbo instrueret, ad eleemosynas egenis profusissimè largiendas. S. Gregorius Turonensis memorat, Anno Christi 514. Clodoueum Francorum regem è vita discessisse, sepultumq; esse, Parisijs, in templo S. Petri, quod ipse, S. Genouefa virgine hortante, à fundamentis erigere cœperat: & vxor eius Clorildis inchoatum perfici curauit. Hæc Clorildis, regia vidua, viro orbata, totam se Christo addixit.

V.

Bernard. Iustinian. in vita S. Laurentij Iustiniani.

S. Greg. Tur. lib. 2. hist. Franc. c. vlt.

addixit. Itaque tumulato rege, Turonos profecta, ad Basilicam S. Martini, sibi domum elegit, sæpiusq; in templo, quàm in sua domo versata, vsque ad extremum spiritum, Deo deuota, miseris benigna, mortalium immortaliumque oculis pudica & casta vixit. Cuius laudibus haud absimilis extitit S. Brigida, vidua itidem genere & virtute nobilissima. Hæc, post mortem viri, manus eleemosynis, pedes itineribus, linguam precibus, animam vitamq; totam Deo consecrauit. Iuuit enim stipe pauperes, visitauit Romæ & Hierosolymis loca sacra; ædificauit complura monasteria, multaq; ad Numinis honorem heroica facinora patrauit. Sed maximè admirabilis fuit Constantia Constantini Imperatoris filia; quæ, in summo flore, honore, diuitijs & delicijs, Gallicano coniugi, totius exercitus Duci, cælesti eloquentia persuasit, vt & fidem Christianam amplecteretur, &, quod in tali rarum est, coleret etiam continentiam, quam ille & illa, per votum Deo consecrauit. Gallicanus, in matrimonio viduus, è Duce militum, pater pauperum factus, vt eius sanctitati coronis adderetur, sub apostata Iuliano, etiam martyr factus ostendit, matrimonijs etiam summum decus & gloriam à morte posse accedere. Illum enim vxor fide imbuit; fides castitate ornauit; castitas erga inopes liberalem fecit; liberalitas purpura induit; fortitudo deniq; coronauit. De S. Monica D. Augustinus ipse hæc scribit: *Fuerat vnius viri vxor; mutuam vicem parentibus reddiderat; domum suam piè tractauerat; in operibus bonis testimonium habebat; nutrierat filios; toties eos parturiens, quoties abs te deuiare cernebat. Postremò nobis, Domine, omnibus, qui ex munere tuo, ante dormitionem eius, in te iam consociati viuebamus, percepta gratia baptismi tui, ita curam impendit, quasi omnes genuisset; ita seruiuit, quasi omnibus genita fuisset.*

S. Augustin. lib. 9. Conf. cap. 9.

VI. Addam paulò recentiora duo. Primùm, ex Adalberone Traiectensi Episcopo, est de Cunegunda Imperatrice Imperatoris Henrici II. vxore, virgine, quæ, admirandis exemplis, matrimonio virginitatem, virginitati matrimonium coniunxit. Hæc Anno salutis 1024. decedente, & Bambergæ sepulto Henrico Imperatore; etsi omnia oppleri turbis & misceri rumoribus

Baron. Anno 1024. 1025. & 1040. ex Ad-

bus cœpissent, animo constans, & inter turbas nihil turbata, defuncti coniugis animam pijs officijs prosecuta, illud vnum omnibus curis laborabat, vt orationis assiduitate, & largitate eleemosynarum demortuum Imperatorem Deo etiam atque etiam commendaret. Annus ierat inter hæc opera. Interea & monasterium illius iussu & sumtu est ab architectis absolutum; in quo, ipso anniuersario die obitus Imperatoris, Ecclesia est solenni ritu dedicata. Aderat ingens multitudo; symphonia insignis, splendido apparatu omnia peragebantur. Sed nihil spectantium animos magis commouit, quàm quòd, post basilicam Deo dedicatam, ipsa quoq; demum Augustissima Imperatrix ad eum se modum dedicârit. Quippe publicè atq; in conspectu omnium, ornamentis Imperatorijs humi depositis, eorum vice, monasticum amplexa est habitum; eiusdem loci monialibus, posthac famulatura, non Imperatura. Quo in seruitio, per quindecim annos, vsque ad obitum, constantissimè perseuerauit. Vitam, vt vixit, ita & finiuit. Cùm enim animam jam iam exhalatura, in extremo morbo decumberet, atque augustalia ornamenta ad funeris pompam præparari conspiceret, has priùs voces, quàm animam, effudit. *Amictus iste non est meus: auferte hinc, ornatus hic alienus est: istis terreno sponso, & his cælesti sponso sum copulata. Nuda de vtero matris meæ egressa sum, nuda reuertar illuc. His miseræ carnis vilem materiam inuoluite, & corpus meum, iuxta tumulum fratris mei ac domini Henrici Imperatoris, quem me vocantem video, in proprio locello reponite.* His ad circumstantes dictis, Domino Deo animam suam in manus & commendauit, & tradidit.

alberone Episcopo VI. Traiectensi.

VII. Alterum, quod hominum ferè memoria exemplum mundus vidit, est de Philippa Lotharinga, cuius vita tota hunc locum mereretur. Sed quia peculiari libro edita est, aliqua tantùm perstringam. Hæc, Serenissimo Duce marito, per mortē, amisso, ita honores, ornatum pompasque omnes fugit, vt in Principe femina Principem te amisisse putares. Solus in ea Deus, nullus Mundus viuebat; quem quantùm ipsa contempsit, tantùm optauit & ipsa contemni. Itaque & in monasterium se abdidit, vtq; in infimo se loco poneret, egit ianitricem.

Nihil vestis pretiosæ, nihil supellectilis argenteæ admisit: & quæ vel inuitæ à Principibus viris obtrusa sunt, ad templi ornatum remisit. Mirus erat in ea affectus, erga Christi Passionem, de qua sine suspirijs non cogitabat, sine lachrymis non loquebatur; &, si vel ad mensam aliquid legi audiret, ita in amorem pro se passi Domini rapiebatur, vt cibi suique obliuisceretur. Multa sacrorum millia Deo offerri curauerat, vt aliquid doloris persentisceret, in honorem Christi crucifixi. Impetrauit. Itaque feria quinta, singulis hebdomadis, cœpit incredibilem quendam pati cruciatum, quasi sub costis lancea acutissima esset traiecta à latere per ipsa præcordia ascendente. Atque hunc cruciatum à die Iouis, vsque ad Sabbati diem, tanta patientia, quanta molestia, sustinebat. Inquisitum est in huius tormenti caussam, post mortem illius, balsamoque imbuendæ intestina sunt euiscerata. Ibi eximij candoris inuentus est lapis cordis humani speciem præ se ferens. In hoc alabastrino corde quinque lapilli, velut præcipuorum Christi vulnerum imagines, infixi erant, gemmarum instar, aut sanguinearum guttarum, lucidissimè punicantes. Basis illius alabastri, non tantùm, more cordis vsitato leniter acuminata erat, verùm etiam ita tenui mucrone cuspidata, vt quoties se verteret, intestina punctim excruciaret. Cor hoc alabastrinum atque lapilli inter varios Principes & Monarchas distributi etiamnum, cum honore asseruantur. Anima morientis visa est à Diuis in cælum vocari ac perduci. Corpus, cùm in templo exponeretur vili habitu amictum, corona regia ad pedes apposita, mirabiles in concurrentium animis pietatis motus excitauit, clarè videntium quàm vtile sit calcasse honores, & Mundum contempsisse. Sed, vt dixi, tota vita & ea, quæ morienti contigerunt huic loco idonea, in ipso, qui de vita eius scriptus est libro, reperiuntur: vti & alia miranda de S. Francisca Romana, de Maria Victoria Genuensi, deque alijs, in earum vita non ita pridem edita.

VIII. Hæc atque alia talia sunt, quæ statum hunc mirè commendabilem & honorabilem reddunt. Qua de caussa meritò S. Paulus scripsit ad Timotheũ; *Viduas honora:* meritò David Thecui-

1. Tim. 5. 3.

Thecuitidem honorauit dicentem: *Heu mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus.* Quia ipse Deus peculiarem habet viduarum rationem, perque illas multa, & illis vicissim multa præstitit. Ad Eliam dixit: *Surge & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Pauit sanè illum, sed magis ipsa cum filio pasta est; *hydria farinæ non deficiente, nec lecytho olei minuto;* filio insuper eius ad vitam reuocato. Nec sine caussa, cùm dixisset Propheta; *Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet,* addidit: *& vias peccatorum disperdet.* Quin sæpe grauia est comminatus violatoribus viduarum. *Viduæ & pupillo non nocebitis,* inquit, *si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* Nempe *Dominus Deus ipse est Deus Deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera, facit iudicium pupillo & viduæ.* Quare væ illis, qui alioqui desolatas, & Deo tam charas viduas fraudibus, calumnijs, & quibuscunque malis artibus possunt, spoliant, depauperant, vexant: quàm desperatè, coram summo iudice, apparebunt? *turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.* Si enim ad eum, qui tantùm non benefecit, dicet: *Viduas dimisisti vacuas,* quid illi audient, qui *viduam & aduenam interfecerunt?* qui, conspiratione facta, dicunt: *Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ?* qui viduarum domos euacuauerunt? qui illis iure debita fraude negant? à viris relicta testamenta qui euertunt? qui mille modis miseras circumscribunt? Inter damnatos qui vstulantur, *alij terminos transtulerunt, diripuerunt greges, asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt, pro pignore, bouem viduæ. Subuerterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ.* Summa calamitas est illius, de quo dicitur ibidem: *Obliuiscatur eius misericordia: dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.* Cur? *viduæ enim bene non fecit.* At quisquis bene facit, quisquis consolatur, quisquis defendit caussas viduarum magnæ spem habet retributionis. Sicut ille qui dixit: *Cor viduæ consolatus sum.*

2. Reg. 14. 6. — 3. Reg. 17. 9. — Psal. 145. 9. — Exod. 22. 22. — Deuter. 10. 17. — Psal. 67. 6. — Iob. 22. 9. — Psal. 93. 6. — Sap. 2. 10. — Iob. 24. 2. — vers. 20.

Iob. 29. 13. Itemque: *Si negaui, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.* Denique, quid profit, viduis benefacere, Apostolica historia docet. Nam ad mortuam Tabitham Petrus *cùm aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes quas faciebat illis Dorcas.* Quemadmodum ergo optimi olim oratores, dum diloricatis vestibus vulnerum cicatrices monstrabant eorum, quorum caussam agebant; ita & viduæ illæ perorabant, Petroque vestes sibi à Dorcade factas exhibuerunt, quibus motus est, remotis vt arbitris pro defuncta oraret, eamque à morte excitaret. *Et cùm vocasset sanctos, & viduas, assignauit eam viuam.* Viuere enim planè digna erat, cuius liberalitate tot viduæ vitam sustentarunt Ad eundem modum ipse quoque Christus judex venturus vita sempiterna dignos iudicabit omnes illos, pro quibus, si ceteri omnes tacebunt, viduarum vestes & beneficia caussam dicent. Videant ergo viduæ, quo loco sint apud Deum, à maritis desertæ; & quo honore apud homines dignæ, quæ immitibus & saxeis fibris despicabiles videntur.

Act. 9. 39.

IX. Hæc autem omnia intelligi par est de viduis, *quæ verè viduæ sunt.* Verè vidua est, non solùm quæ verè orba & deserta est, sed quæ etiam ei se statui conuenienter gerit. Qualis non fuit illa, quæ Domino dicenti: *Vade, voca virum tuum, & veni huc,* respondit: *Non habeo virum.* Itaque eam seuerè perstrinxit IESVS, *Bene dixisti,* inquiens, *Quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti; & nunc quem habes, non est tuus vir.* De talibus Timotheo Apostolus sic loquitur: *Adolescentiores viduas deuita,* nec admitte in collegium viduarum Deo dicatarum. Sunt enim leuiores; sunt mutabiliores; & à castitatis professione resiliunt facilè; amasiosque sectantur, cum quibus occultè fornicatæ, tandem publicè, & palam volunt nubere, idque in Christi iniuriam, cui iam antè, per castitatis votum se desponderant. Hoc enim est, quod ait: *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes, quæ non oportet.*

Ioan. 4. 16.

1. Tim. 5. 11.

His

X. His talibus ſanè malum eſt, viduas eſſe. Sed prouidit Deus etiam hîc remedium, quod D. Paulus mox ſubiunxit, cùm ſcriberet: *Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullā occaſionē dare aduerſario maledicti gratia. Iam enim quædam conuerſæ ſunt retro Satanā:* Vbi *non legē figit iunioribus viduis; ſed remedium oſtendit,* teſte D. Auguſtino. Nulla enim vel leuitas, vel infamia, vel culpa eſt, ſi qua vidua continentiæ voto non aſtricta, tranſeat ad ſecundas nuptias, à viduitate; quidquid vel contenderint Monogamiæ propugnatores; vel rudes quidam mariti ex hac vita decedentes ab vxoribus ſuis exigant, ne alteri nubant. Quaſi eam, quæ continentiam non eſt profeſſa, cogere quis poſſit, vt permaneat in viduitate, in qua illi periculum eſt fornicationis; tum ob ætatem, tum ob experientiam, tum ob iuuenes procos, tum ob alias illecebras, ac leuitatem. Ob quas cauſſas etiam, vulgò, dici ſolet: *Mulieri aut murus, aut maritus.* Item: *Aut nube, aut te reclude,* in monaſterium ſcilicet. Et S. Paulus alibi: *ſi ſe non continent, nubant.* Hoc eſt, alterutrum faciant: *melius eſt enim nubere, quàm vri.* Ex quo loco intelligi poteſt, eum eodem ſenſu eademque conditione loqui, quando ait: *Volo iuniores nubere*; ſcilicet, *ſi ſe non continent. Volo, quia ipſæ volunt, & nupturiunt;* ait S. Chryſoſtomus. Vel, ſicut Primaſius interpretatur. *Volo, id eſt, concedo tales nubere, antequam promittant, quod non valent implere.* Itaque *non viduas vetat eſſe Paulus, ſed adulteras; quia melius eſt digamum eſſe, quàm ſcortum,* inquit S. Hieronymus. Nimirum etiam S. Ambroſio teſte, *Pro remedio nuptias ſuaſit Paulus, vt peritura ſeruaretur, non pro electione præſcripſit.* Rotundè Saluianus. *Cur,* inquit, *nuptias Paulus indulſerit, ſtatim ſubiecit: jam quædam declinauerunt poſt Satanam. Ex quo intelligimus, non ſtantibus coronam, ſed jacentibus manum porrigere. Vide qualia ſint ſecunda matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur, quia declinauerunt quædam poſt ſatanam. Ideo adoleſcentula vidua, quæ ſe non poteſt continere, vel non vult, maritum potiùs accipiat, quàm diabolum.* Quemadmodum igitur illas, quæ, poſtquam ſe voto ad continentiam aſtrinxerunt, fornicatæ volunt nubere, damnat, quia *primam fidem irritam fecerunt*; ita liberis viduis non præcipit,

1. Tim. 5. 14.

S. Auguſtin. c. 8. de bono viduit.

Vide Tertullianum de velandis virgin.

1. Cor. 7. 8.

S. Hieronym. ep. 11. ad Ageruchiam. S. Ambroſ. lib. de viduis.

cipit, sed indulget, & pro remedio peccati offert nuptias. Si omnibus præciperet, damnaret vtique iuniores viduas omnes, quæ sponte sua, magna animi constantia, in cœlibatu ac viduitate permanere decreuerunt. At hoc si faceret, damnaret Annam prophetissam, quæ postquam vixit cum viro suo tantùm septem annis à virginitate sua, vsque ad annum octogesimum quartum vidua permansit: damnaret seipsum, qui alibi hæc habet: *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Damnaret multò magis, quàm viduas, virgines illas, seu *non nuptas*, quæ, quia *bonum est illis sic esse,* mente castissima vitam Angelicam viuunt, Christum omnibus votis anteferentes. Gratia diuina, orationes, jeiunia, fuga illecebrarum multùm possunt, itemque magistri spirituales, quales ipsi Apostoli fuerunt, multis virginibus Deo consecratis. *Non mireris in adolescentulis professionem, cùm leges in paruulis passionem; & de his scriptum est: Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Quando itaque Apostolus ait: *Volo iuniores nubere,* intelligit moribus, non annis iuniores. *Non ergo ætas reijcitur florentior,* ait S. Ambrosius, *vbi morum est senecta. Theclam non senectus, sed virtus probauit.*

Luc. 2. 36.

1. Cor. 7. 8.

S. Ambros. l. 3 de velandis Virg.

Loc. cit.

XI. Quanquam igitur & licitum, & vtile est incontinentibus viduis remedium *nubere,* licitum tamen est, & honestum, in viduitate casta permanere. Quod multæ fecerunt mulieres Ethnicorum, amore solo mariti primi, cui similem secundum se inuenturas desperauerunt: quarum nonnullas suprà memoraui. Goënses viduæ adhuc Ethnicæ, primo marito extincto, quantumuis iuuenculæ, non solùm alteri non nubebant, sed etiam, cum marito cremandæ in ardentem rogum sponte insiliebant. Quod nunc edicto regio vetitum est. Et iam vbi Christianæ factæ, si cui coniunx moritur, coloris candidi vestitu abstinet, & caput perpetuò radit. P. Alexander Valignanus refert, à Sinensibus eam mulierem in honore haberi, quæ viduitatem colens secundum maritum non admittit. Quare vt olim Vestalibus Romani, ita & his viduis Sinenses Mandarini multas libertates, & priuilegia concedunt, magnificaque præmia largiuntur. Apud Romanos, è Plutarcho alijsque constat,

Epist. Indic. Anno 1566.

P. Alexand. Valig. in litteris Anni 1588.

Iacobus Ræuardus lib. 1.

conſtat, menſes decem (tot enim Romuli annus habebat) viros ab vxoribus viduis lugeri conſueuiſſe, ita quidem, vt ante legitimum tempus luctus nubere nemini poſſent, niſi id peculiariter à Magiſtratu, aut Principe impetraſſent. Quam poteſtatem ſi non impetraſſent, & tamen nuberent, infames à Prætore fiebant, & multabantur. Itaque vidua cælebs plerumque manere volens nolens debebat, donec *eluxiſſet*. Hoc enim verbo vtebantur. Quin & multæ veritæ ſunt, ne longè acquirerent deteriorem. Et quia (Varior. c. 20. Iac. Cuiacius l. 6. obſeruat. cap. 32.)

Sæpe etiam eſt ſtultus non importuna locutus,

non ineptè quidam albæ mentis homo, cùm vidua quædam plangeret mortem mariti, ac diceret, *Se permodicè ab eo fuiſſe verberatam*, reſpondit, *Accipe igitur alium virum, qui crebriùs acriusq́; percutiendo compenſet, quod à priore fuit neglectum.* Et fit profectò ſæpe, vt ſecundus coniunx vxorem tundat, non ſecus ac faber incudem; vt quæ corpus ſuum ipſa flagellis non caſtigat, vel ab his ictibus remedium habeat caſtitatis.

XII. Omnium autem præſtantiſſima cauſſa eſt viduitatis amandæ Chriſti amor, & maior occaſio virtutis exercendæ, Deoq́ue ſeruiendi. Hac de cauſſa nobiliſſima illa potentiſſimaque vidua Euphraſia Romana, quæ, coniuge è viuis erepto, tametſi florentiſſima eſſet ætate, & verè inter adoleſcentiores numeranda, atque inſuper ab ipſo Imperatore ad ſecundas nuptias omnibus machinis impelleretur, omnibus rebus ab ſe abdicatis, ex Italia in Thebaidem, Româ in eremũ, ex ampliſſima aula in modicæ cellæ anguſtias; de coniugijs ad ieiunia, de purpura ad cilicium, denique de delicijs ad quotidianam mortificationem gaudens ſeceſſit, ibique, vt inter ſanctos ſanctè vixit, ita & morte Sanctorum defuncta ad cæleſtes nuptias migrauit. De Marcella Romana vidua itidem ſanguine & virtute nobiliſſima, memorat D. Hieronymus, eam, ſeptimo, poſt celebratas nuptias, menſe, viro ſuo priuatam eſſe. Erat autem in ea non ſolùm notiſſimi ſtemmatis antiquitas, ac morum incredibilis temperantia, ſed etiam vegeta ætas, & corporis illecebroſiſſima venuſtas. Ob quas tam eximias dotes illam Cerealis Romanus Conſul profuſiſſima ambitione in matrimonium (S. Hieronym. in Epitaphio Marcellæ.)

petebat. Quia enim jam grandis natu erat, omnes illi suas opes pollicebatur, & non quasi in vxorem, sed quasi in propriam filiam donationem volebat transfundere. Quin & Albina mater, tam clarum præsidium viduatæ domus vltra appetebat. Magna hæc erant illicia. Quid autem Marcella respondit? *Si vellem nubere,* inquiebat, *& non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem, non hæreditatem.* Sensit hunc ictum Cerealis, & obiecit: *Posse & senes diu viuere, & iuuenes citò mori:* cui illa respondit: *Iuuenis quidem potest citò mori, sed senex diu viuere non potest.* Quocirca & vidua mansit, & Numini se totam mancipauit; vtrumq; experta, & coniugium, & cœlibatum, cœlibatum censuit nuptijs etiam opulentissimis præferendum.

XIII. S. Greg. l. 4. dial. c. 13.

Venire posset in exemplum etiam Galla Symmachi Romani Consulis filia, quæ marito tradita, primo anno, eodem orbata, nec medicorum suasu, nec valetudinis metu adduci potuit, vt secundo marito desponsaretur. Sed quia de hac, in libro de monstris à me tractatur, hîc taceo. Duas igitur alias, coronidis loco, heroides adduco, quarum prima est, quæ Nebridio Præfecto vrbis Constantinopolitanæ nupsit Olympias, itidem coniuge suo, altero coniugij anno, è viuis sublato, ad alteras nuptias animum appellere nolens, quamuis pænè adhuc puella, sed quæ in coniugio virgo permansit, eandem virginitatem censuit securiùs in viduitate, quàm matrimonio posse illibatam conseruari. Quamobrem, cùm Theodosius Imperator Elpidio cuidam sibi congeneri eam prorsus coniungere conaretur, illa non solùm non consensit, sed etiam Philosophica voce dixit: *Imperator meus* (Christus) *si voluisset me vitam transigere cum viro quopiam, vtique non ademisset mihi primum coniugem: nunc eum adimens matrimonij molestijs me extricauit, & suaue continentiæ iugum mihi imposuit, mentiq; meæ infudit.* Itaque vidua matrona opulentissima, post mariti mortem, non solùm totam se addixit ministerijs templi, & eleemosynis, sed etiam vitam supra sexum mirabilem egit. Liberalitas eius in pauperes opibus par fuit, quæ maximæ extiterunt. Itaque ad omnis generis egentes, & in omnes sese terras extendit. *Non*

Palladius in historia Lausiaca c. 144. Cæsar Baron. Anno 404. D. Chrysost. ep. 5.

rus, inquit Palladius, *non solitudo mansit expers largitionum huius inclytæ virginis. Sed & Ecclesijs suppeditauit ad donaria deputata sacrificio & monasterijs, & cœnobijs, & xenotrophijs, & custodijs, & relegatis, &, vt semel dicam, in omnem orbem terræ dispersit eleemosynas.* Atque hæc fuit illius liberalitas. De submissione, de charitate, deque animi & corporis puritate ista subiungit. *Hæc beata processit vsque ad extremum terminum humilitatis, vltra quem nihil possit inueniri amplius. Vita sine vlla inani gloria, species nequaquam ficta, benigni mores, facies non fucata, corpus florens, mens non gloriosa, animus ab arrogantia alienus, cor minimè turbulentum, somni expers vigilia, spiritus non curiosus, charitas immensa, quæ comprehendi non potest communicatio; vilis & contemta vestis, infinita continentia, recta cogitatio, in Deum spes æterna, cum eleemosyna, quæ non potest narrari, ornamentum omnium humilium, cui multæ sunt accensæ tentationes, ex operatione eius, qui est sua sponte malus, & omnis boni expers, nempe dæmonis: quæ pro veritate non parua adijt certamina, quæ & diu affatim vixit, in immensis lachrymis, omni humanæ naturæ subiecta propter Dominũ: cum omni pietate sanctis subdita Episcopis, venerans presbyteratum, honorans clerum, reuerens exercitationem, suspiciens virginitatem.* Quod si misericordes misericordiam consequuntur, *erat opem ferens viduitati, curam gerens orbitatis, protegens senectutem, ægrotos inuisens, peccatorum miserens, errantes in viam deducens, in omnes vtens misericordia; profusè autem in pauperes, multisq; infidelium in catechesi institutis vxoribus, etiam ad victum eis ferens auxilium, semper memorabile nomen benignitatis reliquit per totam vitam. A seruitute in libertatem innumerabilium seruorum restituens examina, reddidit eos honore æquales suæ nobilitati, vel potiùs si verè dicere oportet, facti sunt hac sancta habitu nobiliores.* Hæc porrò tam opulenta vidua non pauperum modò, verum etiam paupertatis fuit amantissima. *Neque enim eius indumentis inueniri potuit quidquam vilius: nam ijs etiam qui sunt pannis valde obsiti indigna erant huius sanctæ tegumenta.* Ornauit illam etiam patientia lachrymæque decoræ. *Tanta eius erat mansuetudo, vt etiam longè superaret simplicitatem ipsorum puerorum. Nulla vituperatio vnquam inuenta est apud hanc, quæ Christum gestabat;*

sed omnis eius vita non vitalis erat in compunctione & frequenti profluuio lachrymarum: & potiùs videre licebat fonti æstate sua deficere fluenta, quàm huius non sublimibus, & Christum semper videntibus oculis lachrymas deficere. Et quid in his moror? quo enim magis meus versabitur animus in duræ instar saxi animæ narrandis certaminibus & virtutibus, eò magis inuenientur verba à factis remotiora. Nec me existimet aliquis hæc splendidè & magnificè colligere, de hac vel maximè impatibili, & perquirere reliquias totius Olympiadis, quæ fuit pretiosum vas S. Spiritus: sed qui his oculis viderim huius beatæ vitam & Angelicam institutionem. Hæc ille, quibus alij maiora addunt, qui testantur, Olympiadem tam piam, tam sanctam virginem, coronidis loco, calumnias, bonorum spoliationem, denique & exilium, & cum D. Chrysostomo quoddam martyrij genus sustinuisse. Quòd enim D. Chrysostomo faueret, ab æmulis eius, quid non passa est? etiam hinc laudanda, vnde eam alij reprehenderunt.

XIV. Ego non possum calamum cohibere, ne adijciam epiphonema; partim vt feminæ huius virtutes admirer, partim vt easdem alijs quoque viduis proponam imitandas; quod & ipse D. Chrysostomus fecit eximius eius laudator & consolator. Quænam enim vidua virtutis amans; quæ virgo, si in ea est mica pietatis, hæc talia legens, vel narrari audiens non moueatur? quæ stimulum non persentiscat? quæ non accendatur, ad sanctissimę huius heroinę virtutes æmulandas? feminę sunt? fuit & hæc femina: virtus à nullo est sexu aliena. tenerę sunt? fuit & hæc tenera: nulla corporis imbecillitate excluditur fortitudo. Iuuenculę sunt? fuit & hæc iuuencula: *Senectus enim venerabilis est, non diuturna neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* (Sap. 4. 8.) Opulentę sunt? fuit & hæc opulenta. Opes non dantur ad luxum. Formosas sese esse putant? fortasse speculum eas fallit: hæc verè fuit formosissima, sed censuit formam optimam optimo Deo conseruandam; vt rarior, ita &

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Atqui multę sunt imbecilli corpore? Olympias magna illa opera, quę recensui, pleraque præstitit morbis afflicta, quasi illud

illud confirmaret, quod Apoſtolus dixit: *cùm infirmor, tunc* 2. Cor. 12. 10.
fortior ſum, in exemplum eorum, qui, quòd ægrotent, ſatis ſe
putant facere, ſi ſint patientes. Fallimini ô fœminę, ô viri:
quanto infirmior eſt caro, tanto debet eſſe ſpiritus fortior.
Morbus eſt Mortis nuncius, qui non tantùm nunciat vos breui
morituros, ſed illud etiam inculcat: *Ambulate, dum lucem habe-* Ioan. 12. 34.
tis. Qui in via eſt, fortiùs ambulat, ſole ad occaſum vergente,
ne excludatur à ciuitate: ita cui adhuc parum ſupereſt de lucis
huius vſura, contentiùs debet laborare, ne ad cælum iturus au-
diat: *clauſa eſt ianua.* Si malus dæmon nunquam ſæuior erit, Matth. 25. 10.
quàm ſub mundi finem, *ſciens quòd modicum tempus habet*, cur Apoc. 12. 12.
non & vos temporis breuitatem virtutum magnitudine & nu-
mero compenſatis? Tunc, tunc eſt tempus diſpergendi & dan-
di pauperibus, tunc examinanda conſcientia; tunc ad oratio-
nem, ad contritionem, ad lachrymas & ſeriam pœnitentiam
recurrendũ. Non excuſat ab his eos morbus, quos non impe-
dit à curis ſecularibus, & cogitatione funeris pompoſi, immo à
ſolicitudine diuitiarum, magni nominis & omnis vanitatis.
Sed ad aliam huius æui illuſtrem viduam ſtilum verto; quæ, vti
& Franciſca Romana, in triplici ſtatu excelluit.

Maria Victoria Genuenſis matrona, Anno 1562. Pa- XV.
tre *Hieronymo Fornari*, matre *Barbara Veneroſa*, virtute & pie- Ferdinand.
tate nobilibus, nata, ita ab incunabulis educata erat, vt vehe- Meltio l. 1. c. 2.
menter incitaretur ad nuncium Mundo remittendum, atque & 3. vitæ eius,
Conditori ſuo, remotis turbis ſæculi, in Religione aliqua, ſer- quam Am-
uiendum. Ita illi animus erat. Sed non idem ſenſêre parentes, broſius Kolb
qui, vt fit, de matrimonio ſoliciti, illam ſeptemdecim anno- in Germani-
rum puellam inſciam, *Angelo Strata* nobili inprimis iuueni de- cum Idioma
ſponderunt. Quod, vbi integerrima virgo intellexit, nouum tranſtulit.
illi atque inexpectatum fuit, cogitationéſque varias, ac ma-
gnum, in illius pectore, certamen excitauit. Exiſtimabat enim,
ſuam mentem, parentum ſententia longè eſſe meliorem; &
Chriſtum ſciebat, quouis ſponſo eſſe multò præſtantiorem.
Verùm, quia aſſueuerat ſemper parentibus magis obſequi,
quàm ſuo judicio vti; in coniugium conſenſit, non tam judi-
cio, quàm obſequio ducta. Dici non poteſt quanti exempli

fuerit hoc coniugium. Vna anima, vna voluntas in vtroque coniuge erat. Mariam vir, vt chariſſimam vxorem, diligebat, vt dominam venerabatur; illa viro, vt ancilla, ſeruiebat, eumque, tanquam verum *Angelum*, honoris cauſſa, non nominabat tantùm, ſed etiam honorabat. Procul fuêre lites, nulla iurgia, nullæ ſuſpiciones locum habuerunt. Et, quæ boni ſumma eſt, quidquid Deus voluit, ambo voluerunt, pares ætate, pares virtute, pares mente. Ita quidem affecti erant. Quare & Deus illis affectus erat, qui, quoniam longè maiora, per Mariam, conſilia moliebatur, afflictionibus illam cœpit expolire. Itaque, cùm ſancti hi coniuges, octo annis, & octo menſibus, lætiſſimè cohabitaſſent; cùm liberos quinque egregios à Deo ſortiti eſſent; cùm Maria ſextam prolem, menſe jam ſeptimo, in vtero geſtaret; ipſaque vix ætatis ſuæ annum vigeſimum quintum exceſſiſſet, adfuit è cælo omnipotentis Numinis manus, & morte ſuſtulit maritum eius Anno 1587. 30 Nouemb. Nulli coniuges ſuæ fidant felicitati. Quidquid eſt humanum, vitreum eſt; & idcirco fragile, vt ſola immortalitate nitamur. Nullus maritus ſuæ innocentiæ promittat vxorem nunquam morituram: nulla vxor, quantumuis pia, & ſancta, ſperet, virum ſibi nunquam auferendum: omnes nuptiæ mortalium ſunt mortales. Matrimonia, quæ nullum aliud impedimentum habent, morte dirimuntur. Hoc fecit Deus, vt coniuges
Apoc. 19. 9. *ad nuptias Agni*, in cælo, faciendas aſpirent, aut vt altiùs ſapientes, omiſſis terrenis nuptijs, ſponſum animæ ſuæ quærerent nunquam moriturum. Siquidem & alios nouit ſcopos diuina prouidentia. Nam, hoc velut aceto matrimonijs aſperſo, multis eius ſtatûs nauſeam inijcit, eoſque in virginitate conſeruat, atque ad perfectiora promouet: multos ex coniugibus
Iudith. 8. 5. viduos, multas viduas facit, vt, ad imitationem Iudithæ, Creatori ſuo impenſiùs vacent, cùm ſoli vacant; quibus neceſſe erat, curas diuidere, quando maritas, aut maritos habuerunt. Quid, quòd multos Deus, & multi ſe ipſos, eiuſcemodi ingratâ & inſperatâ viduitate experiuntur? Tunc enim perſpicuè apparet vter plus, Deus an coniunx diligatur. Viciſſe *Victoria* & Mundum, & ſeipſam videbatur, cùm in coniugio adeò beato

trium-

triumpharet; nihilque, nisi quod Deus vellet, voluisse. Sed, sicut multi spiritu prompti, carne infirmi, meliùs destinant, quàm pugnant; & pronius est velle, quàm facere; ita etiam Mariæ huic contigit. Quàm diu Dei voluntas ex voto illius fuit, tam diu visa est ipsa sibi idem velle. Enimuerò etiam idem voluit. Sensit tamen non tam se suam diuinæ, quàm diuinam suæ voluntati accommodauisse, vbi, subducto marito, subsidium solatiumque omne sibi subductum est arbitrata. Quid inciperet vidua, sine marito? tot filiorum mater, sine parente? iuuencula, sine ætatis protectore? fæmina prægnans, sine adiutore? intuebatur duas filias sine sponsis, tres filios sine magistris. Et quid non mali accidit viduis? Huic autem viduæ pessimum erat, optimo coniuge carere; cuius mortem charitas fecit acerbiorem. Tantò maior erat amissionis dolor, quantò maior amor amissi. Denique, vt sciamus, in omnem partem, vehementem esse affectum feminarum; pænè vsque ad mortem sensit mariti mortem *Maria Victoria*. In eum enim luctum animi incidit, vt, præter gemitus, præter suspiria, præter singultus, nihil ab ea audiretur; verba interclusit dolor; sermonem titubans tremore lingua parere non potuit. Quin, ne consolationi vlli aditus pateret, etiam aures illius dolorem lenire volentium verba recusauerunt. Denique, vt vetus Poëta ait,

Ipsa suum cor edens, hominum vestigia vitans,

in cubiculum se, velut in carcerem, inclusam abdidit; nullo mortalium admisso consolatore. Ibi aliquammultos dies, lugendo atque lachrymando consumsit, tota pænè tristitijs absorpta. Nulla illam spes, nulla cogitatio recreabat, nisi si occurrisset, in partione se morituram. Adeò mors non solùm *est vltima linea rerum*, sed etiam tristitiarum finis esse creditur. Videte, quàm verè dixerit Apostolus, coniuges *tribulationem carnis* habituros! Cùm enim vita homini res sit charissima, magnam vtique tribulationem esse oportet, cuius solatium est, mori. At numquid diuina bonitas eiuscemodi tribulationem sine caussa ferit? &, si *ne capillus quidem*, sine diuini Gubernatoris nutu, *de capite nostro cadit*, quis non credat, diuinum quoque consilium esse, si coniunx, parens, aut amicus sibi moriatur?

1. Cor. 7. 28.

Luc. 21. 18.

riatur? Non succedit tibi coniugium? fortasse non voluit Deus te esse in coniugio; aufertur immatura morte sponsus? fortasse voluit Christus tuus esse sponsus; sed tu diuertisti; idcirco subducit tibi, ad quem diuertisti, vt ad illum reuertaris. Optimus maritus te, & tu optimo digna fuisti? dignior est Deus à quo habearis, qui, vt te totam haberet, eum tibi ademit, cui adhæsisti; luctu tibi dedit occasionẽ meliora cogitandi. Hanc enim ob caussam non solùm socios, sed etiam maritos adimit. Cuius rei, in Maria Victoria, perspicuum cernimus exemplum. Nam illa omnis humani consortij fugitans, lachrymis exhausta, luctuque fatiscens, cùm, in obserato conclaui, nullum videret mœstitiæ suæ aut exitum, aut modum, solamque mortem in votis haberet, tenebris animi & caligine mentis obsita, repentè sensit, mirabili se luce perfundi, & clara inspiratione velut aurem sibi vellicari. Subijt enim in hunc pænè modum cogitare: *Quid agis, misera? cur misera esse pergis, quæ potes esse beata? quò vsque te abripi tristissimæ fortunæ fluctibus sinis? quæ ancheram habes, quæ portum tenere potes? An Mariæ, Maria obliuisceris? nescis, illam esse Matrem misericordiæ, & consolatricem afflictorum?* Ita mente secum locuta, extemplo in gènua procubuit, ante tabulam imagine Virginis Matris illustrem. Ibi, magnitudine doloris adhuc verba opprimente, magis oculorum fletu, & pectoris singultu, quàm lingua, querelas suas, in Deiparæ sinum effudit. Atque, vt videas sinceri pectoris candorem; apud Dei Matrem, ausa est de Deo queri. Ita enim cogitare cæpit. Cùm à prima ætate per Filij tui, *ô Misericordiæ Mater*, gratiam atque auxilium, ab omni me grauiore delicto seruauerim immunem, quî fit, vt ille adeò me seuerè plectat? Cur mitissimus ille, factus est mihi in crudelem? Si inter me & maritum rixæ, si discordiæ extitissent, beneficium fuisset, nos separare: nunc amantissimos atroci nimis vulnere diuulsit. Tanto est diuisio durior, quanto arctior coniunctio fuit. Cur igitur non ambos vel vnà superesse voluit, vel vnà occumbere? Neque hos questus dolore, sed ratione victa promo. Quippe de me ipsa licet vidua, solicita non sum; vt cuius desiderium vnicum est, mori. Maritus beatè mortuus æternam

vtique

vtique adijt securitatem. At mihi sex viuos liberos reliquit. Horum me cura angit, horum torquet solicitudo. Alia lubens passa fuissem; hoc onus humeris meis non potest sustineri. Superat vires pondus, nisi de cælo fulciantur. Hæc atque alia talia magis meditando, quàm eloquendo dixit; interque dicendum, sensit sibi animum mirificè augeri, & crescere. Cum animo crescebat & fiducia in Dei parentem. Itaque rursus, in mentis preces, iamque impensiùs ebulliens, *ô plena misericordiarum Virgo*, inquiebat, *tota te voluntate, atq; omni conatu virium mearum, per ineffabilem bonitatem tuam, supplex oro, dignare, mei miseratione tangi, meosq; liberos, tanquam tuos, suscipe & cura. Siquidem patre priuati, cùm in me parum subsidij habeant, verè dicere possunt: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* Tu ergo, Mater viuentium, illis Matris loco esto, cuius viscera non possunt derelinquere ab alijs derelictos, ad te confugientes, in te sperantes, ô spes! ô anchora! ô portus! Eiuscemodi affectibus locuta, opem citò sensit, quam implorauit. Nam visa est illi ipsa imago, ante quam orabat, manum porrigere, nutuque propitio auxilium spondere. Muta certè in eum vsq; diem effigies supplicem his verbis disertissimè compellauit. *Victoria, filia mea, ne metue, sed animo bono confide, & liberos tuos, & teipsam, sub protectionis meæ pallium esse suscipiendos. Ego sum, quæ omnem domus tuæ curam portabo. Ego, quæ te lætam esse, atque ab omni solicitudine liberam iubeo. Illud vnicum à te peto flagitoq; vt nullam posthac solicitudinẽ, laborem nullum omittas, amandi Dei supra omnes creaturas.* Dixit hæc, & obticuit. Experientia confirmat vim cælestis ignis fulminisq; longè, quàm huius nostri, esse potentiorem: citiùs ardent, tardiùs extinguuntur, quæ accenduntur de cælo. Ita diuini Verbi Mater, longè efficaciùs omni oratore humano, verba facit. Faculas locuta videbatur, adeò Victoriam, compendioso sermone, inflammauit. Dici non potest, quanta repentè facta sit metamorphosis: ex quanta amaritudine ac tristitia, in quantam illi omnia dulcedinem & lucem lætitiamque sint commutata. Absterso omni luctu, iam, præ gaudio animi, in lachrymas tota diffluxit; sibique de tristitiæ excessu, deque diffidentia priore

irata, & veniam delicti, & accepti beneficij gratiam ore idem tidem volutauit. Mox etiam eidem Dei Matri sese obtulit, atque in eius oculis manibusque ipsi sese Deo per triplex votum obstrinxit. Primum erat castitatis æternæ: alterum de omni aureo sericoque corporis ornatu abdicando: tertium de vitando omni consortio conuentuque profano. Neque hîc cessauit diuini odoris flamma; sed in grandes illas victorias, in admiranda opera pietatis, mortificationis, misericordiæ; denique in alia tria Religionis vota erupit. Insuper impetrauit, vt omnes illius liberi monasteria ingrederentur; atque ipsa quoque fundatrix existeret nouæ religionis *Annunciatæ Virgini* dedicatæ, dictæque *Cælestinarum*, quæ candidæ togæ cæruleum pallium iniiciunt, vt, in castissimi animi puritate, cælestem seruent conuersationem. Itaque vidua hæc, in coniugio, sex filiorum, in viduitate plurimarum Deo dicatarum virginum mater fuit. Sed longum esset cetera percensere; cùm de illius integerrima sanctissimaque vita, tres libri non ita pridem in lucem sint editi. Nobis satis est hinc discere, quàm salutare sit, colere Dei Matrem, Matrem misericordiæ & consolationis, quantamque bonæ cogitationis occasionem præbeat illius imago, in cubiculo parieti appensa. Nullam eiuscemodi consolationem, sed magnorum criminum ansam habent, qui ibi, loco iconis sacræ, Ledas, & Cygnos; & Dianas in Actæonem aquam spargentes; & Paridis judicia; & mille Cupidinum propudia, aliasque nefandas libidinum illecebras, velut in ara venerandas, appendunt. Sed & illud in primis est obseruandum, bonos quoque coniuges, diuino consilio, separari morte, atque in magnos luctus conijci, vt solatium non iam à compare, sed à Numine petere discant, atque ad res longè maiores excitentur.

XVI. Ante omnia tamen ex hac vidua (de cuius virtute & vita alius erit dicendi locus) atque alijs huc vsque commemoratis laudatisque, videmus, quàm sanctus sit status viduitatis, quem SS. PP. tanti fecerunt, vt integros de eo libros scripserint, vel certè epistolas libris comparandas: nimirum Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, & Tertullianus, qui etsi in eam hæresin lapsus sit, vt solam *monogamiam* Christianis esse licitam

S. Ambros. l. de Viduis. S. Hieron. ep. ad Saluinam. ad Furiam, ad

licitam voluerit, multa tamen rectè etiam ſcripſit de *vniuiratu* & commendatione viduarum. Cuius & illud eſt: *Virginitas, & viduitas, & modeſta in occulto matrimonij diſsimulatio, de bonis carnis Deo adolentur.* Vbi ad centeſimum, ſexageſimum & triceſimum fructum alludit. Nam *docemur,* inquit S. Ambroſius, *triplicem caſtitatis eſſe virtutem. Vnam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non enim aliam ſic prædicamus, vt excludamus alias. Suis quibuſque profeſsionibus iſta conducunt. In hoc Eccleſiæ opulens diſciplina: quòd quos præferat habet, quos reyciat non habet, atq; vtinam nunquam habere poſsit. Ita igitur virginitatem prædicamus, vt viduas non reyciamus: ita viduas honoramus, vt ſuus honos coniugio reſeruetur. Non noſtra hoc præcepta, ſed diuina teſtimonia docent.*

Ageruchiam; S. Auguſt. ep. 127. ad Iulianam, item ad Probam. Fulgent. ad Gallam ep. 2. Tertull. de reſurrectione carnis.

XVII.

Ob has aliaſque complures cauſſas, poſt S. Paulum SS. PP. conſuluerunt, non præceperunt, ne viduæ ad ſecundas nuptias procederent. *Neque enim Eua ſecundum accepit virum, neque ſancta Eccleſia ſecundum agnouit virum,* ait S. Ambroſius, cuius & hæc ſunt. *Sed fortaſſe aliquibus propter ſuſcipiendos liberos coniugia iteranda videantur? Quod ſi filiorum ſtudium cauſſa nubendi eſt, vtique vbi eſt fructus filiorum, cauſſa non ſuppetit. Quanquam cuius conſilij ſit, iterum experiri velle fruſtra tentatam fœcunditatem, aut ſubire, quam pertuleris orbitatem? Hæc enim iterandi cauſſa eſt filios non habentibus. Ergo illa quæ liberos ſuſcepit, & perdidit (cum ipſa enim maior contentio, quæ ſpem generandi habet) illa, inquam, nonne ſibi videtur, inter ipſa repetitarum fœdera nuptiarum amiſſorum prætexere funera filiorum? Nonne iterum paſſura, quod repetit, & ad ipſos votorum tumulos exceptarum orbitatum imagines lamentorum ſtrepitus perhorreſcit? Cur igitur, filia, dolores magis, quos times, repetis, quàm filios, quos iam non ſperas, requiris? Si grauis eſt dolor, ſubterfugienda cauſſa eius eſt, non petenda. Nam tibi quid conſilij tribuam? quæ liberos habes? Quæ tibi cauſſa nubendi? niſi fortè leuitatis error, & intemperantiæ vſus, & ſaucij cogit pectoris conſcientia? Sed conſilium ſobrijs non ebrijs datur. Et ideò apud liberam conſcientiam mihi ſermo eſt, cui vtrumque integrum eſt. Habeat ſaucia remedium, honeſta conſilium. Tu, inquam, filia, quid moliris? cur hæredes extraneos, cùm habeas* tuos?

S. Ambroſ. l. de viduis.

tuos? Non filios desideras, quos habes, sed seruitutem, quam non habes. Generare liberos vis, non fratres futuros tuorum: sed aduersarios filiorum. Quid est ergo generare alios liberos, nisi spoliare, quos habes liberos, quibus pariter & auferuntur pietatis officia, & compendia facultatum? His S. Pater vtilitatem ostendit viduitatis.

S. Hieronym. ep. 11. ad Ageruchiam.

S. Hieronymus honestatem eiusdem sic declarat. *Quid si statim secundum maritum, perdiderit* vxor? *societur & tertio? Et, si ille dormierit, in quartum quintumq; procedat? vt nihil sit, quo à meretricibus differat? Omni ratione viduæ prouidendum est, ne castitatis primos excedat limites: Quod si excesserit, & verecundiam ruperit matronalem, in omnem debacchabitur luxuriam. Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? minimè, sed prima laudamus. Abijcimus de Ecclesia digamos? absit, sed monogamos ad continentiam prouocamus.* Miratur ipse Mundus nimis sæpe nubentes, videtque tales nuptiatores. *Rem dicturus sum incredibilem,*

S. Hieronym. ibid.

ait paulo infrà idem Hieronymus, *sed multorum testimoniis approbatam. Ante annos plurimos, vidi duo inter se paria vilissimorum à plebe hominum comparata: vnum qui viginti sepelisset vxores: alteram quæ vicesimum secundum habuisset maritum extremo sibi matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio virorum pariter ac feminarum, post tantas rudes, quis quem priùs efferret? Vicit maritus, &, totius vrbis populo confluente, coronatus, & palmam tenens, adoreamq;, per singulos sibi acclamantes, vxoris feretrum præcedebat. Quid dicemus tali mulieri? nempe illud, quod Dominus Samaritanæ. viginti duos habuisti maritos, & iste à quo sepeliris, non est tuus.* Ex qua historia & viduitatis decorum intelligi potest, & videri, vsque adeò malum non esse, amittere coniugem, vt etiam amisisse triumpho dignum sit judicatum. Non habent igitur caussam querendi mortales, quòd matrimonia in viduos viduasque desinant, cùm desinant in statum longè meliorem. Quem tot SS. PP. extollunt; quem D. Paulus coniugio præfert, quem ipse Deus sua manu protegit.

XVIII. S. Augustin. ad Dulcitiū.

Dicam, quod factum est in Mauritania Sitifensi, inquit S. Augustinus: *neque enim Deus Sanctorum non ipse est etiam & nunc Deus: Viduam in proposito continentiæ constitutam Celtichius quidam catechumenus iuuenis rapuit, vt haberet vxorem. Antequam*

quam concumberet, pressus somno, & territus somnio Sitifensi Episcopo eandem vehementissimè requirenti remisit intactam. Viuunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus, & ipso in se facto miraculo conuersus ad Dominum, ad Episcopatum mirabili probitate peruenit. Illa in sancta viduitate persistit. Placuit igitur Deo viduitas, quam miraculo defendit; & iuuenis castitatem amplexus est, cuius vidit Deum esse defensorem.

CAPVT XLV.

Fructus, qui è faustis Matrimoniis oriuntur.



ROlixè ostendimus huc vsque, Matrimonium origine, fide, prole, indissolubilitate, fine, esse statum bonum, beneque & sapienter à Deo institutum, & multa eius commoda demonstrauimus; incommoda autem quæ sanè affert multa, ipsis hominibus, non hominum Conditori attribuenda esse. Quoniam verò maximè *ex fructu arbor agnoscitur*, adhuc alios fausti & infausti matrimonij fructus attingemus. Siquidem, vt è fertili arbore, ita è sancto coniugij statu, varij fructus enascuntur, qui in coniuges, in liberos, in Rempublicam, in Ecclesiam, denique & in alios, siue coniugium, siue cœlibatum meditantes vberrimè redundant. Nam de diuino honore nihil dicam; cùm vtique ad eum finem multa satis allata sint, vt institutoris matrimoniorum æquitas, bonitas, & prouidentia agnosceretur. Neque Christi cum Ecclesia coniunctionem, in matrimonijs significatam denuo repetam aut inculcabo. Alias quoque coniugia habent laudum caussas, ob quas coniuges tripode donandi sunt. I. Matth. 12. 33.

Primò illum ipsum, aut illam in melius iuuat hoc sacramentum, *cui est melius nubere, quàm viri.* Quippe non prolis tantùm, sed & remedij caussa est institutum. Hinc ibidem ait Apostolus, *Si se non continent, nubant.* Est ergo remedium castitatis. Est & fidei seruandæ, concordiæ colendæ, exercendæque & patientiæ, & charitatis occasio. Est subsidium & præsidium variæ necessitatis. Est via religionis, pietatis, sanctitatis adipiscendæ. Harum omnium virtutum exempla ordine II. 1. Cor. 7. 9.

Io. Euiratus in Prato spirit. cap. 189.

subijciam. De castitate seruata ope matrimonij, in Prato Spirituali, illustris hæc historia traditur: *Venimus Ascalonem in Xenodochium patrum, narrauitq; nobis Abbas Eusebius Presbyter, quòd negotiator quidam nauigans perdidisset omnia & sua, & aliena; euasissetq; ipse naufragium. Qui cùm venisset huc, à creditoribus comprehensus, & in carcerem missus est, direptáque sunt omnia, quæ domi habebat, & coniugis ipsius vestimenta. Illa igitur ex multâ anxietate, & tristitiâ, & inopiâ, non poterat virum vel pane nutrire. Sedente igitur illâ, die quadam in carcere, & gemente, intrauit vir quidam magnus, vinctis dare eleemosynam. Videns verò mulierem liberam sedentem cum viro suo, vulneratus est in amore ipsius. Erat enim speciosissima; mandauitq; illi, per carcerarium, vt ad se veniret. Illa videns, quòd Agapem acceptura esset; libenter accessit. Qui sumens illam seorsum, ait ei: quid est, quod habes; & cuius rei gratiâ hic es? quæ illi cuncta enarrauit. Ait autem ipse: si persoluero debitum; dormies mecum, nocte istâ? illa autem, verè pulcherrima, & pudicissima dixit ei: audiui, domine, dicentem Apostolum; quia mulier non habet potestatem proprij corporis, sed vir: permitte ergo, domine, vt interrogem virum meum; & quicquid ille iusserit, faciam: veniensq; omnia nuntiauit viro suo. Ille, vt prudentissimus & vxori suæ maximo deuinctus affectu; raptus non est spe & desiderio euadendi carceris iniurias, sed ingemiscens cum lacrimis ait vxori: Perge perge soror; abrenuncia homini; spero enim in Dominum nostrum IESVM Christum, quia non derelinquet nos vsque in finem. Exurgens autem illa, dimisit à se hominem dicens; dixi viro meo, & non vult. Per id autem temporis, latro quidam iniectus fuerat in ipsum carcerem, priusquam negotiator vinciretur. Hic omnia inspiciebat, & audiebat viri ac mulieris verba; ingemuitq; apud semetipsum dicens: Ecce in quo isti casu existunt, neque tamen libertatem suam prodiderunt, vt pecunias acciperent & dimitterentur; sed pudicitiam pluris quàm pecuniam existimauerunt; vitaq; istius commoda, vt illius pulchritudinem non violarent, contempserunt. At ego, quid faciam miser; qui nunquam cogitaui, quòd Deus esset, & idcircò homicidiorum auctor fui? vocans autem illos ad se, per fenestram eius cellulæ, vbi vinctus detinebatur, dixit eis: Ego Latro sum, & cædium patrator; quamobrem,*

obrem, quacunque horâ Præfectus venerit, ad mortem vt homicida ducendus sum: considerans verò pudicum consilium vestrum, compunctus sum; itaq; pergite, & in loco illo ciuitatis fodite, & accipite quas inueneritis pecunias; cumq; persolueritis debitum, plurima etiam benedictio remanebit vobis, & orate pro me, vt & ego inueniam misericordiam. Post paucos ergo dies, ingressus ciuitatem præses, latronem educi iussit, & decollari. Sequenti autem die dixit mulier viro: si iubes, mi Domine, vadam ad locum, quem denotauit latro, si fortè vera sint, quæ ille prosecutus est. Qui ait: vt tibi videtur, facito. Illa verò, sumpto breui sarculo, vespere ad locum abijt; & fodiens, ollam inuenit diligentissimè opertam; sumensq; illam, profecta est. Prudenti verò vsa consilio, paulatim creditoribus reddebat debita; vt ex hoc, ab alijs pecuniam mutuari putaretur: impleuit autem omnem debiti solutionem; virumq; de carceris custodiâ eduxit. Dicebat autem, qui ista narrauit: Ecce quoniam seruauerunt isti mandatum Domini nostri IESV Christi, magnificauit & ipse in eis misericordiam suam. Vides cornucopiam? coronas lemniscatas? & quandam velut virtutum Pandoram? Omnia in hoc matrimonium confluxerunt; vir & mulier honestatis & virtutis amantes; infortunium, & infortunij patientia. Sed fortunæ bona naufragio amiserunt, vt virtutum illis bona cumularentur. Trahitur innocens in carcerem, sed habet comitem vxorem; quæ dum ei cibum nequit suppeditare, verbis & miseratione solatur esurientem, esuriens ipsa, & miseratione digna. Quid non facit fames? inopia ad quæ non facinora homines impellit? Adest tentator, & talis, vt ab eo pecunia possit sperari. Quam & promittit; sed vt mercetur voluptatem. O pecuniæ, instrumenta & irritamenta malorum! Audit femina, in extrema necessitate constituta promittentem. Sed quia videt se viro non posse subuenire, sine offensione viri, immò DEI, fidem datam, & Apostoli verba, tanto satrapæ, tantæ spei, tantis pecunijs præfert, & pluris facit castitatem, quàm libertatem; pluris fidem, quàm famem per viscera grassantem: ostenditque pulcherrimum tentatores vincendi modum, dum docet mulieres pericula sua maritis indicare. Et ecce etiam maritum de virtute generosum, Iacet in carcere,

tene-

tenetur vinculis, nescit creditoribus soluendi, aut euadendi modum. Offertur præsens auxilium, sed quia id parum erat honestum, & matrimonij sacramento aduersum, mauult esurire, mauult in custodia squalere, mauult catenis vinciri. Quod exemplum tam fuit potens, vt & latronem ipsum ad pœnitentiam commoueret, per quem diuina prouidentia multò locupletiùs eorum inopiam subleuauit. Itaque seruati sunt, quia fidem datam, quia castimoniam, quia innocentiam seruauerunt: ditati sunt, quia opes iniquas contempserunt. Haberent & alij coniuges plus, si contemnere possent minus, quod ab adulteris promittitur, & non nisi à coniugij contemtoribus admittitur.

III. Sed aliud quoque fidei pariter atque castitatis, in matrimonio, defensæ exemplum accipite, in quo alius repellendi tentatrices modus docetur: nam, in memorata historia, femina virum tentatorem repulit modesta ratione, S. Pauli authoritate, & maritali potestate; alio ingenio vsa est, contra lenocinantem, æquè lepida, ac casta mulier. *Audi, quid nostro tempore Remis acciderit,* ait Thomas Cantipratanus. *Erat homo, vt mihi frater ordinis Prædicatorum retulit, faber lignarius, admodum tenuis, vxorem habens pulchram & bonam. In hanc diues quidam pecunia, sed inops corde, oculos coniecerat impudicos. Missa ergo ab eo nefanda vetula intrat domum iuuenculæ, salutat eam, quasi incognitam, resedit ad ignem. Nec mora, circumductis oculis fatigatam se plangit. Quærit hinc iuuencula, vnde veniat, aut quid quærat? Et vetula: si ipsa sis, nescio, talis nominis, talisq; matris filia, quam habere me credo in hac vicinia consobrinam. Cui iuuencula. Si illa de qua loqueris sim, nescio, tali quidem nomine censeor, & etiam habui talem matrem. Tunc vetula ruens in oscula iuuenculæ, bene, bene, inquit, assimilaris optimæ matri tuæ. Tu autem qualem virum habes? Cui illa, bonum, inquit, opere fabrum lignarium. Mox vetula, altiùs claro gemitu, heu, inquit, optimæ matris filia, quomodo ad istam miseriam venisti, vt fabrum habeas virum, quæ tot in parentela tua magnos & diuites habuisti? His dictis, quasi mœsta, nil ampliùs locuta recessit. Inde, quarta die, reuersa, verè, inquit, multùm solicitor, vt, post infortunium tuum, rebus saltem*

Thom. Cantiprat. lib 2. Ap. cap. 30. §. 37.

copiosiùs

copiosiùs valeas abundare. Inueni ergo viam, qua hoc fieri poterit, si consentis. Est in ciuitate ista vir diues & potens valde, qui te, vt heri mihi dixit, cùm tuum infortunium deplorarem, super omnia diligens concupiscit. Cum isto quidem habebis, quicquid corpori placere poterit, vel decere. Cui iuuencula: Bonum, inquit, virum, & meliorem me habeo: diuitias autem cum peccato augere non cupio. Cui vetula, quasi blando vultu congratulans, & hinc, inquit, magis te diligo, charissima. Hæc dicens abijt, & post triduum reuersa dixit. Veni mecum, charissima, & Ecclesiam pariter gloriosæ Virginis visitemus. Nihil ergo mali suspicata simplex iuuencula, paret illi, & cum eadem vadit. At vbi ante portam diuitis transeunt, vt præordinauerat vetula, iuuencula rapitur, & protrahitur in conclaue. Angustiata ergo iuuencula, & eminus ad aures vetulæ se inclinans: mihi, inquit, hac nocte, contigit iuxta consuetudinem feminarum. Nunc ad horam liberes me, cognata dulcissima, &, fide data, spondeo cras redire. Annuit vetula, consentit & diues. Hinc ergo iuuencula domum rediens, quid fiat, excogitat. Præparat itaq; de vicinia tres fortes & validas fæminas, & eas cum scopis clam in thalamo collocauit. Quasi autem vellet cultioribus vestibus indui venientem vetulam, velut ad suum consilium introducit. Firmato igitur ostio concurrunt fæminæ, & nudatam vestibus percutiunt scopis miseram, vsque ad sanguinis effusionem. Nec cessant à verberibus, donec, eluctato conamine, vetula ostium exiliuit, & nuda penitus per plateas aufugit. Mirantibus cunctis, quid factum sit; audiunt, & constantem in castitate iuuenculam, per totam nimirum ciuitatem, extollunt, plusq; lucrata est in honore, & gloria bonæ famæ, quàm fuisset in omnibus copijs diuitis adeptura. Meritò, nam & casta, & fidelis, & viri, quàm auri amantior femina, vt se fortem ostenderet, manu rem gessit. Quin & ingenio vsa est. Quia nulla re aptiùs, quàm fustuario, eijcitur hoc genus dæmoniorum.

IV. Dixi de fide & castitate coniugum, nunc etiam, de eorundem aliquid concordia est memorandum, sine qua coniugium est Purgatorium, aut quædam Inferni imago. Admirandæ innocentiæ & patientiæ Virgo Lyduuina, matrimonio iunctis ad se venientibus dicere solebat: *Sacrum coniugium, dilectissimi,*

F. Ioan. Brugman. in vit. S Lyduuinæ l. 2. c. 4. Sur. 14. April.

lectissimi, iniustis: debetis non solùm corpore, sed etiam animis seruare inuicem fidem; itaq; pacem sectamini, vt Deus pacis sit vobiscum. *Mulier quædam filiam suam cuidam collocauit; & , post nuptias, gloriabunda exposuit Lyduuinæ conditiones generi sui. At Virgo S. Non magnopere, inquit, pensanda sunt, pulchritudo, natalium splendor, dignitas, & cognatorum turba; potiùs spectanda virtus, morum disciplina, prudentia, timor Dei, quibus modis partæ opes; quo iure teneantur. Prædixit etiam ei, filiam eius multa passuram, non tamen defuturum illi diuinum auxilium. Quod quidem ita euenit. Fuit enim sterilis, & afflicta est morbis, multisq; castigata flagellis, sed, orante pro ea Lyduuina, feliciter migrauit ex hac vita.* Hæc omnia aduersa, facilius à duobus feruntur, si onus vnà ferant, aut alternatim ferant, vt Hercules & Atlas orbem. Plus ponderis trahunt duo boues sub vno iugo. Malè trahitur currus vno equo ad orientem, altero ad occidentem nitente. *Si duo ex vobis consenserint super terram*, ait Dominus, *de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Hinc & coniuges si conspirent, florent. Vt autem conspirent ipso coniugij vinculo incitantur. Apparuit hæc concordia in primis parentibus, qui vtinam saltem in pomi esu discordes fuissent! Apparuit in Noë & vxore eum in Arcam sequente. Apparuit in Abraham & Sara; in Isaac & Rebecca; in plurimis vtriusque Testamenti coniugibus. Apparuit in Macrino, qui cum vxore xxxix. annis, sine iurgio, sine offensa vixit. Scilicet, *Quàm maxima existit salus, Quum vxor cum viro non dissidet,* vt Euripides ait. Et, apud Homerum, *Nihil hoc potius & melius, Quàm quum concordes animis domum habitant Vir & vxor, multi dolores inimicis, Gaudia autem amicis.* Nec gaudet magis Orcus, quàm discordijs. Hinc postquam diu multumque laborauit aliquando Alastor, vt inter vnanimes duos coniuges dissidium excitaret, operâ omni perditâ, sibi fidelem anum instigauit, vt illa suam industriam exereret. Audientem dicto habuit. Addixit, si par nouorum calceorum, prœmij loco, promitteret cacodæmon. Promisit. Tum Megæra nunc viro, nunc vxori varia mentiens, ac suspicionem super suspicionem ingerens, intra breue tempus effecit, vt, post tam diuturnam pacem atque concor-

Matth. 18. 19.

Plin. l. 7. ep. ad Geminiũ. Euripid. in Medea. Hom. lib. 6. Odyss.

concordiam, non solùm illis malè conueniret, sed etiam vt quotidiana inter eos bella & pugnæ existerent, viro rem fustibus, muliere clauibus agente, quibus, non jam cistas & arcas, sed mariti caput aperiret, sanguinique viam faceret, per multas ianuas prosilienti. Conspecto hoc victoriæ signo, vt pactis staret Stygius prædo, iussit anum ad riuum exire, ibi ex altera parte stanti, par calceorum ipse in aduersa ripa consistens, è pertica longa suspensum dicitur porrexisse, cum dicto, se ad eam propiùs accedere non esse ausum, eò quòd prorsus videret, illam omnibus dæmonibus esse nequiorem, plusque posse efficere mali, ad matrimonia disturbanda, quàm ipse quantumuis veteranus artifex malorum. E quo seu vero facto, seu ficto apologo liquet, quanti faciat concordiam coniugum, qui eorum discordiam tanti emit.

Ad concordiam, inter coniuges, stabiliendam valde necessaria est eadem religio. Non enim in rebus humanis diu consentiunt, qui dissentiunt in diuinis. Parit ergo religionis concordia concordiam animorum. Sed vicissim etiam ipsa concordia coniugum parere potest concordiam religionis, & sæpe peperit. Qua de caussa scribit Apostolus: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Etsi enim Christus fideli permiserit tori diuortium; quia tamen id non statuit, sed permisit Apostolis & Ecclesiæ, pro varitate temporum, aliquid certi statuere, idcirco ait Paulus: *Ego dico, non Dominus,* & consulo, vt fidelis infidelem non dimittat, si quidem coniunx consentit, scilicet sine fidei, & Creatoris contumelia cohabitare. Sic enim & prolis, & coniugis saluti prodest. Quare, S. Pauli tempore *Infidelitas,* nec fuit impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractum, nec impediens contrahendum, si fideli non erat periculum peruersionis. Nunc verò consuetudine in Ecclesia inductum est, vt non hæresis, sed alia infidelitas & impediat matrimonium contrahendum, & dirimat cum fideli contra-

V.

1. Cor. 7. 12.

Vide Thom. Sanchez. tom. 2. de matrim. disp. 73. n. 7. Henriq. lib. 1. de Matrim. c. 8.

contractum. Olim in fide primi Christiani longè fuerunt ardentiores & constantiores, pro qua vitam suam, alacri animo, prodegerunt. Nunc tepuit virtus, & fidei constantia defecit. 1. Cor. 7. 14. Maiore igitur cautela opus est. Olim *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*; quia si eam, in fide sua non impedit, concorditer & beneuolè cum ea viuendo, sibi quasi viam sternit, vt per preces, merita, verba & exempla fidelis coniugis ad fidem conuertatur, & ipse fiat sanctus. Multæ mulieres viros suos, & multi viri vxores suas non solùm ab infidelitate, & hæresi, sed etiam à malis moribus ad bonos traduxerunt. Nam ad hunc modum S. Cæcilia maritum suum Valerianum, Theodora Sisinnium, Clotildis Clodouæum, & Ingundis regina Hermenigildum maritum, teste S. Gregorio Turonensi, aliæque alios conuerterunt. E multis paucas recensebo. (S. Greg. Tur. lib. 5. hist. Franc. c. 38.)

VI. Quanta sit Deo magis, quàm hominibus seruiendi, etiam inter coniuges, libertas, quantaque rursus bene merendi occasio & potestas, eminentissimè ostendit regina Persarum Cæsarea dicta. Hæc, quia apud regem coniugem suum Arnulphum videbat, se ad Christum transeundi, mille obstaculis impediri, statuit Persico regno regnum cælorum anteponere; & facinus verè regio animo dignum designare. Itaque opes, gynecæum, charissimum alioqui maritum, & omnem sæculi pompam, heroica virtute, relinquens, Christum sponsum secuta, ignoto habitu dissimulata, Constantinopolim profugit, apud Christianum Imperatorem Mauritium religionis asylum habitura. Ibi, cùm honorificè excipi tractarique posset, maluit incognita latere, minùs inter ancillas, quàm dominas, reperienda. Baptismo igitur tincta, è quo illam ipsa suis manibus suscepit Imperatrix, vitam cœpit communem agere, atque foris famulari, quæ domi imperare potuisset. Nimirum pro sceptro illi erat arundo, Christo, per ludibrium, in manus tradita; pro corona aurea, sertum è spinis contextum; pro gemmis annulisque guttæ purpureæ & lucidus sanguis Seruatoris, claui que ferrei, per manus pedesque illius adacti: denique pro regio solio templum & aræ, ad quas identidem supplex versabatur. Hac viuendi ratione, se quàm optimè regnare existimabat. (S. Greg. Turon. lib. 11. cap. 9. hist. Franc.)

mabat. Nec Christo tantùm fuit pretiosa. Ea indole erat, vt rex Persarum, regnum, quàm reginam amittere maluisset. Desiderio igitur eius inueniendæ legatos quà quà misit, cum litteris, mandans, rogans, flagitans, vt, si vspiam esset, ad se, cum honore, magnificisque promissis, remitteretur. Ventum est etiam Constantinopolim, rogatus Mauritius Imperator, nihil effectum. Nemo siquidem arbitrabatur, maiestatem regiam, extra purpuræ splendorem, quærendam. Vix tamen alibi quærendam, quàm in magna aula, censuit rex Persarum. Quare iterum, iterumque misit ad Mauritium Imperatorem, rogitans, vt in reginam, quacunque demum de caussa fugitiuam, anquireret. Fecit ea solicitudo Persæ, etiam Mauritianos diligentiores. Imperatrix igitur, tametsi antè nihil minùs suspicata, cœpit Cæsaream curiosiùs obseruare; quæ vestium quidem vilitate fallebat coniecturas, modestia tamen incedendi, gestuumq; & oculorum, sermonisque moderatione, nihil vulgare promittebat intuentibus. Eam itaque ad se vocat Imperatrix, &, per alterius negotij speciem, diligentiùs consideratam, de teneritudine ac lineamentis conijcit, vel regis coniugem, vel regio coniuge dignam esse. Sed re in præsens dissimulata, à se dimittit, legatisque Persicis iubet significari, *mulierem quandam è Persia aduenam degere seruireq; in aula, quæ, nisi generis originisq; profiteretur obscuritatem, de ipso vultu, pro regina haberi posset. In legatorum proinde arbitrio esse, vt explorent, quid fœmina illa sit, aut quale nomen trita vestis tegumentum abscondat.* Non erat conueniens, vt mulier tam formosi vultus, nisi coram Imperatrice, in examen Persarum veniret. Quocirca in vnum locum conueniunt Imperatrix, Legati, Cæsarea. Nec longa opus fuit deliberatione. Faciem illico legati, non vestem intuebantur; agnitaque regina sua, *Hæc est illa, quam quærimus*, inquiebant; & cum dicto in genua, ante illam, procumbentes, quàm poterant reuerentissima demissione, illam rogabant, *vt domum reuerti, ac regi reginam, regno solatium restituere vellet*. Hic Cæsarea proditam se deprehensamq; videns, censuit, nihil ampliùs dissimulandum, sed regia vtens libertate respondit, *Christianam se esse factam, cum Christianis viuere,*

cum Christianis mori velle. Quare si idem animus sit regi Persarum, vt Christiana fide ac lege viuere, Christianoq; more ac ritu baptismum velit acceptare, nihil se morari, libentissimeq; in Persiam rediturum. Sin autem persistet in cultu idolorum, ignemq;, pro Deo & conditore ignis, porrò adorare pergat, nunquam se neque blanditijs, neque vi vlla adductum iri, vt consentiat domum reuerti: satius esse patria, quàm cælo excludi; malle se exulare cum Christo, quàm cum hoste Christi regnare. Quæ verba non tantùm regium, in vulgari tunica, animum patefecerunt, verùm etiam palam demonstrârunt, Christianam libertatem, omni humana authoritate esse superiorem. Attoniti ea acceperant legati, mirabatur Imperatrix, tota aula obstupescebat. Sed quid mirum? ipse rex Persarum, postquam id tam generosum responsum legati retulerunt, tantæ virtutis extitit admirator; cœpitque secum cogitare, vim esse vtique maiorem, quæ reginam impellat, ad tantas opes, ad Persicas gazas, ad dignitatem & coronam regiam, ad summa potiùs in his terris mortalium vota, ac maximas delitias, quàm Christi fidem deserendam. Quid exempla non possunt? quid non vel ipsæ mulieres in exemplis? *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem:* & tantus rex coniugis religione incensus, extemplo statuit, Christo se addicere, perinde legem eius, ac coniugem suam sanctam ratus. Noua igitur legatione à Mauritio Imperatore petit, vt ad se mittere Antiochiam velit D. Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, à quo sacro latice tingi, & baptismi sacramento Christo possit initiari. Excepit Mauritius, ingenti gaudio legatos, magnosque Antiochiæ fieri iussit apparatus, quò ipse quoque profectus, regem Persarum è baptismo suscepit, Arnulphum appellatum. Quanti refert, Principem præire? Si regis ad exemplum totus orbis componitur, cur non & regnum pars orbis sequeretur? Illo igitur tempore, cum rege, sexaginta Persarum millia, relicto gentis errore, ab idolis, ad Christianam religionem, suscepto sacro baptismate, transierunt. Quis eius rei author fuit? Primus quidem Deus, sed post Deum femina & coniunx pia; vt iam illi tantam salutem ascribere meritò possimus. Et cur non velimus, qui iam proni sumus,

1. Cor. 7. 14.

ſumus, ad Euam primam matrem noſtram, tanquam omnis mali originem, accuſandam? Nec vnum duntaxat hoc exemplum occurrit.

Alia femina, & virgo vel ambita procum Chriſto eſt lucrata. S. Lucia Romani nominis Virgo, à barbaris capta, barbaros & ipſa cepit. Ea ob eximiam corporis venuſtatem, nobiliſſimoſque mores (velut olim Iudith ad Holofernem) ad Ethnicum regem Anzaijam eſt adducta. Captus eſt primo aſpectu barbarus; iamque vim parabat amore furens; cùm illa heroidum fortiſſima, tota Chriſti ope nixa, in hæc animum verba effudit: *Scito, ô rex, me iam Deo cæli nupſiſſe, illiusq; ſponſam, in illius fide ac tutela eſſe: cui magna cura eſt, vt me ſibi ſeruet intactam illibatamq;. Quare nihil dubita, te ab illo grauiter puniendum interficiendumq;, ſi quid impuri tentaueris. Deus enim Deus Zelotes eſt: nec æmulum poteſt, aut riualem ſuſtinere.* O quàm potens eſt Chriſtiana, pro virtute, libertas! ô ſi plures auderent, in ſuæ, aut aliorum ſalutis cauſſa apertè loqui! quàm magnos ſæpe fructus legeremus! Pauca hæc Luciæ verba, tantam vim habuerunt, vt vel barbarum regem Dei timore perculſum à flagitio abſterrerent, virginemque integerrimam conſeruarent. A cuius violatione non ſolùm abſtinuit Anzaya, ſed etiam illam de virtute tanti fecit, vt eam in regia domo opiparè habitam, contra aliorum petulantias ac libidinem, quàm attentiſſimè cuſtodiret. Nullum opus pietatis cæleſtis Pater relinquit abſque remuneratione. Quare etiam hanc Anzayæ humanitatem, abſtinentiamque inſigniter compenſauit. Siquidem per Luciæ Virginis aſſiduas ad cælum preces, & plus quàm ab homine excogitata vtiliſſima conſilia multas, claraſque, in bello, victorias regi eſt largitus. Adeò caſtitas meretur triumphos. Neque ſatis fuit, per Virginem vicisse, niſi etiam per eandem rectè credere didiciſſet. Siquidem caſtiſſimis eius exemplis, atque ſanctiſſimis moribus motus, eam legem amplexus eſt, quæ tales mores faceret, Chriſtique ſe iugo ſubiecit. Videtis virginis captæ quanta fuerit potentia in capientem? Si potuit hoc in procum, quem repulit; quid potuiſſet in ſponſum, quid in maritum, niſi maiori

VII. S. Antonin. 2. p. tit. 8. c. 1. § 37.

iam

iam antè sponso enupsisset? Immo, quia nuptias carnis repudiauit, plus potuit. Siquidem rex Anzaya ad Christum conuersus, vt regnum quæreret non periturum, cum stupore omnium, regnum caducum deseruit sponte, ac, Lucia comitante, Romam est peregrinatus. Ibi ostendit, quid vir, quid miles, quid rex, à femina pia possit discere. Quippe Christum confessus Deum, crudeli Diocletiani mandato, cum sanctissima Virgine Lucia, alijsque viginti & vno Christianis, in carcerem coniectus, ac postea capite plexus, ad cælestem coronam æternasque cum agno nuptias euolauit. *Tanti dux femina facti.*

VIII. Itaq; non ad fidem tantùm, per feminas, viri sunt adducti, verùm etiam ad sanctitatem vitæ, constantiamque in fide conseruanda atque profitenda. Quis nescit ordinem Iesuatarum? Eius origo talis fuit. Anno 1355. agebat Senis, Ioannes de Senis dictus, nobili Columbinorum familia oriundus, qui vxore ducta, filium filiamque adeptus, in publica negotia, opesque priuatas augendas admodum intentus, cùm aliquando videret, prandium desiderio suo, tardiùs à coniuge apparari, festinaretque prodire ad condictum, vehementiùs in eam excanduit. Illa, vt erat pia & modesta, rogauit, vt æquo animo esset, se properè omnia curaturam. Interea, temporis fallendi gratia, codicem antiquum illi porrigebat, de Vitis Patrum, legendum. Ille, vt erat iratus, codicem à se abiecit. Ira autem detumescente, pænitens facti, librum de terra sustulit, aperuit, inciditque in vitam B. Mariæ Ægyptiacæ. In qua perlegenda ita incaluit, vt illico alius à se esse cœperit. Itaque rebus caducis omnibus spretis, cœpit pauperibus sese præstare liberaliorem, in templis sistere frequentiorem, precibus diuinis exhibere affectiorem: quemque priùs vxor ad sacræ historiæ lectionem inuitauerat, is iam illam vicissim incitabat, ad votum perpetuæ secum castitatis edendum. Exinde seuerè viuere, egenos & morbidos in domum suam pertrahere, ijs seruire, pedes abluere cœpit. Quin & inuentum leprosum, ante templi fores, vlceribus coopertum, humeris susceptum in domum suam portauit, vt ei ministraret, qui quia, eo in templo rebus diuinis vacante, euanuit, Elysij quadam odoris fragrantia;

Ferrarius die 31. Augusti.

post

post se relicta, haud ambiguè creditus est fuisse Christus. Hoc miraculo igitur commotus Ioannes, omnes opes suas in pauperes sparsit, mendicatò viuens, & vbique in plateis Christum pœnitentiamque prædicans, 60. discipulos acquisiuit imitatores. His comitantibus Viterbium venit, vt inibi à Pontifice Vrbano V. ordo illius confirmaretur, prodigio priùs diuinitus confirmatus. Nam, quacunque incedebat, *laudem* illius diuina bonitas *ex ore infantium perfecit*. Siquidem lactentes fari cœperunt, & clamare ad matres, *Bene facite* IESVATIS. Vnde huius tanti viri originem traxit sanctitas? *Tanti dux femina facti*. Psal. 8. 3.

Quanquam vicissim & viri sæpe vxoribus fuère morum ac vitæ magistri. In vita SS. Martyrum Cosmæ & Damiani legimus, virum quempiam Malchum nomine pietati cultuiq; sanctorum apprimè deditum alio longè profecturum, vxorem suam Numini & patrocinio SS. martyrum Cosmæ ac Damiani commendasse; eique præcepisse, vt tum se sequeretur, si litteras suo sigillo signatas accepisset. Ita discessit. Post dies pauculos adest nuncius, qui à marito affert litteras, notissimo signo clausas, aitque eam in quadam ciuitate longiùs distante expectari, se verò illam, intra breue tempus eò perducturum. Sequitur credula & simplex femina, & ignorat, quem ducem sequatur. Nuncij enim vultum habitumque induerat Auernalis Pseudolus. Ventum erat ad inuia & auia, ibi demum laruam posuit, cumque feminam peccato non posset, voluit præcipitio perdere, & de alto saxo excussam equo in profundam vallem paludemque iactare. Quo in certamine mulier viri sui memor, oculos primùm, deinde etiam manus & vocem ad cælum sustulit, itaque rogauit: *O Deus SS. Cosmæ & Damiani, succurre mihi, horum enim patrocinio freta, ignotum hunc pessimum ducem secuta sum. Eripite me igitur festinanter, ô patroni, ex insidijs manibusq; huius inimici.* Ad verba hæc, cum magno cælestis militiæ numero adfuit Cosmas & Damianus, militari habitu inductus. Quibus aspectis Proserpinæ nuncius se ipsum de rupe in caput præcipitauit, viderique desijt. Relictam igitur feminam Diui, per ignotas vias, incolumem reduxerunt. Quibus laudan-

IX. Sur. 27. Sept. in vita SS. Cosm. & Damiani.

laudandis illa, per omnem vitam grata fuit; Sed & marito, à quo didicit, in periculis, optimos Patronos inuocare.

X. Lib. 9. Histor. Tripart. c. 13.

Quemadmodum hanc maritus, contra vim fraudemque mali dæmonis, docuit sese munire, ita Augusta Placilla precibus retinuit Theodosium, ne Eunomium audiret Nicæno dogmati aduersa docentem. Atque vt nostri quoque sæculi historiam afferamus, *in ipsa Xichi regione, teste* Petro Maffeio, *cùm aliqua facta est ad Christi gregem accessio, tum insuper edita sunt nonnulla veræ fidei ac pietatis illustria documenta: cùm enim è neophytis quidam proposita capitis pœna perterritus, quæ humana fragilitas est, à Christi nomine defecisset, id vxor eius ita indignè tulit, vt vnà cum filio sese à viri conuictu & consortio protinus remoueret, fortiter increpans: Auertat à me Dominus, vt cum eo veniam, qui mortis metu Christum eiurauit. Quo facto miser ille compunctus intimus sensibus, & culpam agnoscens, noctu clam ad Michaëlem Vasæum accessit, & effusè ducensq; ex alto corde suspiria, locum pœnitentiæ suppliciter petijt, paratus tanti peccati quodlibet subire supplicium: quin etiam certum sibi esse affirmans, relicta patria fortunisq; omnibus in Christianorum loca migrare, vt religionem susceptam liberiùs colere liceret. Nec fefellit fidem. Nocte intempesta, ipse cum fratre ac duodecim prætereà consilij eiusdem socijs abijt. Qui omnes, re familiari, & agris facta iam semente, neglectis, vagi & egentes Christo seruire potiùs, quàm domi diuites, & apud principem gratiosi & potentes, colere maluerunt.*

Io. Pet. Maff. lib. 4. select. ep. ex Ind. Francisci Capralis ad Io. Bapt. Mantuan.

XI. Admiranda S. Nataliæ Adrianum maritum neophytum in fide confirmantis, & ad maxima supplicia toleranda adhortantis fortitudo, paucis describi non potest, & alio loco à nobis explicatur. Hîc tamen omittendum non est, quod Victor Vticensis recenset de alia mirabili heroide virum in officio retinente. Hunerico Vandalorum & Alanorum rege in Ecclesiam sæuiente, impio eiusdem mandato, Liberatus honesti nominis vir, & medicæ artis peritus in exilium ire iussus est, sed antè tentandus, quàm amandandus, & tentandus quidem Ariana calliditate, per sobolem in parentes grassante. Ariani enim, vt per affectum pietatis virtutem genitorum prosternerent, filios à parentum amplexu voluerunt auellere. Et jam vnum

Victor Vticens. lib. 3. de persec. Vandalor.

vnum post alterum cœperant trahere, cum matre imbecillior pater visus est nutare. Nimirum non omnes animi robore Abrahamo æquantur. Itaque Liberatus charissimorum pignorum amore mollitus, commoueri, mutarique mente & vultu conspiciebatur. Iam steterant in procinctu lachrymæ ex oculis casuræ, nisi eas vxoris virtus & verba refrænassent. Hæc enim, *in conspectu regum* & militum ita loquebatur. *En propter filios, Liberate, perditurus es animam tuam? Computa eos non fuisse natos: nam & ipsos omnino vindicaturus est Christus. Nonne vides eos clamantes? & dicentes: Christiani sumus?* Talibus dictis mulier virum animauit. Itaque in diuersas custodias seducti sunt, vt colloqui non possent, neque scire, quid cum alterutro gereretur. Igitur iterum fraudibus instructa fuit machina. Adeunt mulierem, & iubent eam tandem manus dare, affirmantes, maritum illius, iam cessisse atque regis imperio paruisse. Quibus illa respondit, cupere se videre maritum, eo conspecto, postea facturam, quod è re sua esse videretur. Eo ipso fortè tempore, maritus illius, ante tribunal, ingenti hominum multitudine stipatus, stabat. Ad quem adducta vxor, verum esse rata, quod à satellitibus audierat, palam atque omnibus cernentibus ad illum aduolans, prensumque collo stringens: *Perdite,* inquiebat, *& reprobe, gratiæ Dei, & misericordiæ eius indigne, quare voluisti ad modicum gloriari, & in æternum perire? Quid tibi proderit aurum? quid argentum? nunquid liberabit te de camino gehennæ?* Hæc atque alia plura in hunc modum, illa dicente, respondit Liberatus. *Quid pateris, mulier, Quid tibi videtur, aut quid fortè de me audire potuisti? Ego in nomine Christi Catholicus permaneo, nec amittere aliquando potero, quod teneo.* Ita & mendacium hæreticorum detectum est, & vxoris constantia in virum redundans triumphauit. Sed & illud apparuit, posse affectum quoque ipsum erga liberos à parentibus triumphari; Numinis amore amorem filiorum exuperante.

XII. Quod victoriæ genus in alia femina illustrius fuit, de qua idem Victor Vticensis, ibidem hæc subiungit. *In ciuitate Culusitana, quædam matrona, auctrix nominis sui Victoria, dum in conspectu vulgi continuato suspendio cremaretur, à marito iam*

perdito (fidei desertore) *filijs præsentibus, ita rogabatur: Quid pateris, coniunx? Si me despicis, vel horum, quos genuisti, miserere impia paruulorum. Quare obliuisceris vteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? Vbi sunt fœdera coniugalis amoris? Vbi societatis vincula? quæ inter nos dudum honestatis iure tabulæ conscriptæ fecerunt? Respice, quæso, filios ac maritum, & regiæ iussionis implere festina præceptum, vt & imminentia adhuc tormenta lucreris; simul & mihi doneris, & liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus nec serpentis audiens blandimenta, affectum multò altiùs eleuans à terra, mundum cum suis desiderijs contemnebat. Quod cùm iam continuatione suspendij vulsis humeris, etiam qui cruciabant conspicerent mortuam, deposuerunt omni parte exanimem. Quæ postea retulit, quandam sibi Virginem astitisse, atque tetigisse membra singula, & illico fuisse sanatam.* Quid de hac femina dicam, quæ constantiâ omnem virilem animum est supergressa? Nonne digna fuit, quæ Virginem haberet astitem, quæ patronam miraculosè sanantem? quæ omnes in coniugio positas imitatrices? Vide quàm multis oppugnata machinis, non sit expugnata. Aliæ multæ nec minas possunt vincere, nec blanditias contemnere: hæc tyranni imperio non terretur, neque regijs promissis capitur. Aliæ virum plus amant, quàm Deum, neque decorum existimant aduersari præceptis mariti, etiamsi diuinis præceptis repugnent: hæc censuit, obedire Deo magis, quàm hominibus, & ipsi adeò coniugi obedire oportere. Aliæ ne verbum quidem possunt durum pati; hæc suspendio torta, flammis vstulata, humeris lacerata, inter dirissimos cruciatus constans manet. Et quid aliæ non faciunt amore liberorum? in quæ peccata non consentiunt? Hæc marito filios miseratione dignos ostentante, fœdera coniugialia exprobrante, naturæ affectum, pietatem erga paruulos, potentissimi arietis instar adhibente, velut Marpesia cautes persistit immota; magisque patientia sua, & fidei profitendæ constantia maritum configit, quàm ipsa à carnificibus saucietur. Hoc coniunx à coniuge habet, vt quantum conatur illam à Christo auellere, tantùm ipse ad eam attrahatur. Neque sanè liberi etiam præstantiorem à matre sua, quàm tanti exempli hæreditatem accipere potuerunt.

Atque hic quoque fructus è matrimonijs redundat, vt quemadmodum parentes filijs dant initium vitæ, ita etiam eos Deo viuere doceant; immo & mori Deo. Qualis fuit prorsus nunquam satis memoranda illa Machabæorum mater, quæ capta, ac *flagris & taureis*, cum filijs cruciata, non solùm siccis oculis immania filiorum suorum tormenta aspexit, sed etiam quid non dixit, quid non fecit, vt eos animaret, immo vt se ipsam? Nam dum primus maximas, in eorum conspectu pateretur diritates, *ceteri, vnà cum matre, inuicem se hortabantur mori fortiter.* Itaque *supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios, sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat: singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: & femineæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos: Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis, propter leges eius.* Denique cùm adolescentior vnicus superesset, inclinata ad illum dixit: *Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui; & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto, nate, vt aspicias ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, vt non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.* Huic similis est septem filiorum martyrum mater & ipsa martyr Felicitas, quam D. Gregorius, in Ecclesia eius eximiè dilaudauit. Similis est & Theoclia, quæ Pompeiopoli in Cilicia, præside Maximino, cùm filius eius castissimus, ipso Paschatis festo die, post virgas, neruos, rotas, flammas, cruci affigendus esset, ob Christianam religionem. carnifices rogauit, vt eum inuerso capite, more S. Petri Apostoli, affigerent. Inde ergo virgineus iuuenis, in complexum fortissimæ matris vitam, in cælum animam effudit, matre præsente, aspiciente, adhortante.

XIIII.

2. Mach 7. 1.

XV.

Sur. 10. Iulij in vita eius. S. Greg. hom. 3. in Euang. Metaphrast. 7. April. in vita S. Calliopij.

XIV. Quia multæ matres magis solicitæ sunt de filijs suis ad honores, & dignitates, quàm ad virtutes promouendis, idcirco non iam memoratas, sed matrem filiorum Zebedæi imitantur, quæ cum filijs suis, ad Christum accedens, eum adorauit, & aliquid petitura dixit: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Rectè hæc fecit ad Christum accedendo, quanquam aliud ab illo petere debuisset. Aliæ matres, Christo neglecto, aulas adeunt, & profanos dominos, titulosque inanes ambiunt, aut etiam officia prehensant filijs obfutura, quæ si muneribus, si precibus, si etiam fraudibus impetrârunt, tum se verè matres fuisse arbitrantur. Si autem viderint liberos suos Mundo nuncium velle remittere, si Deo seruire in statu sacratiore, si ad Christi crucem euolare, tum manibus pedibusque obsistunt, tum viciniæ toti queruntur, tum cognatos omnes in concilium vocant, tum superos & inferos implorant; tum Diras omnes illis imprecantur, qui filijs earum bonum mentem iniecerunt: quin jam alterum in cælo pedem habentes retrahunt, atq; in suammet perniciem corrumpunt; vt in eis diabolos habeant, qui Angelos habere noluerunt. Ab harum sanè matrimonijs laudabilis ille fructus in liberos non redundat. Longè enim à matrimonij scopo aberrant, itaque rem gerunt, quasi non cœlo, sed Orco sobolem genuissent.

Matth. 20. 20.

XV. Aliter eas agere docuit diuina Christi Mater, qua tametsi nulla magis vnquam mater filium suum dilexit, quia nulla potuit pluris filium suum æstimare, quàm quæ nouit esse Deum; nihilo tamen minùs eum à Passione sua non impediuit, neque ad tormenta euntem reuocauit. Quin vsque ad locum supplicij secuta, incredibili constantia, vidit patientem ac morientem, eumque & ipsa cælesti Patri, pro mundi salute, tanquam piacularem hostiam obtulit. *Stabant* enim *iuxta crucem IESV Mater eius, & soror Matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Hanc sibi imitandá omnes matres deberent proponere, quarũ filij aut filiæ, ad crucẽ Domini humeris suscipiẽdam vocantur. Quod si nimis est illis robustum hoc exemplũ, habent, præter suprà laudatas matres, alias, quas intueantur.

Ioan. 19. 25.

Apud

Apud Socratem legimus, Edessæ, in Mesopotamia, fuisse templum illustre D. Thomæ Apostoli honoribus consecratum, in quod homines, ob loci sanctitatem, magna æquè frequentia ac pietate confluere solebant, qui omnes hæresin Valentis Imperatoris detestabantur. Quod vbi intellexit Imperator, Præfectum manu sua depalmauit de negligentia. Debuisset enim eos inde expellere. Præfectus non solùm ob acceptam contumeliam, sed etiam quia nimiæ crudelitatis esse censebat, tot homines innocentes occidere, admodum inuitus parebat. Quare clam eos curauit moneri, ne se eo in templo sinerent deprehendi. Illi autem, quasi iussi, non quasi prohibiti essent, ita neque consilijs moti, neque minis territi, postero die, multò, quàm priùs vnquam, maiore frequentia, in templum D. Thomæ concurrerunt. Præfecto igitur, magna militum manu stipato, ad eundem locum veniente, paupercula quædam mulier, quasi ad stipem accipiendam curreret, ita filiolum suũ manu contrahens, cupidè properabat, ac ne quid negligeret, ipsum ordinem & agmen satellitum Præfecti interruptum penetrabat. Quod animaduertens Præfectus mulierem ad se citatam ita est affatus: *Quò tam incondité curris, infelix mulier?* Cui illa: *Quò alij*, inquit, *currunt*. Ille vicissim. *Non audisti*, ait, *Præfectum cunctos interempturum, quos ibi repererit? Audiui*, respondit mulier, *& ob eam caussam festino, vt & ipsa ibi inueniar* Hac tam generosa responsione accepta, in admirationem datus Præfectus Imperatorem conuenit, eique & numerosam multitudinem, & inuictam virtutem exposuit, affirmans, *omnes esse pro fide sua mori paratos;* neque humanum esse, vt tanta mortalium multitudo, in templo, velut macello, trucidaretur. Qua oratione iram Imperatoris leniuit; & seruatus est tantus hominum numerus, vnius feminæ filium suum Christo victimam facturæ exemplo ac pietate: cuius virtus non filio duntaxat, sed etiam Ecclesiæ, ne tot sanctis priuaretur, profuit. XVI. Socrat. lib. 4. hist. Eccl. c. 18.

Pauca hæc & dixisse, & fecisse videri potest, si illam consideremus, de qua Prudentius stylo Poëtico, sed historica veritate scribit, nobilissimi Martyris Romani rogatu, coram Asclepiade Præfecto, puerulus adhuc septennis, explosa Ethnicorum idolo- XVII. Prudent. lib. Peristephanon.

idololatria, Dei vnius essentiam & Christi diuinitatem constanter asseruisset, matrem eius accersitam, eaque præsente, atque intuente, à tyranno iussos carnifices, vt pusionem in sublime sublatum manibus verberarent, perseuerantemque in Christo confitendo, exuta veste, virgis secarent. Cunctis flentibus ad tam immane spectaculum, mater imperterrito vultu, & serena fronte, amore Christi contumax stetit, ipsis doloribus filij, tanquam triumphis gaudens. Inter tantos cruciatus, vt fieri solet, viribus defectus paruulus exclamauit, se sitire. Quid ibi mater? An vbera ei & lac propinauit? an lachrymis arentem linguam rigauit? an mulsum poposcit? Nihil horum omnium fecit, sed eum etiam increpans dixit: *Christianum cedere morti non debere, aquam vitæ in Christo sufficere: fontem illum perennem esse proximum, calicem infantium Bethlehemiticorum exhauriendum. Isaaci paruuli obedientiam, & septem puerorum, ex Machabæorum historia, constantiam commemorauit.* His talibus maternis dictis animatus puerulus, virili pectore stetit, strepentes virgas audiuit, ictus excepit, dolores tulit, vulnera risit, tortoribus insultauit, tyrannum triumphauit. Itaque in rabiem actus Asclepiades, puerulum capite truncari jubet. Tenebat tunc natum mater, fouebatque & sinu, & amplexu victorem, plagarum vndique sanguinem abstergens. Adest carnifex, puerum poscit; quem mater vltro porrigit Christo victimandum, nullo gemitu, nullo fletu eum prosequens abeuntem. Vnico tantùm osculo ei impresso valedixit. Quid aliæ matres non fecissent, si vidissent septennis filij collum nudari ad ictum? si gladium stringi? si ferrum vibrari? si ceruicem ad vulnus accipiendum inclinatam? Hæc mater immota astitit: hæc astitit læta: hæc ministro caput filij amputante, non eiulauit, sed hilarissima voce cantauit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Nonne hîc à matre in filium, in Ecclesiam, in Christi gloriam fructus vberrimus redundauit? O quantus posset & ab alijs parentibus fructus existere, si vellent liberos suos bene instituere atque educare? imitatione huius matris, & Elcanæ atque Annæ, quorum fuit ingens circa filioli sui Samuelis institutionem pietas, qui eum totum Deo consecrarunt.

Psal. 116.

1. Reg. 1.

vt ei

vt ei cunctis diebus vitæ suæ iugiter seruiret. Sed id plerumq; multæ agunt, vt liberos omni vanitate profanent, linguarum, cantilenarum, chorearum eis magistros constituunt; sera demum ætate vix discunt Deum orare, ac venerari. Alia fuit 3.Reg. 2.
Dauidis pietas, qui filium suum Salomonem, magna & fide & solicitudine tradidit Nathan Prophetæ instituendum. Alia 1.Machab. 3.
cura fuit Matathiæ filios suos, ne à veritate eiusque propugnatione deficerent, calidè exhortantis. Sed & Raguel quoq;, & Tob. 10.
Anna filiam suam Saram piè & pudicè educatam dimittentes diligenter monuerunt, vt soceros honoraret, maritum diligeret, familiam regeret, domum gubernaret, & seipsam irreprehensibilem exhiberet. Susannæ quoque laudantur parentes, Dan. 13.
quòd non solùm ipsi iusti essent, sed filiam quoque suam secundùm legem Moysi erudissent. Denique solicitudinem paternam Iob egregiè ostendit, dum *consurgens diluculò offerebat holo-* Iob. 1. 5.
causta pro singulis. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo, in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus. Non esset finis, si omnes vellem enumerare filios, in quos iste sese matrimonij fructus effudit; & quidem ex ipsa matrimonij natura, quod non solùm gignendis, sed etiam bene educandis liberis, tanquam ob præcipuum finem, est introductum. Si ergo fructus arborem commendat, par est etiam matrimonij statum de hoc tam laudabili fructu æstimare.

Hic porrò fructus non in liberos duntaxat, sed etiam in XVIII.
ipsam Rempublicam sese extendit. E bonis liberis boni fiunt ciues: è ciuibus Respublica constat. Quanquam & alia sint commoda, quæ per matrimonia ducuntur ad communitatem. Per illa multi ad concordiam sunt reducti: per illa animati viri in pugnam: per illa hostes auersi: per illa sæpe integra regna atque imperia acquisita. Concordiæ factæ, litisque diuturnæ compositæ illud exemplum memoratur Bernæ accidisse. Ibi duobus probis alioqui viris lis intercessit, de agro quodam compascuo. Acta res est in foro magno strepitu; sed impendijs vtrinque maioribus, sic vt ad incitas ambo pænè redigerentur. Incidit igitur eorum vni salutare consilium. Festiuiore cultu amictus, & machæra accinctus, idem vt filius faceret, & subla-

 ta in

ta in humeros bipenni se sequeretur, imperauit. Hoc ornatu concessit rectà ad aduersarij ædes, pulsauit, admitti flagitauit. Despectans ille de fenestra admiransque facti insolentiam, raptim & ipse sese, reiecta decore tunica, cultiùs exornauit, & vt similiter comptus atque ornatus se comitaretur famulus iussit. Postquam in primo se limine consalutarunt: *Scis, mi, tu bone vir*, inquit aduena, *quid simultatis inter nos intercedat, magno nostro malo, & forensium vulturiorum summo lucro, qui spolijs nostris plaudunt? Iamque hoc agitur, vt scis, vt vterque nostrûm spectet mendicitatem, qua quid acerbius nobis accidere potest? Iam plus ambo insumsimus, quàm tres eiusce modi agri constitissent. Videor autem mihi rationem excogitasse componendæ huius controuersiæ multò expeditissimam. Est mihi filius iste corpore, vt vides, animoque præstans, ad omnem à me probitatem & laborem educatus. Filia contra tibi est, viro matura, industria, gnaua, casta, formæ non inelegantis: in summa te, & filio meo digna. Si igitur eam, quod bene vertat, filio huic meo matrimonio copulari permiseris, enimuerò agrum, vnde sementis calamitatum nostrarum germinauit, cedere in dotem iubebimus. Hoc pacto forenses rabulas, coruos hiantes, accipitres pecunarum, & litium procrastinatores deludemus.* Visus est oraculum prolocutus. Placuit & matri consilium. Neq; displicuit filiæ, quæ illico conuenit in manum. Indictæ sunt nuptiæ, lites finitæ. In quem modum multæ etiam aliæ controuersiæ sunt sepultæ, & quotidie sepeliuntur.

XIX. Quin coniugio iuncti, non lites duntaxat, sed etiam bella atque hostes sæpe ipsos sepeliuerunt, ac patriam liberauerunt, dum vnus alterum aut animauit in arma, aut placauit. Coriolanum dictum, Martium illum Roma iniquè eiectum, ac (Liuius lib. 2.) proinde Romanis infestum nemo ab exitio vrbis potuit auertere, præter Volumniam vxorem, & Veturiam matrem. Nisi hæ pro muro, & pro exercitu fuissent, atroci clade, exilij iniuriam vindicasset. In manu est æquè luculenta ac prolixa historia. Valde memoratu dignum est, quod de Meleagro Oenei filio recensetur. *Sedebat is in cubiculo iratus sibi & suis, cùm Curetes, quibus bellum erat cum Calydonibus, vrbem aggressi ingenti eam oppugnatione vexabant. Nec spes erat iam ampliùs, vel in*

viris, vel in mulieribus reliqua. Accurrunt ad columen ac extremam patriæ anchoram, Meleagrum, senes & primores ciuium illius vires ac manus implorantes, vt arma induat, & patriæ opituletur nutanti. Adsunt cum religione & deorum cultu ac ceremonijs sacerdotes, pollicentur amplissimam operæ mercedem. Illis contemtis ac spretis, accedit venerabilis canitie, venerabilior pietate Oeneus, nec cunctatur, vt duriorem flecteret, genua eius supplex amplecti. Accedit mater (ob cuius increpationes Meleager contra Curetes pugnare recusabat) ab ira in preces ac obsecrationes versa: sorores & sodales iucundissimi, quibuscum gratissimam ætatis partem transegerat, orant, & obtestantur, ne se in vltimo deserat discrimine. Nihil eum mouet. Perstat in proposito ferox animus, omnibus salutem, quam ita hortatu, monitu, blanditijs, pollicitationibus, precibus supplicibus petierunt, denegans. Interea hostes, irruptione in vrbem facta, occidere, agere, prosternere, incendere. Trepida se infert Cleopatra coniunx: Succurre, quæso, mi vir, occidimus, inquit, ni succurris; hostis possidet omnia. atqe vna recenset omnia mala, quæcunq; hominibus contingunt, quorum vrbs capitur. quæ à Poëta lib. 9. Iliadis ita enumerantur:

Quot mala concurrunt, quoties sunt oppida capta?
Intereunt ciues, vrbem depascitur ignis.
Abducunt alijs natos, matresq; decoras.

Huius vnius vocibus & periculo, ferreus ille, ac inexorabilis permotus, mollefactusq; sumit arma, & pulsis hostibus, postremò excidio vrbem, ac ciues eripuit. Videlicet (addit Viues) *heros ille magnanimus, quam naturæ iussionem ac legem nunquam vel legerat, vel audierat, impressam habebat in pectore ac infixam præcordijs; qua sciebat, vxorem esse seipsum; alios omnes, etsi magnam ex pietate necessitatem imponentes, extra ipsum tamen esse: coniugem verò ea esse charitate conciliatum coniugi, & eo nexu coniunctum atq; aptum, vt multa in coniugis gratiam non refugiat, ac recuset, quæ vel sibimet ipsi recusaret.* **Viues de officio Mariti.**

XX. Neque hostes duntaxat repulsi, sed etiam imperia, & regna, per coniuges, sunt acquisita. Nam apud Curtium Darius filiam Alexandro offert in matrimonium, & pro dote, quidquid inter Hellespontum & Euphratem iacet. Vbi Parmenio, Q. Curtius lib. 4.

menio, *optimum*, ait, *regnum occupari posse conditione, non bello.* Quod ante Alexandrum Darius fecit, qui Cyri regis filiam matrimonio sibi copulandam censuit, regalibus nuptijs regnum firmaturus, vt non tam in extraneum translatum, quàm in familiam Cyri reuersum videretur. Post Alexandrum verò idem fecit Perdiccas, qui, teste Iustino, vt viribus auctoritatem regiam acquireret, post Alexandri M. mortem, ad nuptias sororis eius, Cleopatræ, Alexandri alterius Epiri quondam coniugis, non aspernante matre Olympiade, intendit. Hoc animo est & Lycus, apud Senecam, qui de imperio retinendo deliberans, tandem in his verbis consistit: *alieno in loco*

Iustin. lib. 1.

Iustin. lib. 13.

Senec. in Herc. Furent.

Haud stabile regnum est: vna sed nostras potest
Fundare vires, iuncta regali face
Thalamisq; Megara; ducet è genere inclyto
Nouitas colorem nostra.

Tacit. lib. 1. & 4. Annal.

Quam ob caussam etiam de socero suo Iulio Agricola Tacitus ait: *matrimonium ei cum Domitia Decidiana splendidis natalibus orta ad maiora nitenti decus & robur fuit.* Eandem viam tenere voluit Asinius Gallus, & Seianus, vt idem Tacitus notat, quorum ille Vipsaniam M. Agrippæ filiam, quæ quondam Tiberij vxor fuerat, in matrimonium duxit; iste Liuiæ vxoris Drusi Germanici sororis nuptias ambiuit. Sed hîc in spaciosum campum excurreret oratio, si numerare velim, quot, per coniugia, prouinciæ & regna non solùm transierint in secularium Principum potestatem, sed etiam ad ipsum Christum religionemque Christianam, de quibus jam suprà quædam recensui. Qui fructus planè est præstantissimus, & vtique è faustis matrimonijs natus. Quare vel ipse Tertullianus scripsit: *prohiberi nuptias nusquam omnino legimus, vt bonum scilicet.*

Tertullian. l. 1. ad vxor. cap. 3.

CAPVT XLVI.

Quis fructus etiam ex infaustis matrimonijs haustus sit, vel hauriri possit?

I.



VIque in promtu est, laudare felices, & felicia; non item inuenire, in rebus calamitosis, quod commendet. Quare vt matrimonia quoque, si prospera, facile est

cile est prædicare; ita vicissim labor est, ex infaustis matrimonijs eruere, quod prædicetur. Sed labor iste tantùm est, apud homines: Deus enim, qui *melius judicauit de malis bene facere, quàm mala nulla esse permittere,* è rebus malis æquè potest, ac bonis producere bona. Primò igitur infaustorum coniugiorum ærumnæ consideratæ pretium addunt faustis, vt tantò pluris æstimentur, quia illis malis carent. Vnde & arctior, inter vnanimes coniuges, charitas existit. Sicut enim diuitiæ, libertas, sanitas, lux, & vita tunc magis solent æstimari, quando incommoda paupertatis, carceris, morborum, noctis & mortis aspiciuntur; ita tantò acceptius est matrimonium felix, quantò acerbiora esse malorum coniugum matrimonia intelliguntur. Deinde, quibus coniugia sunt ingrata, quia ipsi coniuges ingrati, caussam habent vt se pariter, atque consortem emendent. *Apud Socraticum Æschinem*, teste Tullio, *demonstrat Socrates, cum Xenophontis vxore, & cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam: Dic mihi, inquit, quæso, Xenophontis vxor, si vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, vtrum illius, an tuum malis? illius, inquit. Quòd si vestem aut ceterum ornatum muliebrem pretij maioris habeat, quàm tu habes, tuumne, an illius malis? Illius verò, respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, vtrumne tuum, an illius malis? Hîc mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit: Quæso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus meliorem equum habeat, quàm tuus est, tuumne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quod si fundum meliorem habeat, quàm tu habes, vtrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quod si vxorem meliorem habeat, quàm tu habes, vtrum illius malis? Atque hîc Xenophon quoq; ipse tacuit. Pòst Aspasia: Quoniam vterque vestrûm, inquit, id solùm non respondit, quod ego solùm audire volueram: egomet dicam, quid vterq; cogitet. Nam & tu, mulier, optimum virum mauis habere; & tu, Xenophon, vxorem lectissimam maximè vis. Quare, nisi hoc perfeceritis, vt neque vir melior, neque femina lectior in terris sit, profectò id semper, quod optimum putabitis esse, multò maximè requiretis: & tu, vt maritus sis quàm optimæ mulieris, & hæc, quàm optimo viro nupta sit.* Non erunt

S. Augustin. lib. Enchirid. cap. 27.

Cic. lib. 1. de Finib.

igitur in tranquillo coniuges, quàm diu non erunt optimi, aut optimi sibi esse videbuntur. Habent ergo stimulum, ipsa animi inquietudine, vt optimi esse nitantur.

II. Luc. 16. 28. S. Chrysost. hom. de pulchritud. & vxore. Tertiò faciunt etiam vnius infaustæ nuptiæ alios cautiores, *ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*, sed vt illud D. Chrysostomi monitum cordi habeant dicentis: *Satage, vt commodam & modestam, & obsequentem vxorem ducas. Nam si domum & seruos emturi diligenter, & curiosè sciscitamur, & perscrutamur, multò magis vxorem ducturos, tantam, ac longè maiorem etiam prouidentiam gerere oportet; domum enim vitiosam, & seruũ licet reddere venditori, vxorem verò dimittere non licet.* Igitur consideratione, consilio, precibus opus est, & voluntas Dei, consensus parentum, paritas religionis, ætatis, fortunæ, formæ, morumque in deliberationem trahenda. Odij parens est

Tertullian. lib. 2. ad vxorem c. 9. dissimilitudo. Paritas mater amoris. *Vnde sufficiam*, ait Tertullianus, *ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, pater rato habet? Nam nec in terris filij, sine consensu patrum ritè, & iure* (ceteris paribus) *nubent. Quale iugum fidelium duorum vnius spei, vnius voti? vnius disciplinæ, eiusdem seruitutis? Ambo fratres, ambo conserui, nulla spiritus carnísue discretio. At quin verè duo in carne vna. Vbi caro vna, vnus & spiritus. Simul orant, simul volutantur, & simul ieiunia transigunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes. In Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pariter. In angustijs, in refrigerijs; neuter alterum calat, neuter alterum vitat, neuter alteri grauis est. Liber æger visitatur, indigens sustentatur. Eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento. Non furtiua signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio. Sonant inter duos Psalmi & Hymni, & mutuò prouocant, quis meliùs Deo suo canat. Talia Christus videns & audiens gaudet. His pacem suam mittit. Vbi duo, ibi & ipse; vbi & ipse, ibi & Malus non est.* Hic fructus est, si coniuges eiusdem sint religionis. Quæ autem discordiarum & mille malorum semina ex disparitate eiusdem pullulent, ibidem toto libro deducit. Et facilè vel inde intelligi potest, quòd diuersitas religionum voluntates multò magis distorqueat, quàm opum,

opum, atque ætatis. Naturæ enim & Fortunæ faciliùs ignoscunt homines, moribus aduersis vehementissimè offenduntur.

Opum tamen diuersitas, quid in coniugibus pariat, graphicè D. Chrysostomus describit in hunc modum. *Felicissimum iudicatur, si pauper aliquis & abiectus vxorem ducat, ex ampla & potenti familia, diuitem & affluentem pecunia. At ex hoc contemptus illius hominis subsequetur: est enim alioquin superbum mulierum genus, & ob hoc magis perturbationibus obnoxium. Cùm verò multas superbia habeant occasiones, nihil est, quod illas in officio contineat, sed sicut vbi silua aliqua ignem concipit, flamma in sublime fertur, sic ipsæ elatæ incredibiliter ordinem peruertunt, & summa infima faciunt. Neque enim virum principatum tenere patitur vxor: & quæ est contumacia & arrogantia, illo de suo gradu deiecto, eum subiectum esse vult, & ipsa imperium occupare. Mitto conuicia; taceo contumelias; prætereo molestias; nihil est ea intolerabilius. Sin autem dixerit quispiam (id enim de multis auditum, cùm de hac re sermo haberetur) sit modò copijs & opibus affluens, nihil erit negotij, eam continere, & eius superbiam excutere. Si quis ista dixerit, primùm ignorat, id ex eorum esse numero, quæ magnam difficultatem habent. Deinde, vt ita sit, non parum id detrimenti habet: quòd enim illa timore ac vi in potestate viri esse cogatur, id viro grauius est, ac molestius, quàm si ipsa omnem imperandi potestatem haberet. Quid ita? quia sic omnis ex animo reijcitur mutuus amor; sublata verò amicitia, metu, & necessitate locum occupantibus, quid huiusmodi coniugio ad dignitatem reliqui esse potest? Et hæc quidem de vxore locuplete. Sin verò contingat, vt egeat ipsa, vir autem abundet, pro vxore illa erit ancilla, & libera pro serua, & amissa libertate, nihilo meliore sit conditione, quàm qui pecunia emti fuerint. Quid si intemperatus ille fuerit, si vinolentus, & alias mulieres impudicas in domum deduxerit; libenter omnia illa ferat, vel domo ipsa excedat, necesse est. Item viro sic affecto, nec seruis, nec ancillis liberè quidquam poterit imperare; sed perinde quasi cum alienis vitam aget, & feret, quæ dignitatis eius non sunt, & tanquam apud dominum potiùs, quàm apud virum degat, & sic omnia per vim, & agere, & pati cogatur.* Hæc talia nuncquid alios cautos esse iubent atque circumspectos? *ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum? Et*

III. S.Chrysost. lib. de Virgin. c. 53.

Felix,

Felix, quem faciunt aliena, pericula cautum.

IV. Quartò si quis in viperam incidit, si mulierem nequam duxit, cui alligatus est, tum enimuero campum habet, in quo se ostendat virum esse, hoc est, *caput mulieris*, cui dictum est: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Qua authoritate vsus Iob dixit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Tale dominium apparuit in Saturo martyre, quem Christiani nominis caussa in vincula datum, inter varias tentationes, etiam hoc ariete oppugnatum legimus. Vxor illi erat non Christiana: hæc vnà cum liberis ante oculos illius adducta, non tam verbis, quàm lachrymis perorabat. Quanquam neque verba loquacissimæ feminæ deerant. Itaque vxore flente, & liberis plorantibus dixit fortissimus Martyr: *O laquee diaboli, nequaquam me diligis, sed pessimè odisti, & veram mihi mortem paras inferre. Facesse igitur hinc, neq; enim te noui, neq; vocem tuam audio, sed vocem illius, qui dixit: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Pari constantia Thomas Morus vxorem suã ad carcerem venientem refutauit. Hi ergo omnes, non tam fortiter vicissent, si non vicissent vxores malè suadentes. Quæ victoria tanto illustrior est, si etiam à bonis vxoribus, contra malos maritos obtineatur. Est enim in imbelli sexu admirabilior, quàm in viris, fortitudo.

Ephes. 5. 23.
Gen. 3. 16.
Iob. 2. 10.
Sur. 25. Octobris.

V. Quintò, præbent infausta coniugia magnam patientiæ exercendæ occasionem. Noui piam matronam, quæ adhuc virgo, amore aliquid pro Christo, & pro peccatis suis patiendi, sæpe Deum rogauit, vt sibi maritum daret, à quo mala multa sustineret. Impetrauit sanè, & quidem otiosum, vinolentum, vagum, mendacem, verbis insuper & verberibus illam sæpe largiter excipientem. Eam cùm alij, cùm ego consolarer, semper respondit, *sibi solatio opus non esse; immo hanc ipsam sibi viri importunitatem maximo solatio esse: habere se beneficij diuini loco, quod in occasionem patientiæ ipsa petijsset.* Scio, paucas esse, quæ talem à Deo maritum postulent. Saltem si talem vel non petitum sortiantur, discant ferre patienter, ac de necessitate

virtu-

virtutem producant. Malis verbis rarò faciunt viros bonos. Longè plures vxores patientiâ virorum vitia emendauerunt. De S. Monica matre sua, hæc ad Deum loquitur S. Augustinus. *Educata pudicè ac sobriè, potiusq; à te subdita parentibus, quàm à parentibus tibi, vbi plenis annis nubilis facta est, tradita viro, seruiuit veluti Domino, & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem, atq; mirabilem viro. Ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam simultatem. Exspectabat enim misericordiam tuam super eum, vt in te credens castificaretur. Erat verò ille præterea sicut beneuolentia præcipuus, ita ira feruidus. Sed nouerat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille inconsideratiùs commotus fuerat. Deniq; cùm matronæ multæ, quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia etiam dehonestatâ facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc eorum linguam, veluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debuissent: proinde memores conditionis superbire aduersus dominos non oportere. Cumq; mirarentur illæ, scientes quàm ferocem coniugem sustineret, nunquam fuisse auditũ, aut aliquo indicio claruisse, quòd Patricius ceciderit vxorem, aut quòd a se inuicem vel vnum diem domesticâ lite dissenserint; & causam familiariter quærerent, docebat illa institutum suum, quod supra memoraui. Quæ obseruabant, expertæ gratulabantur: quæ non obseruabant, subiectæ vexabantur. Socrum etiam suam primò susurrijs malarum ancillarũ aduersus se irritatam, sic vicit obsequijs, perseuerans tolerantia & mansuetudine, vt illa vltro filio suo medias linguas famularum proderet, quibus inter se & nurum pax domestica turbabatur, expeteretq; vindictam. Itaq; posteaquam ille & matri obtemperans, & curans familiæ disciplinam, & concordiæ suorum consulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coërcuit, promisit illa talia de se præmia sperare debere, quæcunque de sua nuru sibi, quo placeret, mali aliquid loqueretur: nullaq; iam audente, memorabili inter se beneuolentiæ suauitate vixerunt.* Hoc quoque illi

S. Augustin. lib. 9. Confess. cap. 9.

 bono

bono mancipio tuo, in cuius vtero me creasti DEVS meus, misericordia mea, munus grande donaueras, quòd inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, vbi poterat, tam se præbebat pacificam, vt cùm ab vtraq; multa de inuicem audiret grauissima, qualia solet eructare turgens atq; indigesta discordia, quando præsenti amica de absente inimica per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. Paruum hoc bonum mihi videretur, nisi turbas innumerabiles tristis experirer, nescio qua horrenda pestilentia peccatorum latissimè peruagante non solùm iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, sed etiam, quæ non dicta sunt, addere: cùm contrà animo humano parum esse debeat, inimicitias hominum, nec excitare, nec augere malè loquendo, nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit, qualis illa erat, docente te magistro intimo, in schola pectoris. Deniq; etiam virum suum iam in extremâ vitâ temporali eius lucrata est tibi, nec in eo iam fideli planxit, quod in nondum fideli tolerauerat. Erat etiam serua seruorum tuorum. Quisquis enim eorum nouerat eam, multum in eâ laudabat & honorabat, & diligebat te: quia sentiebat præsentiam tuam in corde eius, sanctæ conuersationis fructibus testibus.

VI. Hæc de sua matre Augustinus, quæ exemplo docuit coniuges malis coniugijs bene vti; immo è malis viris bonos facere. Erat enim maritus illius animo malus, quæ malitia intolerabilior est, quàm si coniugum alter corpore sit vitioso. Quanquam meritò & hæc crux esse magna censetur. Quid enim non laboris, quid non molestiæ sentit mulier, cuius maritus, maiorem anni partem, in lecto podagricus decumbit? Aut quæ voluptas est viro, habitare cum muliere cadaueris instar fœtente, aut gangrænæ morbo fœdata? Sed vel hinc quoque sumitur occasio virtutis exercendæ, qui est sextus fructus infaustorum coniugiorum, charitas scilicet erga ægrotos. Facile est, & naturis hominum procliue, amare vegetos, sanos, formosos, aut formosas. Diligere viribus fractos, ægrientes, scabie deformatos aut deformatas, *hoc opus, hic labor est.* Quamobrem singulari memoria dignus est amor, quem Dominicus Catalusus, qui Lesbi rerum potiebatur, erga vxorem

Fulgos. lib. 4. cap. 6.

mundo

mundo ostendit. Ea enim in morbum incidit, & sanè grauem, atque ijs, qui aspicerent, detestabilem. Fœdissima enim lepra vndique cooperta est, ita vt illuuies magis, quàm viuum corpus videretur, & ex omnibus membris abominabilem quandam mephitim, tanquam Stygia palus, expiraret, putrescentibus & verminantibus vlcerum cauernis. Quid tunc Dominicus fecit? an ad destinatas talibus exitijs domos, extra vrbem eam, à conspectu consortioq; suo, eam eiecit? Ne domo, immo ne mensa, plus dicam, ne lecto quidem illam suo exclusit; neque veritus ne contagione inficeretur, neque aspectûs horrore territus, neque teterrimi odoris peste superatus. *Coniugalis enim charitas apud eum contagionis timorem, tetrumq; conspectum odoremq; in securitatem ac voluptatem verterat; quòd eam iuxta Dei verbum eandem carnem secum esse arbitrabatur.* O quàm multi hinc coniuges possunt erudiri, qui putant se cum immortalibus connubium contraxisse! Semper enim volunt habere bene valentes, ægrotantes nauseant, despiciunt, deserunt. Quædam vxores illico redduntur impatientes, si vel dentibus doleat maritus. Quidam mariti nullam possunt, in vxoribus suis imbecillitatem tolerare, & non rarò illis exprobrant, si vel per puerperij hebdomades decumbant. Quàm illi longè absunt à virtute Dominici Catalusi? Quàm immemores sunt, se Christo facere, quidquid amore Christi faciunt ægrotis, dicturi olim: *Infirmus eram, & visitastis me?* Bis malè est illi, qui Matth. 25. 36. & ferre debet, & ægrè fert ægrotos. Diuina compensatio est, quòd possimus malè valentibus benefacere.

VII.

At quidam viri, quædam feminæ prorsus sunt intolerabiles? in impatientiam, in luxum, in auaritiam, in odia, in errores, in hæresin, in mille mala impellunt, ac demum in ipsum æternæ damnationis barathrum pertrahunt? Nonnè prima origo mali, inter homines fuit vxor? *Adam non est seductus*, ait 1. Timoth. 2. 14. Apostolus, *mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Itaque femina fuit primum dæmonis instrumentum, qua deinde, successu audacior, sæpius vsus est. Nam Herodotus Halicarnas- Herodot. l. 1. seus demonstrat, apud plerasque gentes, hunc sexum belli caussam extitisse. *Argos omnibus ciuitatibus, quæ nunc Græcia nominatur,*

natur, antecellebat. *Huc* Persæ memorant, *appulsos Phœnices mercimonia exposuisse, & quinto sextóue quàm appulissent die, cunctis ferè diuenditis, feminas ad mare venisse, cùm alias multas, tum verò regis filiam, cui nomen esset idem, quod Græci tradunt Io filiam Inachi. Dumq́; hæ feminæ puppi nauis assistentes ea mercarentur, quæ cuiusq́; auiditas maximè ferebat; in eas Phœnices sese adhortatos impetum fecisse, & ipsarum plerisq́; aufugientibus, Io cum alijs aliquot raptam fuisse, eisq́; in nauim impositis, Phœnices in Ægyptũ vela fecisse, & hoc iniuriarum principium extitisse. Post hæc Græcorum quosdam, Tyrum appulsos filiam regis rapuisse Europam. Fuerunt autem hi Cretes, illisq́; par pari repensum. Verùm postea Græcos secundæ iniuriæ authores extitisse. Longa vecti naue in oram Colchidis, & ad Phasim fluuium, cùm cetera transijssent, quorum gratia venerant, asportarunt illinc filiam regis Medeam. Ad quam reposcendam, pœnasq́; de raptu petendas, cùm rex Colchorum caduceatorem misisset, Græcos respondisse, vt illi de rapta Io Argiua pœnas sibi non dedissent, ita ne se quidem illis daturos. Secunda de hinc ætate ferunt, Alexandro Priami filio, cùm ista audisset, cupidinem incessisse vxoris sibi per rapinã è Græcia comparandæ; certum habenti, omnino se pœnas non pensurum, quas nec illi pependissent. Ita cùm is Helenam rapuisset, visum esse Græcis, primùm missis illuc nuncijs & Helenam repetere, & pœnas de raptu petere. Illos verò tergiuersantes mentionem fecisse de raptu Medeæ: & qui nec pœnas dedissent, nec rapinam reposcentibus reddidissent, quo modo vellent ipsi sibi pœnas dari?* Hæc, & in hunc finem plura, ibidem Herodotus. Cuius si authoritas vacillat, veniat in memoriam *Dina filia Liæ egressa, vt videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit.* Ob quam rem & ipse, & parens illius, & omnes masculi ciuitatis trucidati sunt, vastataque omnia, *quæ in domibus & in agris erant.* Sed hæ feminæ corporibus duntaxat, & fortunæ bonis nocuerunt. Aliæ multæ virtutum thesauros euertunt, & animas maritorum pessumdant. Quod & de viris meritò retaxandis non rarò audimus. Felicissimus extitisset Iustinianus, si coniuge Theodora caruisset. Quantò enim propensiùs Catholicis fauit Iustinianus, tantò coniunx eius callidiùs

Gen. 43. 1.

Baron. Anno 541.

callidiùs Eutychianis adiumento, augmento & firmamento fuit; cuius impiæ feminæ occulta ſecutus conſilia Imperator, Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano è medio ſublato, Anthimum Epiſcopum Trapezuntium, monſtrum horrendum, ore Catholicam fidem profeſſum, corde Eutychianam hæreſin amplexum, in Pontificiam regiæ ciuitatis ſedem prouexit. In tantum errorem optimus alioquin Imperator inductus eſt à peſſima Imperatrice. Pari modo Arcadius Imp. ab vxore ſua Eudoxia deceptus eſt, & aduerſus ſanctiſſimum Epiſcopum Ioan. Chryſoſtomum inflammatus. Cùm enim Eudoxia impia, aureo illo ore, & diſerta lingua plus, quàm flammifero enſe feriretur, cœpit velut oeſtro percita furere, &, ſicut illi, quorum vlcera tanguntur, impotentiùs vociferari minaſque iactare, nec depoſitionem modò, verùm etiam mortem illi moliri, caputque illud petere, cuius eloquentiâ identidem fulminabatur. Nec verbis iſta tantùm, debacchantium feminarũ more, *ſtudio iactabat inani,* ſed opere vt implerentur, totis contendit neruis, per veredarios, litteras ad Epiſcopos mittens, vt quàm citiſſimè perferrentur, ſolicitè curans, vt quàm primùm omnes Conſtantinopolim venirent; ante omnes autem Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, quem experta erat in huiuſmodi rebus curandis ſolertiſſimum. Inter has turbas pertraxit etiam ad ſuum arbitrium Imp. Arcadium, quem reddidit ſuis votis omnibus annuentem, mandantemque Chryſoſtomo, vt ex Eccleſia Conſtantinopolitana exiret, cui ille intrepido pectore reſpondit: *Ego à Deo Saluatore noſtro hanc ſuſcepi Eccleſiam, vt ſalutem populi curem diligenter: neque illam deſerere poſſum. Quòd ſi fieri id omnino vis, vi mecum age, vt excuſationem habeam, quòd auctoritate tua pulſus reliquerim ordinem meum.* Sed notum eſt, quas deinde Eudoxia & tempeſtates in innocentiſſimum virum excitârit, & ipſa, diuino iudicio, paſſa ſit. Valentem Imperatorem vxor vlteriùs perduxit. Is vera Chriſti doctrina imbutus, ad felicem belli, contra Gothos, exitum iam conſtituerat baptiſmum ſuſcipere, cùm *verborum lenocinijs coniugis ſuæ delinitus, in ſeruitutem datus eſt, & factus non captiuus ſolùm, ſed etiam muliebrium verborum fallacijs obſequens. Siqui-*

Baron. Anno 404.

Theodoret. lib. 4. Eccl. hiſt. c. 11.

dem illa erroris Ariani laqueis antè irretita, maritum in eosdem inducere laborauit, cuius hortatu in horrendum blasphemiæ barathrũ præceps cum ea deiectus est. Ac ne feminis malis solis irasci videamur, scribit Michaël Ritius, Childeberti Parisiorum regis sororem, veræ religionis obseruantissimam, à coniuge suo Amalarico, eò quòd ipsa Arianam sectam contemneret, contumeliosè tractatam. Sed non impunè. Fuit enim à Childeberto fratre eius bello cruentissimo vexatus. Ita pia vxor cum impio marito pacificè non vixit, nec ipse bello caruit, qui domesticum bellum excitauit.

Michael Ritius lib. 1. de regib. Franc.

VIII. Quòd si hæc tot exempla in compendium contracta nondum sufficiunt ad quorundam coniugum intolerabilem importunitatem demonstrandam, potest ea res fabulis quoque declarari. Aiunt enim aliquando malum dæmonem fuisse, quem incesserit vxoris ducendæ cupido. Sed erat monstrosa facie, nulla ei nubere voluit puella. Itaque petulcam anum coactus est ducere, de alio marito acquirendo, iam dudum desperantem. Nuptiæ, nocturno tempore, sub patibulo, sunt celebratæ, totius prouinciæ sagis & veneficis præsentibus. Post epulum ex assatis muribus, auicularum loco, paratum, atque obscœnis rebus conditum, in patibulo sedens cum vtriculari tibia vetulus Corydon signum dedit ad choreas inchoandas, ad quas sponsa nondum satur cùm accedere nollet, orta est in ipsis iam nuptijs discordia. Ex eo tempore postea ita ab vxore illâ tractatus esse fertur, pessimus ipse maritus, vt ab ea profugere cogeretur. Dum fugit, Agyrtæ in silua tristis occurrit, herbas legenti. Ibi, narratis vterq; suis infortunijs, & consilijs collatis, fœdus fecit, vt commune esset vtriusque in negotiando, lucrum. Impostura igitur, inter nequissimos mortalium, sæpius vsurpata, in hunc modum homines fefellerunt. Diabolus præibat, & homines vel morbis, vel alijs intemperijs inuadens miserè exagitabat. Tum superueniens Agyrta profitebatur, se non solùm posse omne morborum genus herbulis suis persanare, verùm etiam ipsum ex infessis hominibus dæmonem pellere. Pactis itaque nummis, demum facilè se sinebat Stygius Alastor exturbari. Aliquando autem Agyrta cupiditate pecu-

niæ victus, non satis fideliter lucrum cum eo partitus est, in cuius rei vindictam, noluit ampliùs ex alio egredi dæmon, quin & conuitijs circumforaneum proscidit, eumque in capitis periculum de magia adduxit. Irritatus ergo Agyrta cacodæmoni comminatus est, adducturum se illius vxorem, à qua horrendis modis plectendus esset. Hac adiuratione tam vehementi audita exterritus satan, non modò paruisse, sed totam quoque pecuniæ summam Agyrtæ reliquisse dicitur. Ostendit hæc fabula, feminas quasdam ipsis diabolis, quibus formidabiles sunt, esse intolerabiliores.

IX. Valentin. Andreæ Mythologiæ Christianæ lib. 3. manipulo 5. n. 8. pag. 275. videri potest.

Quid igitur hinc, pro fructu septimo, discimus, nisi quod S. quidam Pater scribitur de alterius diaboli nuptijs commentus esse? Commentum est illud. Disputabat aliquando secum, atque varias rationes excogitabat, quibus posset quàm plurimos homines in sua retia pellicere Tartareus piscator. Venit illi in mentem, per vxores id admodum commodè fieri posse. Ergo vxorem duxit, è qua filias multas suscepit, quarum enuptione id conficeret, quod instituisset. Duxit autem *Iniustitiam* in vxorem, è qua septem genuit filias. Prima *Arrogantia* erat, quam splendidissimè maritauit, primùm quidem homini parcè docto, sed liberaliter scientias iactanti, & prima, in curijs subsellia ambienti; deinde militi glorioso. Secunda fuit *Auaritia*, hanc Iudæo, inde Christiano seni, postea thesaurario cuidam in matrimonium dedit. Tertia *Falsitas & Fraus* erat: hæc quoque vt in matrimonio locaretur, data est opificibus, & agricolis quibusdam, sed vidua. Nam primus eius maritus *Legatus* fuit *ad mentiendum, Reip. caussa, missus.* Quartò nata est illi *Inuidia*, hanc in matrimonium amarunt artifices & opifices, sed aulici quidam præripuerunt. Quinta formosissima filia nomen accepit *Hypocrisis*, quam sibi adiunxerunt vxorem veneficus quidam, & postea alij pietatem mentientes. Sexta *Elatio*, seu *Superbia* nominata multos habuit procos. Et eam primùm magnates quidam, in officia ac dignitates euecti, matrimonio tenuerunt; postea titulis nouis inflata nobilitas in coniugium poposcit: neque ab ea vxore ducenda illi ipsi abhorruerunt, quibus alioqui nefas est vxorem ducere. Septi-

mam filiam libuit vocare, *Scortationem.* Hanc diabolus parens nemini vni voluit collocare, sed domi suæ detinuit, sicut olim lena Clearreta Philenium meretricem, vt, cuicunque ea placeret, eam domi inueniret. Ex his septem vnam in matrimoniũ accipere iussus egregius quidam iuuenis, vel Wirtenbergensi Prædicante teste, exclamauit: *Hic demum præstabit calibem esse, & illibatam seruare Agno virginitatem, ac sequi, quocunque vadat.*

X. Sed missis fabulis, nonnè ipsi Apostoli, cùm Christum audijssent differentem de vxore etiam incommoda non dimittenda, nisi ob fornicationem & adulterium, cum inde fructum decerpserunt, vt dicerent: *Si ita est caussa hominis cum vxore, non expedit nubere?* aut nuptias celebrare. Quorum deductionem Christus, etiam præmio insinuato approbans dixit: *Qui potest capere, capiat,* & seipsum *propter regnum cælorum* castret. *Proponit Agonothetes præmium,* inquit S. Hieronymus, *inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purißimum fontem, & clamat: Qui sitit, veniat ad me, & bibat; qui potest capere, capiat.* Et paulò infrà: *Si talis est caussa hominis cum vxore,* inquiunt Apostoli, *non expedit nubere. Quorum Dominus sententiam probans: Rectè quidem sentitis, ait, quòd non expediat homini ad regna cælorum tendenti accipere vxorem: sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud: verùm quibus datum est. Alios Eunuchos natura facit, alios vis hominum: mihi illi Eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas. Libenter illos in meos sinus recipio, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest, inquit, capere capiat. Grandis fidei est, grandisq́; virtutis, Dei templum esse purißimum, totum se holocaustum offerre Domino, & iuxta eundem Apostolum, sanctum esse corpore, & spiritu.* Itaque è tot, & tantis matrimonij incommodis, ex ipsa Christi mente, rectè Apostoli collegerunt, non *expedire nubere;* sed ijs, qui capere possunt, non solùm perfectius, sed etiam ad salutem suam vtilius esse, vt sine coniugali seruitute, & vxoris impedimentis tantò liberius Deo vacent. Quod & Paulus sæpius repetiuit. Cuius sunt ista: *Bonum est homini, mulierem non tangere. Volo omnes homines esse, sicut me ipsum,* hoc est, vxoris expertem. *Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant,*

Matth. 19. 9.

S. Hieronym. lib. 1. in Iouinian.

Ioan. 7. 37.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7. 1.

1. Cor. 7. 7. & seqq.

Ibid. v. 25.

maneant, sicut & ego. De virginibus, præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse, propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse, id est sine vxore. *Solutus es ab vxore? noli quærere solutionem. Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, meliùs facit.* Et: *Beatior erit si sic permanserit, secundùm meum consilium.*

Hoc Christi & Apostolorum consilium secuta est Petronilla, quæ, sumto sibi tridui spacio ad deliberandum, mori maluit, quàm nubere. Quare eam Christus, post trium dierum ieiunia & orationes, ad cælestes nuptias, ex hac vita euocauit. Hoc secuta est consilium à S. Matthæo suggestum, Iphigenia regis filia, & à rege Hirtaco nequicquam expetita. Hoc secuta est Barbara, stultum rata à cælesti sponso ad terrenas nuptias diuertere. Hoc secuta est Gertrudis Pipini filia, Dagoberto regi honoratissimum ac opulentissimum adolescentem ei in sponsum offerenti respondens: *Ergo, ô Rex, neq; hunc auro fulgentem, neque mortalium quemquam, quibusuis titulis decoratum, sed Christum Deum ac Dominum meum sponsum mihi elegi.* Apud Adonem Episcopum Treuirensem, *Victoria Virgo Romana Eugenio viro pagano desponsata, rogante Tito Aurelio, qui sponsam Anatoliam virginem habebat, ad suadendam eam, vt ei nuberet, perrexit. Cui & dixit: Audi me, Domina soror Anatolia, & ego Christiana sum, & noui quia Deus nuptias non condemnat: Prophetæ & Patriarchæ coniuges habuerunt, & posteritas eorum à Deo benedicta est; nunc ergo audi me, & accipe virum, qui te non prodat, quòd sis Christiana, sed per maritalem copulam fiat, vt ipse Christianis consentiat. Hæc dicenti Victoriæ Anatolia respondit: O Victoria, vince diabolum, & esto vera Victoria. Tunc quando tota terra vacua erat, dixit Deus hominibus: Crescite, & multiplicamini, & replete terram: nunc plena terra, postquam Filius Dei de cælo descendit, quotidie clamat: Crescite in fide, multiplicamini in charitate, & replete cælos, quia appropinquauit regnum cælorum. Iterum inter alia, & post alia S. Anatolia intulit: Ego die, qua explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum iuuenem aureo diademate splendidum, in vestibus*

XI. Breuiar. Rom. vetus vlt. Maij.

Ioachim. Perionius in vita S. Matthęi. Sur. 4. Decemb.

Sur. 17. Martij in vita S. Gertrudis.

Ado Treuir. 23. Decemb. in Martyrologio.

Gen. 1.

purpureis atq; gemmatis, qui grata facie, & læto vultu me suspiciens ait: O Virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris. Hæc ego audiens euigilaui, & cœpi flere: & proyciens me in pauimento, rogaui Dominum, vt is qui mihi loquebatur, dulcissimos sermones iterum prosequeretur. Sic mihi oranti & prostratæ idem qui antè loquebatur: Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior: Virginitas gemma est pretiosa: Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu euigilans sollicitè custodi; quantumq; plus te habere cognoscis, instantiùs custodi, ne perdas. His, & similibus verbis & factis incitata Victoria omne pretium ornamentorum suorum & ipsa distraxit pauperibus. Sicq; factum est, vt agentibus sponsis earum Aurelio & Eugenio, quia nubere illis virgines Christi noluerunt, à Decio Imp. vrbe Roma pulsæ, ad prædia sponsorum ducerentur; vbi fame & inedia ita afflictæ sunt, vt vix ad vesperum modicus panis cibarius eis daretur, nulloq; pacto efficere sponsi potuerunt, vt vel ad nubendum, vel ad sacrificandum animi illarum inclinarentur. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito inuincibiliter persistens, post multa facta miracula, inter quæ plurimas virgines Domino aggregauerat, percussa est gladio in corde à Thaliarcho carnifice, quem rogatu Eugenij sponsi sui Iulianus Pontifex Capitolij ad hoc opus direxerat. Putent alij, se in matrimonio Paradisum inuenturos, hæc sapiens Virgo occumbere maluit, quàm nubere.

XII. Scopuli & Syrtes in mari eminentes prosunt nauigantibus, possunt enim vitari, si appareant. Ita ærumnæ in coniugijs occurrentes multos dirigunt ad tutiora. Hinc Apostolus, postquam multa de coniugum & coniugiorum difficultatibus disputasset, subiecit: *Existimo ergo hoc bonum esse, propter instantem necessitatem* (annexam matrimonio) *quoniam bonum est homini sic esse. Quanam est necessitas hæc?* ait S. Chrysostomus, *humanarum quidem rerum negotiorumq; conuersio. Is enim est concursus curarum, ea solicitudinum oppressio, ea varietas casuum, vt qui connubio iunctus sit, quasi inuitus multùm sæpe erret, ac peccet, eò, quòd vxorem, cuius suasu peccet sæpe, inuitus domi habere perpetuò cogatur. Quòd si vxor moribus facilioribus sit, moles tamen curarum, quæ viro circumfunduntur propter ipsam, & propter liberos,*

1. Cor. 7. 26.

S. Chrysost. lib. de virgin. cap. 43.

beros, nec minimum quidem zelum suscipere patiuntur, vndiq; animum quadam quasi vertigine contorquentes, & obruentes. Quod si vir priuatorum hominum tutam, & tranquillam vitam voluerit viuere, nullo modo id assequi potest. Cùm enim videat circum se liberos stare, & vxorem, cui multa in sumtum eroganda sint, vel inuitus dimittit ipse se in fluctum ciuilium negotiorum, quò vbi inciderit, non dici potest, quanta illi deinceps peccandi occasio imposita sit in iracundia, in iniuria, in iureiurando, in conuitio, in simulatione, multa simultatis caussa faciendo. Quî autem fieri potest, vt is, ea tempestate iactatus, & in illa ipsa laudem quærens, magnas inde peccatorum sordes non contrahat? At si quis domesticus eius res scrutatus fuerit, tum eum grauiori etiam difficultate vxoris caussa plerumque offendet. De multis enim vir cogitur esse solicitus, quorum nullam sua caussa curam suscipere necesse haberet; idq; si modesta est vxor, & commodis moribus. Sin verò nequam, difficilis, & molesta fuerit, non modò hanc ipsam rem, necessitatem dicemus, sed pœnam & supplicium. Quo modò autem is tanto negotiorum oppressus pondere, grauißimis etiam vinculis catenæ ad terram aßiduè trahentis, constrictis & colligatis pedibus (vincula enim vxoris improbitatē appello) quo modo, inquam, cæleste illud iter; quod soluto, & expedito gradu, vacuo etiam & libero animo ineundum est, sic affectus conficere poterit?

Hæc talia incommoda considerantes, ex ipsis infaustis matrimonijs, tanquam è vipera, sumunt medicinam, quicunque sunt oculati rerum æstimatores. Qualis fuit Ægyptius ille, quem Socrates, & plerique historiæ Ecclesiasticæ scriptores magnis laudibus extulerunt. Nimirum *Ammon vir sanctissimus,* qui *cùm adolescens esset, à nuptijs abhorruit ille quidem; sed tamen, cùm nonnulli amicorum eum hortarentur, vt non ita contumeliosè nuptias insectaretur, sed vxorem duceret, illis morem geßit, venitq; ad nuptias. Ac statim vt virginem è thalamo exemerat, & consueta cum pompa in interius deduxerat cubiculum; tandem, vbi necessarij illius deceßissent, arrepto in manum libro epistolas Pauli complectente, primùm epistolam illius Apostoli ad Corinthios cœpit legere, præceptaq; illius de nuptijs coniugi exponere. Deinde aliunde multa adijcere: docere nuptiarum incommoda: quàm tristis sit inter*

XIII. Socrat. lib. 4. hist. Eccl c.18. Sozom. lib. 3. cap. 13. Theodor. l. 4. c. 16. Niceph. l. 11. c. 34. & seq.

ter virum & mulierem vitæ consociatio: quàm acerbi dolores mulierē grauidā pungant? Addere etiam molestias, quæ in liberorū educatione inesse solent: postremò virginitatis commoda percensere; & quatenus vita pura, inuiolata, & ab omni labe sit libera: & quòd virginitas nos ad Deum quàm proximè faciat accedere. Hæc aliaq́; multa apud virginem vxorem elocutus, persuasit illi, vt priusquam congrederentur, eam vitæ rationem, quam humana consuetudo postulat, prorsus abijcerent. Ambo igitur, quasi fœdere ea de re pacto, ad montem, qui Nitria vocatur, rectà se conferunt: ibiq́; ad exiguum tempus, in tugurio ætatem degentes communem vitæ monasticæ disciplinam exercuerunt, nullo virilis, aut muliebris sexus discrimine habito; sed vnum corpus, vt est apud Apostolum, fuerunt in Christo. Non longo post tempore, noua sponsa & virgo incorrupta Ammonem sic affatur: Non te decet, qui temperantiæ & castitati colendæ te totum dedisti, feminam in tantillo domicilio conspicari. Quare si videtur, quisque nostrum separatim in monastico vitæ genere exercendo se ponat. Hoc itaque de vtriusq́; sententia pactum est: atque alter ab altero segregatus, quod reliquum erat vitæ, eo pacto contriuit. Quid hoc matrimonio faustius? natum est ex infaustorum matrimoniorum consideratione; quemadmodum & Alexij, Ioannes Calybitæ, Elzearij, Henrici, Kunigundæ, Cæciliæ, & innumeri alij aliæque, maturè expensa coniugiorum infaustorum calamitate, virginitatem perpetuam coluerunt.

XIV. S. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian.

Et quia nonnullis nimis ardua videtur horum sanctorum imitatio, audiant, quid, teste S. Hieronymo, ipsi Ethnici collegerint didicerintque ex matrimonij tribulatione & curis. Theophrastus enim ostendit, *Non esse ducendam vxorem sapienti.* 1. *Quòd rarò simul pulchra, bene morata, honestis parentibus, sana, ac diues reperiatur.* 2. *Quòd impediantur studia Philosophiæ.* Nam & *Cicero rogatus, vt post repudium Terentiæ, sororem eius duceret, dixit: Non posse se vxori & Philosophiæ pariter operam dare.* 3. *Quia matronarum vsibus nimis multa sunt necessaria, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumtus, ancillæ, supellex varia, lecticæ, & esseda deaurata.* 4. *Per noctes totas garrulæ quæstiones & conquestiones. Illa ornatior procedit in publicum: hæc honoratur ab omnibus, ego in conuentu feminarum misella despicior.*

5. *Quia*

5. Quia nulla est vxoris electio, sed, qualiscunq; obuenerit, habenda: si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida; quodcunq; vitij est, post nuptias discimus. 6. Attendenda semper eius est facies, & pulchritudo laudanda; ne si alteram aspexeris, se existimet displicere. 7. Vocanda Domina, celebrandus natalis eius, iurandum per salutem illius. 8. Si totam domum ei regendam commiseris, seruiendum est. 9. Si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non putabit. 10. Si propter dispensationem domus, & languoris solatia, & fugam solitudinis ducuntur vxores; multò meliùs seruus fidelis dispensat, obediens auctoritati Domini, & dispensationi eius obtemperans, quàm vxor: quæ in eo se existimat Dominam, si aduersum viri faciat voluntatem, id est, quod placet, non quod iubetur. 11. Aßidere ægrotanti magis possunt amici, & vernulæ beneficijs obligati. 12. Quòd si ipsa languerit, coægrotandum est, & nunquã ab eius lectulo recedendum: aut si bona fuerit, & suauis vxor, quæ tamen rara auis est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. 13. Liberorum caussa vxorem ducere, vt vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis præsidia, & certis vtamur hæredibus, stolidißimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes è mundo, si nomine nostro alius nominetur, cùm & filius non statim patris vocabulum referat, & innumerabiles sint, qui eodem appellentur nomine? 14. Hæredes meliores, & certiores amici sunt, & propinqui, quos iudicio deligas, quàm quos, velis nolis, habere cogaris, licet certior hæreditas sit, dum aduiuis, bene abuti substantia tua, quàm tuo labore quæsita, in incertos vsus relinquere. Hæc, & huiusmodi disserens Theophrastus, ait S. Hieronymus, quem non suffundat Christianorum, quorum conuersatio est in cælis? Hæredem nimirum desiderabit hominem cohæres Christi, & optabit liberos nepotumq; serie delectabitur, quos forsitan sit occupaturus Antichristus, cùm legamus Moysen, & Samuelem filijs suis alios prætulisse, quos videbant Domino displicere. Affert, post ista, multa S. Pater in improbas maximorum virorum vxores, ac tandem plures Ethnicos testes adducit in hunc modum. Epicurus voluptatis assertor rarò dicit sapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admixta sunt nuptijs, & quomodo diuitiæ, & honores, & corporum sanitates, & cetera, quæ indifferentia nominamus, nec bona, nec mala

sunt, sed velut in meditullio posita, vsu & euentu vel bona, vel mala fiunt: ita & vxores sitas in bonorum malorumq; confinio. Graue autem esse viro sapienti, venire in dubium, vtrum bonam, an malã ducturus sit. Scripserunt Aristoteles & Plutarchus, & noster Seneca de Matrimonio libros, ex quibus & superiora nonnulla sunt, & ista quæ subijcimus. Amor formæ rationis obliuio est, & insaniæ proximus, fœdum minimeque conueniens animo sospiti vitium: turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit: à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat: plura tempora suspicionibus, lachrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipse sibi nouissimè odio est. Tota amoris insectatio, apud Platonem exposita est, & omnia eius incommoda Lysias explicat: quòd non iudicio, sed furore ducatur, & maximè vxorum pulchritudini grauissimus custos accubet.

XV. Hæc D. Hieronymus aduersus Iouinianum idcirco disputat, vt defendat confirmetque virginitatis sectatores. Quæ quia momentum habent, non solùm ostendunt, ex ipsis quoque infaustis Matrimonijs magnum fructum existere, quòd moneant, ne alij temerè quid agant; sed etiam quòd sapienti dent occasionem de nuptijs melioribus cogitandi, animamque suam Christo desponsandi, consecrata, ei perpetua virginitate. Quod plurimi, Paulo suadente, fecerunt Corinthij, vt vrbs impudicissimæ Deæ cultrix, quæ erat priùs omnium illuc aduentantium sentina, & quædam libidinum schola, in castitatis asylum, virginitatisque viridarium conuerteretur. *Hodie virgines suas Corinthij velant: quid docuerint Apostoli, qui didicerint, approbant,* ait Tertullianus, *erat enim velum virginitatis insigne.* Corinthiorùm postea exemplo, complures Græcorum, aliarumque nationum Ecclesiæ suas virgines velare consueuerunt, eodem Tertulliano teste. De quibus & S. Ignatius martyr ad Smyrnenses scribit: *Saluto eas, quæ in perpetua degunt virginitate, & viduas.* Iustinus autem martyr ad Antoninum Pium Imperatorem ait: *Permulti profectò sexus vtriusque, & sexaginta, & septuaginta nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt sectati incorrupti & cælibes perdurant: & glorior me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse.* Tertius quoque martyr

Tertullian. de virginib. veland. c. 9.

S. Ignatius ep. 10.

martyr Cyprianus accedit testis, cuius hæc sunt: *Iam refertus est orbis, impletus est mundus eorum, qui capere continentiam possunt, more spadonum viuentes, & castrati ad regnum Dei.* Et laudes addens ait: *Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctitatem Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atq; in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantoq; plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.* Cyprian. de habit. virg.

Exempla passim multa alia attigimus. Ipse Christus de Virgine natus perpetuam coluit virginitatem. Quod si ad perfectiorem statum pertinuisset, habere vxorem, oportuisset & illum vxorem ducere, ne & hæc illi perfectio deesset. Sed vtique excellentius est, ad Angelicam accessisse puritatem. Cuius & Paulus se exemplum proposuit. Nam celebs fuit: etsi Clemens Alexandrinus eum coniugatum fuisse putans scribat: *Paulus quidem certè non veretur in quadam epistola suam appellare coniugem, quam non circumferebat, quòd non magno ei opus esset ministerio. Dicit enim in quadam epistola: Non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli? Sed hi quidem, vt erat consentaneum ministerio, quod diuelli non poterat; prædicationi scilicet attendentes, non vt vxores, sed vt sorores circumducebant mulieres, quæ vnà ministratura essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in gynæceum, absq; vlla reprehensione maláue suspicione ingredi posset doctrina Domini.* Hæc Clemens, seductus Græca voce, γυνὴ, quæ etsi æquè vxorem significet, ac mulierem, ait tamen Paulus *sororem mulierem*, quod de vxore intelligi non potest. Quamobrem contra incontinentem Iouinianum ita disputat: *Si autem nobis illud opposuerit ad probandum, quòd omnes Apostoli vxorem habuerint: Nunquid non habemus potestatem mulieres, vel vxores circumducendi (quia γυνὴ apud Græcos vtrumq; significat) sicut ceteri Apostoli & Cephas, & fratres Domini, iungat & illud, quod in Græcis codicibus est: Numquid non habemus potestatem sorores mulieres, vel vxores circumducendi? Ex quo apparet, eum de alijs sanctis dixisse mulieribus,*

XVI.

Clem. Alexand. Strom. lib. 3.

1. Cor. 9.

S. Hieronym. l. 1. aduers. Iouinian.

bus, quæ juxta morem Iudaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum: nam & ordo verborum hoc significat: *Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi? Vbi de comedendo, & bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur, perspicuum est, non vxores debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de sua substantia ministrabant.* Idem Tertullianus, Augustinus & alij respondent. Sed clarissimè pro se ipso loquitur Apostolus, qui cælibatum suum in prima epistola, quam ad Corinthios dedit, sæpe inculcat, & clarè in exemplum proponit inquiens: *Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum.* Ac ne dubitemus, in qua re velit *omnes homines esse, sicut seipsum*, subiungit: *Dico autem non nuptis* (hoc est, innuptis) *& viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego: quòd si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quàm vri.* Quid est, hortari virgines, ac viduas, *vt sic permaneant, sicut & ipse*, nisi vt ad suum exemplum cælibem vitam agant? Quo sensu ea intelligenda esse PP. scriptoresque ceteri omnes intellexerunt; & quorundam catalogum texuit S. Hieronymus: etsi, vt S. Epiphanius ait, *omnino quidam grassatores, & ad libidinem conuersi, & corruptam opinionem in se ipsis habentes, etiam sanctos polluere volunt, ad honestam excusationem prauæ ac infirmæ suæ opinionis: ad quos dixit Apostolus: Vellem quidem omnes esse, sicut me ipsum. Me ipsum verò quomodo dicit, præterquam propter castitatem?* Abstinuit ergo Apostolus coniuge, & coniugio, vt quod verbo suaserat, exemplo confirmaret. Quod & alij plerique Apostoli fecere. Quam ob caussam, *Petrum*, inquit Tertullianus, *solum inuenio maritum per socrum, monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura. Ceteros autem, cùm maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes.* S. quoque Hieronymus, *Quoniam*, inquit, *excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de alijs Apostolis, quòd vxores habuerint: & cùm de vno scriptũ sit, ac de ceteris tacitum: intelligere debemus, sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale scriptura significat.*

Tertull. lib. de monogamia cap. 8. S. Augustin. de operib. Monach. c. 4. 1. Cor. 7.

S. Hieronym. ep. 52. S. Epiphan. hæres. 70.

Tertull. de monogamia cap. 8.

S. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian.

Et

Et cur tanti non fecerint Apostoli cælibatum, post Euangelij promulgationem, cùm D. Hieronymus demonstret, vbique gentium, apud sapientiores, onera coniugiorum fuisse formidata, virginitatemque in pretio extitisse? quamuis ea virtus tum rara, à Christi autem aduentu fæcundissima fuerit. De Vestalibus Plutarchus, Liuius, Lipsius. Clœlia Virgo obsesa Romanis Porsenæ Hetruscorum regi data, cùm castra Hetruscorum fortè haud procul ripa Tyberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum, inter tela hostium Tyberim tranauit, sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit. Quod vbi regi nunciatum est, primò incensus ira, oratores Romam misit ad Clœliam obsidem deposcendam, alias haud magni facere. Si non dedatur obses, pro rupto se fœdus habiturum. Si verò dedatur, intactam inuiolatamque ad suos remissurum. Itaque reddita, apud Hetruscorum regem, non tuta solùm, sed honorata etiam virtus fuit, eamque partem obsidum, quos vellet, donare se dixit. Pace sic redintegrata, Romani nouam in fœmina virtutem nouo genere honoris, statua equestri donauêre: in summo sacræ viæ fuit posita virgo insidens equo. Augustus, teste Dione, etsi simulata cælibatum grauissima oratione edictoque est insectatus, maxima tamen æquitate eos, qui perpetuam virginitatem excolerent, est prosecutus, summisque prœmijs affecit. Præclarissimæ extant sententiæ Naumachij Ethnici & antiqui Poëtæ, quæ & virginitatem pariter commendant, & matrimonij oneribus, in hunc modum Græcè anteponunt: sed nos eas Latinis verbis exponemus, ne multis frustra apponatur, quod nec lecturi essent, nec, si legerent, intellecturi.

XVII.
S. Hieronym. loc. cit.
Liu. lib. 1. dec. 1. Valer. Max. lib. 3. cap. 2.
Dio hist. l. 6.

Pulchrũ sanè est, corpus castum habere, intactamq; manere
Virginem, & puris semper cogitationibus delectari;
Nec onus circa laboriosa illa gestantem,
Neque dolores trementem suspiriosos Lucinæ:
Sed permanere quasi reginam imbecillium mulierum;
Oculum animæ splendidum ad eam vitam erigendo.
In qua gloriosæ veræq; sunt nuptiæ, vbi commixta
Diuinis verbis lumine plenas meditationes parit.

XVIII. Quas verò meditationes illas? de miserijs coniugum, de
Tertull. lib. 1. ad vxorem, cap. 8. felicitate virginum, in quibus, vt Afer loquitur, est *integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura faciem Dei.* Quod si hoc vitæ genus *celebratum est apud nationes, pro diaboli scilicet æmulatione, quantum Deo sanctitas placet, cùm illa etiam inimicus adfectat: nos vtique vt alicuius boni adfinis, sed vt Dei Domini placita cum contumelia adfectans?* Et quidem Ethnicorum virginitas, vt ait S. Ambrosius in Simmachum, *emptitia, temporaria, ac fastu plena* fuit, vel certè ob solam fugam ærumnarum, quæ in matrimonijs passim horrentur. Christianorum castitas, etsi sæpè, vt dictum est, ab eiuscemodi difficultatibus in coniugio occurrentibus magnos stimulos sortitur; tamen præcipuè Christi amore eligitur, & non rarò votis confirmatur, vt anima illi, tanquam cælesti sponso æternùm copuletur. Qua de caussa & olim, & hodie, quando flammeo virginali sanctum eiuscemodi sponsæ caput operitur, solenni id pompa fieri solet,
Gelasius ad episc. Luc. cap. 14. & olim, non nisi certis diebus, vt Gelasius tradit; & adinstar sæcularium nuptiarum, magna celebritate. Nubere enim Christo eas, quæ ipsi dicantur virgines, aut qui iuuenes, antiquo in Ecclesia loquendi vsu receptum fuit. *Nupsisti Christo,*
Tertull. lib. de virg. velandis c. 16. inquit Tertullianus, *illi tradidisti carnem tuam; illi desponsasti maturitatem tuam. Incede secundùm sponsi tui voluntatem.* Et
Optat. Mileu. lib. 6. Optatus Mileuitanus: *Spirituale nubendi hoc genus est: in nuptias sponsi iam venerant voluntate, & professione sua: & vt sæcularibus nuptijs se renunciasse monstrarent, spirituali sponso soluerant crinem: iam cælestes celebrauerant nuptias.* Quemadmodum enim iuncta coniugio *cogitat quæ viri sunt, quomodo placeat viro,* ita anima, cælibatu velut spirituali coniugio obligata Christo atque oppignorata, cogitat tantùm quæ sunt Dei, nempe *vt sit sancta corpore & spiritu.* Itaque *quæ se spopondit Christo, & sanctum*
S. Ambr. ad Virg. lapsam. *velamen accepit, iam nupsit,* ait D. Ambrosius, *iam immortali iuncta est viro: & iam, si voluerit nubere, communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Et sic quoque Cyprianus animas Christo perpetuò dicatas, si fuerint præuaricatæ, Christi adulteras appellat; quem loquendi modum etiam alij PP. tenuerunt. Certè è supra dictis, constat, multas



Christianas virgines, ne dispendium virginitatis paterentur, martyrium oppetere maluisse, nefas esse clamantes, hominis cuiuispiam iungi consortio Christo semel desponsatas. Hic fructus nascitur ex infausti matrimonij consideratione, castitas, virginitas, sanctitas, gloria Agnum *quocunq; ierit* sequentium. *Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua: dicit virum necessarium sexui, vt auctoritatis & solatij caussa, vel vt à malis rumoribus tuta sit. Et tu aduersus consilia hæc eius adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occasione pressæ, maritis sanctitatem anteponunt: malunt enim Deo nubere. Deo speciosæ, Deo sunt puellæ: cum illo viuunt, cum illo sermocinantur: illum diebus & noctibus tractant: orationes suas velut dotes Domino adsignant: ab eodem dignationem velut munera maritalia quotiescunque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur.* Tertull. lib. 1. ad Vxorem.

CAPVT XLVII.

Quid, & quàm varia sint Monstra? Et num ea etiam in omnibus Mundi partibus reperiantur?



Vndum & Mundi inquilinos non morum duntaxat, sed nonnulli ipsius etiam naturæ errores videntur contaminare. Quod num ita sit, & quo Numinis iudicio fiat, paullò est à nobis examinatiùs inquirendum. 1.
Inter hos autem errores, potissimè sunt *Monstra & Monstrosa*, quæ sine diuina voluntate non accidunt, atque ipsa raritate sua nos inuitant ad meditandum, rapiuntq; ad sapientissimi Gubernatoris Mundi æquissimã prouidentiam, cum maxima admiratione contemplandam. Quò digitum intendit regius Psalles, cùm ait: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Et alio loco: *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & Psallite ei: & narrate omnia mirabilia eius.* Non erit Psal. 45. 9. 1. Paral. 16. 8. Psal. 104. 1.

hæc Agathonia cantio, quæ sola argumenti suauitate permulceat; sed vtiliter iucundam disputationem propinabit.

II. *Monstrum* autem Grammaticis, quòd aliquid significando monstret, dictum, etsi aliqui inter animantia, siue homines, siue bruta, *Portentum* verò in rebus inanimatis duntaxat aiunt reperiri; parum tamen refert, de vtris id nomen vsurpes. Potest enim æquè aliquid in cælo, elementis, lapidibus aut metallis monstrari, ac in hominibus aut brutis portendi. Est igitur *Monstrum* vniuersim *aliquid præter naturam editum, aut procreatum*: vel, vt in scholis loquuntur, *est effectus naturæ, qui deuiat à recta consuetaq; secundùm speciem, dispositione.* Itaque quò magis deuiat, magis est monstrum; & prodigij mensura, est erroris magnitudo. Sic

Iuuenal. Satyr. 2.

Scilicet horreres, maioraq; monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum.

Herodot. l.1. Sic monstrum dictum est, quando Meles Sardium rex sustulit ex pellice leonem, homo illius parens, qui filius esse non potuit. Quamuis enim neque vitulus alioqui, neque agnus, neque leo est *monstrum*, si primum vacca, alterum ouis, tertium leæna pariat; partus tamen isti, quando à progenitoribus suis in totum discrepant, in totum sunt *monstra*, quia in totum *deuiant à recta consuetaq;, secundùm speciem, dispositione.* Ne autem, in naturæ historia, Poëtica duntaxat authoritate, aut exemplo confict o niti videamur, testantur fide digni scriptores, aliquid simile euenisse. Nam ex muliere vitulum natum affirmat Isidorus. Idem affirmant alij factum apud Iudæos. Fertur enim, paulo ante Hierosolymitanæ ciuitatis euersionem, *bos agnum*, pro maximo vtique monstro *habitum*, peperisse. Quanquam autem res ita se habeat, vulgò tamen magis *monstra* esse putantur, quæ non in totum, sed in partibus solùm diuersarum naturarum mixturâ à specie deerrant, vt puer capite arietino, vitulus humano, ouis bubulo, equus asinino, nati, teste Aristotele; & Arimaspi, qui, ritu Cyclopis Homerici, vnum oculum in fronte gerunt; itemque qui sine ceruicibus oculos habent in humeris, vt recenset Gellius; & qui caninis capitibus, pro humana voce, latratum edunt: aut qui magis sunt variegati

Isidor. lib. 11. Origin. Niceph. l.3. c. 4. hist. Eccl. & Ioseph. lib. 7. de bell. Iud. cap. 12.

Aristot. lib. 4. de generat. animal. c. 3. A. Gellius noct. Attic. lib. 9. cap. 4. Vide & Plin.

gati, vt cùm regnante, apud Gallos Ludouico duodecimo, & ſedente in pontificatu Iulio ſecundo, monſtrum natum eſt, Rauennæ, habens cornu in capite, vtrinque alas, brachia nulla, pedem vnum, oculum in genu, vtrumque ſexum, in medio pectore ypſilon, & crucis effigiem. Nimirum hæc talia oculo inſueta, & in vno corpore diuerſarum alioquin animarum organa, enormiora videntur, cùm tamen reipſa illa, quæ tota degenerant ab vno, vel vtroque genitore, plus errent, ſi cùm ſpecie illorum, & origine ſua comparentur. Similior quippe eſt homini partus, qui aliquid habet hominis, quàm qui nihil. Atque hæc quidem, quid ſint *Monſtra,* docent. Videndum nunc eſt etiam, an talia, & quàm varia, itemque quibus in rebus occurrant? Illis enim negatis, nequicquam diuinæ poteſtatis, bonitatis, & æquitatis in ijs judicia indagaremus: at enucleatè perſpectis, exclamare nobis libebit: *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis faciens mirabilia?*

lib. 5. cap. 8. lib. 7. cap. 2. Iſidor. lib. 11. cap. 3.

Exod. 5. 11

III.

Reperiuntur itaque eiuſcemodi inconſueti naturæ effectus, in omni propemodum rerum genere, in elementis, in lapidibus, in metallis, in plantis, in beſtijs, in hominibus, apud quos non natura tantùm errat, ſed ſæpiùs etiam mores, qui à ratione deuij haud immeritò & ipſi *monſtroſi* appellantur: ſicut & aliæ quædam res inſolitæ & inconſuetæ. Artes autem, etiam quando monſtra producunt, ſi ſcitè producunt, non errant, ſed id producunt, quod volunt. Quare picti, aut ſculpti Satyriſci, Tragelaphi, Hippocentauri, non tam monſtra, quàm imagines monſtrorum ſunt appellandi. Quòd ſi quis, præter mentem ſuam, aut contra voluntatem, diabolum pingit, cùm Angelum formoſum deſtinâſſet, is effectus, non arti, ſed imperitiæ artis eſt attribuendus. Vnde, ſi ad mentem pingere volentis attendamus, monſtra poſſunt dici, ſed artificis veriùs, quàm artis. Naturæ autem monſtra, quæ non ſunt præter mentem ſummi Opificis, ſed præter peculiaris duntaxat naturæ finem, in omnibus ſubinde elementis gigni, immò non tantùm ſupra nos in aëre, qui in ſacris & profanis libris *cælum* appellatur, ſed etiam in cælo ipſo ſuperiore conſpici,

Matth. 6. 26. & 8. 20. & 12. 13. Plin. lib. 2. cap. 38.

ſpici, hiſtoriæ narrant, docet experientia, oculi teſtantur.

IV. Nam, ſi quis cometas ſiue in aëre accenſos & extinctos, ſiue in cœlo ſublimiore natos, aut eò tandem promotos, ex
Matth. 2. 9. hac claſſe vult eximere; ſi & ſtellam, quæ Magos ad Chriſtum natum vtique prodigiosè perducens aliquid ſignificando monſtrauit, atque extra naturæ ordinem aſtrorumque vias viſa eſt per aërem decurrere; ſi nouam illam, quæ, anno ſalutis noſtrę 572. ſupra milleſimum, per biennium, inter fixas ſtellas, in Caſſiopea apparuit, ſtellam nullum extraordinarium naturæ effectum putat fuiſſe, ipſe poteſt pro monſtro haberi. In cælo etiam ſtellæ circa ſolis orbem viſæ ſunt, Auguſto Cæſare, poſt mortem patris, in prima iuuenta vrbem intrante. Et circa ſolem arcus apparuit L. Opimio, & Q. Fabio Coſſ. Trini ſoles Sp. Poſthumio, & Q. Minutio Coſſ. trinæ Lunæ Cn. Domitio & L. Annio Coſſ. ſplenduerunt. Denique, Chriſto moriente, quàm monſtrosè ſol eſt obſcuratus? In aëre certè ipſa diuina litteratura imagines eiuſcemodi, quales ſub initium Suedici belli pugnantiū inter ſe nubium, velut exercituum, conſpectæ
2. Machab. 5. 2 ſunt, *monſtra* nominat. Ita enim loquitur: *Contigit autem*, (Antiocho ſecundam profectionem in Ægyptum parante.) *per vniuerſam Ieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta, per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes, armatos, & currus equorum per ordines digeſtos, & congreſsiones fieri comminus, & ſcutorū motus, & galeatorū multitudinē gladijs diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorē, omniſq; generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonū* MONSTRA *conuerti*. Itaq; *& in ipſo cælo ſtellæ repentè na-*
Plin. l. 2. c. 24. *ſcuntur*, ait Plinius, & ſtella noua Caſſiopeæ, & illa vetus ſtel-
S. Auguſtin lib. 12 de ciuit. c. 8. la Veneris, quàm D. Auguſtinus, ex libris M. Varronis refert, ſub rege Ogyge, magnitudinem, figuram, & curſum mutauiſſe, & nuper viſi ſatellites Iouis, & ſi quid aliud inſoliti natura in aſtris, aut ſub aſtris parit, teſtantur vel monſtra ſubinde quædam inibi, vel monſtroſa emergere. Qualia non Machabæorum duntaxat liber, aut Danielis Prophetæ, qui arie-
Daniel. 8. 3. tem vidit multicornem, ſed etiam profani ſcriptores referunt.
Plin. l. 2. nat. hiſt. cap. 57. Plinij hæc ſunt: *Armorum crepitus, & tubæ ſonitus auditos è*

cælo, Cimbricis bellis, accepimus, crebroſq́; & priùs, & poſtea. Tertio verò conſulatu Marij, ab Amerinis & Tutertibus ſpectata arma cæleſtia, ab ortu occaſuq́; inter ſe concurrentia, pulſis, quæ ab occaſu erant. Ipſum ardere cælum, minimè mirum eſt, & ſæpius viſum, maiore vi ignis nubibus correptis.

Quod ſi pro monſtro habendum eſt, & igni, & aëri aſcribi poteſt. Vti & quando cælum ſanguinea ſpecie apparuit, Philippo Græciam inuadente. Nec non ille *clypeus, qui ardens ab occaſu ad ortum ſcintillans tranſcurrit, ſolis occaſu, L. Valerio, C. Mario Conſulibus.* Quin & *ſcintillam è ſtella cadere, & augeri terræ appropinquantem: ac poſtquam lunæ magnitudine facta ſit, illuxiſſe, ceu nubilo diei: dein cùm in cælum ſe reciperet, lampadem factam, ſemel vnquam proditur, Cn. Octauio. C. Scribonio Coſſ. Vidit hoc Licinius Syllanus proconſul cum comitatu ſuo.* Imminente Romanis primo ciuili bello, ignis ex haſtis ſubitò emicuit, qui vix potuit extingui. *Vidi nocturnis militum vigilijs*, ait idem author, *inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie ea, & antennis nauigantium, alijsq́; nauium partibus, ceu vocali quodam ſono inſiſtunt, vt volucres ſedem ex ſede mutantes: graues, cùm ſolitaria venêre, mergenteſq́; nauigia: ſi in carinæ ima deciderint, exurentes. Geminæ autem ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ, quarum aduentu fugari diram illam ac minacem appellatamq́; Helenam, ferunt. Et ob id Polluci & Caſtori id numen aſsignant, eoſq́; in mari deos inuocant. Hominum quoque capita, veſpertinis horis, magno præſagio, circumfulgent. Omnia incerta ratione, & in naturæ maieſtate abdita.* Hæc ille. Tametſi & Theologi, & Philoſophi multa è naturæ maieſtate eruerint, quæ non ſemper ſunt cenſenda propriè monſtra, quia à recta conſuetaque ſecundùm ſpeciem diſpoſitione non deuiarunt. Hominum non capita ſolùm, verùm etiam reliqua membra, nocturnis, præſertim frigidioribus horis, fulgorem; ac veluti ſcintillantes ſtricturas iaculari, cùm diloricantur, ſæpius experti ſumus, exhalationibus calidis tunc exilientibus, & per antiperiſtaſin frigoris, ſe ſe accendentibus, quæ interdiu collectæ concluſæque latuerunt. Quo pacto fortaſſe Seruio Tullio adhuc puerulo dormienti flammam circa caput emicuiſſe domeſtici oculi anno-

V.

Idem lib. 2. c. 34. & ſeq.

Ibid. c. 37.

Val. Maxim. lib. 1. cap. 7. li annotauerunt. Quanquam non potest negari, plurimos Sanctos, diuina etiam vi radiasse, claraque in luce refulsisse. Ob quàm caussam etiam Diui pinguntur capite radioso. Neque enim Angeli duntaxat explendescunt ad eum modum, Matth. 28. 3. quo luxit is, cuius *aspectus* erat *sicut fulgur*, sed etiam homines Exod. 34. 29. sancti, vt Moyses cuius cornuta facies insolitam lucem facesque iaculans filios Israel exterruit; & ipse sanctus sancto- Matth. 17. 2. rum, cuius *facies resplenduit sicut sol.* Sed facile est ei, lucem producere, qui ipsum condidit solem. De Castore & Polluce, etiamnum nauigantibus omen ferentibus, copiosè disputat, in sua Peregrinatione Hierosolymitana Illustrissimus Princeps Nicolaus Raziuilius. Meteora ignita talia posse, Philosophi ostendunt; solere, multi oculati testantur; Deos non esse, fides & Theologi docent: dæmones subinde esse malos, quin & bonos Genios, pronum est æstimare; certum est, bonum An- Exod. 3. 2. gelum sub prodigioso igne fuisse, quando Moysi *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Excitatus igitur nouitate rei dixit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.*

VI. Sed ab ignibus ad aërem reuertamur, varijs pluuiarum Plin. l. 2. nat. hist. c. 56. monstris insignem. Siquidem *præter hæc, inferiore cælo relatum in monumenta est, lacte & sanguine pluisse M. Acilio. C. Portio Coss. Et sæpe aliàs carne, sicut L. Volumnio, Seruio Sulpicio Coss. eamq; non perputruisse, quòd non diripuissent aues. Item ferro in Lucanis, anno antè, quàm M. Crassus à Parthis interemtus est, omnesq; cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat. Effigies quæ pluerat, spongiarum ferè similis fuit: aruspices cauenda præmonuerunt superna vulnera. L. autem Paulo, & C. Marcello Coss. lana pluit, circa castellum Carissanum, iuxta quod post annum T. Annius Milo occisus est. Eodem caussam dicente lateribus coctis pluisse, in eius anni acta relatum est.* Celebrant Ibid. cap. 58. *Græci Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis septuagesimæ octauæ, secundo anno, prædixisse cælestium litterarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset è sole. Idq; factum interdiu, in Thraciæ parte ad Ægos flumen. Qui lapis etiam nunc ostenditur ma-*

gnitudine

gnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante. Quod si quis prædictum credat, simul fateatur necesse est, maioris miraculi diuinitatem Anaxagoræ fuisse: soluiq; rerum naturæ intellectum, & confundi omnia, si aut ipse sol lapis esse, aut vmquā lapidem in eo fuisse credatur, decidere tamen crebrò non erit dubium. Pluuias sæpe cecidisse portentosas etiam Sanctorum historiæ confirmant; lapidem è sole lapsum, Anaxagoræ fabula est, tametsi in Abydi gymnasio ex ea caussa cultus dicatur. Mirum est, si non & lucem fudit, & tanto casu libratus se aut subiecta rumpens altè terram subijt. Posset fortasse color huic fabulæ addi ex Peucero, qui scribit, paulò ante initium belli Peloponnesiaci ingentem cometem, post solis occasum enituisse, & continuos 75. dies exarsisse: mox tantam ventorum coortam vim, vt fragmen à monte auulsum in sublime abripuerint: quod, vbi ad vrbem Thracię Ægospotamon decidisset, è cælo fuisse pręcipitatum, creditum esse. Sed fabulę fabulis non fulciuntur. Et suppetunt alia monstra, vt non necesse sit, à fabulis opem flagitare. Nam de B. Lupo Episcopo & Confessore, apud Senonas, refertur, præsente clero, quadam die, eo sacris altaribus astante, lapsam esse cælitus gemmam in eius calicem sanctum; similiaque complura possent recenseri, miraculosa potiùs, quàm monstrosa. In aëre quoque alia multa euenerunt, sed illa alium sibi locum postulant; & sufficiunt, quæ dedimus, quæque de admirabili auium genere passim narrantur, vt de auibus bina capita gerentibus, & de anseribus venenatis, qui in Psylensi regione conspiciuntur in alto quodam monte, vbi est lacus, quem ex lachrymis Adami & Euæ, cùm ab angelo è Paradiso expulsi essent, ortum fabulantur. Et quia de aquis loqui cœpimus, ad aquas porrò eamus.

Casp. Peucer. de Meteorol. fol. 252.

Monteuill. pag. 173.

VII.

Aquis sua monstra esse quis dubitet, cùm nonnullæ vel ipsæ sint monstrosæ? *Nam nec aquarū natura à miraculis cessat. In Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino lignū deiectum, lapideo cortice obducitur: & in Surio Colchidis flumine adeò, vt lapidem plerumq; durans adhuc integat cortex. Similiter in flumine Silaro, vltra Surrentum non virgulta modò immersa, verùm &*

Plin. lib. 2. nat hist. c 111. Plura de mirabilibus aquarum idem lib. 31. c. 1. & seq.

folia lapidescunt. In Dodone Iouis fons cùm sit gelidus, & immersas faces extinguat, si extincta admoueantur, accendit. In Illyrijs supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur. Iouis Hammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet. In Falisco omnis aqua pota candidos boues facit: in Bœotia amnis Melas oues nigras: Cephisus ex eodem lacu profluens, albas: rursus nigras Penius, rufasq́; iuxta Ilium Xanthus, vnde & nomen amni. In Ponto fluuius Astaces rigat campos, in quibus pastæ nigro lacte equæ gentem alunt. In Carrinensi Hispaniæ agro duo fontes iuxta fluunt, alter omnia respuens, alter absorbens. Amnes retrò fluere, & nostra vidit ætas, Neronis Principis annis supremis. Hæc si naturæ sunt opera potiùs, quàm monstra, sunt tamen mirabilia; neque omnia seruant naturæ tenorem, cui saltem aduersum est, vt flumina in caput reuocent liquorem, nullo terræ motu exterrita. Neque solita lege accidit prodigium, vt cùm Dionysius iunior suo principatu pelleretur, mare, vno integro die, dulcesceret.

VIII. In ipsis autem aquis, vel ab ipsis haud raró vera monstra proueniunt. Vt enim immania illa, & sua se vastitate prodentia mendacia hîc non immisceam, quæ Lucianus, in duobus libris *verarum historiarum* recenset, ex vero notus est S. Maclouij piscis, pro insula habitus, in quem & vectores exscenderunt, & S. Maclouio sacrificanti adfuerunt. *Mena Ægypti præfecturam gerente, in Nilo flumine mira quadam & inopinata apparuerunt. Nam cùm Præfectus hic in locum Ægypti, qui à figura elementi Delta nomen accepit, negotij caussa venisset, maneq́; ad littus accessisset, ab imo fluuio vir obstupescendæ molis emersit, facie gigantem referens, truci aspectu, coma subflaua, canis intermixta. Malæ, quales habitiorum, & ad palæstra institutorum esse solent. Lumbi nautici, pectus validum, tergum latum, quale heroum, brachia torosa. Porrò vsque ad naturam sese spectandum præbebat: reliqua membra aquæ cooperiebant. Imitabatur enim virum pudentem, nolentemq́; partes illas liberorum procreationi idoneas spectantium oculis exponere. Hunc contemplatus Alexandriæ, siue Ægypti Præfectus, crebriùs adiurat, vt, si quidem è dæmonibus sit, spectatores illæsos dimittat, & quiescat. Sin*

Theophylactus Simocatta lib. 7. historiæ Mauritij Tiberij Imp. c. 16.

aliquid

aliquid naturæ opificio productum, ne antè ſe ſubducat, quàm omnes præſentes intuendo oculos animosq; ſatiauerint. Rumor fuit, eũ ipſum fuiſſe Nilum, Poetarum fabulis nobilitatum. Hoc igitur Niloticum animal (hominem enim dicere vereor) adiurationibus obligatum, diutiùs in aperto manſit, corpusq; videndum omnibus obiecit. Tertia hora pòſt etiam ex vndis rectà emergit mulieri ſimile animal, quod ipſe vultus femineus, glaber, item mammæ, comæ, quæ partim in nodum collectæ, partim ſolutæ pendebant, totaq; corporis apparentis conſtitutio indicabant. Fœmina erat pulchritudine eximia: capilli nigri admodum; facies candidiſsima; naſus bellè formatus; digiti elegantes; labia roſea. Sororiabant vbera, & papillæ à recenti pubertate aliquantum proſpicere, ac ſe ſe exertare videbantur. Locos autem aqua tegens ab aſpectu remouebat, myſteria cubilis ab intuentium luminibus, tamquam arcanis nondum initiatorum abſcondens. Præfectus igitur, & circumfuſa cohors, vſque ad occaſum ſolem, ſpectando voluptatem capiebant. Imminente iam nocte viſa illa in ima aquarum, vnde extiterant, deſcendunt, cùm ſe cupidè luſtrantibus vocem quodammodo eripuiſſent; ita altùm omnes admirabundi ſilebant. Hæc Theophylactus Simocatta, Iacobo noſtro Pontano interprete: qui & mox ſubiungit: *De animalibus Nili, humanam figuram referentibus, veteres conſcripſerunt.* Siue autem dæmones aquatici, ſiue homines Nilotici, ſiue alia quædam animalia hæc fuerant, pro monſtris certè aquarum habebantur.

Et fuerint phantaſmata iſta, veris tamen monſtris alijs IX.
pluribus abundat aqua, &, ſiue magnitudinem, ſiue figuram, ſiue raritatem ſpectes, maximè admirandis. Vt enim taceam illa antiquiora, Bizarrus refert, in vrbe Ceuta Idibus Maij Bizarr. pag.
An. Chriſti 1563. eiectum & ad littus inuentum eſſe non ſo- 303.
lùm mole conſpicuum cetum, ſed etiam, ad morem Braſilorũ pictiſsimè variegatum, non hominis penicillo, ſed naturæ artificio. Cernebantur in eius lateribus plurimæ triremes velut coloribus ſcitiſſimè expreſſæ, cum ſuis remis, arboribus, antennis, velis, funibus, nautis, bellicis tormentis, inter fluctuantes vndas velut impulſæ. Nonnullæ harum nauium, haud exigua magnitudine, circa ingentem quamdam triremẽ

 ſtabant,

ſtabant, vndequaq; ad certamen, quàm optimè inſtructæ atque armatæ. Quædam aliæ reliquas tamquam harpagonibus iniectis, iam adoriebantur, & prælij acerrimi imaginem luculentam referebant. Quæ omnia naturali quodam miroq; artificio, in pelle & carne piſcis expreſſa, cum eo adoleuiſſe videbantur, itaq; clarè & diſtinctè, vt tamquam ſpectaculũ numquam antè viſum, aut auditum, incredibilem omnibus vndique accurrentibus ſtuporem gignerent. Miſit huius prodigii exemplar ad Hiſpaniæ regem Licentius Voleranus, vrbis Gibelterræ præfectus, per Ioannem Fructuoſum ſcribam regium, eiuſdem vrbis ciuem, qui teſtimonio ſex grauium virorum, id veriſſimum eſſe dictitauit. Dubitare hîc igitur, non de facto licet, ſed de modo. Potuit, cùm partum hunc in vtero ferret, genitrix eius, aſpecta in mari compugnantium claſſe, exterrita, imaginatione quadam, figuras oculis hauſtas, fœtui imprimere. Potuit Deus, quod futurum videbat, in piſcem, velut in tabellam, inſcriptum præmonere. Potuit vtrumque ſimul eſſe, vt & Numinis bonitas, & naturæ efficacitas ſimul hominibus innoteſceret. Si enim ars illa naturalis fuit, fuit vtique etiam natura ipſa valde artificioſa, cuius tam miro opere aſpecto, dici potuit: *Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino.* Dan. 3. 79.

X. Anno ſalutis 1623. die Septembris octauo, ſeu in feſto Beatiſſimæ Mariæ Virginis natæ, in Polonia, prope Warſauiam, in Viſtula, eiuſcemodi monſtroſus piſcis captus eſt. Longitudo erat triginta ſex pedum, craſſities ſeu latitudo trium vlnarum, cum duabus partibus; altitudo decem vlnarum & itidem ſemis. Huic tam vaſto piſci caput erat, inſtar hominis, carneum; quin & cetera erant inſtar carnis humanæ, ac mollia, ſed ſquamis ita duris atque aſperis amicta, vt cornu eſſe putarentur. A capite, per collum, vſque ad caudam, cruces, tamquam ſtellæ quædam per cælum, diſperſæ cernebantur. Quæ omnia ſi cui minùs mira eſſe cenſentur, audiat magis portentoſa. Siquidem nulla vmquam Pallas adeò armata, neque ita Mars ipſe adamantina tunica tectus horridè bellum ſpirauit. Piſci enim huic, in tergo tormentum curule, ſuis rotis

is rotis nixum, impositum stabat, & antrorsum quidem os porrigebat, ad ignem expuendum; retrorsum autem syrma à dorso proiectum trahebat, more draconis. In pinnis rotundi hærebant globi, infrà supraq; transfixi. Ad latera vtrimque longæ velut hastæ suspendebantur. Armamentariũ quoddam esse credidisses. Neque deerant bipennes in modum crucis decussatæ vexillum vtrimquesecus insignientes. Atque ne naturam existimes illitteratam, vni vexillo litteræ A. D. I. H, alteri F. R. F. inscriptæ legebantur, interpretatione spectatoribus relicta. Præter hæc, gladius & fistula ænea iaculationibus apta, itemq; mortui hominis caput cute & carnibus denudatum, vt in cranio mortis effigies esset, nec non vndique tubera, vulnera, cicatrices, exprimebantur. Cauda sanguinei coloris erat, fissa in eum modum, vt prærubra quædam parua spicula in vnum fascem viderẽtur colligata; multi ea sagittis similia esse dicebant. Habebat hic piscis etiam duos pedes, admodum diuersos, alter aquilino, alter leonino similis fuit. Referebatur hoc monstrum non in nouis tantùm publicis, sed etiam typis ac penicillo effigiatum vendebatur. Quid mysterij indicârit, multa ingenia diuinauerunt; clarissimè detexerunt bella attrocia inde continuata. In confesso Exod. 14. 22.
sunt aquæ maris, & Iordanis stantes, & ad instar montis in- Iosue 3 15.
tumescentes, vt siccam darent viam transituris, de quibus Io- Ibid. v. 5.
sue prædixit: *Cras faciet Dominus inter vos mirabilia.* Verùm etiã hæc miracula sunt, non propriè monstra, de quibus agere non est nostrum institutum. Et quæ perstricta sunt, affatim docent, satis superq; in aquis siue monstrorum, siue miraculorum extitisse.

XI.

In terris, quid monstra diu quæramus, cùm ipsæ sint etiam, multis in locis satis monstrosæ? *Motus enim terræ*, ait naturalis historiæ author, *sileantur, & quidquid est, vbi saltem busta vrbium extant: simul vt terræ miracula potiùs dicamus, quàm scelera naturæ. Et Hercule non cælestia enarrata difficiliora fuerint. Metallorum opulentia tam varia, tam diues, tam fæcunda, tot sæculis suboriens: cùm tantum quotidie in orbe toto populentur ignes, ruinæ, naufragia, bella, fraudes, tantum verò luxuria,* (Plin. lib. 2. nat. hist. c. 93.)

 xuria,

xuria, & tot mortales conterant: gemmarum pictura tam multiplex, lapidum tam diſcolores maculæ, interq́ eos candor alicuius, præter lucem omnia excludens: medicatorum fontium vis: ignium tot locis emicantium perpetua tot ſæculis incendia: ſpiritus lethales alibi, aut ſcrobibus emiſſi, aut ipſo loci ſitu mortiferi; alibi volucribus tantùm, vt Soracte vicino vrbi tractu: alibi præter hominem ceteris animantibus: nonnumquam & homini, vt in Sinueſſano agro & Puteolano: ſpiracula vocant, alij Charoneas ſcrobes mortiferum ſpiritum exhalantes &c. Ibid. cap. 94. *Quædam verò terræ ad ingreſſus tremunt, ſicut in Gabienſi agro, non procul vrbe Roma, iugera fermè trecenta, equitantium curſu: ſimiliter in Reatino.* Ibid. cap. 95. *Quædam inſulæ ſemper fluctuant, ſicut in agro Cacubo, & eodem Reatino, Mutinenſi, Statonienſi. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas opaca ſilua, quæ numquam die ac nocte eodem loco viſitur. In Lydia, quæ vocantur Calamina, non ventis ſolùm, ſed etiam contis, quò libeat impulſæ, multorum ciuium Mithritatico bello ſalus. Sunt & in Nymphæo paruæ, ſalutares dictæ, quoniam in ſymphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouentur. In Tarquinienſi lacu magno Italiæ, duo nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus, quadratam numquam.* Ibid. cap. 96. *Iuxta Harpaſa oppidum Aſiæ cautes ſtat horrenda, vno digito mobilis: eadem ſi toto corpore impellatur, reſiſtens.*

XII. Hæc, ſi veri ſunt naturæ effectus, etſi non vniuerſim ſint vera terræ monſtra; ſunt tamen pleraque veris monſtris ſimilia, videntur enim vtique *à conſueta, ſecundùm ſpeciem diſpoſitione deuiare.* Neque enim ordinario naturæ tenore terra tremit, aut ſiluæ ſaltant. Quamquam alia multò monſtri nomine digniora in terris reperiuntur. Si enim naturæ iniuria facta eſt, quando pro monſtro habitum eſt, quòd Tiberio principante, maximus, poſt hominum memoriam, terræ motus contigit, quo duodecim vrbes Aſiæ, vna nocte proſtratæ ſunt; verum certè monſtrum extitit, quando L. Martio & Sex. Iulio Coſſ. in agro Mutinenſi duo montes inter ſe concurrerunt, crepitu maximo aſſultantes, & recedentes, & inter eos flamma fumoq́; exeunte. Quo concurſu villæ omnes eliſæ, animalia permulta (quæ intrà fuerant) exanimata ſunt. Nec ſine prodigio, morien-

moriente Christo, *velum templi scissum est in duas partes à summo vsq; deorsum, & terra mota est, & petra scissa sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Matth 27. 51.

XIII.

Quòd si iam siue ad viuentia, siue ad ea corpora mixta quæ vita carent, progressum faciamus, ipsos quoque lapides, ipsas arbores monstrosas inueniemus. Quippe Ionstonus Anglus vir doctissimus, in admirandis Fossilium hæc habet. *Cùm Henricus II. rex Galliæ Bononiæ esset, allatus est ad eum ex India Orientali, ab incognito homine, sed, vt apparebat moribus, barbaro, lapis stupenda specie & natura; videlicet lumine & fulgore mirabiliter coruscans; quiq; totus velut ardens, incredibili splendore micabat; & iactis quoquò versus radijs, aerem luce, nullis propè oculis tolerabili latißimè complebat. Erat & hoc in eo mirabile, quòd terræ impatientißimus, si cooperiretur, sua sponte, & vi facto impetu confestim euolabat in sublime. Contineri verò includiué, nullo angusto loco, nulla humana arte, industriaué poterat, sed ampla liberaq; duntaxat loca amare videbatur. Summa in eo puritas: eximius nitor: nulla sorde, aut labe coinquinatus: figuræ species nulla ei certa, sed inconstans, & momento mutabilis: cumq; esset aspectu pulcherrimus, contrectari sese tamen impunè non patiebatur; & diutiùs contra adnitentibus, aut obstinatiùs cum eo agentibus incommodum afferebat. Quod multi, multis spectantibus, sunt experti. Si quid fortasse eminus ex eo conando detrahebatur (nam durus admodum erat) nihilo minor fiebat. Huius virtutem ac vim esse ad complurima tum vtilem, tum præcipuè regibus necessariam, aiebat hospes, qui miraculum ostentabat, sed quam relaturus non esset, nisi ingenti pretio accepto. Hæc, vt in litteris Ioannis Pipini, oculati testis rei, qui in familia A: Montmorentij M.E. medicinam faciebat, ad Anton. Mizald. & ipsum insignem medicum, pridie Ascensionis Domini, Bononia datis descripta sunt. Ita trado, inquit Thuanus lib. 5. Hist. & ampliùs discutienda Physiologis relinquo.* Ego, etsi huic traditori parùm credo, tamen magis magica fuisse censeo, quàm fabulosa. Quamquam lapidem ipse alium in manu habui, & sæpius expertus sum, eum interdiu soli, noctu lucernæ exhibitum, ita lumen radiosque imbibisse; vt

Ionston. in Admirand. Fossiliū. c. 32.

(contra naturam luminis, alioqui non diutiùs perseuerantis, quàm à præsente corpore luminoso conseruatur) etiam à sole, vel lucerna remotus, & in obscuro loco, aut pileo aspectus adhuc velut ardens lumen retineret.

XIV. In metallis quoque pro monstro habitum est, quòd, imminente Romanis primo ciuili bello, mures *aurum* in templo roserint, & capta ex his femina quinos masculos in muscipula enixa sit, quæ tres ex illis deuorauit; *tubarumq; clangor* in aëre concrepuerit. Nequaquam aliàs auro mures, sed fures insidiantur; & tubarum clangor in aëre, ob ipsam tubarum & tubicinum absentiam est prodigiosus; sicut & in *nouissima tuba* erit. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* (1. Cor. 15. 52.) Talia in aere signa multa contigerunt, si miracula pro monstris essent habenda, quæ non naturæ, sed diuinæ potentiæ effectus, quia naturæ vim ordinemque excedunt, non immeritò prodigia saltem vocantur, tametsi vera monstra non sint, cùm non sint naturæ aberrantis. Duo eiuscemodi exempla, paulo infrà referemus, de significatu monstrorum acturi. Hæc sola hîc abundè nos excitare possunt, ad laudes Domino dicendas, *qui facit mirabilia.* (Iudic. 13. 19.)

XV. (Valer. Max. lib. 1. cap 6. Plin. lib. 18. Nat. hist. c. 18) Viuentium plura occurrunt vel ficta, vel vera monstra; & in plantis quoque. Sic in Boëotia derosæ à locustis ficus germinauerunt. Sic Laodiceę, adueniente Xerxe, platanus in oleam mutata est. Sic Neronis principatu arbores dicuntur sedem mutauisse. Sic Trallibus, in ęde Victorię, palma viridis, sub Cęsaris statua, inter coagmenta lapidum iustę magnitudinis enata est. P. Ælio, Cn. Cornelio Coss. quo anno superatus est Annibal, in arboribus nata sunt frumenta. Et C. Lepidus, apud Plinium testis est, arbores locutas, ac oliua in totum ambusta reuixit. Quę, si vera sunt, idem de his arboribus sentiendum est, quod de quercu Dodonęa Stygijs artibus loquace. (Herodot. l. 2. Ionston. in admirand. cap. 35.) *Prope Harlemium*, ait Ionstonus, *Rhabarbarum Anno 1585. erutum, humanam manum cum vnguibus, & distinctißimis digitorum lineamentis obtinens. Picturam Leidæ, apud D. Bodarcium vidimus.* Putantur quędam prodigiosa, quia insueta nobis, licet consueta naturę. Ita sub imperio Prete Ioannis

nis, ex arena quotidie procrescunt arbusculę quędam, vsque ad meridiem, postea ad occasum solis denuò redeunt in terram, ita vt non ampliùs appareant. *Atque hoc quotidie*, ait Monteuillanus. *Fructus, quos ferunt, nemo carpit metu fascinationis;* qui sanè non imprudens est: quamquam & flores quidam, vno duntaxat die perdurant; vt adeò & naturę hoc possit esse opus. Redire autem in terram eiuscemodi plantæ videntur, dum aridę decidunt, & in puluerem rediguntur, sicut *homo natus de muliere, breui viuens tempore, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. Quia omnis caro vt fœnum; & omnis gloria eius, tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.* Sagunti puer reuersus est in vterum matris, eo anno, quo Saguntus ab Annibale deleta est, cur plantę non possent æquè citò in gremium matris suæ reuerti? Sunt animalia quædam ephemera, cur non & terræ germina possint esse talia? Sæpe aliquid naturæ monstrum putatur, quod aliunde est oriundum. Megaris diu stetit Oleaster in foro, quæ arbor fatalis habebatur excidio vrbis pręmonitę oraculo, cùm arbor arma peperisset, quod succisę accidit, ocreis galeisque intus repertis; quia olim viri fortes illi sua affixerant arma, quę cortice ętas longa ambiente occultauerat. Ni priùs ibi suspensa fuissent, numquam arbor illa arma peperisset. Ad eundem modum credibile est, imagines quasdam sacras arboribus appensas, corticibus inuolutas, & à tempestate atque imbribus seruatas, in pietatem posterorum, quorum tempore detectę & inuentę fuerunt, vt tanto emolumento, quanto studio colerentur.

Monteuill. pag. 225.

Iob. 14. 1.

1. Petr. 1. 24.

Plin. lib. 16. cap. 39.

XVI.

Neobrug. c. 2.

In bestijs, simili euentu, dissimili ortu, duo monstra reperta sunt, nostro tempore, cùm enim in lapicidina quadam petra ingens ferramentis finderetur, apparuêre duo canes, capacem sui, in eadem petra, concauitatem replentes, absque omni spiraculo. Videbantur ex leporariorum genere; sed truces vultu, quasi ex Cerberi prosapia; odore graues, quasi ex Auerno; pilorum expertes. Et vnus quidem citò defecit; alterum stupendæ edacitatis Henricus Wintoniensis Episcopus, multis diebus in delicijs habuit. Refertur ibidem ab eo-

dem authore, de bufone, ad eundem modum, inter saxa, cũ torque aureo inuento. Aurum intra montes nasci posse scimus, non item torquem aureum. Nec bufones inibi posse gigni negarem; canes autem crescere, velut vermes, aut lapides, nemo mihi persuaserit. Facile autem est spiritui malo viam aperire, & talia in tali carcere includere, aut canem bufonemq; agere. Qua arte virginem vultu retulit, quando, in venatu, sitienti comiti Oldenburgico, è rupe velut ostio diducta progrediens, scyphum illum argenteum obtulit, qui adhuc ostenditur, miris multisq; emblematis cælatum.

XVII. Valer. Max. lib. 1. c. 6. Multa alia non solùm mirabilia, verùm etiam monstrosa acciderunt circa bestias. *Præcipua enim admirationis* sunt *etiam illa prodigia, quæ P. Volumnio, Ser. Sulpicio Coss. in vrbe nostra, inter initia motusq; bellorum acciderunt. Bos namq;, mugitu in humanũ sermonem conuerso, nouitate monstri, audientium animos exterruit. Carnis quoq;, in modum nimbi dissipatæ partes ceciderunt: quarum maiorem numerum præpetes diripuerunt aues, reliquum humi per aliquot dies neque odore tetro, neque deformi aspectu mutatum iacuit. Eiusdem generis monstra alio tumultu credita sunt.* Siquidem *bello etiam Punico secundo constitit, Cn. Domitio bouem dixisse: Caue tibi Roma.* Antè paullò, quàm Augustus Imper. factus esset, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se vrgeri: *Non enim frumenta, sed homines breui defuturos.* Quæ boni malíue Angeli virtute fieri potuisse, ostendunt illa sacræ scripturæ verba: *Aperuitq; Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertio?* Et rursum: *Nonnè animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic, quid simile vnquam fecerim tibi?* Quàm diserta fuit asina Balaam? & fieri non posset, vt aliæ quoque bestiæ loquerentur, Deo volente, aut spiritu verba, in ore earum, formante, plectrumq; linguæ in sermonem quatiente? Potuit ergo loqui asina, & non possit vacca? eiusdem vtrumque animal ingenij ad lyram? Dario Babylonem obsidenti vox è muris reddita est, vrbem ipsam tunc à Persis captum iri, cùm mula pareret. Quo præsagio omnes capiendæ vrbis desperatio iam ceperat, donec Zophyri Persæ mula enixa est.

Num. 22. 28.

XVIII.

Et quia de mulis mentionem fecimus, quæri potest, an non & ipsæ mulæ in monstrorum censu sint ponendæ? Certè eas à natura deuiare ostendunt progenitores, & sterilitas eorum; licet, quia consuetæ, & ordinarij talium parentum partus, vulgò pro monstris non habeantur. *Obseruatum* est, ait Plinius, *è duobus diuersis generibus nata, tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia: eaq; ipsa, quæ sunt ita nata, non gignere Idcirco mulas non parere. Est in annalibus nostris, peperisse sæpe, verùm prodigij loco habitum. Theophrastus vulgò parere in Cappadocia tradit: sed esse id animal ibi sui generis.*

Plin. lib. 8. nat. hist. c. 44.

XIX.

S. Augustin. lib. 16. de ciuit. c. 8.

Inter homines monstra existere deformantia naturam, experientia testatur quotidiana. Adstipulatur & D Augustinus, quo memorante, *apud Hipponem natus est homo quasi lunatas habens plantas, & in eis binos tantummodo digitos, similes & manus.* Qui idem Pater eodem loco ait: *Ante annos aliquot, nostra certè memoria, in oriente duplex homo natus superioribus membris, inferioribus simplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autẽ vnus, & pedes duo, sicut vni homini: & tam diu vixit, vt multos ad eum videndum fama contraheret.* Quod cùm ita sit, apparet nihil nimiũ finxisse Poëtas, quando ab illis *forma tricorporis vmbræ* Geryonis est introducta. Certè, apud Cedrenum, *Imperantibus Constantino Leonis Philosophi Imp. F. & Romano Lacapeno, ex Armenia allatum est monstrum, Constantinopolim, pueri masculi concreti, vterini, ijq;, vt infelix omen, vrbe sunt eiecti. Redierunt sub Constantino: &, cùm alter mortuus esset, peritiores medici cadauer à vino resecuerunt, parum tamen diu alter superuixit.* Visi sunt & alij monstrosi vel partus, vel euentus. Inter initia Marsici belli peperit quædam ancilla serpentẽ. Hæreticus alioquin author scribit. *An. 1552. in Hassia VVitzenhausia, tertio post festum trium Regum die, infantem masculum bicipitem, collo duplici, duobus capitibus ac corpore optimè cum reliquis membris composito natum;* cuius monstri occasione, nouum in ea prouincia Euangelium monstrosè nobilitat.

Sil. lib. 3. Virgil. lib. 6. Æneid.

Io. Gualter. in Chron. de prodigijs & ostentis. An. 1552. lib. 2.

XX.

Valer. Max. lib. 1. cap. 6.

Aiunt, Romæ, in quodam tumultu, *infantem semestrem, in foro boiario triumphum proclamâsse: Alium cum elephantino capite natum.* Vtrumque monstrum erat. De infantibus ante

tempus locutis multa extant exempla, præſertim non ſine diuina vi procurata. Sed cur os infantium aperire non poſſet,
Num. 22. 28. qui poteſt os rudentiũ in loquelã reſerare? Quod etſi nonnumquam fecit, non tamen cenſendus eſt facere ſemper. Stultitiam ſapit, ſi non ſuperſtitionem, quod vulgatiſſimè tamen creditur ab imperitis, equos ſcilicet, & boues, aſinos, & omnia iumenta, quotannis, in ſacratiſſima illa nocte Natiuitatis Domini noſtri, ſolere loqui, & verò etiam vaticinari. Qua de cauſſa etiam nonnullorum tanta eſt ſimplicitas, vt in ſtabulis tum vigilent, expectantes, & audire cupientes, quid beſtiæ loquantur, aut in annum ſequentem prædicant. Quaſi Deus
Luc. 23. 8. miracula velit perennare; aut, qui curioſa ſcire cupienti Herodi non reſpondit, per pecudes iſtas velit reſpondere, vt horum ſatiet curioſitatem? Igitur nequaquam tunc beſtiæ humanum ſermonem, ſed homines beſtiarum ſtuporem imitantur. Quemadmodum & illi, qui quia audierunt, non ſolùm hac nocte oleum pro conſueto elemento fluxiſſe olim, verùm etiam alicubi ſemel ac iterum aquas fuiſſe in vinum commutatas; illa ipſa ſanctiſsima nocte media, quotannis, ſummo in frigore, os ad fontes applicant, arbitrantes, ſe vinum pro aqua hauſturos. Non enim tunc fontes monſtroſè fluunt, ſed iſti monſtroſè ſapiunt, quorum pietas eſt bibere; & religio, Chriſti infantis loco, Bacchum oſculari, digni quibus labia glacie aſtricta, cum liquore tam deſiderato concreſcerent. Non opus eſt his fictis ſeu miraculis, ſeu monſtris. Veritas, ne hinc debeat mendicare, à ſe eſt opulenta. Sed huc vſque plus ſatis demonſtratum eſt, quid, & quàm varia ſint monſtra, & quòd ea in omnibus rebus reperiantur. Plura ſuis quæque locis apponentur, quæ omnia dictis ſubſcribent. Et ob hæc ſola di-
Iob. 5. 8. cere vnuſquiſque poteſt: *Ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum: qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia abſq; numero.*

CAPVT

CAPVT XLVIII.

De illis elementorum monstris, quæ in dubium vocantur, vt de Pyrali, Salamandra, Phœnice, Scylla, Charybdi, Sirenibus, piscibus fossilibus, Vnicorne, Sphinge, Centauris, &c.



MVlta Poëtæ, neque pauca historici memorant, quæ neque authoritatem, neque fidem videntur habere sufficientem. Nempe quoniam I.

Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Sed si illi, quorum ea de re notio est, æstiment, & fidem pleraque merentur, & obtinent authoritatem; quamuis nõnulla, etiam quæ testes habent, careant veritate: vt difficile sit vera falsis permista seligere. Inter hæc sunt monstra quæpiam diuersis elementis tributa. Ab igne incipiamus, cui, quòd nihil gigneret, Vesta & Vestales virgines in sacerdotium sunt datæ. Et Ouidij carmen est:

Nataq; de flamma corpora nulla vides.

Plinij tamen verba hæc sunt. *Gignit aliqua & contrarium naturæ elementum. Siquidem in Cypri ærarijs fornacibus ex medio igni, maioris musca magnitudinis volat, pennatum quadrupes: appellatur pyralis, à quibusdam pyrausta. Quamdiu est in igne, viuit: cùm euasit longiore paulo volatu, emoritur.* Facit huius muscæ mentionem etiam Laërtius in vita Pyrrhonis, vbi inter animalia, sine congressu nata ponit, *quæ in igne viuunt, quæ* πυῤῥίβια *vocantur.* Demus non scintillas ignis, non stricturas æris euolantes pro eiuscemodi muscis aspici; demus exhalantes vapores materiamque eiuscemodi animalibus gignendis etiam in ære non deesse; demus aridas bestiolas ad breue tempus non comburi; certè vim flammę diu non poterunt sustinere. Quid est enim, quod vis flammę non vincat? Fabulam igitur olet siue intra, siue extra ignem hæc musca. *Sicut salamandra, animal lacerti figura, stellatum, numquam nisi magnis imbribus proueniens, & serenitate deficiens. Huic tantus rigor*, ait Plinius, *vt ignem tactum extinguat, non alio modo, quàm glacies.* Vidi ego

Plin. lib. 11. cap. 36.

Laert. lib. 9. de vitis Philosoph.

Plin lib 10, cap 67.

talem in ignem coniectam, vixit sanè aliquamdiu erumpere non valens, & maculis trallucentibus splenduit, sed ignem etiam modicum non extinxit extincta ipsa, non sine graui fætore. Quamuis etiam mortuam flammę diu vorantes non consumsêre. Denique in fimum abiecta est, ne, vt naribus, ita etiam toti corpori pestem crearet. Etsi ergo Salmandra aliquid est, fabulosis tamen aucta est; qualiscumque imago corporum, in inferno vrendorum, non comburendorum.

II. Phœnix, si animal, ac si tale animal est, quale describitur, & ad duo elementa ignem atque aërem pertinet, & maximè monstrosum est, *vnica semper auis*, neque ex ouo prodiens, & incredendę viuacitatis. Hanc non solùm Græci & Latini Poëtę Hesiodus, apud Plutarchum, Antiphanes apud Athenęum, Ouidius, Lucanus, Statius Papinius, alijque carminibus suis celebrauerunt; sed asseruerunt etiam multi historici & graues scriptores Ethnicorum, Herodotus, Horus Apollo Niliacus, Seneca, Pomponius Mela, Plinius, Solinus Plinij assecla, Ælianus, Philostratus, Lampridius, in Heliogabalo, Dion Cassius, Sextus Aurelius Victor in Claudio, Artemidorus Daldianus, Æneas Platonicus, & alij. Sed Placet ante alios audire Tacitum cautè de hac aue ista memorantem. *Paulo Fabio, Lucio Vitellio Coss. post longum sæculorum ambitum auis Phœnix in Ægyptum venit, præbuitq; materiam doctißimis indigenarum, & Græcorum, multa super eo miraculo disserendi, de quibus congruunt, & plura ambigua, sed cognitu non absurda promere libet. Sacrum soli id animal, & ore ac distinctu pennarum à ceteris auibus diuersum; consentiunt, qui formam eius definiêre. De numero annorum varia traduntur, maximè vulgatum quingentorum spatium. Sunt qui asseuerent, mille quadringentos sexaginta vnum interijci, prioresq; alites Sesostride primùm, pòst Amaside dominantibus, deinde Ptolomæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, in ciuitatem, cui Heliopolis nomen, aduolauisse multo ceterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura; inter Ptolomæum, ac Tiberium minùs ducenti quinquaginta anni fuerunt. Vnde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidêre, nihilq; vsurpauisse ex his,* quæ

Hesiod. apud Plutarch. de orac. defectu, Athen. lib. 14 cap. 25. Ouid, l. 5. Metam. Lucan. lib. 6. Stat. l. 2 & 3. Silu Claud. l. 2. in laudes Stiliconis. Herodot. l. 2. Horus Hieroglyph 32. Senec. ad Lucill. lib. 5. ep. 42. Pom. Mel. lib. 3, 9. Plin. lib 10 nat. hist. cap. 2. Solin. c 36. Ælian. de hist. animal. lib. 5. cap. 57. Phil. in vita Apollonij. Dion Cassius lib 58 in fine. Daldian. de somnior. interpr. lib. 4. c. 49. Tacit. Annal. lib. 5.

quæ vetus memoria firmauit. Confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eiq; vim genitalem affundere, ex qua fœtum oriri, & primmam adulto curam sepeliendi patris. Neq; id temerè, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoq; per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inq; solis aram perferre atque adolere. Hæc incerta & fabulosis aucta. Ceterùm aspici aliquando, in Ægypto eam volucrem, non ambigitur. Hæc Tacitus, alia referens, alia in dubium vocans. Maius momentum huic aui addunt SS. Patres, qui etiam passim in ea resurrectionis simulachrum ostendunt. Clementis Romani verba sunt: *Aiunt Græci, auem quandam esse soligenam, vberem præbentem resurrectionis demonstrationem, quam dicunt comparem non habere, solamq; in mundo reperiri. Phœnicem appellant, narrantq; eam, post quingentesimum annum, in Ægyptum aduolantem, secumq; copiam cinnamomi, casiæ, Xylobalsami adducentem, in loco, qui dicitur solis ara, consistere, ibiq; conuersam ad aspectum Solis, ei, vt aiunt, supplicem sponte conflagrare, redigiq; in puluerem. Ex cineribus autem vermem existere, eumq; concalefactum in nouum Phœnicem formari, alitemq; factum, in Arabiam, quæ est vltra Ægyptiacum saltum, aduolare.* Idem scripserunt S. Cyprianus, (si non Ruffinus Aquilegiensis illius operis est author) Eusebius Cæsariensis Episcopus, Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus, Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, alijque SS. Patres passim. Eleganter Tertullianus inter monstra referens Phœnicem ait: *Animalis est res vitæ obnoxia, & morti, illum dico alitem orientis peculiarem de singularitate famosum, de posteritate* MONSTROSVM, *qui semetipsum libenter funerans, renouat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix: Vbi jam nemo, iterum ipse, qui jam non alius idem. Quid expressius in hanc scilicet resurrectionis caussam? aut cui alij rei tale documentum?* Et infrà. *Deus etiam scripturis suis; & florebis enim* (inquit) *velut Phœnix, id est, de morte, de funere, vti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Ac rursum: *Multis passeribus antestare nos Dominus pronunciauit, si non & Phœnicibus, nihil magnum. Sed homines semel interibunt, auibus Arabiæ de resur-*

Clem. Rom. lib 5. Apostolicar. Const. cap. 6.

S. Cyprian. in expositione symboli. Euseb. Cæsar. lib. 4. de vita Constantini c. 72. Cyrill. catechesi 18. Epiphan. in Ancorato. & ad Physiolog. cap. 11. Greg. Nazianz. orat. 37. de S. Spiritu. Hieron. ep. 19 Ambros. de fide & resurrect. & lib. 5. cap 23. Augustin. l. 4. c. 30.

de anima. Tertullian. lib. de resurrect. *de resurrectione securis.* Vult ergo Tertullianus Phœnici ipsas sacras litteras testimonium dare. Certè illud Iob: *Dicebamq́ue: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies;* Septuaginta verterunt; *& sicut Phœnix multiplicabo dies.* Accedit ad hæc testimonia rationis similitudo. Quippe & bombyces fiunt è vermibus. *Hi erucæ sunt. Fit deinde, quod vocatur bombylis, ex ea necydalus, ex hoc in VI. mensibus bombyx. Telas araneorum modo texunt ad vestem luxumq́ue feminarum, quæ bombycina appellatur. Bombycas & in Coo insula nasci tradunt, cupressi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terræ halitu animante. Fieri autem primò papiliones paruos nudosq́ue, mox frigorum impatientia villis inhorrescere, & aduersum hyemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his cogi subigiq́ue vnguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine. Postea apprehensam corpori inuolui nido volubili. Tum ab homine tolli, fictilibusq́ue vasis tepore & furfurum esca nutriri: atque ita subnasci sui generis plumas, quibus vestitos ad alia pensa dimitti. Quæ verò cœpta sint lanificia, humore lentescere, mox in fila tenuari iunceo fuso.* Vt ergo hîc ex verme fit auis, & ex aue rursus vermis, mirabili naturæ in se redeuntis circulo, cur non idem possit fieri in aue vitâ digniore? quid enim nobilius, Bombyx, an Phœnix? Hæc talia pro Phœnice caussam agunt.

Iob. 29. 18.

Plin. lib. 11. nat. hist. c. 22. & seq.

III. Mihi tamen longè secus videtur, nimirum vel Phœnicem omnino non esse, vel, si est, non talem esse, qualis describitur, & passim putatur. Nam in primis, quis, tempore Romanorum, quingentis annis vixit, vt Phœnicis annos numeraret? Deinde etsi prima mundi ætas Macrobios tales habuit, immò & qui octingentos etiam annos excederent, vnde illi, si post quingentos annos Phœnicem denuò viderunt, scire potuerunt, eundem esse, & non alium, quem ante tot annos aspexerunt? Fateor, in prouerbio esse, vt longæui *Phœnicis ætatem viuere* dicantur; num idcirco Phœnix quingentos annos, &, vt alij fabulantur, cum Ioanne Tzetze (qui id ex Chæremone Ægyptio sacrarum litterarum scriba constanter affirmat) sex & septem annorum millia viuit, quia Nestor plurimos vi-

mos vixit, cui Homerus tres attribuit ætates. Audierat quidam litterarum studiosus, seu scholasticus, apud Hieroclem, cornicem, (quippe ni & coruum?) trecentos annos perdurare. Emit ergo, vt veritatem experiretur; quasi & ipse trecentos annos victurus. Tales mihi videntur & isti exploratores naturæ, qui temeritate sua quingentos Phœnicis annos metiuntur, non quinquaginta victuri. Quantò illis plùs credendum est, quàm qui aiunt pubentis hominis ætatem nouies vinci à cornice, cornicis ætatem quater à ceruo; cerui ter à coruo, & denique corui nouies à Phœnicè? quis harum inter se bestiarum annos & vitam potuit computare? quis eas vnà aluit, aut posteris tradidit alendas? Nam de aue hac sex aut septem annorum millibus viuente, nimis palpabile est mendacium, cùm neque ipse hic Mundus adhuc tam diu durauerit, neque fortasse etiam tam diu sit duraturus. At *probatum est* ait Solinus, *quadraginta & quingentis eam durare annis?* vnde probatum est? *rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat, in Solis vrbem strue altaribus superposita*? Vnde mors, & vita eius, & tota ætas tabulis publicis annotata sciri potest, & *Cornelius Valerianus Phænicem deuolasse in Ægytum tradit Q. Plautio, Sexto Papinio Coss.* Ex his quæro, quo volârit Phænix, & vbi se renascens restaurârit antè, quàm Heliopolis conderetur? An eò vsque nullus senescens casia, thurisq; surculis alibi construxit nidum, repleuitq; odoribus, vt super emoreretur? Si tunc alibi denatus & renatus est, cur, post eam vrbem conditam demum, ad hæc altaria astringitur? an non vnum casu eò deuenisse, ceteros alibi vitam posuisse credibile est? Quæro iterum, an nullus interimi à fortiore bestia, aut perimi iaculo potuerit venatoris? Si enim mortalis est, occidi potuit. Si occisus aliquis fuit, & *vnica semper auis est*, vnde posteri eius repullulârunt? Certè ipsi authores, qui id affirmant, valde dubitant. Plinius enim, vbi dixit: *Allatus est in vrbem Claudij Principis censura, & in comitio propositus* (Phœnix) *quod actis testatum est*, mox adiecit, *sed quem falsum esse nemo dubitaret.* Esto igitur, multi sint, qui dicant; esto tabulis publicis sit annotatum, tamen etiam quod

Homer. Odyss. 3.

Plin. lib. 7. cap. 48.

Solin. Polyhist. c. 36.

Plin. Nat. hist. l. 10. c. 2.

Plin. loc. cit.

actis testatum est, falsum esse, Plinij ætate, *nemo dubitauit.* Herodotus de eodem loquens, ita scribit: *Eum aiunt (quod mihi non fit verisimile hoc excogitare) ex Arabia proficiscentem in templum solis gestare patrem myrrha obuolutum, & in eo templo humare.* En vt dissentiunt narratores, neque *verisimile* autumant, quod ipsi memorauerunt. Ælianus certè de longa Phœnicis ætate loquitur ita. *Horum quingentorum annorum tempus impletum sciunt Ægyptiorum valde pauci, & hi Sacerdotes; & quidem inter se conuenire non possunt de his, & contendunt, vel quòd nunc, vel in posterum hæc diuina auis veniet; vel quòd iam oportebat eam venisse.* Tanta apud ipsos Ægyptios huius auis est incertitudo. Quid quòd & diuinam eam esse oportet? *Nonnè sapientia est*, ait idem, *Phœnicem auem scire vbi Ægyptus est? vbi Heliopolis, quò ipsi definitum est venire? & vbi aliquando pater cōditus sit? & in quibus loculis?* Et esto viam nôrit, quæro tamen, si Heliopolim Phœnici venire necessum est, & in templo Solis ex se ipso renasci, quò iam, hoc nostro tempore, volet, vt funus, & ex funere pullus fiat, cùm neque templum, vrbs solis ampliùs extat? Certè meritò dictum est, Hesiodum *fabulosè multa de hominum æuo, reliqua fabulosiùs in Phœnice & Nymphis retulisse.* Nam & ortus animalis perfectissimi, &, vt describitur, elegantissimi, non ex ouo, sed ex cinere, ex verme, sine semine; & singularitas sine compare; & ætas, siue solares, siue lunares tot annos credatur viuere; & veniendi modus, & se ipsum interimendi per flammam ratio ac locus naturæ repugnat.

Ælian. de hist. animal. lib. 5. c. 57.

Plin. l. 7. c. 48

IV. Nicol. de Comitib. A Fabrica del mundo.

Qua de caussa fabulis etiam ascribendum est, quod Nicolaus de Comitibus tradit, in vlteriore India, auem esse, cui *Semenda* nomen, trifido rostro, sentientem mortis suæ horā, ea enim propinqua, deferre ligna in nidum suum, cantillareq; suauiter, atque alarum percussione incendere ligna, ipsáque illo igne consumi, indéq; vermiculum gigni, qui postea in auem crescat. Ab Phœnice hæc sumta, quis non videt? auem calore ignis non cruciari, quis credat? cruciari autem, & nullis catenis alligatam, non profugere, quis sibi persuadeat? Nempe iam & in bestijs Laurentios & Apollo-

nias habebimus? Pulchrè B. Maximus monachus & Martyr fabuloſam hanc auem his argumentis refutauit: *Quòd ſi auis eſt Phœnix, etiam animal ſit omnino neceſſe eſt; quòd ſi animal eſſe concedis, primùm non omninò poteſt illud eſſe ſingulare, quantum ſaltem animal eſt; nullum enim ſolum animal. Deinde ſi animal eſt, vtiq; corpus animatum ſimul, & ſenſu præditum. Iam ſi corpus eſt animatum, & ſenſu præditum, certè etiam generationi, & corruptioni obnoxium erit. Ipſos, ſi libet, ſapientes conſule, rerum, quæ exiſtunt, inſpectores, fierinè poßit, vt generationi quod obnoxium eſt, atque corruptioni corpus animatum item, ac ſenſu præditum, ſingularis eſſe naturæ (ad exiſtentiam quod attinet) poßit? cùm aliorum in his ex alijs ſucceßio euidentißimum ſit exiſtendi iudicium, certißimusq; terminus, quemadmodum id ſcriptura ſacra ipſa teſtatur, iuſtè illi Noëmo huius rei certitudinem exhibens, vbi Geneſeos ſeptimo ait: Ingredere tu & omnis &c. itemq; ex omnibus volatilibus &c. in quibus ſi Phœnix, quòd alatum ille ſit animal, numerandus eſt, ſanè ſingularis quoad exiſtentiam naturæ non eſt, vt Deus ipſe pronunciauit.*

Ob has, vel ſimiles cauſſas exiſtimo, neque ab Ariſtotele, in illis, quos de animalium generatione ac hiſtoria conſcripſit libris, neque à Diodoro Siculo eruditiſſimo, neque à diligentiſſimo Strabone; qui de Ægypto, de India, deq; earum regionum animalibus multa memorijs hominum reliquerunt, facta eſt vlla phœnicis mentio. Quare & ego cenſeo, vel Phœnicem in rerum natura nullum eſſe, vel ſi vllus eſt, non eſſe vnicum, ſed plures, non generari ex cinere & verme, ſed ex ouo, non viuere tot ſæculis, quantumuis ſit longæuus, neq; ſe ipſum in rogo comburere, ſed vel caſu, vel ætate feſſum emori, more auium ceterarum. Denique quòd tam rarò videatur, degere illum in locis inacceſſis, atque inde tam rarò apud alias nationes conſpici. Ad ea quæ pro Phœnice allata ſunt, facile poteſt reſponderi. Nam alia eſt ratio bombycis, qui eſt imperfectum animal, atque eapropter facilè poteſt fieri ex verme alatus. Cetera nituntur authoritate Poëtarum, & profanorum ſcriptorum, & SS. Patrum comparatione, qui Ethnicis Phœnicem tamquam imaginem reſurrectionis ſæpiùs V.

 propo-

proposuerunt, non quòd, quæ de Phœnice narrabantur, vera crederent, aut quòd ea discutere vellent, sed quia *argumento ad hominem* dicto vti voluerunt. Si enim in vulgi & Gentium opinione Phœnicis historia & resurrectio passim credebatur, quantò æquius erat credere, id hominibus non esse negandum, quod auiculæ Arabicæ concederetur, vt Tertullianus ratiotinatur. Hinc & hic ipse Tertullianus Phœnicem *de posteritate monstrosum* vocat; & S. Gregorius Nazianzenus clarè indicat, se tantùm vti ea ratione aduersus illos, qui Phœnicem rediuiuum credunt; ait enim: *Quòd si etiam cuiquam fidem facit hic sermo &c.* Et S. Augustinus de eodem loquens: *Si tamen, vt creditur, de sua morte renascitur.* Denique ipsi, vt vidimus, profani scriptores pleriq; trepidè, aut dubitanter de Phœnice tam incredibilia, & à naturæ legibus abhorrentia recensuetunt. Locum illum ex Iob allatum, vulgatus noster Bibliorum textus, quem sequi debemus, non *Phœnici*, sed *palmæ* tribuit; non enim ibi *Phœnix*, sed *palma* legitur. Quia etsi ibi Iob agat de resurrectione mortuorum, illam tamen etiam *palma* significat, quæ & ipsa habet ex se renascendi potestatem. Septuaginta autem interpretes, *Phœnicem* posuerunt, quia cùm hæc vox, tam auem, quàm *palmam* significet; illi vsi sunt ea significatione, quæ Græcis, in quorum gratiam sacra ipsi vertebant volumina, mortuorum resurrectionem, secundùm vulgarem ipsorum de Phœnice sententiam, magis aperiret, vt doctè aduertit Franciscus Ferdinandus de Corduba, qui hanc quæstioné fusè est prosecutus. Atq; hæc de portentosis igniũ; nunc ad quædam aquatica monstra examinanda veniamus.

Iob. 20. Conc. Trid. Sess. 4.

Franc. Ferdin. de Corduba. in Didascal. multiplici. cap. 7.

VI.

In aquis monstra non omnia sunt ficta, quæ à Poëtis celebrantur. Fictum est, quod aiunt de *Scyllis* duabus, quarum vna Nisi, altera Phorci filia, illa in auem, hęc in maris monstrum mutata sit. De vtraque ita canit Naso.

Ouid. l. 1. de arte. Vide eundem l. 8. Metam.

Filia purpureos patri furata capillos,
Puppe cadens celsa facta refertur auis.
Altera Scylla maris monstrum medicamine Circes
Pube premit rabidos, inguinibusq; canes.

Gen. 19. 26.

Etsi enim olim *respiciens vxor* Lot *post se, conuersa est in statuam salis*.

salis, Deo prohibitam curiositatem puniente, non tamen eadem est veneficis potestas homines mutandi in saxa. Et quamuis eadem fingatur in fabulis, multa tamen non sunt conuenientia. Scylla enim saxum est ingens, aut rupes in mari prominens, quæ procul visentibus muliebrem formam imitatur, & in quam illisi fluctus, quoniam & luporum eiulatum, & canum latratum videntur imitari, finxerunt illam Poëtæ à pube huiusmodi feris succinctam esse. Quantam oportet fuisse puellam, quæ in tam magnum saxum induruit, vt inde totum fieret promontorium in Peloponneso? Idem de Charybdi voracissima femina in mare præcipitata judicium est: non enim femina in eiuscemodi monstrum versa est, quod adhuc pristinam seruet formam: sed cautes muliebri figura absorbet ea, quæ illi fiunt propinqua, & circa Tauromінitanum egerit littus; ea res fabulæ locum dedit. Si femina in eiusmodi cautem fuisset commutata, non tantùm eam grandem fuisse, sed etiam immane quantum os habuisse oportuisset, quo totæ naues absorberentur. Strabo l. 6.

VII. Potest huic similis videri fabula de Sirenibus, in aues mutatis, quibus tamen, vt Poëta canit,

Virginei vultus, & vox humana remansit. Ouid. lib. 5. Metam.

Etsi enim hæ videntur ad aërem pertinere, quia dicuntur inferiorem corporis partem volucrum auium, & superiorem ad formam humanam effictam habuisse, tamen aliter picturæ docent, aliter ipse Ouidius his versibus scribit:

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuêre rates. Ouid. lib. 3. de art.

Harum vna voce, altera tibijs, alia lyra cecinisse, & primò iuxta Pelorum, pòst in Caphareis insulis finguntur habitauisse, quæ illectos suo cantu in naufragia deduxerint, quippe dum ex omnibus cantilenis eas excogitarent, quas pro cuiusuis ingenio iucundiores fore putauerant, vt ita homines nauigantes demulcentes in profundissimum somnum traherent, sopitosque vel vnà cum nauibus in scopulos allíderent, vel in mare detractos necarent. Has qui Acheloi fluminis & Calliopes Musæ filias in eiuscemodi monstra versas credit, credere etiam potest

am potest, Æneæ naues in Nymphas abijsse. Itaque alij quidem cum Dorione in libro de piscibus censent, Sirenes meretrices in littore habitantes fuisse, apud quas famæ fortunarumque suarum naufragium fecerint, qui harmoniæ suauitate capti ijs non vitatis ducti sunt ad extremam egestatem, verè in Sirenum scopulos illati. Alij aiunt, itidem vt in Scyllæis saxis, sonum fabulæ ansam præbuisse, è procellarum insultu resonante. Huius opinionis est Archippus, scribens, loca quædam maritima in præruptorum montium angustias contracta, & velut testudinata fuisse, in quæ illisi fluctus sonum cum suauitate & harmonia emittentes, præternauigantes ad visendum allicerent; quò cum appulissent, vndarum impetu delati, absorbebantur. Qua de caussa: *Illud primùm ridiculum videtur,* ait Natalis Comes, *fuisse vmquam aliqua animalia, quæ fuerint è duabus tam diuersis formis composita, vt altera pars esset piscis, altera hominis, cùm neutrum horum animalium in aquis & in sicco viuat.* Accedit & illa ratio eorum, qui docent, fieri non posse, vt ex humana & belluina specie homines nascantur; quia istiusmodi effecta sequuntur deteriorem partem suæ caussæ. Sed profectò experientia hîc aliud fateri cogit, cùm certò constet, ex congressu hominis & bestiæ sæpius biformes partus prodijsse. Fieri enim potest, vt caussa partialis nobilior ita efficacitate sua præualeat supra minùs nobilem, vt trahat effectum ad suam speciem. Quare in eo euentu, non necesse est, vt effectus sequatur deteriorem caussæ partem, sed tunc demum, quando vtriusque vis & concursus par est; aut quando deterior vincit. Illud autem Comitis argumentum, quòd neque homo in aquis, neque piscis in sicco viuat, perspicuè refutatur ab amphibijs. Non enim rana solùm jam supra, jam infra aquas, jam etiam in ipsa ripa degit, sed castores etiam & lutræ. Et lutra quidem corpore velut porcino piscem habet appendicem. Aiunt & phocas exire in littora, & alios pisces euolare in altum. Quare ratio illa neminem mouere debet; possunt enim & Sirenes, quà hominis speciem exprimunt, extra vndas os efferre, & quà piscium squamis teguntur, aquis immergi, atque more cygnorum circumnatare. Quamquam igitur ordinariè

Archipp. l. 5. de Piscib.

Natal. Comes lib. 7. Mytholog. cap. 13.

dinariè existimandum non sit, ea monstra, quæ semihomines & semibestiæ dicuntur, aut homines esse, cùm non constet, ex humani seminis permistione prodijsse, nec videatur saltem vt plurimum ea permistio ad id sufficere; aut partim belluas esse, partim homines, (cùm impossibile sit, duas naturas completas in vnam speciem coalescere) possunt tamen reuera esse bruta alicuius certæ speciei, licet effigie vtramque speciem imitentur.

Conimbr. in libr. 2. Phys. c. 9. q. 5 art. 3.

VIII. Itaque tot experientijs, complurium oculatorum hominum grauissimis testimonijs adductus, etsi quæ de Sirenibus in immensum auxerunt Poetæ, fabulosa duco, Sirenes tamen viuere in mari non dubito, quacumque tandem animalium specie censeantur. Capitaneus Ioannes Schmid in nauigatione anni 1614. quam ipse cum *noua Anglia* oculatus testis descripsit, sequentia habet. *Non possum hoc loco silentio præterire admirabilem Dei creaturam, quam An. 1610. ipse hisce meis oculis vidi. Accidit vt aliquando, aurora primulùm pungente, in littore non procul à portu S. Ioannis me consistente, summa celeritate adnataret monstrum marinum. Eximia illi erat forma. Oculi, nares, aures, genæ, os, collum, frons, & totus vultus virginem venustißimam præ se ferebant. Capilli cyaneo colore per humeros desluxêre. Hoc monstrum, cùm vix longioris hastæ spatio à me famuloq; meo abesset, ita me perterruit, vt referre pedem cogeret. Sed & ipsum aspectu nostro perterritum aquas subiuit. Paulò tamen post denuò emersit ibi, vbi ego appuli. Rursus igitur datum est mihi illud intueri, quamquam distantia longiore. Videbatur igitur à capite vsque ad vmbilicum vel esse homo, vel hominis imago, ea autem quæ ab vmbilico deorsum erant, piscem repræsentabant. Hoc ipsum etiam prodigium inde ad illam nauem se transtulit, in qua alter meus seruus Guilielmus Hacobrigde, nunc orientalis Indiæ capitaneus, erat. Postquam ad nauim accessit, omni vi conatum est in illam conscendere; qua audacia omnes, qui nauem custodiebant, in formidinem sunt dati. Quare sudibus contisq; illud percutientes in mare repulerunt. Tanta autem erat pertinaciæ, vt repulsum ad alias duas naues nando properaret, atque inibi etiam territos vectores in fugã conyceret. Huius rei se, & quàm plurimos,*

Io. Ludouic. Gottfrid. in historia Antipod. part. 1. pag. 193.

alios

alios oculatos testes profitetur nauigationis illius Capitaneus. Quis hîc non potuisset dicere,

Catull. de Nuptijs Pel. & Thet.

Emersêre feri canenti è gurgite vultus
Æquoreæ monstrum Nereides admirantes?

Scio, dici posse, fuisse laruam ex Orco; sed habentur alia exempla, vt illius Sirenis, quæ in Hollandiam ducta manibus fila ducere, nere, aliaq; similia hominum operibus facere didicit, & multis argumentis ostendit, se laruam non esse.

IX. Tit Libius l. 42. histor.

Inter alieni elementi habitatores numerandi sunt pisces qui *fossiles* appellantur. Maximi prodigij loco, inter alia, narrat Liuius, *In Gallico agro, quà induceretur aratrum, sub existentibus glebis, pisces emersisse.* Vidi ego ipse etiam varij generis pisces è rupibus erutos, sed qui lapidescerent. Et fossiles, in quibusdam terris inueniri pisces, vnde cuniculorum, aut talparum more extrahantur, Leonicenus, Ioannes Camers, & Casaubonus affirmant. Ac ne res noua putetur, habet antiquos authores. Nam siue Theophrastus, siue Aristoteles ipse, in libello de mirandis auditionibus, ita loquitur. *Circa Babylonis rigua decedentibus fluuijs in cauernis aqueis hebetes pisces nonnullos remanere, proditur, quos inde exire ad pabula pinnulis gradientes crebro caudæ motu, contraq; venantes refugere in suas cauernas, & in his obuersos stare, ac sæpenumero viros aliquos eorum cauernas ingredi, ipsosq; irritare aiunt. Illorum autem capita ranæ marinæ proxima extant, reliquæ partes gobijs, branchiæ ceteris piscibus.* Et cap. seq. *In Heraclea, quæ in Ponto est, & in Rhegio defossos pisces innasci legitur, qui iuxta amnes aquatilesq; regiones incolunt. Cùm verò certo tempore hæc exsiccantur, exarescuntq; in terram iter contendunt. Postea autem, terra magis desiccata, humorem insectantes ad siluam confugiunt. Postremò verò hac arefacta, adhuc in humore perseuerant, quemadmodum animalia, quæ in latebris remorantur. Cùm autem eos effodiunt, antequam aquarum successio eueniat, motu demum corporum ipsos viuere approbant.* Ac rursus seq. cap. *Apud Paphlagoniam, effossos ex altis scrobibus pisces oriri asserunt, virtute quidem præstantissimos, in locis, vbi nullæ propè restagnant aquæ, sola tellure vitam illis suppetente.* Eadem prorsus retulit Plinius: eadem alij attigerunt.

Leon. Variæ hist. l. 2. 15. & lib. 3. cap. 12. Camers in Solinum c. 56. Casaub. in Strabonem. Aristot. lib. de mirand. cap. 69.

Plin. l. 9. nat. hist. c. 9.

Seneca

X. Seneca tamen hæc, vt fabulosa, videtur ridere, dum scribit: *Multa tibi, hoc loco, in mentem venêre, quæ vrbanè, in re incredibili, fabuloseq́; dicas: Non cum retibus aliquem, aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum. Expecto, vt aliquis in mari venetur. Quid est autem, quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus? Permutabimus sedes.* Sunt & argumenta, quæ pisces hos tollunt è medio, vt non nemo arbitratur. 1. *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per terras penetrent?* 2. *Cùm nullum animal extra suum viuere possit elementum, ad longiusculum tempus, quomodo illi pisces naturam suam exuant, vt extra aquas viuant?* 3. *Quia credibile est, pisces respirare, qua via aer ad eos ingreditur, vt eos refrigeret?* Responderi potest, Senecæ rem hanc incredibilem fuisse visam & fabulosam, alijs autem compluribus veram. Vni neganti centum testes opponuntur, cui credas? Quin & ipsum Senecam Senecæ obijcio, qui si non *fossiles*, saltem subterraneos pisces reperiri ipse affirmat. *Sed, vt ad propositum reuertar,* ait, *accipe argumentum magnam vim aquarum in subterraneis loculis fertilem fœdo situ piscium. Si quando erumpit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, ac turpem, ac noxiam gustu. Certè cùm in Caria, circa Myndum vrbem talis exilisset vnda, periêre, quicumque illos ederant pisces, quos ignoto, ante eum diem, cælo nouus amnis ostendit. Nec id mirum, erant enim pinguia, & differta, vt ex longo otio corpora; ceterùm inexcitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur.* Quid si hæc sub terris vnda fuisset exsiccata, nonnè pisces inibi vel viui, vel mortui mansissent?

Senec. Natural. qq. lib. 3. c. 17.

Franc Ferd. de Corduba in Didascal. cap. XI.

Senec. Nat. qq. l. 3. c. 19.

XI. Nam vt allatis rationibus satisfiat, si 1. quæritur: *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per terras penetrent?* Ex illo ipso vel Aristotelis, vel Theophrasti libello de mirandis auditionibus responsum accipimus; ait enim. *Circa Liguriam, in Massiliensium agro stagnum quoddam reperiri asserunt, quod ebullire, ac aquas superfundere aiunt, tantamq́; piscium copiam eijcere, vt nec credere dignum sit. Cùm verò Etesiæ efflant, terræ puluerem super se obducit, eumq́; talem illic procreat, vt superficiem eius, ceu solum firmet. Ceterùm indigenæ tridente id interrumpunt, & quotquot*

Aristot. lib. de admirand. audit. c. 87.

pisces voluerint, promtè excipiunt. Quod si hoc testimonium vacillat, ob illa verba: *vt nec credere dignum sit*, Strabonem audiamus: *E Pyrena fluunt Roscyno*, ait, *& Illybernis, vterque vrbem habens cognominem. Roscynoni etiam lacus est propinquus, ac paulò supra mare locus aquosus, plenus salinarum, is etiam fossiles habet mugiles; vbi enim duos aut tres pedes foderis, immisso in aquã limosam tridente, configere licet piscem eum iustæ magnitudinis, is alitur limo sicut anguillæ.* Certè vt nemo negare potest, pisces à glacie, tempore hiemali, intercipi, ita proteruum est, inficiari, pisces ab arenis aut limo obrui. Ita Polybius, *planitiem esse*, inquit, *post Pyrenem, ad Narbonem vsque fluuium, per quam Illybernis, & Rescynus ciuitates à Celtis conditas eiusdem nominis alluentes defluunt, in qua pisces sint effossi. Habet autem hæc planicies terram exolutam, multumq́ gramen innatum. Subter terra est sabulosa ad duas vel tres vlnas, sub qua aqua inuenitur, quæ à fluminibus aberrauit, in qua pisces sub terra discurrunt per riuos ipsos cibi gratia: quia graminis radicibus mirum in modum delectantur, totam planiciem idcirco pisces subterranei occupârunt, quos excauantes capiunt.* Hæc Polybius. Et apud Athenæum, Democritus: *Opus est autem*, inquit, *vt vos etiam pisces, effossos dictos, in obsonium parum capiatis, qui nascuntur in Heraclea, & apud Tium Milesiorum coloniam; de quo scribit Theophrastus. Hic idem Philosophus de piscibus, in glacie, per hiemem compactis, qui non prius sentiunt, aut mouentur, quam in ollas coniecti coquantur. Illud proprium est, quòd præter hos, ijs piscibus accidit in Paphlagonia, qui effossi dicuntur: nam in profundum, in ijs locis excauari, inquit, quæ neque fluuiorum, neque calidarum aquarum habeant fluxus, piscesq́ ibi viuos inueniri.*

Strabo lib. 4. Geograph.

Polyb. lib. 34. hist. Athen. lib. 8, c. 1.

XII. Sed hinc nascitur altera quæstio, Quomodo hi pisces extra suum elementum viuere; & tertia, Quomodo intra terram respirare possint? Ad tertiam facilis est responsio. Si enim (vt aduersarij volunt, & se demonstrare putant) certius est, pisces omnino non respirare, nullo aëre ad respirandum indigent. Quòd si autem sub glacie suffocati pisces ostendunt, illos aëre indigere, multa dici possunt. Nam sicut vrinatores spongiam oleo imbutam in os indunt, quando sub aquis sunt; ita

ita ſæpius vidimus carpionem, panis bolo impoſito, diu extra aquam viuere: ſi ergo illis ſpongiæ oleum pro aëre, huic panis bolus, pro aqua eſſe poteſt, cur non & frigida terræ gleba id piſci præſtare queat? Deinde: *Quidquid eſt*, ait Plinius, *hoc certè minùs admirabile facit talparum vita, ſubterranei animalis, niſi fortè vermium terrenorum & piſcibus natura eſt.* Siue ergo aëre opus eſt piſcibus, poſſunt in terræ cauernis tantundem habere, quantum talpæ; ſiue vermium more, ſuo ſe ſucco refrigerant; non neceſſe eſt illos terræ inſertos ſtatim extingui. Vidi ego præſtantem medicum, qui cùm viperam triduo ſuſpendiſſet, & ſuffocatam arbitrans, ſuperinfuſo vndique gypſo, eius lineamenta in modulo exprimere vellet, diſſecto, poſt aliud triduum, jam indurato gypſo, proſiliente beſtia viua, ac ſibilante, & carcerarium ſuum quærente, periclitatus eſt. Vidi & ipſe viperam, è gypſato ſepulchro rediuiuam. Cur non & piſces ad eundem modum aliquamdiu viuere, ſub terris poſſent, qui alioqui diu ſatis, ſine vlla reſpiratione ſub aquis degunt? Denique eſto, nihil ibi aquarum, nihil ſucci, nihil ſæpe etiam ſit alimenti, facilè concedo, plurimos emori, & in lapides indureſcere; quod etiam ipſis plantis, fruticibus & herbis contingit ab arenâ interceptis paulatim lapideſcente. Tales piſces, frutices, herbulas in ſaxis fiſſis, prope Kelhemium in Bauaria inuentas, mihi olim in Rorenſis cœnobij bibliotheca monſtratas memini; quamquam vtique monſtratas loco monſtri. Eſt enim non ſolùm inconſuetum, ſed etiam naturæ ordini aduerſum, vt extra aquam degant piſces, aut vt piſcatio in terris inſtitui poſſit; ſicut eſſet, ſi aliquis in mari venaretur. Hæc de aquaticis monſtris, quæ in dubium vocantur.

Plin. lib. 9. Nat. hiſtor. cap 57.

XIII. Terra quoque fertur alere quaſdam portentoſas, vel quaſi portentoſas beſtias, quas quidam negant in rerum natura inueniri, & fabulis permixtas rapiunt in quæſtionem. Talis beſtia eſt Monoceros, de quo D. Ambroſius ita ſcripſit: *Cornua quomodo poſuit vnicornuum, requirendum, cùm ipſe vnicornuus inter generationes ferarum, vt periti aiunt, non inueniatur.* Reddit hoc animal ſuſpectum, quòd paſſim pro fabula habe-

S. Ambroſ. lib. 11.

antur ea, quæ SS. Patres commodè in ſimilitudinem adhibentes recenſuerunt. *Rhinoceros iſte*, ait S. Gregorius, *qui & Monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ eſſe fortitudinis dicitur, vt nulla venantium virtute capiatur, ſed ſicut hi aſſerunt, qui deſcribendis naturis animalium laborioſa inueſtigatione ſudauerunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille omni ferocitate poſtpoſita, caput deponit, ſicq; ab eis, à quibus capi quæritur, repentè velut inermis inuenitur.* Idem ijſdem pænè verbis refert Iſidorus. Verùm, ſi idcirco non exiſtere in mundo beſtiam aliquam negandum eſt, quia de ea aliquid refertur fabuloſum, neque aſinum, neque canem, neque ranam, aut alias beſtias plurimas exiſtere oportet, quia de illis Phryx ille multa excogitauit fabuloſa. D. Ambroſius ſecutus eſt aliquorum opinionem, qui ob fabulas adiunctas, & quia neque authores, neque experientiam habuerunt, ipſam etiam cenſuerunt negandam veritatem. Quod perſæpe contingit, vt quæ vera ſunt, fidem amittant admixtione falſi. Ceterùm etiam Monoceros à Rhinocerote differt, quorum ille cornu in fronte, iſte in naſo gerit, & deſcriptione vterque diſcrepat. Quamquam igitur ea, quæ oculis noſtris obuia non ſunt, difficulter credant imperiti, tamen haud exiſtimare debemus, alijs regionibus conceſſa non eſſe, quæ noſtris ſunt negata. Non vidit Europa monocerotem, vnicorne animal? at vidit Aſia. Et teſtatur Albertus Magnus, Romæ quoque à Pompeio eiuſcemodi animal in ſpectaculo productum, cum elephanto congreſſurum, cornu ad ſaxum limauiſſe. Quòd ſi Germania noſtra animal hoc numquam vidit, vidit tamen cornu illius, expertaque eſt, contra omnia venena, vim habuiſſe. Teſtes porrò quàm plurimos licet adducere; vt ſunt, præter S. Gregorium & Iſidorum à nobis citatos, Strabo, Plinius, Solinus, Ælianus; & recentiores. Marcus Paulus Venetus plurimis in locis reperiri vnicornu affirmat, apud Tartaros, in ſiluis regni Mien, in regno Indico Guzzerat, quod confine eſt Malabarico: præcipuè verò, in regno Baſma Iauæ maioris, frequentiſſimè autem in Regno Lambri eiuſdem inſulæ. Ludouicus Barthema Bononienſis magnorum itinerum deſcriptor oculatus teſtis, Petræ

S. Gregor. lib. 31. Moral. cap. 13.

Iſidor. lib. 12. orig. c. 2.

Albert. Mag. l. 22. de animal.

Strabo lib. 15. Geograph. Plin. l. 8. c. 21. Solin. cap 65. Ælian. lib. 16. de anim c. 20. M. Paul. Venet. l. 2 c. 43. lib 3. c. 28. l. 3. c. 12. eod. l. 3. c. 15. Ludou. Barth. lib. 1. cap. 17. Itinerarij.

ſtis, Petræ cognominis Arabiæ ciuitatis (vulgo Meccha Bellonio) Machometis pſeudoprophetæ patriæ magnificentiſſimum commemorans templum, hæc de monocerote tradit: *Ex altera templi parte cors extat muro cincta, in qua duos vidimus monocerotas, qui miraculi loco ibi oſtenduntur.* Subſcribunt his Ludouicus Cadamuſtius, Nicol. de Comitibus, Ioan. de Heſe, in ſuis Itinerarijs. Strabo certè agens de India ſcribit, *Equos ibi vnicornes reperiri ceruinis capitibus.* Paulus autem Iouius agens de regno Gogiano, quod ſupra Nili ortum, in extrema pænè Africa, ſitum eſt, altiſſimis montibus, ac denſiſſimis ſiluis immanium omnis generis belluarum plenis abundans, ita loquitur: *Idem affirmant de monocerote, quod animal vnicorne à noſtris appellatum, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, hircina barba, bicubitali cornu armatam frontem præfert, quod læuore candoreq́; eburneo, & pallidis diſtinctum ſpiris, ad obtundenda habetandaq́; venena mirificam poteſtatem habere dicitur. Cornu enim immiſſo, & per lymphas circumducto, fontes expiare perhibent, vt ſalubriter viuat, ſi inde viroſæ beſtiæ præpotârint. Id viuo animali non detrahi, cùm vllis inſidijs intercipi nequeat. Cornu tamen ſponte deciſum in deſertis reperiri, vt in ceruis accidere videmus, qui ex ſenectæ vitijs renouante natura, vetus cornu exuunt, venantibusq́; relinquunt. Hoc cornu regijs impoſitum menſis, toxica ſi qua ſint epulis indita, emiſſo ſtatim admirabili ſudore conuiuis prodere narrant. Ex his duos vidimus bicubitales, brachiali ferè craſſitudine: primum Venetijs, quod poſtea ſenatus Solimano Turcarum Imperatori dono miſit: alterum pari prope magnitudine, ſed præciſa cuſpide argenteæ baſi inſertum; quod Clemens Pontifex Maſſiliam profectus, pro inſigni munere ad Franciſcum regem detulit.* Ad tot ſcriptorum teſtimonia accedit diuina authoritas. Quorſum enim Dauid dixit? *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam,* ſunt enim vnicornes indomitæ beſtiæ, multiſque beſtijs ferociores. Rurſum: *Et dilectus quemadmodum filius vnicornium,* qui dum iuuenculus eſt, ob ſpeciem inſignem amabilis eſt. Iterumque: *Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum;* id eſt, potentia, gloria, felicitas mea creſcet in altum, non ſicut fragile fœnum, ſed vt cornu vnicornis

Strab. loc. cit.

Pſal. 21. 22.

Pſal. 28. 6.

Pſal. 91. 10.

nis animalis in fronte vnicum quidem, sed excelsum & valde robustum cornu gerentis. Quamuis enim cornu hoc Solinus tantùm *pedum quatuor*, vti & Isidorus, esse dicat, Plinius tamen *cubitorum duûm*, at Ludouicus Barthema *trium fermè brachiorum* longitudine esse affirmat: nempe pro magnitudine ætatis. Alludens ad hanc belluam etiam Isaias ait: *Et descendent vnicornes cum eis*. Tam crebra vnicornium mentio in diuinis litteris non videtur de fabulis sumta. Pertinebat autem huc de hac quoque bestia quærere, quia, tamquam rarior, & ipsa vulgò potest pro monstro haberi. Quin disertè Vincentius ait: *Monoceros est monstrum equino corpore, ceruino capite, cauda suilla, pedibus elephantis, mugitu horrido, &c.* quid magis potest esse monstrosum?

Solin. cap. 65. Isidor. lib 12. Orig. cap. 2. Plin. l. 8. c. 21.

Isa. 34. 7.

Vincent. in spec. 1. p. l. 19. cap. 91.

XIV. Pleraque, de Pyrali, Phænice, piscibus fossilibus, & Monocerote dicta, ostendunt, has bestias, ob raritatem, aut insitatum duntaxat nascendi viuendiq; modum, censeri prodigiosas; nisi quòd, quæ Vincentius de multiformi monocerotis natura tradit, veram eam belluam monstrum esse probent. Vtrùm autem ea se ita forma habeat, est eorum pronunciare, qui viderunt. De Sirenibus difficilior est quæstio: possunt enim esse, vel non esse *effectus naturæ, qui deuiat à recta consuetaq; secundùm speciem dispositione;* propius vero est, vera monstra esse; alioquin enim & Satyros, & Faunos, & centauris natos liceret dicere, eos *à recta consuetaq; secundùm speciem dispositione non deuiare*, cùm tales sint, quales fuêre, qui eos genuerunt. Sunt enim, qui in India, & Libya, totas opinentur insulas Satyris & Sphingibus occupatas.

XV. Porrò, quia Sirenibus aliquo modo pares sunt Sphinges, libet etiam de illis disputare. Talia enim monstra extitisse, conijcitur 1. Quia non solùm alibi passim pinguntur, verùm etiam Romæ aliquot Sphinges marmoreæ ex Ægypto allatæ, in Capitolio, monstrabantur. 2. Quia Ægyptij sapientissimi olim Sphinges ante templa posuerunt. 3. Quia Octauius Augustus Sphinge loco signi vsus fuit; sicut alij aquilæ, leonis, draconis effigie. Quemadmodum ergo hi verorum animalium, non fictorum, figura vsi sunt; ita quidam putant, Impe-

 ratorem

ratorem signum suum non à fabulis traxisse. 4. Quia Pierius scribit, se tale monstrum vidisse, cuius etiam hæc sunt: *Nascuntur, apud Troglodytas Æthiopes, forma haud ei dissimili, qua pinguntur, fusco pilo, mammis in pectore geminis: monstro similes. Sunt etiam paulò pinguiores. Naturam habent in cicuratione admodum procliuem, pluribus exercitijs disciplinisq; aptam. Vnde* 5. *fertur etiam Sphinx monstrum Thebanum fuisse facie virginea, alas & vngues habens, Harpyiarum instar, quod insidens scopulo viæ imminenti, insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat; quæ cùm soluere non possent, ex improuiso veniens alis & vnguibus ad se eos in rupem trahebat, & præcipites dabat.* Apollodorus ait, *Sphingem ex Echidna & Typhone parentibus ortam, Thebanis ab Iunone immissam. Hanc muliebri facie ac pectore, pedibus ac cauda leoninis, & auis pennis præditam fuisse, quæ cùm à Musis ænigmata didicisset, in Phyceo monte consederit, deq; ijs vnum Thebanis proposuerit.* Ausonius Sphingem in hunc modum descripsit.

Pier. Valer. lib 6 cap. 10. Hieroglyphicorum.

Apollodor. l. 3. de deor. orig. & ex eo, Phil. Camer. 1. cent c. 71.

Terruit Ausonium volucris leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Ausonius in Griphoternario.

Hæc si omnia in trutinam conijciantur, partim vera, partim inuoluta, partim sunt fabulosa. Fabulosum est, Sphingem ænigmata proposuisse; inuolutum, aliquid monstri latuisse; verum, Sphingem aliquam bestiam esse, licet non talem, qualem picturæ, sculpturæ, statuæ vel Romanorum, vel Ægyptiorum, aut Apollodorus, vel Poëtæ descripserunt. Quæ sub ænigmate aut silentio seruari voluerunt antiqui, ea imaginis obscuritate exprimi cõueniebat. Hinc Ægyptij idcirco Sphinges ante templa collocârunt, vt mystica dogmata, præcepta & institutiones sacrę, per ænigmatum nodos procul à profana multitudine, inuiolata custodirentur, & in arcanis tantùm tractarentur. Augustus quoque, ob silentij fidem, Sphinge vsus est in litteris signandis. Ad hæc arcana significanda Aegyptij arcanam effigiem monstrosamq; excogitauerunt. Pierius antea recitatus, non tam monstrum, quàm simiam describit: neque aliud esse Sphingem, quàm simiam existimat: cuius sententiæ etiam est Solinus, qui ita loquitur: *Inter simias*

Solin. c. 30.

mias habentur & Sphinges, villosæ comis, mammis prominulis, ac profundis, dociles ad feritatis obliuionem. Hæc Solinus de Simijs. Et Pierius, *Harum ego vnam*, inquit, *Veronæ cùm essem, vidi, mammis illis & glabris, & candidis à pectore propendentibus, circumducebat eam circulator quidam Gallus, ex ignotis antea insulis recens aduectam. Toto erat pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus; dorso hispido supra modum; fusco & oblongo admodum pilo, eoq́; densissimo. Rector læuum brachium, quo catenam, cui erat alligata regebat, ferrea manica obarmatum habebat; dextera baculum gerebat, quem in faciem animalis identidem prætendens, bipedem secum ambulare, & loco etiam saltare, interdum & obgannire faciebat; multamq́; hinc à spectatoribus stipem aucupabatur.* Sunt, qui dicant in Libya, & Africa ob inopiam aquæ, tamquam siticulosis regionibus, è longinquo, bibendi gratia, diuersi generis animalia in vnum congregari, & inibi, è varia seminum mixtura, varias quoque subinde animalium formas generari: quæ tamen formæ, in illis terris, quia incolis propemodum familiares sunt, non adeò prodigiosæ habentur. Si aliud nihil sunt quàm simiæ, monstra non sunt; si formis permiscentur aliarum bestiarum, eximi non debent de numero monstrorum. Hæc de veritate Sphingis; in cuius fabula aiunt, inuolutum esse illud, quod Palæphatus in hac historia exponit. Cadmus, vxorem Sphinga habens Amazonida, Thebas profectus est: vbi interfecto Dracone, regno potitus est, ducta vxore Harmione, Draconis sorore. Id Sphinx iniquo animo tulit. Quare, seductis nonnullis ciuibus Sphincium occupauit, incursionbibusq́; ac insidijs, quæ à Thebanis indigeno sermone ænigmata dicuntur, Cadmum ipsum, & qui illum sequebantur, infestauit. Tandem, proposito præmio, ab Oedipo superata fuit. Hic fabulæ nucleus, hæc est origo. Quamquam postea etiam, ob Megarensium mores, homines lasciui & molles, immò & meretrices, populari conuicio, *Megaricæ Sphinges* dicebantur.

Apud Lil. Girald. in Ænigmat.

XVI. Pingi, & apparere aliquando Centauros, Hippocentauros, Onocentauros, Satyros, similiaq́; duplicis naturę monstra, notissimum est; esse autem in rerum natura valde apud authores

dubium

dubium est. Vtrumq; è D. Hieronymi verbis licet intelligere, qui, in vita Pauli primi eremitæ, Magni Antonij describens iter, hæc habet. *Nec plura his. conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poetarum Hippocentauro vocabulum indidit; quo viso salutaris impreßione signi armat frontẽ, & Heus tu (inquit) quanam in parte hîc seruus Dei habitat? at ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora senis blandum quæsiuit eloquium, & dexteræ protensione manus cupitum indicat iter, & sic patentes campos volucri transmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verùm hæc vtrùm diabolus ad terrendũ eum simulauerit, an (vt solet,) eremus monstrosorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus.* Dubitat etiam Ælianus, dum in hunc modum describit: *Onocentaurum quisquis vidit, non incredibile ducit, quod fama peruagatum est; Centauros fuisse, neq; fictores, atque pictores in eorum descriptione errasse. Verùm siue reuera fuerint, siue omni cera flexibilior, & ad fingendum habilior fama illos finxerit, prætereo. De Onocentauro quidem mihi nunc est animus explicare, quæ auditione & fama accepi. Eum ipsum homini ore, & promissa barba similem esse; & simul collum, & pectus humanam speciem, similitudinemq; gerere: mammas distantes ex pectore pendere: humeros, brachia humanam figuram habere: dorsum, ventrem, posteriores pedes asino persimiles esse: & quemadmodum asinum, sic cinericio colore esse: imum ventrem leuiter exalbescere: duplicem vsum ei manus præstare, nam celeritate, vbi sit opus, eæ manus præcurrunt ante posteriores pedes. Ex quo fit, vt non ceterorum quadrupedum cursu superetur. Ac vbi rursus habet necesse vel cibum capere, vel aliud quiddam tollere, qui antea pedes essent, manus efficiuntur. Tumq; non graditur, sed insesßione quiescit. Animal est graui animi acerbitate. Nam si capiatur, non ferens seruitutem, libertatis desiderio ab omni cibo abhorret, & fame sibi mortem consciscit. Hæc de Onocentauro Pythagoram narrare testatur Crates ex Mysio Pergamo profectus.* Dubitat etiam, apud Xenophontem Chrysantes. Ita enim legimus: *Quo fit vt maximè ex omnibus animalibus adamem Hippocentauros, si fuerunt; qui tum hominis vterentur ante rem consultandi prudentia, & manuum artificio, tum haberent*

S. Hieroym. l. epist. 1.

Ælian. l. 17. c. 9. de histor. animal.

Xenophon. lib. 4. de Cyri pædia.

 berent

berent equi & velocitatem, & vires. Et postea. *Itaque hoc sanè melius est, quàm Hippocentaurum esse natum; Hippocentauros enim arbitror multis carere bonis, quæ ab hominibus sunt inuenta, vt ijs scilicet est vtendum: multis item carere voluptatibus equis innatis, quonam pacto ijs frui oportet. At ego si equitare didicero, cùm in equo fuero, agam scilcet, quæ Hippocentauri sunt: cùm ex equo descendero, & cœnabo, & induar, & me quieti dabo, quemadmodum alij homines. Quare quid aliud sim futurus, quàm diuisus Hippocentaurus, ac rursum compositus. Insuper his etiam rebus Hippocentaurum anteibo. Nam ille duobus prospiciebat oculis, duabusq; auribus audiebat: at ego oculis quatuor coniectabo, & quatuor auribus præsentiam. Aiunt enim equum manifestare hominibus multa, quæ oculis prospicit; ac multa significare auribus, quæ antè auditu percepit.* Quibus verbis alludit ad Poëticæ fabulæ originationem. Dum enim Poëtæ veritates quasdam fictionibus inuoluerunt, quædam in monstris ponentes, historias fabulis reddiderunt suspectas famosasque. Sic, quia *frenos & strata equorum Peletronius inuenit; pugnare ex equo Thessali; centauri appellati sunt habitantes secundùm Pelium montem.* Neque aliam ob caussam Bellerophon Pegaso alato vectus fingitur, quàm quia fræno inuento equum celerrimè in omnem partem inflectens Chimæram interemit, vt tradit Pindari interpres. Thessalorum ergò, apud Poëtas, cognomen ab effectu ductum erat, vt *Centauri* nominarentur. Quia enim equestres eorum turmæ procul aspicientibus, & infrà formam equorum, & suprà manus vultusque hominum exhibebant *centauris* similes, *centauri* vocabantur. Sed vnde eam similitudinem hauserunt, si nulli vspiam fuêre centauri?

Plin. lib. 7. hist. c. 56. Natal. Com. lib. 9. c. 4.

XVII. Credibile igitur valde est, dari eiuscemodi monstra, quæ quia ex parte hominis, ex parte autem equi, aut asini figura conspecta sunt, *Centauri, Hippocentauri,* aut etiam *Onocentauri* sunt nuncupata; tametsi enim mihi non persuadeam, vllam esse Centaurorum verorum gentem aut populum, quæ cum Lapithis pugnet, esse tamen, aut certè esse posse eiuscemodi biformia animalia, siue ratione prædita, siue rationis expertia non dubito, ductus auctoritate, ratione, exemplis. Neque

Ouid. lib. 12. Metam.

que enim Madaurensis duntaxat Philosophus eiuscemodi *semiferos* reperiri in terris affirmat; sed grauissimus quoque Propheta Isaias vastitatem Ierosolymitanæ vrbis prædicens ait: *Et orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, & pascua struthionum. Et occurrent dæmonia Onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem.* Quid hîc aliud dicit Propheta, quàm ille Poëta: Apul. lib. 4. asini. Isa. 34. 13.

Illic semiferos Ixionidas Centauros
Fœta Peletroniis nubes effudit in antris? Lucan. l. 3.

Quod si opus est oculatis testibus, Plinium audi. *Claudius*, inquit, *Cæsar scribit, Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse; & nos principatu eius allatum illi ex Ægypto in melle vidimus.* Meminit huius rei etiam Phlegon Cæsaris libertus, meminit & Trallianus in libello de mirabilibus & longæuis: meminerunt alij complures grauissimi authores, præter tota agmina Poetarum, Hesiodum, Homerum, Sophoclem, Orpheum, Pindarum, apud Græcos; Virgilium, Horatium, Propertium, Ouidium, Papinium, apud Latinos. Subscribunt *Ælianus & Volaterranus, dum Iani sæculo Italiæ accolâ Marem describunt magni quidem nominis, si animum inspicias, virum; sin autem corpus, monstrosissimum, pube tenus scilicet hominem, reliqua verò equum referentem: quales & in Asia Hippopodes esse dicuntur; item & apotami, qui in aquis degunt. Ratio etiam in promptu est, cur enim non posset esse propria species animalium, cui Centaurorum, aut Satyrorũ forma competeret? cur nõ corrupta prægnantium imaginatio, & subiti terrores tantam in partũ vim haberent, vt, quod ipsi vidimus, puer, aut puella alicuius bruti membro deformatus pareretur? In Androgynis Africæ populis, mamma virilis est, & altera muliebris; immò idem homo vir est & fœmina. In Eripia homines formosi collo & ore gruino cum rostris animalium reperiuntur. Cur non posset esse talis seminũ mixtura ac diuersitas, vt membrorum efficeret disparitatem? Exempla autem nonnè manifestè hoc fateri cogunt? vt enim Sirenes omittam, nonnè ex equo & asina, aut ex asino & e- Plin. l. 7. c. 3. Nat. hist. Hesiod. in Aspide. Homer. lib. 21. Odyss. Sophocl. in Trachiniis Orph. in Argonaut. Pindar. in Pythiis. *Ælian. lib. 9. c. 16. Volateran. lib. 17. Anthropologiæ.

qua nascitur mulus, qui neq; equus est, neque asinus? Nonnè è cane & vulpe vulpicanes, ex lupo & cane Lycisci oriuntur? Nonnè Cynamolgi in Aethiopia & India canina capita, hominum cetera habent, teste Solino & Isidoro? Nonnè Mela refert, Septemtrionalium quarundam insularum accolas *esse equinis pedibus Hippopodas* dictos? Ad eundem modum historici recensent apud quosdam Indos nefanda coniugia, *mixtosq; & semiferos esse partus? Ex eiuscemodi nuptijs Minotauri nobis & Aegypanes, etiã meo iudicio Sphinges suppullulant, & Centauri,* ait Plutarchus. Nec necesse est, Obsequentem testem citare, qui memorat, Tiberio Graccho, M. Iuuentio Coss. porcum humanis pedibus & manibus natum: nostra hæc sæcula, prô dolor, eiuscemodi monstra infamârunt, non à bestijs duntaxat, sed à Stygijs etiam laruis generata, & dæmonum subinde toruissimo vultu defœdata: vt planè proteruum esse necesse sit, qui post tam multas clarasq; experientias, rem hanc velit inficiari. Necesse est enim eum etiam in[...]tas hominibus à Deo miraculosè inflictas pœnas, de quibus infrà; & monstra tot oculis testibus affirmata inficiari.

Solin. c. 43. Isid. Origin. lib. 11. Mela lib. 3. cap. 6. Plin. l. 7. c. 3. Plutarch. in gryllo.

XVIII. Oppugnant hanc sententiam primùm ipsi Poetæ, tum oratores; quin & historici, & Philosophi, & Medici, & Iurisconsulti: quin & SS. Patres. Addunt rationem Philosophi. Lucretij enim hæc sunt:

Lucret. lib. 4.

Nam certè ex viuo Centauri non fit imago.
Nulla fuit quoniam talis natura animai.

Idem lib. 5.

Et alibi. *Sed neq; Centauri fuerunt, nec tempore in vllo*
Esse queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas.

Argumentis deinde mox afferendis sententia sua munita, ita colligit.

Ne fortè ex homine, & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, nec esse.

Cic. l. 1. Tusc.

Subscribit Tullius his verbis: *Is planè perspiciet, inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, & regem Agamemnonem nihil interesse.* Et alio loco: *Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate exoleuisse; quis enim Hippocentarũ fuisse, aut*

Idem lib. 2. de nat. Deor.

se, aut Chimæram putat? Sic orator de his monstris loquitur. Polyhistor autem in hunc modum: *Ac ne in montes notos eamus, Pindum, & Othryn agitent, qui Lapitharũ originem prosequuntur, Ossam, quos Centaurorũ fabulis immorari iuuat.* Sed Philosophi præcipuè hîc se opponunt. Nam præter Lucretium, qui Philosophis meritò debet ascribi, Seneca sic pronunciat: *Et hæc quæ sunt, rerum natura complectitur, quæ animo succurrunt, tanquam centauri, gigantes, & quidquid falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamuis non habeat substantiam.* Maximus autem Tyrius Platonicus ait: *Hæc sunt Centaurorũ fictiones. Hoc Gorgones, Geriones, Cecropes sibi volunt.* Ad Philosophos accedunt medici, Claudius Galenus inter ἀδύνατα seu illa, quæ esse non possunt, ponit, ex hominibus & equis Magnesijs Hippocentauros nasci. Quòd si quis etiam vult testimonium habere Iurisconsultorum, Iustinianum Imperatorẽ audiat: cuius hæc sunt: *At si quis rem, quæ in rerum natura nõ est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit, inutilis erit stipulatio.* Idem I. C. Celsus, Accursius & alij docuerunt. Ne Theologi desint, & SS. PP. *His temporibus,* inquit S. Augustinus, *fabulæ fictæ sunt de Triptolemo &c. de Minotauro &c. de Centauris, quòd equorum hominumq; fuerit natura coniuncta.*

Solin. c. 13.
Senec. lib 8. epist. 59.
Maxim. Tyr. serm. 34.
Galenus l 3. de vsu part.
Institut. de inutilib. stipulationib. §. 1.
l. Si ita stipulatus 97. in prin. D. de verbor. oblig.

His authoribus authores à nobis suprà citatos; & oculatos testes oppono. Vnicus è Poetis (qui tamen potiùs Philosophus est) Lucretius negat, alij omnes vnanimi voce aiunt. Quòd si in similibus exigua est fides Poëtarum; historicos habemus. Habemus & Medicos, & Iurisconsultos, qui eiuscemodi biformes fœtus in nefandæ libidinis puniendæ argumentum traxerunt. Habemus & Theologos, qui disputant, an, & quando talis partus pro gemino animali, aut homine solo, vel bestia sola, habendus, alendus, vel baptizandus sit? Senecam non moramur, qui eodem loco cùm ponat *Centauros, Gigantes, & quidquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit*, ansam nobis præbet, qua contra illummet vtamur. Si enim eadem est ratio Centaurorum, quæ Gigantum, XIX.

Henric. Gandau quodl 6. q. 14. Couaruuias l. 4. c. 2.

gantum, ita nobis licet ratiocinari: Sed Gigantes reperiuntur,
Gen. 6. 4. ergo & Centauri. De gigantibus diuinæ litteræ affirmant.
Diluuij enim tempore *gigantes erant super terram.* Et post dilu-
Deuter. 2. 11. uium fuerunt. *Emim, populus magnus & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur.* Et paulò infrà de
Ibid. v. 20. terra, quæ à Deo filijs Lot assignata est: *Terra gigantum reputata est: & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus, & multus, & proceræ lon-*
2. Reg. 21. 18. *gitudinis.* Saph quoque fuit *de genere gigantum.* Neq; Goliath
1. Reg. 17. 4. Philisthæorum Polyphemus paruus fuit. Vidimus denique & ipsi Gigantes, quos qui cum Seneca nullos vspiam esse putat, est in credendo nanus. Sed superest præcipua ratio, ob quam
Artemidor. Dald. l. 2. de de somnior. interpret. cap. 49. Artemidorus Daldianus, alijque Philosophi existimant Centauros, & Hippocentauros, & quæcunque monstra plurium specierum formas præ se ferentia, esse mera somnia & Chimæras. Fieri enim non potest, duas naturas completas in vnam speciem coalescere, aut vnum animal partim bestiam, partim hominem, hoc est, rationis particeps & expers esse. Atqui hoc non dicimus. Neque enim in Satyro, vel Centauro admittimus naturæ, sed figuræ duntaxat duplicitatem. Quid referat, membra aliqua in formis partialibus errare, si reliqua & præcipua sint humana? Cur anima humana, quæ potest corpus hominis regere sine omni pede, aut etiam ligneo pede, non possit etiam vti pede pedem caprinum imitante, aut equinum? Vel ergo solùm erit homo eiuscemodi monstrum, sed ob alienos pedes, monstrosus; vel solùm bestia erit, sed ob humana quædam membra, itidem monstrosa; ex ijs quæ agit dignoscenda. Quamquam igitur non nego, sæpe, qui Centauri, Satyri, Fauni putabantur, malos dæmones fuisse, qui talium monstrorum corpora induerunt, vt homines terrerent; veratamen eiuscemodi animalia existere posse, semper profitebor. Illud certè monstrum, quod D. Hieronymus scribit S. Antonio in eremo apparuisse, cùm dicatur locutum fuisse, bellua esse non potuit; debuit ergo vel dæmon, vel homo fuisse. Quod esse posse neque S. Hieronymus negauit, neque D. Augustinus refutauit; qui cum alijs SS. Patribus & Iurisconsultis,

ac Philo-



ac Philosophis aliud nihil voluit reijcere, quàm hæc monstra prout à Poëtis describantur, duas naturas, videlicet humanam & equinam, simul complectentia, quarum vna fœno, altera vino gauderet: neque opus duplici ventre, & stomacho, aut quadruplici pede, cùm, vt suprà ex Æliano docuimus, Onocentauri manibus loco pedum nitantur, quando celerandum est. In hanc sententiam etiam scribit Franciscus Ferdinandus de Cordoua. Qui post Delrium, hæc pleraque copiosiùs disputauit. Verùm his affatim probatum est, gigni monstra; nunc cur ea vel à natura gignantur, vel ab authore naturæ gigni sinantur inquiremus.

Franc. Ferd. de Cord. in Didascal. Multiplici. c 8. Delrius Comment. in Herculem Oeteum Senecæ.

CAPVT XLIX.

Iniquas hominum de Monstris & monstrosis querelas compesci ex eo, quòd monstra & monstrosi sint Dei opus, & eorum irrisores diuinitus puniantur.



Vplex iniuria est, si quis inde contumeliã patitur, vnde laudari merebatur. Quare & illi gemina pœna digni sunt, qui Deum in operibus suis non solùm laude nulla afficiunt, sed etiam murmurando blasphemant. Hanc ob caussam, meritò illis, qui denario diurno non contenti murmurauerunt, iratus paterfamilias dixit: *An occulus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Vnusquisq; ob proprium suum peccatum damnatur*, ait S. Basilius, *ita & qui murmurauerint, ob murmurationem. Verùm sæpe alij alia de caussa murmurant. Nam hi quidem propterea murmurant, quòd, vnde ventrem suum distendant, non habent (vt qui gulæ præter modum dediti sunt, & ventrem faciunt Deum suum) illi verò, quòd in pari honore habeantur cum nouißimis, in quo apertè indicant suam inuidiam, quod vitium multis in locis solet scriptura coniungere homicidio. Alij præterea alia de caussa.* Qualis caussa est, si parẽtibus nõ conceditur, quod optant; imo si datur, quod horrent, pro pulchra prole deforme monstrũ. Nam eiuscemodi monstrosum partum, in alijs rebus, vt plantis, & bestijs miramur, miseramur in hominibus; neque satis sibi suam infelicitatẽ deplorare

1.

Matth. 20. 15. S. Basil. in reg breu. q. 63.

plorare poſſe videntur parentes, ſi ſobolem nacti ſunt, non iam caprinis pedibus, more Satyrorum; aut *Semiuirumq́; bouem, ſemibouemq́; virum;* ſed vel brachio carentem, vel naribus deſtitutum, vel aure truncatum, vel plures digitos in manibus ſingulis habentem: qualis *in Geth vir fuit excelſus, qui ſenos in manibus pedibusq́; habebat digitos, id eſt, viginti quatuor, & erat de origine Arapha.* (2. Reg. 21, 20.) Quin immò, ſi vel de materna imaginatione, purpuream in fronte notam, aut in genis nigram maculam frago, moro, aut pruno flagrantiùs appetito ſimilem gerat, quanta eſt ſolicitudo corrigendi? quantæ, contra Naturæ errorem, immò contra ipſum Naturæ authorem querelæ exiſtunt? quaſi Deus ad illorum imperium, non ad ſuæ ſapientiæ voluntatem fœtum in vtero fingere debuiſſet. Mallem, inquiunt, nullum filium habuiſſe, quàm non integrum; mallem filiâ caruiſſe, quàm quæ viſu, auditu, aut linguæ vſu careret. Quis ducet cæcã, niſi puer baculo trahens viarum monſtratore? quis ſurdam non dicet abſurdam? quis elinguem nõ comparabit cum milite, qui non habet enſem? aut cum barbito, quod caret plectro? Quot liberi in lucem prodeunt, inſtar Midę, auriti; aut manibus vncis, ad modũ Harpyiarum; aut cute piloſa, tanquam Simij, aut Paniſci; quæ non lamenta funduntur? quanto pudore erubeſcunt parentes, cognati, affines? quid non excogitant amici, ad occulendum, in perpetuos carceres includendum, vel ſæpe etiam omninò è medio tollendum tam informem partum? Nota eſt ciſtella viminea Mineruæ, quæ Eriſichthonem clauſit. (Ouid. lib. 2. Metamorph.) Multò autem impatientiùs illi ipſi ferunt ſuam monſtroſitatem, qui ſic nati eam cognoſcunt. Si enim quædam puellæ, ob ruffum capillitium, quædam ob luſcum oculum, quædam, quòd ſint nec minimo naſo,

(Catull. epigr. 44.)

Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore ſicco,
Nec ſanè nimis elegante lingua,

Naturam & Naturæ Dominum identidem accuſant, quid facient, ſi barba mentum veſtiat, non in munimen virginitatis, ſed in coniugij impedimentum? Si dentem os exerat aprinum?

Si

Si effigiem bufonis in fronte sedentem circumferat? si strumā effundat vsque ad vmbilicum? Nam dentem aureum in ore enatū, vt nostra ætate factum est, faciliùs quis tolerârit. Philippus Macedo, Annibal Carthaginensis, Sertorius Hispanus, ac Zisca Bohemus vnoculos se fuisse, vehementer doluerunt, tametsi non à natura, vt Arimaspi, sed ab euentu tales essent. Ita & alij dolent, qui sibi à natura nouerca cum caussa deformitatis, caussam quoque doloris datam fuisse arbitrantur, & querelarum.

Kranzius Vand. lib, 12. cap. 33.

II. His in remedium sciendum est, etsi monstrum, quia teste Aristotele, *dißimile quiddam est, & obliquum ac læsum*, sit vitium naturæ, ob aliquod impedimentū, à fine suo, deficientis; atque adeò licet caussa impedita per se nō tendat in monstrū, tamen ratione Dei, qui rerum omnium euentus & prouidentia sua præuenit, & sapientia disponit, nulla monstra fortuitò aut casu euenire. Tametsi igitur, cùm illa generantur, caussa impedita & particularis dicatur à suo scopo deflectere, (cupit enim bos vitulum, non autem agnum generare) illiq; effectus fortuitus esse; tamen Deus suo non frustratur, qui & in monstris est gloriosus. Sicut enim Indi ex ipsis etiam inter se se colligatis cucurbitis ratem conficiunt, qua flumina traijciunt: ita & Deus è vilissimis rebus effectus producit pretiosos. Hinc cum caussa tam impedita, quàm impediente simul concurrens absolutè efficaciterque vult generari monstrum. Neque enim omnium particularium caussarum fines absolutè, sed conditionatè duntaxat destinat; si scilicet non aliunde impediantur. Nam si impediantur, ad earum se confluxum, naturas, modumque accommodat; & vnà cum circumstantijs, immò cum rebus circumstantibus operatur. Hinc sicut ex tauro & vacca taurus; ita ex tauro & Pasiphaë Minotaurus prodit, prima caussa concursum suum æquè ad vnum, atque ad alterum effectum non denegante, vt vniuersalis prouidentiæ ordinem seruet, qui non solùm exigit, vt Deus vim det caussæ impeditæ, sed etiam vt virtutem agendi caussæ impedienti non subducat, atque adeò, vt, sinat fieri, non quod ab vna sola, sed quod ab vtraque simul potest fieri; vel certè, quod fieri potest

Aristot. 4. de Generat. animal. c. 3.

Ioan. Ludou. Gottfrid. in hist. Antipod. part. 1. pag. 14.

S. Augustin. l. 83. qq. q 24. S. Thom. 3. cont. gent. c. 9. & 1. p. q. 103. art. 7. & q. 22. art. 4. Boët. lib. 4. de consolat. pros. 6.

à caussa prævalente, vt, post D. Augustinum, D. Thomas perspicuè declarauit. Eleganti rem similitudine explicat Boëtius. Nam quemadmodum lineæ à centro ductæ omnes circumferentiæ ambitu continentur, neque vlla exorbitat, quacumque parte tendatur; (si enim in hoc peripheriæ punctum non incidit, in aliud necessariò incurrit) ita in hoc vniuerso, si quidpiam à præscripto sibi ordine particulari discedit, in alium ordinem redit vniuersalem. Itaque etsi non intendat monstrũ natura particularis, intendit tamen natura vniuersalis, intendit ipse Deus, qui caussam impeditam & impedientem, non sine sapienti consilio, sinit concurrere. *Quisquis vspiam nascitur homo, id est, animal rationale mortale,* inquit D. Augustinus,

S. Aug. lib. 16 ciuit. c. 8.

quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu colorem, siue motum, siue sonum, siue quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo protoplasto vno originem ducere nullus fidelium dubitauerit. Monstrum ergo si ipse fecit, bene fecit, quia *omnia bene fecit.* Summus quippe est artifex, qui etiam in ipsis naturæ erroribus non potest errare: &, quæ deformia sunt, nouit conuertere in pulchritudinem Vniuersi, sine iniuria cuiusque. *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus.*

Sap 6. 8.

III.

Atque hoc solum sufficit, ne monstrosè nati, vel lamentando, vel queritando, cum Iob, dicant: *Quare de vulua eduxisti me? qui vtinam consumtus essem, ne oculus me videret. Fuissem, quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum.* Nam quicumque nouit Deum esse suum Plasten, non potest eum erroris accusare, infinitè sapientem. Olim *plastæ laudatissimi fuêre Damophilus & Georgasus,* quorum opera nemo audebat carpere; & summi artificis opus aliquis Momus audebit reprehendere? *Figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad vsus nostros vnumquodq; vas, & de eodem luto fingit, quæ munda sunt in vsum vasa, & similiter, quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit vsus, judex est figulus.* Ad quem locum alludens ait Apostolus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet*

Iob. 10 18.

Plin. lib. 35. cap. 12.

Sapient. 15. 7.

Rom. 9. 20.

pote-

potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Assonat & Isaias, qui & malè contentis istis eiusmodi fulmen intorquet: *Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samijs terræ: numquid dicit lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum absque manibus est? Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis? Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes eius: Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem super eam creaui ego: manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandaui.* Qui ergo stellas in cælo lucentes, qui cælum ipsum & terram condidit, pro suo arbitratu; & lutum potest fingere hominemque adeò ipsum ad suam voluntatem. Sic optimè factus est, sicut eum Deus fecit. Isa. 45. 9.

Non bene vasa sub faciunt conuicia fabro.

IV.

Hæc cogitatio S. Gregorium Episcopum Turonensem & placatum tenuit; & apud S. Gregorium Magnum, vtilissimo exemplo defendit. De quo in vita eius, hæc Surius. *Sexdecim annos hic in Episcopatu exegerat, cùm æquiuocus eius ille Magnus Gregorius, in sede Apostolica subrogatur, siquidem opinata res est, quòd dudum alter alteri peculiari sit amicitia deuinctus. Nec immeritò tamen hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazianzeno, tamquam ille datus sit Orienti, Romensis Meridiei, ast hic noster occidenti. Cùm igitur sacra Apostolorum limina expetîsset, magna cum reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quem ad B. Petri confessionem introducens à latere constituit, præstolans, quò assurgeret. Interim autem (vt erat ingenio profundissimus) secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in huiusmodi hominem (erat enim statura breuis) tantam gratiam cælitus profluxisse. Quod ille mox diuinitus persentiens, & ab oratione surgens placidoq; , vt erat, vultu, ad Papam respiciens:* DOMINVS, *inquit*, FECIT NOS, ET NON IPSI NOS; IDEM IN PARVIS, QVI ET IN MAGNIS. *Cumq; id suæ cogitationi S. Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gauisus, gratiam, quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit; Turonicam ita nobilitauit, vt auream ei cathedram donaret, quæ, apud* Sur. 17. Nouembr. to. 6.

Plutarch. De instituend. liberis & in Agesilalo.

præfatam vrbem, in posterum seruaretur. Aliter sæculum iudicat. Nam, teste Plutarcho, Ephori regi Archidamo multam dixerunt, quòd pusillam statura vxorem ducere sustinuisset, addito elogio, *Quòd non reges ipsis, sed regulos dare deliberasset:* οὐ βασιλέας, ἀλλὰ βασιλίδια. Et certè natus ex eo coniugio Agesilaus pusillus fuit, & specie Græcis aspernanda. Qua de causa moriens interdixit, ne quis effigiem suam fingeret pingeretúe. Habet Mundus aliquam staturæ & maiestatis corporis rationem: sed qui Mundum contemnunt, & irrisores videre didicerunt, etiam in corporis breuitate diuinum quoddam beneficium agnoscunt.

V. Clypeus est hîc & gladius, quo & defendere nos possumus, & hostem offendere, nos ad impatientiam, ob eiuscemodi corporum defectus impellentem. Nam & qui credit, se esse opus Dei, sat magnam habet ab opifice nobilitatem, qualiscumque ipse sit; neque Momus ille, tam hominem, quàm opificem hominis reprehendit, qui alterum, *Masculum* aut *Musculum*, *formicam*, aut *Cryllum* appellat. Vsum hoc clypeo Cardinalem Robertum Bellarminum, refert Iacobus Fuligattus his verbis: *Si alij fortè corporis exprobrarent vitia, id pacatè admodum ferebat. Ex quo aliquando in Belgio cuiusdam proteruitas ei obiecit, quòd auriculis esset grandiusculis, eoq; ab irrisu minimè incitatus, nihil aliud, (vt olim S. Gregorius Turonensis) vsurpauit, quàm verba illa:* IPSE FECIT NOS, NON IPSI NOS. *Iterum cùm in scripto quodam legeret, haud se futurũ Pontificem, quia simplex nimium videretur, ad paginæ marginem ascripsit:* FELIX SIMPLICITAS, QVAE ME A TANTO ONERE LIBERAVIT. Magna itaque solatij caussa est quocumq; corporis vel animi defectu genitis, meminisse, opus se Dei esse, qui omnia, quæ fecit, vidit esse *bona*, & *omnia bene fecit.* Sicut enim figulum non accusat argilla, quæ amphora fieri cùm potuisset, vrceus exiuit; ita neque Deum pumilus debet culpare, quamuis Atlas esse potuisset; neque quidquam turbari, si ab alijs non tam ipse, quàm qui fecit ipsum, ridentur. Dicat Creatori suo: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.* Discam, quid velis,

Iac. Fuligatt. lib. 4. vitæ Bellarm. c. 4.

Gen. 1. 10. Marc. 7. 32.

Psalm. 118.

hac

hac formâ, quam mihi manus tuæ dederunt. Fortasse enim, vt animæ tantò maior esset pulchritudo, corpus meum deforme esse voluisti. Si non dedisti mihi, quod oculos aliorum delectet, dedisti, quod mihi & alijs prosit. *Cuius adiutor es*, ait Iob ad Deum, *numquid imbecillis? & sustentas brachium eius, qui non est fortis?* Iob. 26. 2.

VI.

In hanc sententiam, ait nonnemo, apud Euripidem,

Δύσμορφος εἴην μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.

Deformis sim potiùs, quam pulcher & malus.

Itemq; Νῦν χρὴ θεάσασθαι. οὐδέν τι δ' εὐμορφίας
ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλὰς ἔχῃ.

Animus spectandus est. Nihil pulchritudo
Iuuat, cùm quis mentem non bonam habet,

Et sanè quemadmodum in gemmis, aut alijs lapidibus sæpenumero, sub ignobili colore latet pulcherrima natura, sic in corpore inuenusto non rarò insignis animus tegitur. Rursumque vt in ipso adamante potentissimum est venenum, si conteratur, ita contingit, vt formosissimus homo, mente sit prorsus virulenta. Quid conchis asperius, quid verrucosum magis? intus tamen quàm frequenter lucidissimi reperiuntur vniones? Corpus animi domicilium est. Vt ergo sæpe vilem casam subierunt reges, sic, sæpe in exiguo, aut curuo corpore rectæ animæ habitauerunt. Ostendit id in Aesopo natura, cuius animus cùm excellens esset, vultus fuit barbarus. Ostendit in Galba oratore eloquentiâ claro, sed quem gibbus ingens premebat, non secus ac si burdonem ageret, aut asinum clitellarium. In eum igitur malignè lusit M. Lælius, cùm diceret, *ingenium Galbæ malè habitare.* Nimirum, vt Aristoteles sapienter pronunciauit: *Deformes naturâ nemo reprehendit: sed eos, qui ob otium vel negligentiam tales euaserunt.* Aristot. lib. 3. Ethic. c. 5.

VII.

Quòd si illos reprehendimus, quos natura deformes fecit, illum reprehendimus, qui dixit: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Ioan. 7. 24. Quid enim de Christo iudicassent illi, qui etsi alioqui esset *speciosus præ filijs hominum*, Psal. 44. 3. tamen eum inter Iudæorum manus dirissima patientem considerantes dixerunt: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores no-* Isa. 53. 4.

stros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum? Quid de Zachæo iudicandum fuisset, qui *statura pusillus erat?* Quid de Paulo, *cuius præsentia corporis infirma, & sermo contemtibilis erat?* Quem & statura improcerum, & capite caluastrum nonnulli descripserunt? Fuit sanè Africanus Scipio, fuit Iulianus Cæsar corpore celso; sed numquid illis cessit vel belli laude Alexander Macedo, vel imperij dignitate Augustus, qui ambo breues fuerunt? Pulchrius fuit Alexandrum gestis, quàm membris Magnum extitisse. Ad eumdem modum, teste Iosepho, Asinæus Iudæorum dux, statura parua, animo excelso fuit. Et tamen ita cæci sumus ad virtutis æstimationem, vt queramur, naturam nobiscum illiberaliter egisse, si non omnia nobis pulchra dedit, quę in alijs miramur? immò & alios contemnimus, quos Thersites esse videmus? *Deformis specie,* ait Eustachius, *nobis inauspicatus & infaustus occurrens, minimè bonus esse creditur: cùm plerique exteriorem formam corporis occulti animi signum esse iudicant.* Quantum hoc judicium erret, quamque Naturæ authori vehementer displiceat, Nicephorus hac historia docet.

2. Cor. 10. 10.

Ioseph. l. 18. Antiq c. vlt.

Eustach. lib 1 Ethic. c. 6.

Niceph. l. 11. Eccl. hist c. 33

VIII.

Ea tempestate, quòd Sauromatæ Romanam ditionem, eamq; Imperij partem, quæ ad Occidentem vergit, excursionibus vexarent, Valentinianus cum ingenti belli apparatu aduersus eos est profectus. Atque illi tantam Imperatoris expeditionem formidantes, legatis mißis pacem ab eo petierunt. Quos vbi deformes esse vidisset, an vniuersi tales essent Sauromatæ, interrogauit. Et quum illi dixissent, optimos quosq;, qui & genere, & forma præstarent, ab eis legatos solere mitti: ira atq; furore multo correptus grauia se pati dixit, & maximè infortunatum esse, quòd ad tempora sua peruenisset Romanorum imperium, si Sauromatæ, gens tam barbara & informis, in qua reliquos isti excellerent, sedibus suis contenti esse nollent: sed confidentia tanta impulsi, ditionem suam percurrerent, & bellum titillatione quadam illecti Romanis inferrent. Et quum ita indignaretur, & magnopere vociferaretur, nimia vocis intentione conuulsa in eo esse interiora viscera, venamq; & arteriam quamdam ruptam dicunt, vnde sanguine plurimo profuso, vita eum reliquerit, in castello quodam Germaniæ, cui Brigitio nomen fuit, decimo septi-

mo mensis

mo mensis Nouembris die, quum quinquaginta quinque propè annos natus esset, & tredecim annis imperium bene admodum & præclarè administrasset.

Mirabile est, Imperatorem, & Imperatorem, qui imperium tam diu *bene admodum, & præclarè administrauit*, tam repentino interitu perijsse; & perijsse, ob dictum, quod multi iocum duntaxat arbitrantur. Sed displicet iure summo architecto, si sua opera carpantur. Quis artifex pati potest, vt illius labores reprehendantur? Apelles diutiùs sub tabula latere non sustinuit, quando animaduertit, sutorem vltra crepidam velle esse carptorem. Cur ille immensæ sapientiæ artifex ferat, creaturas suas rapi ad censuram? Et tamen eiuscemodi Theones quotidie reperiuntur, qui non solùm belluas monstrosas clamant in mundo esse non oportere, quas meritò Deus ad eos terrendos, vel puniendos immittit; neque humana duntaxat monstra detestantur; sed ferè omnia in alijs naturæ vitia venenatis dentibus mordent, ac solatij loco, viceq; olei acetum aspergunt. Cur loripedem vocas, cui natura non dedit vel duos, vel rectos pedes? cur Vulcanum appellas, quem vides claudicantem? Quare oculis malè affectum Cæcilium nominas? aut visu carentem talpam? Nonnè *expedit* illi, *vt pereat vnum membrum* illius, *quàm* totum eius *corpus eat in gehennam?* Tunè illum truncum audes vocare, qui brachium amisit in prælio pro patria pugnans? & pro te ipso quoque, quem aiunt nec gladium quidem nudum posse intueri? Non fœdant militem vulnera, sed exornant. In acie stetisse puta, quem vides esse sauciatum. Sed mater, inquies, illum talem genuit, non bellum fecit? Tanto maior est iniuria, si non hominem sed naturam ipsam calumniaris: quæ si illi oculos dedisset, videret; curreret, si ab illa crura arcuata non accepisset. Potuisses & tu talis nasci. Non meruit à te conuicijs proscindi cõmunis illa mater, si erga te se exhibuit liberaliorem. Quod multò magis de Deo naturæ authore etiam dici potest, cui & ingratus es, & blasphemus. *Grauis enim, grauis, inquam, est murmurator*, ait S. Chrysostomus, *& vicinus blasphemia; alioqui suim gratia illi tantum supplicium dederunt? ingratitudo*

IX.

Matth. 5. 29.

S. Chrysost. hom. 8. in ep. ad Philip.

titudo est res ista. Qui murmurat, ingratus est Deo. Qui autem Deo ingratus est, blasphemus quoque. Quòd si is murmurare nõ debet, qui defectu ipse laborat; quanto plus peccabit is, qui defectum talem alteri exprobrat? O quàm pronæ sunt hominum linguæ ad maledicendum, quæ vbi maxima est materia laudandi Creatorem, ibi maximè eum contemnunt! Iuniores pueri, seniores bis pueri, illi imprudentes, isti deliri appellantur, quasi natura neque infantes, neque senes esse permittere debuisset? Quid dicam de cõuitijs nationum? non iam Sauromatas, non Scythas, non Tartaros de vultibus barbaris, de fronte verrucosa, de simis naribus vituperamus duntaxat, aut Mauros de nigra cute; sed vicinos quoque, cum quibus commercia tractamus, & fœderibus iunctos, quibus non nominibus & agnominibus contemnimus? alijs ranas, alijs vaccas, alijs asinos, alijs porcos, alijs capros, alijs cancros, alijs alia obijcimus. Quin & regionum vitia in culpam trahuntur; alij nimis esse graues, alij nimis leues; alij iracundi, alij libidinosi, alij stupidi, alij blæsi; alij voce pingui, alij exsucci; alij strumosi; alij ex Arcadia, alij ex Bæotia, alij ex Thessalia nati dicuntur, cùm nulli sua patria probro sit. *Ex omni terra par est ad cælum via.* Fortunæ est, in hoc vel illo loco nasci; naturæ nasci cum aliquo corporis vitio, quod quicumque alteri opprobrat, ostendit se mentis vitio laborare. Enimuerò nec stupiditas mentis cuiquam est obijcienda, quẽadmodum Scipio Æmilianus fecit, qui apud Numantiam iratus C. Metello dixit: *Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram.* Facetiæ sanè numquam sunt magis iniustæ, quàm quæ tangunt innocentes. Innocentes autem sunt, quibus sine sua culpa aliquid vel in corpore, vel in ingenio negauit natura. Quare nec Diogenes satis philosophicè caluo cuidam contumelijs eum afficienti respondit: *Tibi contumeliam non dico, sed capillos tuos laudo, quòd malam effugerint caluam.* Quis non ridiculam putaret talem irrisionem? Sed vide, quanti eam fecerit, Deus: cùm Elisæus in Bethel *ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomi-*

Eras. lib. 6. Apoph.

Maxim. serm. de vituper.

4. Reg. 2, 23.

in nomine Domini: egreßiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Quòd si caluitium vitio vertere adeò est graue, quantum malum erit, irridere alterius monstrositatem miseratione longè digniorem? à qua explodenda satis nos deberet terrere, quòd impium sit, Dei opus contemnere.

CAPVT L.

Vniuersum Monstris onari, in Pygmæis & Gigantibus ac enormiter fortibus ostenditur.

NE quis autem existimet, Deo caussas non esse, tales vel defectus, vel effectus naturæ Mundo inferendi, reperit D. Augustinus, & Dionysius Carthusianus quamdam in ipsa monstrorum deformitate, venustatem. Siquidem contraria se mutuò commendant, faciuntq; gratiora. Quemadmodũ ergo gratiam lucis extollit obscuritas noctis; & morbi ostendunt benificium sanitatis; vmbræq; & atri colores picturæ augent amænitatem; dum eminentiora quæque distinguunt, & differentiâ colorum, alternâ vice, se se excitante, opposita iuxta se posita clariùs elucescunt; ita & ea, quæ fœda sunt, dum res pulchras cõmendant, faciunt ad decorem atque elegantiam vniuersitatis. Qui scenicis spectaculis volunt delectare, non tantùm Gratias, sed etiam Furias, & cum aulicis rusticos in theatra inducunt. Et mulieres interpoles, vt facie candida esse videantur, nigrâ tæniâ collum inumbrant. Ad eumdem modum etiam Mundus iste visibilis nõ formosarum modò, sed etiam deformiter exorbitantium rerum, velut intermedijs, exornatur. Nam, præter varietatẽ, etiam habent ista deformia elegantium commendationem. Eò pulchriora sunt prata, quò pictiora, ipsa florum herbularumq; diuersitate gratiam conciliante. Quin & raritas quoque habet lepôrem; & animum admiratione percellit, quidquid est inusitatum. Vnde, sicut in picturis, ita in creaturis monstrorum parerga conciliant ornamentum. I.

S. Augustin. l. 16 de ciuit. c. 8. Dionys. Carth. lib. de venustate Mundi. c. 9.

Igitur esto, non censeatur in se pulcher Pygmæus, qui *pede* II.

pede non est altior vno; neque venustus putetur, qui Polyphemus, (quippe nemo cupit de gente Myrmidonum esse, aut de numero gigantum; notariq; se putant, qui, per iocum, vel *Longini*, vel *frustum hominis*, *aut Abbreuiati*, *Grilliúe* nuncupantur;) nihilominus tamen hæc ipsa vniuscuiusq; deformitas, hic excessus, aut defectus vsque adeò fecit ad ornatum vniuersi; vt in Principum aulis, pumili, instar simiorum, in oblectationem alantur; & *gigantem* circumducere, multis sit lucrosum. Vt enim satietas fastidium, sic raritas parit delectationem. *In Ægypto*, inquit Nicephorus, *natus est homo infrà incredibilē staturæ breuitatem consistens, sub Theodosio: ac talem quoque, nostra ætate, vidi ipse, pro monstro habitum, quem breuis admodum staturæ mulier in lucem edidit. Ægyptius tam breuis fuit, vt perdici similis esset. Neque ingratum spectaculum erat, si cum illo globus hominum conuersaretur, & ad contentionem excitatus colluderet. Porrò, quod mirabile dictu est, prudentia ei inerat, qualis homini formoso competit; quippe cui corporis exilitas ea de re nihil ademisset. Vox à Musis non abhorrebat: sermo mentis generositatem spectandam exhibebat. Non vixit ad annos viginti quinq;.* Ita tunc Deus, vel de homuncione homines rapuit in admirationem. Quod & nostra ætate præsignis ingenij & artis calchographus Callot, in monstrosissimè gibbosorum masculorū imaginibus fecit: quos incredibili lepore, cum sesquipedali naso, cum promontorio ventris, & curuitate pedum, in cœnaculis, in atrijs, in porticibus, in hortis magnates depingi iubent; & aspiciunt aduenæ cum voluptate. Potest ergò etiā in deformitate, ac in rebus minimis ars ornatusq; maximus existere. Sicut autem ad sapientem architectum pertinet, non tantùm firmam, sed etiam pulchram domum extruere; ita spectat ad vniuersi conditorem, Mundum, quem potentia sua produxit, sapientia variatum condecorare. Hæc supellex est tantæ domus: immò isti sunt minorum gentium inquilini; qui plerumq; quò sunt corpore depressiores, eò mascula bile se se magis, supra ceteros mortales, extollunt. Siquidem paruum vas citò ebullit. Ceterùm quæ pusillorum hominum sint cōmoda, Gueuarra lepidè recensuit, mihi propositum est, Dei

Nicephor. lib. 12. c. 37.

opera

opera defendere; non dare istis occasionem superbiendi; aut iocando ludere.

III. Laurent. Sur. Comment. rer. in orbe gestar. Anno 1541.

Barbarè eiuscemodi hominum aliquem, ad oblectationem suam, adhibuit, Pesto in Hungaria recepto, Solimannus, qui *maximis vsus itineribus in Pannoniam peruenit, adductosq; ad se Christianos captiuos circiter octingentos, paucis demtis, crudeliter trucidari iussit. Erat in ijs proceræ staturæ Noricus miles, hunc in Germanorum contemptum iussit pumilioni, vix militis eius genua capite attingenti, necandum tradi. Erat hoc fœdissimum spectaculum, virum fortissimum, imbecilla nani manu, per risum & iocum, crebris ictibus humi prosterni, & ægrè tandem, præ virium imbecillitate, iugulari. Huiusmodi spectaculo immanissimi Turcarum Principes sese suauiter oblectabant.* Et hic quidem Solimannus id sibi iucundum esse ostendebat, vt magnum parui faceret, paruum magni æstimaret.

IV. Cardan. de subtilit. lib. de Hom. necess. & forma. Idem Card. lib. 8. de variet. rer. c. 43.

Alij humanioribus modis oblectationem è pusillis his ceperunt. Cardanus refert, pumilionem, virum perfecta ætate, cubiti longitudine in psittaci cauea, in Italia fuisse ostentatum. Curiosè spectatam puellam, nouem annorum, & à se quoque spectatam scribit Albertus, quæ magnitudine vnius anni videretur. M. Antonius quoque ad pompæ ornatum Sisyphum pumilionem, intra bipedalem staturam, ingenio viuacem fertur habuisse. Augustus autem adolescentulum honestè natum bipedali minorem, Lucium nomine, scribitur spectaculis exhibuisse. Canopas certè in delicijs fuit Iuliæ neptis Augusti, duos pedes & palmum longus. Cuiusmodi etiam fuisse aiunt Andromedam Iuliæ Augustæ libertam. Quin hi tam parui adeò sæpe magni æstimati sunt, vt etiam mortui in ipsis sandapilis spectarentur. Siquidem Manius Maximus & M. Tullius equites Romani, qui binûm cubitorum fuêre, Varrone teste, defuncti adibantur, eosque se in loculis asseruatos vidisse testatur Plinius. Et, vt idem memorat, fuerunt semipede maiores sub Augusto Pusio & Secundilla, quorum corpora miraculi gratiâ asseruata sunt in conditorio Sallustianorum hortorum. Cur hæc non mirarentur homines, cùm Deus sæpe mirabilior sit in paruis, quàm magnis? tot enim

Plin. l. 7. c. 16

Ibidem.

motuum, & sensuum, & cogitationum organa in exiguum includere corpus, est maioris operæ, si res ipsa spectetur, quàm in grandem quamdam capacitatem. Quod videre est etiam in rebus artefactis: vt si quis Iliadem totam in nucem condat, vel sub muscæ ala quadrigam. Deniq; vel Ethnicus docuit, *nihil tam paruum esse, quod non gloriam parere possit.*

Plin. lib. 15. nat. hist. c. 14.

V. Quin sæpe etiam ipsa vel paruitas, vel deformitas parit vtilitatem. Asinius Gallus, Drusi frater vterinus, vt de eo ex Dione accepimus, etsi Claudio Augusto insidiatus esset, non tamē extremo supplicio, sed exilio tantùm multatus est; ideò, quia nec ad suum facinus exercitum parauerat, neque pecuniam contraxerat: item quòd statura minima ac summa deformitate velut monstrosus despiceretur, ridiculusque magis quàm metuendus esse videretur. Rideantur sanè monstra, dummodo rideantur ad incolumitatem. Huic Asinio contemtus profuit, perijsset, nisi fuisset monstrosus. Alijs quid obfuit staturæ breuitas? quam tollere non fuit in illorū potestate. *Quis vestrûm*, ait Seruator, *cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* At ipsa breuitas nonnullis nomen fecit. Refert enim Michaël Ritius, Pipinum, qui Childerico rege fugato, ex Austrasia migrans prætorij præfectus creatus est, tam breuem corpore fuisse, vt *pusilli* cognomen illi inditum sit. Quòd si verò exiguitas staturæ alijs non nomen, tamen gratiam dedit, vt Menestrati apud Lucillium in Græcis Epigrammatis; & Faustulo apud Ausonium, qui ita in eum lusit:

Dion. lib. 60.

Matth. 6, 27.

Michael Ritius lib. 1. de Francor. regib.

Faustulus insidens formicæ, vt magno elephanto
Decidit, & terræ terga supina dedit.
Moxq; idem ad mortem est multatus calcibus eius,
Perditus vt posset vix retinere animam,
Vix tamen est fatus: Quid rides improbe liuor,
Quòd cecidi? cecidit non aliter Phaëthon.

VI. Quàm multi nihil haberent, quod inter confabulandum loquerentur, nisi in masculos dicta dicerent? nisi eorum vtilitates dipulo differrent, & nescio quas non instituerent comparationes? Nimirum existimant, eos qui parua nôrunt tangere, optimos esse iaculatores. Aliter judicauit Christus, qui,

postquam interrogauerunt discipuli: *Quis, putas, maior est in regno cœlorum? aduocans paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Scilicet quæ oculis apparent magna, miratur mundus. Deus autem intuetur cor. *Non enim*, ait, *cogitationes meæ cogitationes vestræ: neq́ viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Hinc, *quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Manifestè hoc mundo est demonstratum, in pugna & victoria Dauidis, contra vastum illum & gloriosum militem, gigantea superbia incedentem. Quanta hinc, ô Superi, moles stetit corporis! cuius longitudinem aiunt sex cubitorum cum palmo fuisse. Cubitus autem, si rationem Græcorum sequamur, duos pedes habuit, sin Latinorum, sesquipedem. Hæc se carnea moles lorica texit quinque millium siclorum ponderis: lanceam autem instar iugi textorij, & in hasta ferrum seu cuspidem sexcentorũ siclorum habuit. Quàm Martius fuit iste gigas? quàm ferreus homo! quàm clamosus & iactabundus Polyphemus? quàm minax terror? quàm veteranus bellator? quantis viribus hastam intorquebat? quantis passibus terram tremefecit? quàm metuendis vocibus territauit astra? At inde obuiam venit huic Herculi inermis ouium pastorculus, inidoneus armis gestandis, solo baculo, lapidibus, & funda armatus. Hunc rufum adolescentem contemsit Philisthæus. Sed mox sensit, vter fortior esset; humi deiectus, capite amputato, & in triumphum portato. Ita nimirum in maius superbi illius gigantis dedecus cedebat, imbelli adolescentis manu cecidisse.

Matth 18. 2.

Isa. 55 8.

1. Cor. 1. 27.

1. Reg. 17.

cidisse. Ita res diuinis potiùs, quàm humanis viribus ascribebatur. Quid non dictum, quid non cantatum, quid non factum, qui non erecti arcus triumphales, qui non applausus, quæ non acclamationes excitatæ fuissent, si Saul rex sua ipse manu hunc giganté prostrauisset? Nunc autem palàm agnitum est, *in nomine Domini* cæsum exprobratorem, fugatos hostes, victoriam obtentam fuisse. Et maior est gloria, per paruum posse patrare magna. Hoc pacto, etiam posterioribus sæculis, Edgarus Britannorum rex statura pusillus, Rinardum Scotorum regem staturæ paruitatem sibi exprobrantem ad singulare certamen prouocans, ei ostendit, virtute se, non sorte electum regnare. Et Iouius in vita Baiazetis I. refert, à Galeacio Gonzaga, statura admodum pusillo, itidem singulari certamine, superatum esse Caroli VI. regis mareschalcum Bucicaldum Gallum, hominem gigantéæ magnitudinis; qui eapropter voto se obstrinxit, arma se ampliùs non induturum.

Fulgos. lib. 3. cap. 7.

VII. Tam magnus cùm sit in paruis Deus, laudandus est etiam ab illis terræ Indiæ partibus, in quibus *Spithamai Pygmæi narrantur, ternas Spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, salubri cælo, semperq; vernante, montibus ab Aquilone oppositis: quos à gruibus infestari Homerus quoq; prodidit. Fama est, insidentes arietum caprarumq; dorsis armatos sagittis, veris tempore, vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullosq; earum alitum consumere: ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti. Casas eorum luto pennisq;, & ouorum putaminibus construi.* Scholiastes in tertium Iliados scribit eos in extrema parte Ægypti, Aristoteles in Æthiopiæ regione Troglodytica habitare, subireque cauernas, & ob eam caussam Troglodytas vocari, fabulamque esse negat, quod vulgò de statura eorum deque pugna cum gruibus fertur. Homerus & Strabo Æthiopiæ illis partem tribuunt, Mela Arabiam. Quod quidam tradunt, eorum mulieres quinto anno parere, senescere octauo, vel, teste Alberto Magno, *triennio gignere, octennes mori,* vt adeò breuitas vitæ breuitati staturæ respondeat, fabulam olet, cùm nos quinquaginta & sexaginta annorum pumilos spithamæos viderimus, qui etsi non probant esse

Plin. l. 7. c. 2. nat. hist.

Aristot. lib. 8 de hist. animal c. 12. Vide Lud. Viuem in lib 16. S. Aug de ciuit c. 8. Mela. l. 3 c. 4.

Albert. Mag. lib. 7. animal. tract. 1. c. 6.

certam similium masculorum & femellarum nationem; saltem euincunt, talem esse posse. Quæ si est, à Deo est ad Mundi ornatum varietatemque facta. Siquidem *vnus est Creator omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis*, qui sapientiam suam *effudit super omnia opera sua, & super omnem carnem, secundùm datum suum*. Igitur, quicumque vis sapere, *Iustifica pusillum & magnum similiter*. Magna sunt cæli decora sol & luna, sed minùs ornata esset illa domus beatorum, si non etiam minoribus ignibus vndique exsplendesceret.

Eccli. 1. 8.

Eccli. 5. 18.

VIII.

Hic ornatus enormi etiam proceritate perficitur: adeò vt à satrapis multis, itidem inter exquisita, gigantes ingenti prodigalitate alantur. Omitto ceteros, infrà inserendos, hîc sufficiet *Maximilianus Cæsar*, qui, An. 1511. vt loquitur Surius, *comitia indixit, apud Augustam, vbi illi oblatus est vir quidam prodigiosæ vastitatis & craßitudinis, atq; incredibilis ingluuiei: ita vt integrum vitulum crudum, vel ouem incoctam vna deuoraret; & tamen necdum famem expletam diceret. Ferunt hominem Borealibus regionibus ortum fuisse, vbi, ob locorum frigora, solent homines esse edaciores.* Similem refert Zonaras mulierem Thracem, sub Iustino extitisse. Ad elegantiam aulæ, & curiositatem conuenarum hi gigantes erant; vti & ille, (si fabulosus non est) qui à Solino dicitur repertus *cubitorum trium atque triginta*: & illi *Indiæ populi*, qui *adeò proceri sunt, vt Elephantos velut equos facillima insultatione transiliant*. Vt autem ea prætercam, quæ Thomas Fazelli αὐτόπτης scribit, de gigantibus eorumq; origine, quàm multa stupendæ magnitudinis ossa in Sicilia reperta sint; neque ea huc reponam, quæ ex Philostrato alijsq; solent recenseri de gigantis cuiusdam cadauere, quod duodecim, & alterius quod viginti duorum, & tertij quod triginta cubitorum fuisse fertur, enormitatis itidem propemodum fidem superantis: certè D. Augustinus testatur, se vidisse, in littore Vticensi molarem gigantis dentem, adeò magnum, vt dissectus ad formam & magnitudinem vsitatorum nostra ætate dentium centuplo maior potuerit iudicari. Quare vtique & gigas ille, cuius dens tantus est repertus, centuplo maior fuit quàm homines, nostra ætate, vsitati. Si

Surius in Comment. Anno 1511.

Zonaras in Iustino.

Solin. c. 4. & cap. 25 De maiore puella vide Vinc. lib. 31. c. 125.

Thom. Faz. dec. 1. lib. 1. c. 6. & dec 2. lib. 1. cap de rebus Siculis.

S. Augustin. lib. 15. de ciuit. c. 9.

A. Gell. lib. 1. Noct. cap 1.

ti. Si enim Pythagoras, *comprehensa mensura Herculani pedis, quanta longinquitas corporis ei mensuræ conueniret, secundùm naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est: atque ita id colligit, quod erat consequens; tantò fuisse Herculem corpore excelsiorem, quàm alios, quantò Olympium stadium cæteris pari numero factis anteiret:* cur non, eadem proportionis ratione habita, ita in modulanda status longitudinisque gigantéæ præstantia fas esset rationari? Plinius profectò ait,

Plin. l 7. nat. hist. c. 16.

in Creta, dum terræ motu quidam mons disrumperetur, cadauer quadraginta sex cubitorum stans fuisse repertum, quod alij Orionis, alij Otij fuisse crediderunt. Orestis etiam corpus, oraculi iussu refossum, cubitorum septem fuisse historici tradunt. *Iam verò ante annos propè mille*, ait idem Plinius, *vates ille Homerus non cessauit minora corpora mortalium, quàm prisca conqueri. Nauij Pollionis amplitudinem annales non tradunt. Sed quia populi concursu penè interemtus esset, prodigij vice habitum.* Tantæ fuit, videre prodigiosè procerum, voluptatis.

IX. Alij præter hos gigantes, sunt etiam ad vtilitatem. Talem, vt paulò priùs indicauimus, Goliath Israëlitis Philisthæi

1. Reg. 17. 4.

opposuerunt, qui *stans clamabat aduersum Phalangas Israel, & dicebat eis: Numquid ego non sum Philisthæus?* Perterruit hæc vox, & ista viri armis, velut ferreo quodam monte, tecti vastitas, tota castra, quæ putabant se Stentorem audire, aut Polyphemum, immò Enceladum aliquem intueri. *Audiens enim Saul & omnes Iraelitæ sermones Philisthæi huiuscemodi, stupebant & metuebant nimis.* Ita metuendus erat olim Pallas Euandri filius, cuius cadauer ingentis magnitudinis, magnum habens vulnus in pectore, Romæ, tempore Henrici III. Imp. An. 1057. repertum est. Ita se se etiam metuendas exhibent vmbræ defunctorum: quæ quia longæ, vt plurimùm solent hominibus comparere, Hebræis occasionem dederunt, vt illis, velut prouerbij loco, idem esset, *apud Gigantes*, quod est, *apud mortuos*. Hinc Prou. 21. 16. legimus: *Vir, qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur:* Vbi *cœtus gigantum*, est cœtus mortuorũ, sicut & Prou. 2. 18. vbi habet vulgatus textus: *Ad inferos semitæ ipsius:* alij ex Hebræo vertunt:

tunt : *Ad gigantes.* Aiunt enim ex Glossario Philonis, dictionem *Raphaim* gigantes sonare. Terribile ergò quiddam est gigas, si vel proceritas aspiciatur; ne dum si vires exerat. In litteris Indicis, quibus Sinarum res complexus est, memorat Melchior Nugnez Societatis nostræ Sacerdos; in Paquin, vrbe regia, portarum custodes quindecim pedes esse altos, giganteæ vtique proceritatis. Enimuerò testatur idem author, alijs litteris, An. 1555. regem Sinarum quingentos eiuscemodi gigantes alere corporis sui custodes. Quapropter vsque adeò non sine caussa creati sunt enormiter magni homines, vt non modò ex raritate pariant intuentibus delectationem, sed etiam grande, apud grandes, emolumentum largiantur. Quale & ab illo promanauit, qui à S. Maclouio ad vitam reuocatus, & baptismo tinctus mira de alterius vitæ statu aperuit. Sed hoc emolumentum naturam superauit, & alteri vitæ profuit.

X.

Alij gigantes viribus corporis vtiles pariter atque mirabiles extiterunt, in quorum numerum meritò veniunt illi, qui, si non sunt veri gigantes, fortitudinis tamen sunt giganteæ. Galetium, siue Galeotum (Cl. Marius Aretius Galeoctum nominat) Bardasinum Catanensem Patritium memorat Thomas Fazellus, singularibus naturæ incrementis euectũ, admirabili corporis magnitudine eò proceritatis excreuisse, vt communem hominum staturam, verticesq; omnium non iam vt Saul, sed, vt Atlas quidam cælum sustentaturus, humeris superaret. Huius robustis lacertis ac teretibus membris, vniuersæq; corporis magnitudini par virium robur habitusque adeò respondebant, vt tota eius compago, exactissimo naturæ ingenio exculta elaborataque esse videretur. In vno hoc homine, multa erant spectacula. Nam, præter excelsi corporis eminentiam, etiam alia eminebant. Nemo erat illo hastæ lapidumque iactibus prior; nemo lanceâ fortior; nemo saltu expeditior. Equo ac pede bellator acerrimus. Neque illi situs, quò minùs fortitudinis suæ experimenta ederet, officere potuit. Armatura enim ponderosa oneratus galeatusque humi stans, sinistra ephippium, dextera hastam militarem tenens strenuo saltu in equum insiliebat. Vultis aliquid amplius?

Cl. Marius Aretius in Siciliæ Chorographia.
Tho. Fazell. lib. 3. cap. 1. de reb. Sicul. decad. prior.

Asinum præterea magna lignorum congerie, siue quacumque aliâ sarcinâ grauem, manibus è terra in altum extollebat. Duos insuper è robustissimis simul aggrediebatur, dumque alterum attrectaret, alterum genibus compressum vrgebat, neque antè desistebat, quàm priùs hunc, deinde illum pedibus subijciendo amborum manus post terga vinciret. Hæc ab hoc accipiebatur oculorum voluptas, ad quam accessit etiam vtilitas. Cùm Plumbinum Florentinorum, eo tempore, oppidum ab Alfonso Aragoniæ & Siciliæ rege obsideretur, à tribus hostium equitibus petitus erat Galetius, ille, vt ostenderet, membrorum robori animi quoq; decus adesse, vnum ex eis gladij capulo seminecem equo excussit; alterum citato equo medium amplexus, ephippio extractum humi prostrauit; tertium vel cubito percussum in fugam conuertit. Idem singulari certamine quater duellans, bis in Italia, bis in Gallia Transalpina, toties victor euasit. Addit Aretius, eum *ad gigantis staturam accessisse, humaniq; corporis nostræ ætatis vires excessisse*; & tanti fuisse roboris, vt equum, sine fræno, incitatissimè currentem, transuersam trabem amplexus, coxis cruribusque ventrem eius constringens sisteret. Quod etiam de Carolo Gonzaga inter nostri temporis heroas legimus. Talis erat & Ænotherus gigas ex Durgia Sueuiæ pago oriundus, qui, vt scribit Auentinus, sub Carolo Magno militauit. Is manu tam strenuus erat, & robore tam firmus, vt hostes in modum fœni demetere, & in morem auicularum hastâ velut cuspide fixos suspendere soleret. Quanta vis est in talibus, tanta calamitas est, si dici possit: *Cessauerunt fortes in Israël.* Phryges, non Phrygiæ, in bello, exiguntur, & qui tela, non telas tractare didicerunt. Saul in regem eligendus, *ab humero & sursum eminebat* super omnem populum. Sub imperio magni Can regnum est, in quo moris est, eum eligere in regem, cui sunt prolixissimi vngues, vt scribit Monteuillanus. Putant enim magnos vngues indolis aquilinæ, & fortitudinis esse argumentum.

Auentin. l. 4. Iudic. 5. 7. 1. Reg. 9. 2. Monteuill. pag. 250.

XI. Accedit ad hanc vtilitatem, quòd è grandibus his diuina quoque gloria grandescat. Famæ caussa, *moles excogitatas videmus statuarum, quas colossos vocant, turribus pares.* Præcpuæ autem

Plin. lib. 34. hist. nat. c. 7.

autem magnitudinis & laudis fuerunt, apud Rhodios, apud quos maximè celebratus est is, qui Soli sacer est habitus. Vt ab imaginis suæ enormitate maiestatem sibi faceret, ipse Nero colosseum se pingi iussit. In Ægypto structuræ ex quadratis lapidibus admirandæ, & vltra omnem excelsitatem, quæ manu fieri posset, fastigiatæ fuerunt, pyramides dictæ, sub quibus reges sepeliri voluerunt, vt magnos ibi sitos esse, tumulorum ostenderet magnitudo. Et palatia alta quid aliud loquuntur, quàm à magnis ea dominis fuisse ædificata? Est autem & homo quoddam *ædificium*, vt Hebræi loquuntur. Laudabilis est igitur in magnis corporibus hominum Plasmator, & quidem magis, quàm in pueris colostratis, aut viris euiratis. Vt enim in cælo maior quædam dignitas apparet, quàm in terra, quæ est instar puncti cælo comparata; ita quoque viri grandes atq; fortes aliquid dignitate plenius præ se ferunt, quàm pumili, qui tantùm frustum esse, aut punctum hominis videntur. Etsi enim etiam in paruis magnus fit Deus, vt diximus, & Zachæus *statura pusillus* animo fuerit excelso, tamen oculi mortales rebus magnis magis implentur, quibus aspectis, pronissimum est dicere: *Magna opera Domini*. Rarò audiuntur homines staturæ procerioris optare, vt sint breuiores; breuiores autem id sæpissimè optant, vt sint longiores. Sed quia nemo nostrûm *cogitando potest adijcere ad staturã suam cubitum vnum*, calceus subere altissimo subsutus debet implere, quod pedi deest; vt quem natura breuem fecit, sutor faciat longiorem.

Idem l. 36. 5. — Luc. 19. 3. — Psal. 110. 2. — Luc. 12. 25.

XII.

Quoniam igitur *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*, etiam magna quædam vel corpora, vel robora voluit esse in Mundo. Idcirco, ante diluuium *gigantes erant super terram*, & post cataclismum laudati sunt *Emim, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur. Og* quoque *rex Basan de stirpe gigantum* dicitur fuisse, vti & *Saph*, & aliorum gigantum sæpe fit, in diuinis litteris mentio. Sed mihi ante omnes memorandus est Samson, si non statura, saltem viribus gigas, qui, vt D. Augustinus ait, *Hebræorum judex, cùm mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules*. Et, teste Philastrio, *Pagani fortes viros ex Samsonis*

Psal. 144. 3. — Gen. 6. 4. — Deuter. 2. 10. — 2. Reg. 21. 18. — S. Augustin. l. 18. ciu. c. 19. — Philastr. lib. de Hæres. c. 8.

Samsonis figura vsurpantes, Hercules nuncuparunt. Ac sanè multa inter Samsonem atq; Herculem conueniebant, tempus, locus, vires, labores & ærumnæ. Eodem vtrumq; sæculo vixisse innuit Eusebius, cuius hæc sunt: *Mihi videtur Hercules & Samson non multùm inter se distare tempore: siquidem ambo circa Troiæ captiuitatem fuerunt.* Et D. Augustinus: *His temporibus Hercules in Tyria, aliàs Syria, clarus habebatur.* Eodem ferè vtrumque loco celebrem fuisse Cicero docet & Herodotus, apud quos Hercules à Tyrijs & Palæsthinis colebatur; Tyrijs autem & Philisthinis Iudæa, in qua Samson floruit, contermina erat. Competunt & vires, & labores, & ærumnæ, & ipsæ picturæ. Hercules fertur in prima jam ætate, adeò fuisse robustus, vt vel in cunis duos angues, arctato gutture, eliserit. De Samsone scribitur: *Creuit puer, & benedixit ei Dominus, cœpitq́; Spiritus Domini esse cum eo.* Quia heroica animi & corporis fortitudine eum donauit. Hercules fingitur adamantinas inferorum portas effregisse, vt inde Cerberum catenis vinctũ in auras extraheret: Samson ab hostibus obsessus *apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositasq́; humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Hercules etsi apud Omphalem seruijt, & effeminatus est, robur tamen corporis non perdidit, sed Cacum, & Nessum, aliaq; monstra etiam effeminatus interfecit. Samson, etsi Gazæ meretricatus mortaliter peccauit, tamen retinuit suam fortitudinem supernaturalem, qua impositas humeris vrbis portas in montem tulit. Siquidem fortitudo hæc erat gratia gratis data, non gratũ faciens. Quare vnà cum peccato mortali poterat consistere. Sita enim erat in eius Nazaræatu, id est, in coma intonsa ac abstinentia à vino & sicera. Cùm ergo fornicatio non sustulerit eius Nazaræatum, neq; fortitudinem eius tolli necesse fuit. Hercules non gladio, non hasta, sed claua armatus, Samson itidem neque ense, neq; lancea, sed asini maxilla, qua tamquam claua mille Philisthæos mactauit, instructus pingitur. Vterque leonis domitor, leonis exuuias meritus est; ille tamen victori suo pellem, iste dapem dedit. Tametsi autem Hercules Nemeæum illum, & Mænalium alterum terribiles ambos, Samson tantùm

Euseb. Præfat. in Chron.

S. August. l. 18 de ciuit. c. 12.

Cic. lib. 3. de Nat. Deor.

Herodot. l. 1.

Iudic. 13. 24.

catulum leonis dicatur occidisse; nihil id adimit eius viribus, quia catuli leonum ob maiorem famem, & iuuenilem animositatem sunt grandibus sæuiores. *Leoni præcipua generositas, tunc, cùm colla armosq; vestiunt iubæ,* ait Plinius. Herculem nouerca Iuno, Samsonem dolosa Dalila, illa odio, hæc ficto amore agitauit. Hercules Centaurum, Hydram, ceruam æripedem, Harpyias, seu Stymphalides aues, aliaq; monstra superauit; Samson Ascalonitarum, Gazæorum, Philisthinorumq; aliorũ impetum fregit. Hercules in monte Oeta mortem vltrò suscepit; suscepit & Samson. Ac, ne Abyle & Calpe Herculis quoque columnæ in Occidente positæ deessent, Samson *apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramq; earum dextera, & alteram læua tenens ait: Moriatur anima mea cum Philisthijm, concussisq; fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & ceteram multitudinem, quæ ibi erat: multoq; plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.* Qua in re fortior fuit Hercule, qui se ipsum occidens peccauit, non peccauit autem Samson, quia, vt S. Augustinus respondet, occidit se Dei instinctu: *Spiritus,* inquit, *latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat, adeoq; hic preces eius exaudiuit, & pristinã fortitudinem ad id faciendũ restituit.* Cùm ergo Deus vires illi ad hanc ruinam faciendam supernaturaliter suppeditârit, credibile est, Samsonem, tamquam publicum populi sui iudicem vindicemque, priuatam excæcationis suæ vltionem, etiam ad Dei honorem, & Reipublicæ bonum retulisse. Non ergo peccauit tunc Samson, quia columnas domûs suæ concussit, vt eius ruina insignem suis Deiq; hostibus cladem inferret, laudesq; Idolo Dagon à Philisthæis, ob se captum attributas adimeret, Deoq; vero restitueret. Non itaque propriè & Physicè se occidit, vt Aiax, qui in gladium incubuit, aut sicut Hercules, qui in rogum sponte se coniecit, sed permisit se duntaxat communi cum hostibus ruina opprimi, sicut postea Eleazar, qui regium elephantem subiens occidit, eiusq; ruentis mole obrui se permisit, vt populum liberaret. Quamobrem neq; morali etiam imputatione seipsum occidit, quippe directè destinauit occidere omnes principes Philisthinorum, vnaq; magnam populi hostilis

Plin. l. 8 c. 16.

Iudic. 16. 28.

S. August. l. 1. de ciuit. c. 21.

1. Machab. 6. 46.

Ita Franc. Victoria Relect. 10. de Homi-

hostilis partem (tria enim millia, oppressa sunt) se verò ipsum indirectè & permissiuè duntaxat voluit eâdem clade inuolui, quam euadere non potuit. Quod facinus, sicut heroicæ fortitudinis fuit, ita & magna pro præteritis culpis erat pœna & satisfactio. *Non eligitur*, inquit Caietanus, *in huiusmodi casibus mors propria in se ipsa, sed per se eligitur mors hostium, & concomitans propria mors toleranda admittitur, propter bonum vltionis. Sic princeps exercitûs prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit.* Neque milites se se morti in acie exponentes dicuntur se ipsos, sed hostem velle occidere. Sine vllo igitur conscientiæ scrupulo in campum prodire possunt præliaturi; immò cum magna fortitudinis gloria pedem conferunt. Qua de caussa D. Ambrosius de Samsone ita loquitur. *Etsi incomparabilis in hac vita fuerit, tamen in morte se ipsum vicit, & insuperabilẽ gessit animum, vt contemneret, & quasi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit, quòd victoriarum numero diem clausit, nec captiuum exitum, sed triumphalem inuenit. Denique non telis, sed cadaueribus hostium pressus humatus est, proprio tectus triumpho.* Si ergò virtus militis, gloria est ducis; si solis claritas est claritas conditoris, rectissimè Deus & in Hercule, si quis vmquam fuit, laudatur, & in Samsone. Nam & nomen vtriusq; in hoc consentit. Quemadmodum enim apud profanos scriptores Hercules symbolũ solis extitit; ita vicissim apud sacræ linguæ authores *Samson* idem est, quod *sol lætitiæ*, vel quod *paruus sol*. *Reuera Herculem solem esse*, ait Macrobius, *vel ex nomine claret. Hercules enim quid aliud est, nisi heras, id est, aëris cleos? Quæ porrò alia aëris gloria est, nisi solis illuminatio; cuius recessu profunditate occulitur tenebrarum? Præterea sacrorum administrationes apud Ægyptios multiplici actu multiplicem Dei asserunt potestatem, significantes, Herculem hunc esse.* Hinc illis duodecim labores Herculis, sunt duodecim Zodaici signa, per quæ sol quotannis currit tamquam fortissimmus Hercules, immò tamquam quidam gigas. Vnde Dauid, vbi ostendit à cælis gloriam Dei enarrari, solem, atque inde Numinis claritatem se se hominibus patefacientem ita describit: *In sole posuit tabernaculum suũ: & ipse*

Cid. Dom. Soto lib. 2. de Iust. q. 9. art. 7. Leon. Less. l. 2. de Iustit. cap. 9. dub. 6. num. 33.

S. Ambros. ep. 70.

Macrob. lib. 1. Saturn. c. 20.

Psal. 18. 6.

& ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit vt gigas ad currendum viam, à summo cælo egressio eius: Et occursus eius vsq; ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Samsoni nascenti mater diuina inspiratione edocta nomē imposuit, D. Chrysostomo teste; significat enim *Samson*, solem vt dixi, *lætitiæ*, vel *gaudij*, itemq; *paruum solem*; quem Deus oriri fecit Israelitis, per Philisthinos oppressis, & in tenebris tristitiæ sedentibus, vt eos noua luce libertatis & felicitatis perfunderet. Meritò ergo hunc Samsonem Paulus etiam inter veteris testamenti heroas collocans, à fide, & fortitudine laudauit. Quem secutus S. Ambrosius ait: *Cùm diuturna iniuria longæ subiectionis ita essent depressa Hebræorū pectora, vt nullus virili ingenio ad libertatē animos tollere auderet, ortus est illis Samson diuino oraculo prædestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantissimus, & quod sine vlla controuersia sit, viribus corporis omnium primus; eoq; ingenti admiratione nobis spectandus à principio; non illa quæ temperantiæ & sobrietatis iam inde à pueritia vini abstemius præclara insignia dedit; nec illa, quæ intonso capite Nazaræus sacra diu seruauit custodia; sed ab adolescentia, quæ in alijs ætas mollior, in hoc egregia atque supra humanum modum perfecta virtutis stupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem, quòd non perfunctoriè tanta eum anteisset gratia, vt descenderet Angelus per quem ortus eius præter spem parentibus annunciaretur, futuri regimen & præsidium suis. Nam grauibus iam diu Palæsthinorū imperijs afflictabantur.* Adeò non solùm magnæ virtutis, sed etiā magnæ fuit vtilitatis Samson, qui solus in medio campo pluribus centurijs præstabat: quamquam is vtiq; miraculum potiùs, quàm monstrum fuit; &, si in gestis tam mirabilibus non erat monstrosus, erat tamē prodigiosus. Appositè igitur, hoc loco, est commemoratus, tametsi eius fortitudo non in gigantea corporis mole, sed in capillis sita erat. Nec enim hîc confugere volo ad fabulas Hebræorum, apud quos Rabbi Simeon Hacchasid audet dicere, Samsonem non solùm fuisse gigantem, sed etiam gigantem tam enormem, vt illi numquam parem viderit Mundus. Scribit enim humeros eius tam fuisse latos, vt vnus ab altero *sexaginta*

S. Chrysost. hom. 8 in Ioan.

Hebr. 11. 32.

S. Ambros. ep. 24. ad Vigilium.

R. Simeon. Hacchasid in Suta, cap. 1.

ginta

ginta cubitis distaret. Quod mendacium sexaginta cubitis distat à veritate.

XIII. Itaque quod diuinus codex in Samsone, id profani scriptores in Hercule ostendere voluerunt, & in alijs quoque fabulis, quas de viris fortibus excogitauerant; quos finxêre gigantes, vel monstrosis viribus homines fuisse; vt de Sigonotho, Goffredo dentato, Amadisio eiusq; fratribus, de Orlando, Rugierio, Rodomonte, Sigfrido corneo, Wolfardo, Ilsungo monacho, & mille alijs. Virgilius certè Turnum induxit, qui è terra saxum adeò ingens sustulerit, atque in Æneam vibrârit, vt

Virgil. lib. 12. Æneid.

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Nihil hîc dicam de Aloeo, Encelado, Tityo, Orione, Atlante, Antæo, Briareo, Gyge, Oromedonte; omittam Astneum, Ephialtem, & quos *partu terra nefando*

Virgil. lib. 1. Georg.

Cæumq; Iapetumq; creat, sæuumq; Typhoea,

& reliquos *Titanas ausos rumpere imperium Iouis,* veris hoc argumentum historijs potest absolui: & vel in illa sola Samsonis robur exprimitur, quam Plutarchus & Crinitus referunt, de Cleomede Astypalæo, qui Lacchum Epidamnium pugilem, armatū vnico ictu inermis occidit, occisi latera aperuit, & iniecta manu eduxit intestina. Ob quam feritatem, cùm à iudicibus in ius vocaretur, per forum abiens, columnam, qua ludi litterarij domus fulciebatur, disiecit, eaq; ruina pueros omnes adobruit. Quis hunc non dicat alterum Samsonem?

Plutarch. in vit. Romuli. Crinit lib 15. cap 3.

XIV. Testatur Solinus, Varronem in relatione prodigiosæ fortitudinis annotasse, Tritanum Samnitem gladiatorem natura fuisse, qui & rectis, & transuersis neruis, non modò crate pectoris, sed & manibus cancellatis & brachijs omnes aduersarios leui tactu, ac pænè securis congressibus vicerit, eiusque filium militem Cn. Pompeij pari modo natū, ita spreuisse hostem prouocantem, vt inermi eum dextera & superaret, & captum digito vno in castra Imperatoris sui reportaret. Et quoniam sermo nobis est de ijs, qui *fortes facti sunt in bello*, non tacebo

Hebr. 11.

cebo

cebo hîc Georgium Caſtriotum, partis Albaniæ Principem, quem Turci propter rerum geſtarum magnitudinem Iſchenderbegum, hoc eſt, Dominum Alexandrum nominauerunt. Alexandria enim hodie Turcis *Iſchendrie* eſt. Hunc Iſchenderbegum Paulus Iouius affimat, numquam detrectaſſe pugnam; numquã hoſti terga vertiſſe; nullo vnquam in diſcrimine metu occupatum; numquam vulneratum, niſi leui ſemel ſagitta in cruce fuiſſe, cùm tamen contra duos potentiſſimos imperatores Turcicos, Amurathem & Machometem, perpetua bella geſſerit, & non ſolùm eorum impetus ſuſtinuerit, ſed ſeptem eorum clariſſimos duces è purpuratorum Baſſarum ordine acie deuicerit, & caſtris exuerit. Hunc Caſtriotum, addit Iouius, ſupra duo hominum, vel, vt Barletius ſcribit, tria millia barbarorum, præſertim diuerſis prælijs, ſua manu interfeciſſe, quando ſingulis tantùm ictibus ſingulos, qui congreſſi eſſent, conficere conſueſſet, quòd prægrandi ponderoſoq; acinace tam validè, quàm peritè vteretur, quo medios hoſtes ad vmbilicum proſcindere, tranſuerſos diuidere ſoleret; & ſæpe per ceruices integros cum humeris brachiorum artus facilè detruncaret. Quorum immanium vulnerum truculentiam hoſtes, qui ex prælijs euaſiſſent, cùm Bizantij in aula, admirantibus cunctis enarrarent, Machometes ipſe, illum potentis dexteræ inuſitatæq; violentiæ gladium videre cupiuit impetrauitq; facilè à Georgio, vt ſibi Byzantium mitteretur. Talem namq; eius eſſe temperaturam prædicabãt, vt eius ictũ nulla vel ferrea corporum munimenta ſuſtinerent. Aiunt alij, eum Machometi nunciari iuſſiſſe; *mittere ſe quidem gladium ſuum illi, non item dexteram ſuam, ſine qua gladius nihil poſſet.* Tanta autem inuſitatæ virtutis eius viri fama erat, vt Turcæ, poſt mortem eius, potiti Epiro, ſepulchrum ipſius, apud Liſſum quæritarent, admirabundiq; vſque adeò piè venerarentur, vt eruta demum ſepulchro tanti herois oſſa non ſine ſuperſtitione diriperent, cùm quiſque ſe bello inuictum tutumq; fore crederet, ſi fruſtulũ ex oſſibus inuictiſſimi Imperatoris in amuleto è ceruicibus ſuſpenſum iturus in prælium geſtaret. Hæc pleraque Iouius. Barletus ſcribit, prælium inituro, præter

Leonclauius in pandectis Turcicis.

Paul. Iou. in. elogijs illuſtr. virorum.

Barlet. lib. 8. de vita & eius geſtis.

præter cetera mirabilia mutati vultus signa, ei labrum inferius scindi solitum cum copia multa sanguinis. Defunctus est hic heros anno ætatis LXIII. Christi MCCCCLVI. die Ianuarij XXVII.

XV. Horum talium vel immanitas corporis, vel animi magnitudo, ostendit, quanta sit Dei magnitudo. Herculem enim, & Orionem, ob talia, ad sidera vsque transtulerunt. *Quorum si specie delectati, deos putauerunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Qui proinde in illis etiam est laudandus. Et vtique artificem laudat, qui opus illius laudat. D. Aurelianum, memorat Flauius Vopiscus statura procerum, & neruis validissimis fuisse, vtiturque testimonio Theoclij, manu sua, bello Sarmatico, vna die quadraginta & octo interfecisse; diuersis autem diebus, vltra nongentos quinquaginta. Ob quam fortitudinem pueri in Aurelianum cantiunculas composuerunt, & choros, quibus, diebus festis, militariter saltitarent, in hunc modum instituerunt. *Mille, mille, mille; mille, mille, mille decollauimus. Vnus homo mille, mille, mille, mille decollauimus. Mille, mille, mille viuat, qui mille, mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.* Et cùm Francos deinde domuisset, denuò cecinerunt. *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus. Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Ad eumdem ritum olim, *cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres, de vniuersis vrbibus Israel, cantantes chorosq́ ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes atq́ dicentes: Percussit Saul mille, & Daud decem millia.* Quæ laus, cùm homini daretur, Deo & *Domino exercituum* data est. Qui enim agnoscunt, vnde veniat fortium fortitudo, clamant: *Gladius Domini, & Gedeonis.* O quàm ingrati, & quàm horum immemores sunt, qui multos audiunt præclaros in bello viros, & factis verè gigantes, insignia facinora edidisse, neque tamen idcirco Deo laudes gratesque dicunt! Quid in paruis facient,

Sapi. 13. 3.
1. Reg. 18 6.
Iudic. 7. 20.

cient, qui neque corpora, neque facta magna nôrunt æstimare? Aliter ille censuit, qui dixit: *Dominus fortitudo plebis suæ;* Psal. 27. 8.
& alter: *dedit Dominus ipsi Chaleb fortitudinem.* Quam quia Eccli. 46. 11.
Deus dat, à Deo petere; &, si dedit, Deo in acceptis referre debemus, neque de corporis proceritate, statura, viribusque insolescere; ne donis illum suis offendentes, ad iram & vindictam prouocemus.

XVI.

Quippe etiam in his potentiam suam facit manifestam, vt dicere debeamus: *Non est fortis sicut Deus noster;* coram quo, *gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Ita enim potens est, vt *potentes deponat de sede sua*, & excelsos hos possit humiliare. *Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus: Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt: propterea periêrunt.* Demonstratum est hoc in illis, qui dixerunt: *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum.* Sed *diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.* Ex qua historia Poetæ fabulam texuerunt, de terrigenis gigantibus, qui regnum cæleste affectârint, & tentârint Deos inde detrudere. Apud quos *coniurati cælum rescindere fratres,*

1. Reg. 2. 2.
Luc. 1.
Baruch. 3. 25.
Gen. 11. 4.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atq; Ossæ frondosum imponere Olympum.
Ter pater extructos deiecit fulmine montes.

Virgil. lib. 1. Georg.

Fingunt etiam, huius rei caussa, Deos omnes mutatis formis delituisse,

Emissumq; ima de sede Typhoea terra
Cœlitibus fecisse metum, cunctosq; dedisse
Terga fugæ.

Donec ad Phlægram

Iupiter omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excußit subiectum Pelion Ossæ;

Ouid. lib. 1. Metam.

Sepultaque sunt totis montibus dira periurissimorum mortalium corpora. Ac vt appareret, potentes potenter tormenta passuros, (*Fortioribus* enim *fortior instat cruciatio*) Sapi. 6. 9.

Virgil. lib 3. Æneid.

Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac: ingentemq; insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam expirare caminis;
Et fessum quoties mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.

XVII. Hæc quidem fabulæ, quæ docent, superbos alijsque sceleribus coopertos, vel dignos esse, qui diluuio obruantur, vt dici possit: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis*: vel etiam tota terra, ad hunc modum, in inferno sepeliendos, vbi eos formidabilis illa sententia, *Discedite à me, maledicti*, fulminabit. Quid aliud contigit militibus illis, quibus Elias dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos?* Et, vt historijs rem confirmemus, *Legimus*, inquit Leonardus Lessius, *etiam in historia Peruana, gentem quamdam giganteæ magnitudinis huic flagitio* (Sodomitarum) *deditam simili modo igne cœlesti fuisse absumtam: descendisse enim è cœlo specie visibili iuuenem instar solis splendentē, qui fulminibus supernè in eos vibratis omnes deleuerit; ita ex traditione maiorum narrare incolas, & etiamnum reperiri vestigia adustionis, tum in saxis, tum in ossibus eorum, qui extincti. Et nostra memoria in Pegu Indiæ Orientalis, cùm populus esset innumerabilis, & aliquot millionibus capitum censeretur, varijs cladibus ad maximam paucitatem est redactus: cuius caussa non videtur alia, quàm quòd huic sceleri præ ceteris populis fuerint addicti. Quòd si Deus istud peccatum adeò seuerè in infidelibus illis, eius iustitiam & præcepta ignorantibus, vindicauit, & in ipsa vindicta tot iræ suæ vestigia impressa reliquit: quid expctandum Christianis, qui post tot beneficia diuinitus accepta, post notitiam diuinæ voluntatis, post tot vltionis exempla ab illo non abstinent? Tanta profectò eos manet tormentorum acerbitas, vt acrimonia supplicij Sodomorum illius comparatione leuis meritò videri possit, si iusto examine pensitentur.*

Iob. 26. 5.

Matth. 25. 41.

4. Reg. 1. 10.

Leon. Lessius l. 13. de perfect. diu c. 7. post. Ioseph. à Costa lib. 1. c. 19. de nat. noui orbis.

XVIII. Ne porrò istiusmodi homines, aut ob immanium corporum pulchritudinem & amplitudinem, aut ob robur ac vires suas insolescant & superbiant, & ipsi cælo arma inferant, alijs etiam modis diuina prouidentia tales aut deiecit, aut extirpauit. Milonem Crotoniatam tradunt, egisse omnia super quàm homo

Cælius lib. 5. cap. 21.

homo valet. Dum constitisset, nemo eum è vestigio educebat. Mâlum tenenti nullus digitis poterat extorquere. In Olympia bouem per stadium, retento anhelitu portauit, quem ictu nudæ manus, strauit, victimamque fecit; eumque solidum, quà mactauerat die, solus non grauatim, & sine nausea absumsit, ne pugno fortior, quàm stomacho videretur. Hic tamen tam neruosus athleta, vt sciret aliquem se in mundo existere fortiorem, Titormus bubsequa, procero corpore, & portentosis viribus, famam robusti habuit. Voluit Milo oculis experiri, an famæ res ipsa responderet. Eo igitur præsente, Titormus in Euenum descendens permagnum arripuit lapidem, quem ad se protraxit, & inde rursum propulit, bisque & ter hoc ipsum effecit: postea erexit, erectumq; & humero impositum ad quinquaginta vlnas transportauit. Hunc autem lapidem vix emouebat Milo. Aliud postea roboris sui argumentum exhibuit Titormus. Maximi enim tauri pedem corripuit, furentemq; & inde proripere se cupientem constantissimè retinuit. Quod videns Crotoniates: *O Iuppiter*, inquit, *an alterum nobis proseminasti Herculem hunc?* Multùm valet ad supercilium ponendum, habere parem; plurimùm autem videre superiorem. Sed non victa est vis Milonis ab homine tantùm, superata est & ab arbore. *Viribus ille* Idem Cælius lib. 11. c. 69.

Confisus perijt admirandisq; lacertis. Iuuen Satyr. 10.

Ita adeò ipsa illi exitio fuit firmitatis suæ confidentia. Gelliũ audiamus. *Milo*, inquit, *Crotoniensis athleta illustris, quem in chronicis scriptum est, Olympiade prima coronatum esse, exitum vitæ habuit miserandum & mirandum. Cùm jam natu grandis artem athleticam desijsset, iterq; faceret fortè solus in locis Italiæ siluestribus; quercum vidit proximè viam patulis in parte media ramis hiantem. Tum experiri, credo, etiam tunc volens, an vllæ sibi reliquæ vires adessent, immissis in cauernas arboris digitis, diducere, & rescindere quercum conatus est, ac mediam quidem partem discidit, diuellitq;. Quercus autem in duas diducta partes, cùm ille quasi perfectò, quod erat connixus, manus laxasset, cessante vi, redijt in naturam: manibusq; eius retentis inclusisq;, stricta denuo & cohæsa dilacerandum hominem feris præbuit.* Quàm bene huic dictum fuisset? *Fortiora te ne scrutatus fueris.* A Gell. l. 14. Noct. c. 16. Eccli. 3. 22.

 Quem-

XIX. Quemadmodum autem gigantes isti, aut fortes ab hominibus metuuntur, ita & ipsi supra se habent Deum, quē debent metuere; & ad quem nos possumus ab illis pressi confugere, exemplo illius, qui dixit: *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.* Hac de caussa Iacobo Patriarchæ in Ægyptum proficiscenti dixit: *Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum.* Ego Pharaones in mea habeo manu; possum eos tibi placare; possum fluctibus operire. Pari pacto in fortibus alijs, ac robustis, immò in ipsis gigantibus opprimendis potentiam suam exercuit. Ex Iulio Capitolino didicimus alijsq; historiarum scriptoribus, Maximinum tyrannum Alexandri Seueri optimi Imperatoris interfectorem & successorem, ea proceritate atq; robore fuisse, vt octo pedes digito egrederetur; pollice ita vasto, vt vxoris dextrocherio annuli vice vteretur. Quin etiam hamaxas manibus attrahere; equis pugno dentes soluere; calce crura frangere; lapides tophicios digitis friare; arbores minùs annosas dirumpere posset. Qua de caussa ab alijs Milo Crotoniates, ab alijs Hercules, Antæus à nonnullis est appellatus. Ob hanc tam grandem corporis staturam & militare robur peritiamq; pugnandi, affirmat Herodianus, eum ad imperium ascitum esse. Sed magna est virtus, Dei donis vti posse. Maximinus iste, iste Hercules, & Antæus, viribus in tyrannide abusus, ita mox plerisq; inuisus fuit, vt illum alij Cyclopem, alij Busiridem, alij Scyronem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gigem appellitarent. Itaque non crudelitatem tantùm, verùm etiam stultitiam & superbiam cum potentia coniunxit. Erat enim illi persuasum, *nisi crudelitate, imperium non teneri;* quæ tyrannorum est sapientia. Accessit stultior superbia. *Neq; enim*, ait Capitolinus, *fuit crudelius animal in terris, omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi.* Adeò nimirum mortalium oculos tumor excæcat, vt naturæ atque conditionis suæ obliuiscantur. Sed docuit luculenter diuina manus, eum qui sibi immortalitatem promiserat, mori, & occidi posse. Immò docuit & Poeta, qui

Psal. 34. 10.

Gen. 46.

qui, illo præsente, in theatro, Græcos versus recitauit, quorum hæc erat sententia. *Qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur. Elephas grandis est, & occiditur. Leo fortis est, & occiditur. Tigris velox est, & occiditur. Caue multos, si singulos non times.* Vates fuit Poëta: nam quod dixit, accidit. Postquam enim Maximinus Aquileiam diu, magnis viribus, sed irrito conatu, oppugnauit, more ferarum, quæ vulneratæ magis efferantur, crudelior erga suos milites euasit. Illi itaque immanitatis impatientes, eum vnà cum filio trucidauerunt. Potuit ergò occidi, & occisus est, qui voluit tot occidere. Sic *arcus fortium superatus est.* Quin sæpe etiam citò superatus est. 1. Reg. 2. 4.

XX.

C. Marius, tempore Gallieni, à militibus ex fabro ferrario Imperator factus est. Fuit is tam robusti corporis, vt Trebellius Pollio scribat, *Nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse, cùm in digitis neruos videatur habuisse, non venas.* Fertur enim & plaustra venientia digito salutari repulisse; & fortissimos quosq; digito ita afflixisse, vt non secus ac querni ligni, vel clauis ferreæ ictu percussi dolerent. Multas res collisione duorum digitorum contriuit. Tam firmus ipse fuit. Quàm autem firmum illius imperium? Prima die factus est imperator, secunda visus est imperare; tertia desijt & imperare, & viuere, occisus à milite illo, qui eius quondam, in fabrili officina operarius fuit; nec sine scommate; vnà enim & dictum hoc accepit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Dici igitur de hoc triduano Imperatore potest, quod M. Tullius de Consule Vatinio iocosè lusit; *Eo* nimirum *Imperatore, magnum ostentum accidisse, nam nec brumam, nec ver, nec æstatem fuisse.* Hæc Numinis non solùm potentia, sed etiam prouidentia est, vt tyrannos & tollere è medio possit, & non sinat esse diu, ne diu tyrannicè dominentur. Hoc enim de eo dictum est: *Non dabit in æternum fluctuationem iusto. Tu verò, Deus, deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Plura qui eiuscemodi vult exempla, librum peculiarem Ioannis Cassionis de Gigantibus, Thomam Fazellum, quin & Philippum Camerarium adeat, vnde locuples huic argumento materia est suppeditata, Illud hoc loco, è

Trebell Poll. in historia 30. tyrannor.

Psal. 54. 24.

Tho. Fazell. loc. cit.

D. Augu-

S. Augustin. lib. 15. de ciuit. Dei c. 23. D. Augustino etiam atque etiam animaduertendum est, Deum quosdā interdū homines tam vastis corporibus nasci voluisse, vt nobis videlicet testatum relinqueretur, tam pulchritudinem corporum, quàm etiam staturæ magnitudinem viresque carnis non esse in bonis præcipuis ponenda, cùm ea non minùs impijs, quàm pijs sint communia. Robur igitur animi, & mentis virtus, quæ apud impios non reperitur, est magnis lacertis anteponenda. Neque quidquam contra naturam, aut naturæ authorem conqueri potest, si cui statura ingens, aut virium negata est magnitudo, cùm nulli negatum sit, quod maius est, virtutem possidere.

XXI. Denique, ne illi etiam ipsi, quibus à Deo datus est membrorum valor, existiment se omnia posse, atque vt inde etiam ceteri minorum gentium homuli multò magis suam agnoscant imbecillitatem, declarat diuina sapientia, etiam illas ipsas exoticas mortalium vires, alio fine datas, multis esse in exitium, quia sunt in præsumptionem. Sicut enim vino, auro, ingenio, alijsq; à Deo donis acceptis, ita & viribus corporis Cælius lib. 7. cap. 56. abutuntur. Fit igitur erga eos iustissimè seuerus, erga quos ingratos fuit munificus. Polydamantem athletam Græcorum monumentis proditum est, velut Samsonem aliquem, inermi manu, in Olympo monte, insolitæ magnitudinis leonem confecisse. Memorant eumdem etiam in armenta boum intrasse, & inibi taurum magnitudine insignem altero posteriorum pedum arripuisse, ferocientemque, & prærabido impetu prosilientem, non dimisisse priùs, quàm in eius manu vngulam reliquerit. Scribitur etiam quadrigas tota vi concitatas constantissimè retinuisse. Qua fortitudinis fama permotus rex Darius, Artaxerxis filius, virum magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. Eò cùm venisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos, qui vnà ex prouocatione arma susceperant in aduersum, solus contrucidauit. Cui inusitato robori confidens, dum fortè fortuna, cum aliquot alijs in spelunca recumberet ad mensam, conuulsusq; supernè scopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugam impelleret, solus ibidem remansit, fore sperans, vt saxum decidens facilè sustineret, quo tamen op-

pressus



pressus est. Hæc Cælius recenset, de Polydamante, qui Samsonis æmulator verius, quàm imitator fuit; ille enim, ruinam in caput suum excitans vicit; iste victus est, dum ruinam voluit prohibere: sed sunt multi tales temeritate, non virtute Atlantes; qui in humeros suscipiunt, quod ferre non possunt, audacia sua opprimendi. His cælestis vindex, qui *superbis resistit*, plagam post plagam infert, & vires vnà cum vita aufert, luculenter demonstrans, se omnibus gigantibus, gigantem esse validiorem; vt talis dicere cogatur: *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas*; ille nimirum, qui gigantum omnium est fortissimus; & non tantùm in minimis maximus, sed etiam maximis omnibus maior esse cognoscitur, quando vel in fortibus, vel in magnis rebus cognoscitur. Vt sunt etiam Balænæ, Orcæ, aliaque monstra marina, quorum quædam dicuntur in oculorum peripheria sedecim vel viginti pedes continere; quæ cùm tam magna sint, tamen ab homine domantur & capiuntur. Vnde intelligitur, non modò quàm magni sint, quibus dictum est: *dominamini piscibus maris*, sed etiam multoque magis ille, qui est *Dominus vniuersorum, in quo condita sunt vniuersa, in cælis & in terra.*

Iob, 16. 15.

Conrad. Lycosthen. in chronico Chronicor. l. 2. De Prodigijs.

Gen. 1. 28. Coloss. 1. 16.

CAPVT LI.

Climata cæli, regiones terræ, imaginationes vehementes, aliaq; naturales, Monstrorum caussæ.



AD Rectorem Mundi pertinet etiam suam cuique rei indolem permittere, aliamq; alij pro diuerso loco & conditione, legem & naturam dare. Aliud cælum alium transfundit genium; aliæ terræ alios pariunt mores; immò alios quoque inducunt colores. *Namq; Æthiopas vicini sideris vapore torreri, adustisq; similes gigni, barba & capillo vibrato, non est dubium. Et aduersa plaga mundi atque glaciali, candida cute esse gentes, flauis promissas crinibus: truces verò ex cæli rigore has & illas mobilitates habentes. Ipsoq; crurum argumento, illis in supera succum reuocari, natura vaporis: his in inferas partes depelli,* I.

Plin. l. 2. nat. hist. c. 78.

pelli, humore deciduo. Hic graues feras, illic varias effigies animalium prouenire, maximè alitum, & in multas figuras gigni volucres. Corporum autem proceritatem vtrobiq;, illic ignium nisu, hic humoris alimento. Medio verò terræ salubris vtriusq; mixtura, fertilis ad omnia tractus, modicus corporum habitus. Hæc naturæ historicus, qui alio loco ait. *Animalium hominumq; effigies monstriferas circa extremitates* (Æthiopiæ) *gigni, minimè mirũ, artifici ad formanda corpora effigiesq; calandas mobilitate ignea. Ferunt certè ab Orientis parte intima gentes esse sine naribus, æquali totius oris planicie. Alias superiore labro orbas, alias sine linguis. Pars etiam ore concreto & naribus carens, vno tantùm foramine spirat potumq; calamis auenæ trahit &c. Deinde Nomades cynocephalorum lacte viuentes, Olabi, Syrbotæ, qui octonum cubitorũ esse dicuntur.* Sicut ergò *non omnis fert omnia tellus*, sic nec vbique magnos, sed alibi etiam mediocres homines producit. Ipsa itaque climata, immò & ratio alimenti subinde efficiunt enormiter proceros, cunctaq; *Basan* vocabatur *terra gigantum* olim, vbi postea *solus Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath, filiorum Ammon nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Et à climate, & à progenitore prodire gigantes, paulo supra etiam monstrat diuinus codex, de Moabitis loquens in hunc modum: *Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim.* Ad hos quasi locustæ reliqui homines putabantur. Quin & tempora, & ipsa Mundi ætas multum potest. Quia ante diluuium homimines maiores extitère. *Gigantes enim erant super terram, in diebus illis.* Postea cum Mundo Natura defecit, & adeò defecit, vt comparatione primæ ætatis, pumili videamur. Nam ex eo tempore,

Terra malos homines nunc educat atq; pusillos.

Ita factum est, vel intemperantia mortalium crescente, vel vi generatiua, & ipsis etiam alimentis, diluuio destructis, vel sponte cum senescente Mundo, deficientibus, vt hominum statura

[Margin notes: Idem l.6.c.30. — Deuter. 3.11. Vide Theodoret. q. 49. in Genes & Sixt. Bibliothec. lib. 5. annot. 76. — Deuter. 2.10. — Gen. 6. 4. Adamũ quoque Gigantẽ fuisse alij ex Iosue cap. 14. censent, alij negant.]

tura paulatim minueretur. In huius rei memoriam, relicta sunt hinc inde grandia gigantum cadauera, vnde melioris æui mensura caperetur. Et Octauius Augustus villas suas ossibus immanium corporum, quæ gigantum fuisse dicta sunt, exornare solitus erat. Cernuntur etiam Puteolis stupendæ magnitudinis ossa, quibus Pomponius Lætus, inter cetera, hanc etiam epigraphen creditur addidisse.

Hinc bona posteritas immania corpora seruat,
Et tales mundo testificatur auos.

Quamquam autem olim corpora fuerint longè, quàm nunc maiora, palam tamen est, Aegyptiacis fabulis debere annumerari, quod ex narratione Hemonis Aegyptiaci, his ferè verbis recenset Franciscus Patricius. *Inter alia istud adhuc memoria traditum conseruamus, quòd in primò annorum ambitu homines fuerunt vsque adeò grandi corpore, vt pedibus in terram nixi capita inter sidera conderent, & Emephimos fuisse appellatos; atque secutos deinde alios annorum successu Phtaimos nomine, paullò minores, sed qui tamen capitibus nubila contingerent; quos alij itidem grandes postea secuti sunt, in Ægypto Gygini nuncupati; vos, puto, Gigantes appellatis, cuiusmodi certè vsq; ad Noachi tempora durârunt, &, vt erant grandi corpore, ita etiam per multos annos sani incolumesq; viuebant. Sed à diluuio cœpêre omnia in peius ruere, cùm in cæteris rebus, tum maximè in ijs, quæ artes, atque virtutem concernunt.* Hanc hominum altitudinem, quis non videt hyperbolicam esse? & non solùm nubes, sed etiam fidem atque veritatem excedere? Interim magnos ab initio homines fuisse, ac, vt *fortes creantur fortibus*, à magnis magnos genitos esse manet; licet postea decreuerint ita, vt & nos illorum, & illi, comparatione nostri vel Pygmæi, vel Gigantes possimus nominari. Raró tunc, vel vix staturâ pusillos fuisse generatos existimo; quamquam & terra præ terra maiores produxerit, & aliter in vno, quàm in alio loco formârit, figurârit, colorârit, animârit.

Franc. Patric. Dialog. 3. de histor.

II. Quamobrem simili modo possumus de Pygmæis disputare. Vix enim Pygmæus giganté generabit. Et sunt complures terræ, in quibus tam equi, quàm homines pusilli proueniunt. *Ex*

Aristot. lib 8. de hist. animal. c. 12.
Solin. cap. 15. & 33.
Gell. l. 4. c. 9.
Ælian. lib. 15. de hist. anim. cap. 29.
Plin. l 1. c. 2. & passim alibi, vt, lib 4. c. 11. l 5. c. 29. lib. 6. cap 19.
S. August l. 6. de ciuit. c. 8.
Isidor. lib. 11. Etym. cap. 3.
Albert. Mag. l 7. animal. tract. 1. c. 6.
Paul. Iouius lib. de reb. Moscouit c. 3.
Io Ludouic. Gottfrid. in histor. Antipodum par. 1. pag. 10.

Scythicis campis, ad paludes Ægypto superiores, vnde Nilus profluit, ait Aristoteles, *grues veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur*. Ibi ergò vult Philosophus generari pusillos. Solinus ita scribit: *Vrbem Geranium Scytharum, Caturzam barbari vocant, vnde à gruibus Pygmæos ferunt pulsos*. Et, alio loco. *In Prasia vltra Palimbros iam montana Pygmæi tenent*. De ijsdem etiam meminit Gellius, Ælianus, & Plinius, suprà citatus. Testatam hanc rem facit etiam D. Augustinus, Isidorus, & alij, inter quos Albertus Magnus ait, *Pygmæos illos, quos iuxta Nilum degentes diximus, perpetuò pugnare cum gruibus*. Eiusce modi homulos comperit Antonius Pigafetta, etiam inter Moluccas, in insula Aruchetto; itemque, in insula Caphi. Paulus Iouius vltra Lapones eos esse testatur, & loquentes garrire, semperque esse pauidos ac simijs persimiles. Odericus, in Orientali India quoque, non procul à Quinzai, iuxta Chilenses, à se inuentos testatur trium palmarum Pygmæos. Nec mirum est, hoc posse cæli climata, aut regiones, cùm recens author scribat, inueniri Indiæ locum, in quo venti ferreos clathros, ita exedant macerentué, vt friari possint; tutiùs proinde fenestras ibi querno ligno, quàm ferro clathrari. Si tanta cæli atque aëris est potestas in ferrum, cur non sit etiam in hominis corpus, vt illud vel contrahat, vel extendat?

III. Ob hæc eùm perspicuum fiat, regioni, vel climati sæpe talia esse ascribenda, ex ordine vtique faciet Naturæ vniuersiq; Author, si alibi in hominibus breuitatem, longitudinem alibi, alibi exhibeat mediocritatem. Ita qui topiariam faciunt, in hortis, alio loco humi nascentia fraga, aut thymum vix è terra eminentem, alio altiùs se erigentem rorem marinum, alio ficum caput supra hæc longè efferentem, alio adhuc celsiùs prospicientem pyrum cerasumq;, alio denique longissimè vmbras proijcientem cedrum conserunt prætexuntque. Sic per Naturam ludit, in orbe terrarum, diuina sapientia, dum in vna regione producit arcuatis pedibus depressos pumiliones; in alia staturæ vsitatioris homines; in alia demum gigantes capita alta ferentes. Hoc naturæ ius est; hæc cæli vis & potentia; istud telluris ingenium, quod Auctor cæli, ter-

tæ, ac

ræ, ac totius naturæ non magis debet impedire, quàm ne alia regio calida, alio frigida, alia sicca, humida alia existat: aut ne alia arbor poma, alia pruna ferat. Non est tam sapientis Architecti, velle Momo satisfacere; aut cauere, ne Veneris sandalium carpat. Quare neq; alia, quæ in humano corpore censentur subinde vitiosa, vt arceat communis Mundi Rector, est exigendum. Si arceret, cursui rerum naturisq; ipsis manum frænumque iniiceret, & vim, quam dedit, retractaret. Aliud est, in Tibure, aliud in Sardinia esse: aliud nigrescere in Hispania, albescere in Polonia; aliud in montibus, aliud in vallibus; aliud in terris, aliud in mari degere. Tradit Soranus Ephesius, mulieres, quæ in nauibus pariunt, mutum parere; quod siue intelligatur de perpetuò mutis (quod non credo) siue non vagientibus, sed tantùm mutientbus, aut præ tumultu fluctuumq; collisione non auditis, cùm nascuntur, Auctor maris non debet mare ipsum, cuius tantus est in Mundo vsus, cū procellis suis è medio tollere. Pari pacto sunt fontes & aquæ, in nonnullis regionibus, admodū salutares, si quidem rectè vsurpentur, quæ tamen strumosos efficiunt incautiùs bibentes. Num igitur vniuersi Conditor fontes obstruere, riuos claudere, fluuios auertere debet? Enimuerò non debet. Esto viri feminæque inde strumas, tamquam carneas quasdam crumenas, è collo dependulas, gutturalemque & ingratè pinguē quamdam absonæ vocis ruditatem nanciscantur. Vitium deforme nobis videtur esse struma, fateor, & vel regia manu, non sine prodigio, aut gratia gratis data, sanandum; sed num idcirco vel sal, vel metalla, vel lapides, quorum allapsu aquæ vim medicinalem trahunt, in nihilum redigenda sunt? Tum profectò & ipsæ aquæ erunt è Mundo eliminandæ, ne ignem, immò hominem extinguant in eas incidentem. Stultissimi sunt mortales, qui rem vtilem nolunt pati, quia nocere potest malè vsurpata.

Soran. Isagoge 17.

IV.

Moneor hîc, vt & illud obseruem, sæpe fieri consuetudine, vt res deformes non deformes, sed decentes videantur. Vnde desinut haberi pro monstris. Vt enim simiam simius existimat esse formosam; sic apud eas gentes, quæ viros habent stru-

strumosos, fæminæ strumosæ inter formosas numerantur; putanturque sine dote, venire, si veniunt sine eiuscemodi appendice: quæ illis & pro collari est, & pro torque aureo, & pro pretioso monili, & pro fascia pectorali; quamuis sæpe tam prolixa, vt in tergum eam reijcere, & retortam in humeris, tamquam imperatoriam chlamydem gestare possint, instarque paludamenti, aut epomidis Doctoralis ventilare. Monsterus scribit, in Stiria ac Valesia, homines esse adeò strumosos, vt non solùm strumæ pondus sermonem impediat, sed fæminæ quoque lactantes illas post tergum perinde atque saccum proijciant, ne infantibus ad potum inhiantibus sint impedimento. Itaque quæ ratione naturæ sunt aspectu turpia, pulchra efficit consuetudo: immò & coram Deo pulchra sunt, quia confitentur illius bonitatem, iuxta illud: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Multa profectò monstra vocantur, non apud eos, apud quos, & à quibus oriuntur, sed ab ijs duntaxat, apud quos, tamquam insolita pariunt admirationem. Quapropter, apud Caphres, Æthiopes, Mauritanos, & Ægyptios, nigri homines, quia ita soli natura, & solis flagrantia fert, non æstimantur deformes, sed venusti; ac si ad eos Europæus, aut albæ cutis homo accedat, pro monstro aspicitur. Quod etiam in gigantibus, apud gigantes; & apud pygmæos, in pygmæis fieri, credibile est. Nos pumilos, tamquam hominum compendia, admiramur, quia raritas gignit stuporem: non admiraremur, si omnes pumili essemus. Qua de caussa Nicephorus, cùm de Pygmæo, qui perdici similis inuentus est, narrauisset, adiecit: *Sed etsi hic vnus, aut alter Pygmæus fuit, non tamen populi, in hoc Occidente, vmquam comperti sunt.* Quo loco indicat, etsi non in hoc Occidente, attamen alibi populos integros staturæ curtioris reperiri. Et certè patriam cuique quasi parentem esse, multumque & in corpora & in ingenia posse, experientia quotidiana demonstrat; sicut & de cælestium siderum afflatu. Hinc illud Ptolomæi effatum est: *Terrestres vultus vultibus cælestibus subijciuntur.*

Monsterus l. 3 Cosmogr.

Psal. 99. 6.

Niceph. l. 12. cap. 37.

V. Non disputo hîc, qua vi naturæ, aut quo genere pœnæ, certæ gentes caninæ reperiantur. Nam Solinus tradit, Cynamolgos

Solin. cap. 32.

molgos habere caninos rictus, & promula ora. Et alibi, *Megasthenes*, inquit, *per diuersos Indiæ montes, esse scribit nationes capitibus caninis, armatas vnguibus, amictas vestitu tergorum; ad sermonem humanum nulla voce, sed latratibus tantùm sonantes asperis rictibus.* Suffragatur huic Marcus Polus, qui Indias illas perllustrauit, scripsitque, in Insula Angaman, non solùm capite ipso canino, verùm etiam oculis dentibusq; canis, & anthropophagos esse. Quod & de Nicouerra Indica vrbe alij, alij etiam de quibusdam Tartaris memorant. Nam Ioannes de Plano, & quidam Prædicatorij ordinis, apud Tartaros, Apostolicæ sedis legati referunt, inibi gentem esse quamdam canina facie, quæ cum veris Tartaris æterna odia exercet, miraque, cum illis, arte bellum gerit. Hybernum tempus obseruat. Summo frigore, corpus aquis mergit, madentia membra in arenis circumuoluit. Glaciatâ, per hunc modum, cute, quasi ferreo tergore loricatæ cohortes pugnã securæ ineunt, contemnuntq; sagittas Tartarorum, glaciem non penetraturas. Victum hostem solis dentibus vnguibusq; dilaniant. Ceterùm, etsi viri sint tales, ac nonnulli etiam pedibus bubulis, feminæ tamen humanum vultum gerunt. Paria de cynocephalis Ægyptiorum narrantur. Quæ aliqui temerariè fabulis annumerant. Alij aiunt, fieri dæmonum illusione: alij cælo sideribusq; non improbabili sanè sententia ascribunt, cum hæc monstra, non, sicut apud nos, in Europa, singularia tantùm, & ex prodigio, sed, secundùm ipsam quodammodo loci naturam, vsitatè nascantur. Ornat & hæc varietas naturam tam scitè in rebus ludentem, & ostendentẽ, non virum tantùm, sed & feminam; non album modò, verùm & nigrum; neque humana duntaxat, sed etiam canina facie homines se posse producere. Augustinus, siue quisquis author est, ad Fratres in eremo scribit, se ad monstra caput non habentia, & oculos in pectore præportantia, atque vnoculos, ferendi Euangelij caussa, profectum. Talibus concionari magni laboris, insignis præmij est, vt vel hinc Deus habeat caussam naturæ permittendæ, vt erret. Quamquam neque Deus erret, neque Natura, si dispositiones, si locum, si influxus

Marcus Polus lib. 3. c. 18.

Io. de Plano Minorita. apud Antonin. tit 19. cap 8 §. 38. Legati de reb. Tart. l. 1. cap. 9. Vinc. hist. l. 31. c. 11.

Ælian. lib. 6. hist. c. 10. & lib. 10. c. 26.

Aug. serm 37. ad fratres in Erem.

fluxus siderum spectemus, quorum diuersi concursus, diuersos exigunt effectus. Et apud ordinariè monstrosos, tales monstrosi non existimantur, licet maximè sint: non enim se, sed alios, ad se solent æstimare.

VI. Multum autem in hac re etiam facere cælestium corporum operationem, exemplo recenti possumus docere. Nostra enim memoria, Halæ, in Tyroli, iuuenis cetera egregius, sed ibidem patre Iudæo natus, nomine Bonaquistus, admirabiliter in ventre monstrosus fuit. Quippe crescente luna, inde sic illi quoddam taurinum excrescebat caput, non sine cornibus, vt caligæ illius nequaquam satis possent constringi. Qua de caussa, semper crescente luna domi se continebat; decrescente autem eádem, quia & monstrum decrescens se se intra viscera reuocabat, aut detumescebat potiùs, foras prodibat, zona iam arctiore. Quod & in alio iuuene, hîc Ingolstadij fuit videre, cui itidem, semper luna auctiore, altera maxillarum atq; labra oris, in immensum turgescebant; luna autem lumen amittente, redibat clementior forma. At quis tandem negabit, humores omnes cum luna inualescere? Quod ergò sidus hoc ex parte, & ad tempus certum fecit, vt promoueret monstrositatem, cur non possent etiam efficere reliquorum astrorum maligni aspectus? Sicut enim nulla in cælo lucet stella otiosè, ita neque stellarum coniunctio suo effectu carebit.

VII. Vide Aristot. lib. 4. de gener. animal. c 4. Plutarch. l. 5. de placitis Phil. Galenum de historia Philosophica cap. 113.

Porrò, sicut etiam quando animal gignitur, non tantùm, solis aliorumque astrorum influxus, aut regionis vel salubritas, vel inclementia id extrinsecus attingunt; sed & alia concurrunt, vt virtus formatrix, quæ semini inhæret; materia è qua fœtus coalescit; receptaculum item fœtus; & completio primarum qualitatum: ita & hæc nimis redundantia, aut deficientia in caussa sunt, vt totum fœtûs opificium nō ad amussim exprimatur; aut, vt mistis seminibus, Androgyni, seu Hermaphroditi, itemque corporis figura semihomines, Panes, Siluani, semibestiæ, Fauni, Satyrisci, & Hippocentauri, prodeant; vel nascantur tanti, vt non solùm quatuor pedes habeant, qualem quadrupedem puerum Byzantij natum Platina refert, sed etiam vt dens vnius, *si in nostrorum dentium*

Platina in Sabiniano I. Papa.

modulos

modulos minutatim concideretur, certum nobis videretur facere potuisse, vt è D. Augustino memorauimus; vel vt pede, sicut Sciopodes apud Solinum, aut digito, oculo, manuúe carentes, qualem Aretij puerum natum scribit Liuius, aut omnino nani pronascantur: vel vt, ob receptaculi angustias, duo fætus in vnum coarctentur & concrescant, vnde bicipites, aut tricorpores Geryones efformantur: vel deniq; vt ob nimium calorem in vtero fumum excrementitium eleuantem infantes barbati, aut, ob frigus, pueri canescentes inueniantur. Numquid autem Deus omnes homines formare debet pares, vt virtus quoq; seminaria in omnibus par, in nullo hebetior, firmiorúe pares effectus producat, neque partes vllas confusas aut inexpolitas relinquat? Numquid non ipsi sæpe homines materiam fætûs aut per imbecillitatem subducunt, aut multiplicant per abundantiam, aut motu cursuque confundunt? Nuncquid alius hoc, alius alio est modo affectus, vt vel nimia aridus sit siccitate, vel nimia inconstans humiditate? Et quid homines Deum accusant, quando plerumq; ipsi præcipua sunt caussa monstrosæ prolis? Nam improba vitæ intemperantia non rarò tales fructus parit. Quędam proles quatuor aures habuit. Quid mirum? habuit & quatuor parentes. Nonnullę mulieres Pasiphaën imitatę sunt, quid noui, si Minotaurum genuerunt? Quędam non ita pridem porcum peperit; sed fertur ipsa se scrofam fecisse, quid igitur aliud peperisset? Quamquam etiam sine delicto fieri talia possunt, sola materia peccante. Natus est, meo tempore, Augustæ, pullus gallinaceus, qui ob mirabilitatem in æs incisus circumferebatur. Corpus illi erat vnum, capita, colla, vropigia duo: Alæ quatuor; totidem pedes. Hic, cùm vnius capitis rostello satis granorum edisset, corpus scitissimè versabat, vt & altero se satiaret. Ita vices alternabant edendi. Deprehensum est autem pullum illum esse ab ea gallina, quæ semper oua cum gemino vitello pariebat. Vitelli igitur geminatio, & fœtum duplicauit.

S. Augustin. l. 15. de ciuit. cap. 9. Solin. c. 53. Liu. dec. 4. l. 5. Vide S. August. l. 16. ciuit. cap. 8. Osorium l. 5. hist. c. 6.

Plin. l. 7. c. 2.

VIII. Habet & curiositas, & vis imaginandi parentum tales fructus, quæ absurdas peregrinasque, quas mente voluit, for-

mas fœtui imprimit. Hinc maculæ ex vtero matris agnatæ; hinc auidè desideratorum fructuum effigies partubus adhærescunt.

Gen. 30.

Si cetera exempla deessent, abundè id patefecisset Iacob, in grege maculoso, per virgas variatas, & non variatas procurando. Quem imitantur, qui equas diuersicoloribus tegumentis insternunt, cùm equi admittuntur. Plerumq; enim progenies in eiuscemodi colores degenerat, cuiuscemodi progignentium vel imaginatio apprehendit, vel oculi etiam intuentur.

Auicen. lib. 5 de animal. Lege Galenū lib. de Theriaca c. 14. Plin. lib. 7. cap. 12.

Sed & Auicenna refert, gallinam, quæ dum ouis incubaret, milui aspectu perterrita fuit, pullos miluino capite exclusisse. Plinij verba sunt: *Similitudinum quidem in mente reputatio est: in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoriaq;. Haustæ imagines sub ipso conceptu, cogitatio etiam vtriuslibet animo subitò transuolans effingere similitudinem aut miscere existimatur. Ideoq; plures in homine, quàm in ceteris animantibus differentiæ: quoniam velocitas cogitationum, animiq; celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit: cùm ceteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus singulisq;, in suo cuiusq; genere.* Longè verò plura eiuscemodi, in feminis accidunt, quæ curiosiores, & in omnē affectum proniores esse consueuerunt. Hinc multis curiosus matris intuitus vngulas, aut cornua caprarū addidit, & propemodū etiam Actæones fecit: multis leporinum ac bifidum os dedit; quibusdā etiam fulmineum dentem, velut apris, in palatum inseruit.

Heliodor. de rebus Æthiopiæ lib. 1.

Persina Chariclíæ filiæ regis Æthiopiæ mater, aspecta statua Andromedæ, prope torum genitalem collocata, non sine adulterij suspicione, albam ex Aethiope prolem edidit. Natus fertur Martini IV. Pontificatu, ex illustri femina, Pontificis pernecessaria, puer villosus, & in speciem vrsi vnguiculis armatus. Quo monstrifico partu permotus Pontifex, omnes vrsorum imagines (Vrsinorum insignia) quæ fortè in eius domo fuerunt, iussit deleri: manifesto argumento receptæ ab eo persuasionis, quales in conceptu hauriantur species, tales in partu sæpius repræsentari. Calumniosè hanc historiam Ioannes Balæus, Thomas Coperus, & alij quidam hæreticè maledici, in Nicolaum III. & hunc etiam deinde ipsum Martinum IV. torquent:

quam

quam vti omino falsam esse posse scio; ita, licet vera sit, vti esse potest, certus sum à viperinis his linguis venenari: quæ pensi nihil habent mentiri, quando illis iocus est calumniari. Alia mater apud Læuinum Lemnium, monstrum enixa est, quod, post primum lucis intuitum, conclaue stridoribus impleuit, atq; vltro citroq; discurrit, latebrasq; quæsiuit, dignas principe tenebrarum. Quid aliud meruisset Orci laruis gauisa, quàm Stygij patris characterem? Qualem oculis figuram vidit, talem ventre concepit. Nihil à natura alienum est, si strabo generet strabonem. Sabell. lib. 7. Enn. 9. Læuin. Lemn. l. 1. c. 8. de occult. nat. mirac.

IX. Empedoclis scitum est, imaginem, quæ animo mulieris, in ipso concipiendi articulo, occurrit, tantum habere virium in eum fœtum, qui effigiatur, vt ipsius rei character quasi impressus perpetuò hæreat. Hac etiam de caussa Quintilianus matronam defendit, quæ Aethiopem enixa fuerat, cùm eius coloris iconem in thalamo habuisset. Et Hippocrates quoque mulierem suspicione adulterij laborantem, quia marito penitus dissimilem filium pepererat, liberauit, quòd mulier illa, in cubiculo picturam fixiùs aspexisset, cui similem infantem genuerat. Vixit adhuc nostra ætate æquè bello ac sanguine nobilis vir, cui in pueritia, omnes Angelicum vultum fuisse dictitabant. Ipse autem solebat dicere, matrem suam, cùm prægnans esset, scitissimæ formæ Angelum in pyxide depictũ identidem secum in manu gestasse, & ad hunc ipsum finem assiduè contemplatam esse. Consecuta est igitur, quod volebat, Angelum peperit, sed carne atque corpore indutum; quem & ipse sæpe vidi, atq; hanc caussam formæ suæ affirmare audiui.

X. Alia ex laruato viro, terribilem soboli formam, & ad Satyri modum contuolos atq; introrsum contortos oculos, vultumq; prorsus Acheronticum impressit. *Vrbs est, in Brabantia Buscumducis,* inquit Augustinus Viues, *in qua, vt in alijs eiusdem terræ, stato anni die, quo ferunt maximum vrbis templum dedicatum, publicè supplicatur, ludiq; varijs diuis exhibentur. Sunt qui tunc personas diuorum induant: sunt qui dæmonum. Ex his vnus, cùm visa puella exarsisset, domum saltitando se recepit, & correptam, vt erat personatus, vxorem suam in lectum coniecit, se ex* Augustin. Viues in l. 12. S. Aug. de ciuit. cap. 5. Et Hier. Torquemada in Horto Florũ.

ea dæmonium velle gignere dicens concubuit. Concepit mulier, & infans, quem peperit, simul primùm editus est, saltitare cœpit, forma quali dæmones pinguntur. Hæc Margarita Augusta, Maximiliani filia, huius Caroli amita narrauit Ioanni Lamuzæ homini prudentia incredibili, qui tum erat hic legatus à Ferdinando rege: nunc est huius Cæsaris præfectus in Arragonia, vir qui non modò præfecti nomen & personam, sed regis quoque posset sustinere. Hæc Viues.

XI. Cui ego alia duo addo, quæ manu illius habeo consignata, qui coram fuit oculatus testis. Primum est, de puero nobili sanè prosapia oriundo, nominis ac familiæ mihi notissimæ, qui Bruntruti litteris operam dedit, omnibusq; ferè quotidie spectandum dedit ex vtero secum natum maternum monumentum. Erat autem id, retrò aurem, expressum natiuis litteris parentis sui nomen, quod hoc modo accepit. Mater illius, ante coniugium, cum bona parentum voluntate, efflictim amabat sponsa sponsum. Eapropter illum semper mẽte voluens, quiduis oblatum manu corripere solebat, & in omni re obuia perpetim scribere Sponsi nomen. Prægnans postea aliquando territa aurem fricuit, quo contactu id nomen, quod animo intuebatur, fœtui impressit. Alterum est de antiquissimi stemmatis Comite, qui in lucem editus in fronte decussatos enses, insigne gentilitium, habuit, ab vtero matris apportatum. Posset de natiuis his regum, principum aliorumq; hominum maculis copiosum conscribi volumen. Sed copia nauseam creat. Viues suprà à me commemoratis subiungit: *Mulieres prægnantes multarum rerum desiderijs tenentur: sæpe carbones appetunt, & cineres. Vidi, quæ morsum ceruicis iuuenis cuiusdam: & correpta magnis doloribus abortum fecisset, ni momordisset exanimato penè iuuene, tum auidè infixis dentibus. De his tam absurdis appetentijs ciborum medici quidem plurima, sed & apud Philosophos nonnulla: velut Aristoteles in lib. de Animal. idq; fieri dicunt ex humore in stomacho vitioso: qui si viris quoque contingat, non dissimilia expetent.* Quòd si ergo feminis vterum ferentibus negentur eiuscemodi desideria, vel abortionem, vel eius ipsius rei, quam adeptæ non sunt, maculam in partu faciunt, ea præsertim parte, quam manu fricant. Cuius rei caussa in ar-

canis

canis naturæ eſt. Fieri imaginatione, nemo negat; quo modo imaginatio vim hanc exſerere poſſit, nemo explicat ſatis.

XII. Multi enim de Phantaſia diſputauerunt; omnes concedunt vim imaginationis eſſe maximam. Neque eſt qui dubitet, imaginationem in corpus imaginantis plurimùm poſſe; immò D. Thomas aſſerit, poſſe omnia, quæ naturalem coordinationem habent cum imaginatione, vt ſunt motus locales, & alterationes per frigus, calorem, & quæ hanc alterationem conſequuntur. Verba ſunt S. Thomæ: *Dicendum, quòd imaginationi, ſi fuerit fortis, naturaliter obedit corpus, quantum ad aliqua: puta quantum ad caſum de trabe in alto poſita: quia imaginatio nata eſt eſſe principium motus localis: vt dicitur 3. de Anima. Similiter etiam quantum ad alterationem quæ eſt ſecundùm calorē & frigus, & alia conſequentia, eò quòd ex imaginatione conſequenter natæ ſunt conſequi animæ paßiones, ſecundùm quas mouetur cor, & ſic per commotionem ſpirituum totum corpus alteratur. Aliæ verò diſpoſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque ſit fortis: puta figura manus vel pedis, vel aliquid ſimile;* vt eſt, adijcere ad ſtaturam ſuam palmum, habere barbam, vel habere talis vel talis coloris barbam. Quàm enim multi ſibi hæc talia imaginantur, & tamen nec barbeſcunt, nec rufeſcere deſinunt, nec fiunt longiores. De reliquis autem experientia eſt in noctambulis illis, qui in ſomno, ſenſibus ſopitis, per imaginationem mira faciunt: quemadmodum Galenus de ſe ipſo teſtatur, ſe integrum ferè ſtadium confeciſſe, nec antè à ſomno excitatum, quàm in lapidem offendiſſet; eodem modo Theonem Stoicum dormientem in ſomnis ambulare; & Periclis ſeruum in ſummo tecti faſtigio ſolitum ſpaciari. Cuius rei rationem eſſe aiunt, quòd imaginatio, dum rerum ſenſu perceptarum ſimulacra retractat, ſimul etiam excitat potentiā appetitiuam ad timorem, pudorem, iram, aut triſtitiam, quę affectiones, hominem ita afficiunt, vt calore, vel frigore alteratus palleſcat, vel rubeſcat; exiliat, vel torpeſcat, efferatur, vel deijciatur. Quod contingit potiſſimum in his, quorum imaginatio eſt vehementior; & qui acriùs perturbari, ac res

S.Thom 3. p. diſp. 13. ad 3. & l. b. 3 cont. gent c. 103.

Ariſtot. l. 3 de anim. tex. 48.

tenaciùs apprehendere sunt soliti. *Dicamus moueri dormientes*, ait Andreas Laurentius, *quia exigua vis in musculis latens à forti imaginatione excitatur: propterea non mouentur somniantes, nisi valida imperante imaginatione, brutorum imaginationi simillima*, ante quam necesse est rei externæ vel totius, vel ex parte sensum aliquando præcessisse, licet dudum præcesserit.

Andreas Laurent. lib. 4. hist. Anatom. q. 12.

XIII. Sicut igitur multum potest imaginatio in corpus proprium, ita potest etiam non parum in illud corpus, quod ei arcta quadam coniunctione & contactu est copulatum, quale corpus est fœtus in vtero, aut etiam semen parentum. Sæpe enim imaginatio vtriusque parentis ad eiuscemodi monstrum producendū concurrit; licet vnius etiam sufficiat, vt Valesius docet. Sic Fernelius scribit, pauonem, si dum ouis incubat, linteis albis circumtegatur, albos omnino pullos, non variantis coloris, edere. Sic itidem per imaginationem, quæ conceptioni successit, non rarò proles, etiam iam formata in vtero, maternæ imaginationis dispendia sensit. Præter exempla superiùs allata. Witebergæ quædam mater vterum ferens, obuio cadauere, subitò pauefacta, puerum postea peperit, qui vsque ad longam ætatem facie fuit cadauerosa. Et Isenaci pudica matrona glirem peperit, quia *ex vicinis aliquis gliri nolam appenderat, ad cuius sonitum reliqui fugarentur; is occurrit mulieri grauidæ, quæ ignara rei, subito occursu, & aspectu gliris, ita est conterrita, vt fœtus in vtero, degeneraret in formam bestiolæ.* Alius author ita scribit: *In Bilsen Bohemiæ oppido* (Anno 1542.) *vt Peucerus, de Teratoscop. memoriæ tradidit, natus est infans similis imagini Christi crucifixi, aut pendentis in cruce, qui collum tortum, & in latus inflexum habuit, quemadmodum pingitur imago Filij Dei de cruce ablati, vt difficulter ipsius ori propter obliquitatem cibus inseri potuerit. Crura etiam transuersa & inflexa habuit, quæ etsi aliquoties seiungerentur, sua sponte tamen ad priorem figuram relapsa sunt. Vixit aliquamdiu Viennæ Austriæ.* Hanc mihi historiam suspectam facit, non tam quia pro ea hæreticus hæreticum testem citat, quàm quia videtur ad crucifixi imaginem abolendam excogitata. Videtur enim id innuere, vt feminæ prægnantes abstineant à cruce intuenda. Sed non est magnū

Vales. lib. de sacra Phil. cap. 11.

Fernel. lib. de hominis procreat.

N Domnent. in c. 30. Gen.

Conrad Lycosthen. lib. de Prodigijs & ostentis. Anno 1542.

hîc

hîc periculum, cùm paucæ tales eam effigiem imaginationi imprimant adeò vehementer; &, si vel vehementissimè eam apprehenderent, tamen Deus non censendus est sic earum remuneraturus pietatem. Potiùs igitur existimo, si vera est illa historia, in pœnam id fæminæ hæreticæ contigisse; quæ, quod in Dei Filio irriserit, coacta sit intueri in suo. Illud certius esse arbitror, quod mihi vir eruditus & fide dignus scripsit, An. Christi 1599. die 29. Octobr. matronā quamdam alioquin honestam, Venetijs, vna partione gemellos edidisse, quorum non tantùm corpora inuicem concreuerant, sed etiam cancellatis cruribus ita iuncta erant, vt ægrè sexus discerni posset. Diu fuerat à medicis & chirurgis anquisitum, quî dissolui possent? Sed opera omnis lusa; omnes artes, omnes industriæ in irritum ceciderunt. Mortuo vno, alter quinque dies superuixit. Pudendi partus pudenda caussa fuit: Sed quæ meritò terrere potest coniuges illos, qui existimant, nihil obesse, si thalamos suos suspensis vndiq; obscœnis imaginibus exornent dicam, an dedecorent. Repertum est enim Venetæ illius domûs dominum propudiosam quamdā in conclaui suo imaginem exposuisse, qua complexus sponsorum exprimebatur. Atqui, teste Isidoro, *hanc fæminarum dicunt esse naturam vt quales perspexerint, siue mente cogitauerint, in extremo voluptatis æstu, dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim anima in vsu venereo formas extrinsecas intus transmittit, eorumq; satiata typis, rapit species eorum in propriam qualitatem.* Eadem est D. Hieronymi, & D. Augustini de Api boue agentis sententia. Et idem Thomas Morus his versiculis indicauit:

S Hieronym. Tradit. in Gen. cap 30. S Augustin. lib. 18. de ciuit. Dei c. 5.

Atqui graues tradunt sophi:
Quodcumque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis dant operam;
Eius latenter & notas
Certas, & indelebiles
Modoq; inexplicabili,
In semen ipsum congeri:
Quibus, receptis intimè

Simulq; concrescentibus,
A mente matris insitam,
Natus refert imaginem.

XIV. Ludo. Viues l. 2. de Christian. femina. Qua de caussa eruditus Hispanus, paulò antè à nobis laudatus, matres, dum vterum ferunt, etiam atq; etiam considerare iubet, quàm periculosæ validæq; sint, in humano corpore, imaginationes; atq; eapropter operam dare, ne quam admittant de formis, turpis & obscœnæ rei cogitationē; Item vt pericula deuitent, in quibus fœda aliqua visu species possit occurrere. Quòd si eas occasiones adeant, præcogitent, quidquid possit oculis offerri; ne ex inopinata nouitate noceat, si quid subitò aspexerint, vnde contrahat noxam fœtus. Mihi fæminæ prægnantes non tantùm admonendæ sunt, vt à Comædijs, pugnis, imaginum curiositate abstineant; sed multò maximè etiam, ne ex fornicatione, adulterijs, incæstu, sacrilega cum cacodæmone consuetudine pregnantes fiant. Quid mirum, si sequitur segetem messis? Qui bonas fruges volunt legere, non debent facere malorum sementem. Tantum ergò abest, vt Deus sit ab istis arguendus, vt ipsi potiùs caussa sint suæ calamitatis, & quidem Physica ac naturalis; longè tamen frequentiùs caussæ morales intercurrunt.

CAPVT LII.

Prima moralis Monstrorum caussa, vt sint signa Dei, monere, aut sanare volentis.

I. Deste ergò impatientiæ pupilli, qui naturæ legem dicitis, & in cælum os ponitis, atque arma in ipsos superos mouetis, quando infantuli vobis adeò informes nascuntur, vt non homines, sed abominationes videantur: quibus etiam vulgò fertur, meliùs prouisum fore, si in lucem numquam prodijssent. Siquidem, vt *monstra* non monstrant tantùm aliquid, sed etiam ipsa monstrantur, & velut *ostenta* ostenduntur, si qui velut Argi nimis oculei; aut tamquam Cyclopes vnoculi; aut, Iani instar, bifrontes; aut, ad Cerberi formam, tricipites; vel, vt Hecate, multiformes pariuntur.

riuntur.

riuntur. Putanturque hæc ingens parentum infamia, tristitia amicorum, propinquorum verecundia, naturæ dedecus esse. *Regula est humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos,* ait S. Chrysostomus (in Matth. 23. hom. 45.) *aliquando tamen vt manifestentur opera Dei, nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos omninò non habens.* Inter quæ opera est diuinæ vindictæ vel præsentis, vel impendentis significatio. Siquidem plerumque monstra aliquid monstrant, & portenta futurum aliquod malum vel bonum portendunt, (ipso Cicerone dicente: *Prædictiones & præsensiones rerum futurarum, quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quæ futura sunt, portendi, prædici, ex quo illa, ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur?*) quando vel ipsi parentes in monstrosa prole, vel alij per alia prodigia instruuntur, vel plectuntur. Imò pœnam sæpe monstra & significant secuturam, & post se, aut secum ipsa non raro trahunt. Sicut enim benignus Mundi Gubernator, per somnia, per oracula, per Prophetas; ita & per monstra aliaq; prodigia *dat metuentibus se significationem, vt fugiant à facie arcus.* Quin & improbos, & totas gentes præmonet de futura clade. Sic aiunt, tempore regis Xerxis, vulpem ex equa creatam, dissolutionem regni eius portendisse; tempore Alexandri, ex muliere monstrum natum, quod superiores corporis partes hominis, sed mortuas habuerit; inferiores diuersarum bestiarum, sed viuentes, significans repentinum regis interitum. Superuixerant enim deteriora melioribus. Et hæc quidem apud Ethnicos contigerunt, apud quos itidem neque reges; neque regna, sine diuino nutu, sunt punita. Ne pœna autem inexpectata esset, haud raro eos monstra præmonuerunt. Quid quòd ipse malus dæmon, vt est grauium malorum author, ita nõnunquam etiam cogitur esse eorundem vaticinator?

Cic. lib. 2. de nat.

Psal. 59. 6.

Vide plura exempla, apud Plin. lib. 7. cap. 3.

II.

Mirabile est, quod Strozius Cicogna refert de Spiritu incubo, *qui Polycriti formâ, Ætolorum Princeps creatus esse, & iuuenculam Locrensem vxorem duxisse, legitur*, cum qua, *tribus exactis maritali consuetudine noctibus, subitò disparuit, grauidamq; vxorem reliquit, quæ postea Hermaphroditũ monstrosum valdè partum*

Stroz. Cicogna in theatr. vniuers. nat. part. 1. l. 3. c. 2. & ex eo Hen-

ric. Kornmannus de mirac. mortuor. p. 4. cap. 13. *tum edidit. Mulieris parentes attoniti monstrum in forum detulerunt, vbi conuocato senatu, vocatisq; aruspicibus, deliberatum fuit, quid monstro illo faciendum esset. Consuluerunt alij, vt partus flamma aboleretur; alij, vt mater cum partu Ætolorum finibus exigeretur. Heic Polycritus nigro vestitu amictus repentè apparuit, & precibus primùm, deinde minis filium reposcit. Recusantibus Ætolis, in medium prosiluit, & infantem apprehensum totum deglutiuit, capite excepto, statimq; disparuit, AEtolis ingenti stupore perculsis, & de legatis ad oraculum Delphicum mittendis consulentibus. Infantis caput in medio foro iacens loqui cœpit, & graui oratione magnam cædem prædixit, quæ non multò post secuta est, prælio, inter AEtolos & Acharnanenses, commisso.* Habes hîc præsagium & supplicium. Erat enim digna parentibus proles, mulctans pariter, & vaticinans, sed non sine dæmone monstri parente, Dei lictore, & mali nunciatore.

III. Valer. Max. lib. 1. c. 6. n. 6. Sunt &, apud Valerium Maximum huius præmonitionis exempla. Nam loquens de C. Hostilij Mancini vesana perseuerantia scribit, ei *consuli in Hispaniam ituro hæc prodigia accidisse. Cùm ab Herculis portu, quò pedibus peruenerat, nauem conscenderet, talis vox sine vllo auctore ad aures eius peruenit, Mancine mane. Qua territus, cùm itinere conuerso Genuam potisset, & ibi scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus è conspectu abijt.* Hæc & insuper aliquid de pullis fugitiuis, concludit tali epiphonemate: *Ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquauit, infelici pugna, turpi fœdere, deditione funesta.* Et postea, paulo infra: *Non sinit nos M. Crassus, inter grauissimas nostri imperij iacturas numerandus, hoc loco, de se silentium agere: plurimis & euidentissimis, ante tantam ruinam, monstrorum pulsatus ictibus.* Vbi autem ea commemorauit, ita pergit: *Magna hæc prodigia: sed & illæ clades aliquanto maiores: tot pulcherrimarum legionum interitus, tam multa signa hostilibus intercepta manibus, tantum Romanæ militiæ decus barbarorum obtritum equitatu, optimæ indolis filij cruore paterni respersi oculi, corpusq; imperatoris inter promiscuas cadauerum strues, auium ferarumq; laniatibus obiectum. Vellem equidem placidiùs, sed quod relatu verum est. Sic dij spreti excandescunt: sic humana consilia ca-*

 stigantur,

stigantur, vbi se cælestibus præferunt. Plerumque enim fit, vt perituri primùm prudentiam amittant, dein sua sapientia nixi consilia salubriora spernant, quorum ope imminentes sibi calamitates vitare potuissent; vnde id consequuntur, vt quod illis accidit, etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Atque hæc quidem vel Ethnici agnouerunt.

IV. 1. Paralip. 16. n. 12.

Eorundem signorum rationem haberi vult etiam diuinus Spiritus in litteris sacris. Quid enim aliud voluit Dauid celebri illo ac festiuo cantu? *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & psallite ei: & narrate omnia mirabilia eius, &c. Quærite Dominum, & virtutem eius: quærite faciem eius semper. Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: signorum illius, & iudiciorum oris eius.* Quin & ipse Seruator ait: *Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum.* Luc. 21. 25. Vbi & alia complura signa commemorat. Sicut ergo signa illa iudicium vniuersale sunt prænunciatura; ita multis idem clementissimus in hac vita judex Deus, antè per monstra significat judicium quoddam peculiare, vt *fugiant à facie arcus.* Antè enim tonat, quàm fulminat, & priùs telum ostendit, quàm mittit. Eiuscemodi signa in cælo, in terris, in omnibus elementis, ac generibus rerum dedit. In cælo quidem stellas nouas, vt omittam Cometas: nam de Cometis futuras clades portendentibus proprium volumen conscribi posset. Thucidides certè, & Plutarchus tradunt, ante cladem Atheniensium in Sicilia, quæ accidit Olympiade nonagesima secunda, Euclea Athenis prætore, Cometam in Septemtrione visum esse. Significauerat is, & Athenienses vincendos, & Niciam cum alijs interficiendum. Sed quid hunc Oceanum ingrediar? Visus à nobis cometa Anno 1618. nonne satis multas, magnas, & diuturnas Germaniæ bellicas calamitates portendit? Sed quàm pauci eius commonitione territi à vitæ suæ improbitate resilierunt? Expectauimus vltronei cladem; cuius nunc à Deo finem fieri quotidie optamus, nec tamen ipsi finem facimus Numinis offendendi. Pœnæ terminum volumus poni, non delictis: & clementem cupimus esse illum, quem videmus mo-

Thucid. l. 6. & Plutarch. in Nicia.

 nentem.

nentem. Vno verbo, plecti nolumus, dum plecti meremur; & hostem cupimus à nobis auerruncari, dum nos ipsi pergimus esse hostes Dei. At, ô quàm bonus est Deus! Alij, quorum vox est, *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?* noctes diesque cogitant, qua fraude hostes suos circumueniant, & occupent imparatos: Deus, quos vult ferire, signis monstrisque monet, vt ictum declinent. An non igitur suamet culpa pereunt, qui moniti non *fugiunt à facie arcus?*

V. Sab. lib. 6. Ennead. 3.

Per elementa quoque monstrosè monitos esse mortales luculentis historijs accepimus. Liuio teste, in bello contra Veientes, Manlij prætorium de cælo tactum, laceratum fulmine tentorium, euersus foculus, arma fœdata, ambusta ac in totum contrita: occisus eximius equus, quo in prælijs vti consueuerat. Interrogati igitur interpretes prodigiorum, responderunt, significare castrorum oppugnationem, & clarissimorum virorum interitum. Cum Hetruscis cruento prælio pugnatum. Q. Fabius, Marci frater, bis consul, & tunc legatus, lancea per pectus ictus interijt. Manlius Consul in clade occubuit, & vallum Romanorum captum est. Ecce vnum fulmen quot tetigit; vnus ignis quot vssit. In Hiera insoliti noctu ignes extitêre, interdiu fumus velut ex camino redditus est. Quid inde secutum? Mota est plerisque Græciæ locis terra; qui motus Lacedæmonijs in Isthmum procedere cupientibus, & in Atticam iter instituentibus fuerunt impedimento. Adeò non in militia duntaxat, sed etiam in totius Mundi Republica per ignes signa dantur. Anno ante Christum natum 460. 461. & 463. antè, quàm ferè Volscorum nomen deletum est, & antè, quàm annus tam hominibus, quàm pecori longè fuit pestilentissimus, cælum ardere visum est plurimo igne, portentaque alia aut obseruata oculis, aut vanas exteritis ostentauêre species, quibus auertendis terroribus, vt post Liuium scribit Iulius Obsequens, in triduum feriæ indictæ: per quod omnia delubra pacem Deum exposcentium virorum, mulierumque turbâ implebantur. Animaduersumque est sæpius, ingruente bello, peste, aut terræ motu, aut alia calamitate, proluuium ignis ex Ætna maius manauisse. Mirum est, à

Iulius Obsequens c. 12, 13. & 14.

Oros. lib. 2. Vinc. lib. 4. cap. 59.

vera

vera religione alienos, ne infortunium inuenirent, in fanis suis, & à Dijs falsis auxilium quæsijsse; nos autem, quos & Siculi, & alij ignes toties monent, diuinam iram sicut ignem exarsisse, nondum incendia lachrymis extinguere. Sicut enim cælestis iræ ignis impietate accenditur, ita fletu & pœnitentia deletur; immo anteuertitur, ne inualescat. Sed stulti in cachinos proni malunt lachrymis digna facere, quàm lachrymare: quibus dicitur: *Væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis, & flebitis.* Psal. 88 47. Luc. 6. 25.

VI. Valer. Max. l. 1. c. 6, n. 2.

Quia autem prodigiorum quoque, quæ secunda acciderant, debita proposito nostro relatio est, siue igni, siue aëri ascribi potest *felicis euentus illa flamma, quæ ex L. Marcij ducis duorum exercituum, quos interitus P. & Cn. Scipionum in Hispania debilitauerat, capite concionantis eluxit. Namq; eius aspectu pauidi adhuc milites pristinam recuperare fortitudinem admoniti, octo & triginta millibus hostium cæsis, magnoq;, numero in potestatem redacto, bina castra Punicis opibus referta ceperunt.* Ad ignem quoque & aërem pariter pertinet, quod Plutarchus narrat de Themistocle. *Is cùm nauali prælio contra Xerxem regem pugnaret, flammam magno lumine ab Eleusine illuxisse; sonitum quoq; ac vocem, toto Thriasio agro ad mare vsque exauditam esse, velut ex hominibus multis mysticum Iacchum educentibus, scribunt. Ex multitudine verò vocum referri à terra paulatim nebulam, ac in triremes rursus reuerti, decidereq; visam. Alij imagines & simulachra affirmarunt ab Ægina apparuisse armatorum hominum, manusq; pro Græcis attollentium, quos Æaridas esse coniecerant, à quibus ante pugnam precibus & votis implorârant opem. Ac sic Græci, Themistoclis atq; Lycomedis Atheniensis Tetrarchi virtute victores contra barbaros facti Xerxem fugârunt.* Ad aërem quoque pertinet, quod Iulius Obsequens refert, silentio noctis ex silua Arsia ingentem vocem auditam esse, quæ superstitiosè Siluani credita fuerat. Proclamauit autem, vicisse bello Romanum. Potuit Angelus Romanorum fuisse. Sic in igne, sic in aëre Deus mirabilia facit. Plutarch. in Themistocle. Iul. Obsequens c. 8.

VII. Exod. 3. 20.

Neque in aëre duntaxat, sed in ceteris quoque rebus. Ille enim est, qui olim dixit: *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum*

Ægyptum in cunctis mirabilibus meis. Quare, sicut Pharaonem tunc etiam in aquarum prodigijs monuit, ita sæpius postea, & alios per aquas prodigiosas erudiuit; licet nonnulli superstitionibus diuina subinde monita inquinârint. *Hippocrates, cùm tyrannus Athenis esset, hostiamq; immolasset, ahena, vt imposita erant, plena, & carne, & aqua absq; igne efferbuerunt, ita vt aqua redundaret. Quod portentum conspicatus Chilon Lacedæmonius, qui fortè aderat, suasit ei, primùm ne vxorem fæcundam duceret domũ, secundo loco, si vxorem haberet, eijceret, & si quidem ex ea filium sustulisset, abdicaret.* Vereor ne in hac aqua sine ignibus ebulliente Orcinum potiùs infuerit, quàm diuinum portentum, cùm neque interpretatio eius fuerit diuina. Quare ad aliud aquaticum prodigium me confero, ex Dionysio Halicarnasseo sumtum. Quo tempore quinquaginta peditum millia, duodeuiginti equitum, vno tempore barbari in armis habuerunt, Cumarum ciuitas à Daunijs, Vmbris, & alijs circumiectis gentibus oppugnati viderunt Vulturnum & Clanium amnes hostium castra præterlabentes, retro cursum suum flexisse; eoque miraculo Cumani in spem bene gerendæ rei erecti fretique locorum opportunitate, in pugnam egressi immensum exercitum profligauerunt. Iterata sunt hæc olim aquarum miracula, vt & Ægyptij in mari rubro vincerentur; & non tantùm per flumina, sed etiam per maria Israëlitæ siccis pedibus transirent. Cedunt enim ad Dei imperium aquæ, & succedunt. *Cùm bello acri & diuturno Veientes à Romanis intra mœnia compulsi, capi non possent; eaq; mora non minus obsidentibus, quam obsessis intolerabilis videretur, exoptatæ victoriæ iter miro prodigio dij immortales patefecerunt:* ait Valerius Maximus. *Subitò enim Albanus lacus, neque calestibus imbribus auctus, neque inundatione vllius amnis adiutus solitum stagni modum excessit.* Ita obsessi diuinitus muniti videbantur. Sed opem in contrarium traxit ars Stygia. Nam *eius rei exploranda gratia legati ad Delphicum oraculum missi retulerunt, præcipi sortibus, vt aquam lacus eius emissam, per agros diffunderent. Sic enim Veios in potestatem populi Romani venturos. Quod priùs, quàm legati renunciarent, aruspex Veientium à milite nostro (quia domestici interpretes deerant) raptus,*

Herodot. l. 1.

Dionys. Halicarn. lib. 7.

Valer. Max. l. 1. c. 6. n. 3.

raptus, & in castra perlatus, dixerat. Ergo senatus duplici prædi-ctione monitus, eodem penè tempore, & religioni paruit, & hostium vrbe potitus est. Hæc Valerius, quæ etsi aruspicina, & oraculum falsi Numinis contaminet, contigisse tamẽ per aquas plus nimio credibile est; cum paria, à Valerio Maximo recensita, vt de aqua, quæ apud Cerites sanguine commixta fluxit, confirmet D. Augustinus, qui ait, *etiam tum natos infantes de vteris matrum quædam verba clamasse: volasse serpentes, feminas (& gallinas, vt homines) in masculum sexum fuisse conuersas.* Et quis dubitet, aquis mirabilia, in signum diuini vel fauoris, vel furoris contigisse? Nonne nos ipsi, in vltimis Comitijs Ratisponensibus Anno 1631. celebratis coram experti sumus, omnibus prodigium, immò miraculum agnoscentibus, Danubium, vna repente nocte, glacie resoluta, fluxisse, transitumq; Panierio & copijs illius negasse; quæ repentinæ aduenerant, & pænè totius imperij legatos, vnà cum optimo Cæsare Ferdinando III. oppresserant imparatos? Ne Danubium igitur transirent, congelatum ex aquis pontem illis Deus subduxit, aquas obiecit, & vnà glaciem ac consilia hostium dissoluit.

S.Augustin. lib. 4. de ciu. Dei.

VIII. De signis, per terræ motum, mutationesque editis, est passim ex authoribus occasio intelligendi. M. Tullius ad aruspicinæ rationem refert, quæ Tages quidam dicitur in agro Tarquinensi, cùm terram araret, & sulcus altiùs impressus esset, voce repentè existente, audiuisse. Sed sæpe vox aliud monuit, aliud auditor intellexit. Quid tonitrua de cælo, quid terræ tremebundæ mugitus aliud significant, quàm vt iram Dei fugiamus? Vt enim homini, qui Conditori suo seruit, seruiunt omnia; ita eidem exorbitanti omnia minitantur. *Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens tuis præceptis, vt pueri tui custodirentur illæsi. Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio: per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.* Sed quia huc pertinent omnia monstra terrarum, sæpius à nobis attingenda, compendio locus esto.

Cic. de diuin.

Sapi. 19. 6.

Præcipua

IX. Valer. Max. lib. 1. c. 6. n 5. *Præcipuæ admirationis etiam illa prodigia, quæ*, Romæ, *inter initia motusq; bellorum acciderunt*, inter quæ fuit, *in Piceno lapidibus pluisse. In Gallia lupum vigili è vagina gladium abstulisse. In Sicilia scuta duo sanguinem sudasse.* Sed nihil est supra lapides illos circiter 1200. qui magno omnium stupore, in agro fluuio Abduæ contermino, è cælo ceciderunt. Ex illis enim, vt Cardanus de rerum varietatæ scribit, vnus 120. pondo, alius sexaginta, delati fuerunt ad regis Gallorum satrapas, & pro miraculo habiti sunt. Color eorum ferrugineus, durities eximia, odor sulphureus. Præcesserat in cælo ignis ingens horâ tertiâ. Decidentium lapidum strepitus hora quinta exauditus, vt mirum sit, horis duabus, tantam molem in aëre sustineri potuisse. Intra viginti menses pulsi Mediolano Galli. Triennio post reuersi varia priùs fortuna, inde iterum acti, ad excidium profligati. Vrbs Mediolanensium, in cuius finibus ceciderant lapides, vectigalibus, incendio, fame, obsidione, peste nunquam grauiùs vexata. Atq; hi lapides Anno salutis 1510. lapsi sunt è nubibus; priora autem illa portenta lapidum, & gladij, per lupum è vagina educti, P. Volumnio, Ser. Sulpicio Coss. contigerunt. Ita & in lapidibus, & in metallis signa habita sunt. Sed in metallis alia quoque

Pausan. l. 10. edita leguntur. *Clitodemus omnium, quotquot Atheniensium res paruas descripserunt antiquissimus, in Attica historia inquit; cùm Athenienses classem iam Siciliam versus instruxissent, infinitam coruorum multitudinem prouolasse Delphos, & mutilasse simulachri partes, aurumq; ab eo rostris detraxisse. Addit idem, hastam fregisse coruos & noctuas, & quidquid ad imitationem fructuum autumnalium erat ad palmam effictum.* Mira vel monstra, vel miracula, vel vtraque simul in metallis futura significantibus recensentur.

Gaspar Ens. lib. 4. Pausilip. Gaspar Ens refert, de Comitibus Westerburgijs, qui arcem habuerunt, non procul à Rheno, edito loco impositam. Illi aliquando, ob pestem inibi grassantem aliò concesserant. Non multò post tamen redierunt. Dum in arcem ascendunt, ecce malleus horologij pro tertia aut quarta hora pomeridiana, sponte vndecim ictibus exsonat. Mirantur omnes insolitum errorem; hospites caussam exquirunt ab arcis custode,

custode, qui ait, nullam se eiusce rei caussam scire: horologium quidem complusculis diebus à nemine tactum. Quid fit? recrudescit mox pestis, & comites vnà cum ijs, qui redierant, tot numero, quot æs Campanum sonitu suopte indicauerat, interemit. Frequentiùs hoc prodigij genus accidit, vt de ventura homines mortis hora simili indicio admoneantur; adeò bonus Deus non solùm verbis prædixit, docuitque, se more furis venturum; sed insuper qubusdam, ne lauernionis instar, sed vt præscitus veniat, etiam dignatur aduentum suum significare; ita nulla illis est excusatio, qui deprehenduntur imparati & dormientes. Quin eiusdem authoris testimonio, in Aragonia æs quoddam est Campanum, quod *Campanam miraculosam* vocant, non procul à Villila. Hoc æs in turri quadam colli impositum pendet, circuitu ad X. vlnas complexum, sua sponte, id est, nullis hominum manibus, nullo vento, nullo terræ motu, alteriusúe sub aspectum cadentis rei impulsu, sonat; raró tamen. Animaduersum est, eum sonum semper aliquid magni portendere. Factum id aiunt, paulo antè, quàm Sebastianus Lusitaniæ rex expeditionem in Africam suscepisset. Item, cùm Alfonsus rex Aragoniæ numeroso instructus exercitu in Italiam profectus Neapolitanum regnum occupasset: itemque sub excessum Caroli V. Imp: vt & in periculoso morbo Philippi II. regis. nec non in morte Annæ reginæ. Quin etiam aiunt, An. 1610. 13. die Quintilis vsque ad 24. sonitum eius de die in diem, per interualla auditum esse. Nimirum quemadmodum in domibus Religiosorum, ad dormiendum & vigilandum, ad orandum & cantandum æris pulsu signum solet dari, vt omnia ordine fiant, neq; quidquam, quod ad disciplinam pertinet, negligatur; & quemadmodum in vrbibus tinnitu sonituq; æris mortales ad templum conuocantur; ita & Deus subinde in vnuerso orbe commonet homines, vt excubent, & officio suo non desint. Neq; sine caussa dictum est: *Laudate eum in cymalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.*

Matth. 24. 24

Psal. 150. 5.

X.

In plantis quoq; monstra euenire plures testantur. Nam *est in exemplis, arbores & sine tempestate, vllaúe caussa alia, quàm prodigij*

Plin. lib. 6. nat. hist. c. 30.

prodigij cecidisse multas, ac sua sponte resurrexisse. Factum hoc populi Rom. Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceriæ in luco Iunonis, vlmo, postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita vt protinus floreret. A quo deinde tempore maiestas populi Rom. resurrexit, quæ antè vastata cladibus fuerat. Memoratur hoc idem factum & in Philippis, salice procidua atq; detruncata: & Stagiris in musæo populo alba. Omnia fausti ominis. Sed maximè mirum Antandri platanus etiam circumdolatis lateribus restibilis sponte facta, vitaq; reddita, longitudine XV. cubitorum, craßitudine quatuor vlnarum.

Dionys. lib. 9. Herodot. l. 7. & 8. Quin etiam, vt Dionysius & Herodotus memorant, Laodiceæ aduentu Xerxis platanus in oleam mutata est. Fuit in his arborum monstris virorum fortium quædam imago, qui etiam apud Isaiam vocãtur *plantatio Domini ad glorificandum.* Ac, ne rerum felicium duntaxat, in plantis, monstra gigni existimentur, refert Valerius, *metentibus, apud Antium, cruentas spicas in corbem cecidisse;* significabatur scilicet, multum sanguinis, instante bello, faciendum, & plurimos mortales fatali falce metendos. Quippe etiam hoc in plantis portenditur. Siquidem *omnis plantatio, quam non plantauit Pater* cælestis, *eradicabitur.* Talem eradicationem etiam portendit fraxinus, quam An. 1592. Embricæ in collegio F.F. Hieronymianorum tempestas fregit. Eius enim truncum vbi Collegij procurator exscindi, & in frusta secari iussit, in singulis incisionibus tota militum agmina expressa apparuerunt; inter quos tympanotribæ, signiferi, ductores aliique milites Borussorum & Polonorum more amicti non aliter, quàm si ex industria depicti essent, conspiciebantur. Terra olim Cadmea segete hastatos genuisse fingebatur, quis miretur nunc vbique bella geri, si nobis milites in arboribus crescunt? Et sanè hi de plantis milites lignei, veros post se milites traxerunt. Nec fabula est de his ligneis militibus, Petrus enim Huestius partes ligni illius ostendit & oculos, quibus plurimum credimus, testes adhibuit.

[Margin: Isa. 61. 3. — Val. Max. l. 1. c. 6. n. 5. — Matth. 15. 13. — Ianson. t. 1. lib. 5. Mercurij Gallo belg. pag. 355.]

XI. Si ad animalia veniamus, copia numero caret. Et auium quidem vel auspicia, vel auguria, suo iure remittimus ad superstitiosos. Arcesilao regnum tenente, candidus coruus apparuit,

[Margin: Herodot. l. 4.]

paruit, de quo graue responsum ferebatur. Et mox ad Democratiam status ciuitatis recidit; Bessus cùm ad Hesperidas decessisset, occisus est. Faustior coruo albo fuit Onacrotalus, auis cygno multò maior: quam Culmannus Geppingensis scribit, in omnibus expeditionibus, circa An. 1509. Maximiliano Romanorum regi præcessisse, ac castris quasi locum signasse. Quamobrem ea auis mansuetissima in aula Cæsaris, quam ipsa sibi visa est elegisse, boni ominis spe, debito victu, multis annis, sustentata est. Visa est etiam eadem à pluribus Mechliniæ attenta. Posset hîc recenseri auis in Hispania in vrbe Ambgenita, Anno Seruatoris 1628. plumbeis glandibus deiecta, & Comiti, Schafgotio missa, viginti septem pedes longa: quæ in fronte oculum humanum, caput autem bouinum habuit, & verò etiam bouis instar mugijt, Ceterùm inuicem aurium flaccidarũ alæ dependebant; vertici cornuta vitta tergo tuber testudineum, pectori lorica, & his asperi aculei, caudæ gemini enses, collo monile carneum, corallio haud absimile munimen addiderunt. Hæc, & plura de hac aue possent hîc recenseri ex Mercurio Germanico Valentini Pistoris, sed litteræ, & alia non me sinunt conijcere, quid sinistri monstrum hoc portenderit. Quanquam enim quispiam rectè dixerit: *Væ mihi quia tacui*, præstat tamen etiam subinde silere, quàm ingratijs aliorum diuinare.

Culman. in epistol. ad Gesnerum.

Mercur. German. Valentini Pistoris in Semestri An. 1628. & An. 1629.

Isa. 6. 5.

XII.

Volucribus adiungi possunt & apes Platonis, quæ, vt historicus ait, *æternæ felicitatis indices extiterunt, dormientis in cunis paruuli labellis mel inserendo. Qua re audita, prodigiorum interpretes singularem eloquij suauitatem ore eius emanaturã dixerunt. At mihi quidem illæ apes non montem Hymettum thymi flore redolentem; sed Musarum Heliconios colles omni genere doctrinæ virentes, dearum instinctu depastæ, maximo ingenio dulcißima alimenta summæ eloquentiæ instillasse videntur.* Quod ostentũ etiam euenit Ambrosio, qui non alia de caussa pingitur alueari apposito insignis, quàm quòd ad os illius adhuc infantis apum examen aduolârit, iam tum mellei oris dulcedinem libantes. Quod omen in futuro tam sancto viro eò dignius credibiliusq; extitit, quia vel apud Ethnicos paria contigerunt. *Midæ* enim

Val. Maxim. l. 1. c. 6. n. 3. Extern.

Idem Valer. loc. cit. etiam, *cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Parentibus deinde eius, quorsum prodigium tenderet, explorantibus, augures responderunt, Omnium illum mortalium futurum ditißimum. Nec vanà prædictio extitit; nam Midas cunctorum penè regum opes abundantia pecuniæ antecesßit: infantiæq; incunabula vtili deorum munere donata, onustis auro atque argento gazis pensauit.* Idem & Herodot. l. I. Omittam hîc L. Sullæ & Hostilij Mancini, itemque Ti. Gracchi & Tarquinij Superbi, nec non Crœsi, ominosos magis, quàm monstrosos angues: vera monstra futuri nuncia percurram.

XIII. Ælian. lib. I. variar. c. 29. *Coi dicunt, in pascuis Nicippi tyranni, ouem peperisse: Peperisse autem non agnum, nec agnam, sed leonem. Atque id Nicippo, qui tum priuatam adhuc vitam agebat, futuram tyrannidem portendisse.* Ita quidem scribit Ælianus. Valer. Max. l. I. c. 6. n. I. extern. & Herodot. l. 7. *In exercitu Xerxis, quem aduersus Græciam contraxerat, equa partu leporem editum constat, eodem montem Athon vix tandem transgresso. Quo genere monstri tanti apparatus significatus est euentus. Nam qui mare claßibus, terram pedestri operuerat exercitu, vt fugax animal, pauido regressu regnum suum repetere est coactus.* Bestias quoque locutas suprà diximus. Et caussam fuisse grauem necesse est, quæ bestijs linguam soluit. Nimirum, more Fæcialium, bella Romanis indixerunt P. Volumnio, & Seruio Sulpicio Coss. *Bos namq; mugitu in sermonem humanum conuerso nouitate monstri audientium animos exterruit;* quod Orosij supputatione an. 202. ab vrbe condita contigit: quanquam id etiam aliàs dicatur contigisse. Enimuerò & canes legimus locutuleios esse factos. Ita enim scribit Plutarchus. Plutarch. in Cimone. *Cimon Atheniensis, cùm suos, contra Cyprios, aut Ægyptios, pararet milites, & iam in littore maris constitissent copiæ, horrenda illi species oblata est. Vidit enim canem quendam laceßitum latrare, & inter latrandum vera humana voce vti. Astyphilus igitur Poßidoniates vir vaticinij peritus, eiq; familiaris, mortem, ait, hanc sibi speciem præsagire.* Quod etiam Mauritio Imperatori, equus repentè collapsus præsagijt, vt paulò post docebo.

XIV. Sed humana monstra præcipuè hunc sibi locum vendicant. Nam illa, vt sunt præcipua, ita & maximè valent ad ali-

quid significandum. *Filius Crœsi regis cùm iam, per ætatem fa-* A Gellius l. 5.
ri posset, inquit Gellius, *infans erat; & cùm iam multùm adole-* Noct, c. 9.
uisset, item nihil fari quibat. Mutus adeò & elinguis diu habitus
est. Cùm verò in patrem eius bello magno victum, & vrbe in qua
erat, capta, hostis gladio deducto, regem esse ignorans inuaderet:
diduxit adolescens os clamare nitens, eoq; nisu & impetu spiritus, vi-
tium nodumq; linguæ rupit: planeq;, & articulatè locutus est, cla-
mans in hostem, ne rex Crœsus occideretur. Tum & hostis gladium
reduxit, & rex vita donatus est, & adolescens loqui prorsum dein-
ceps incœpit. Herodotus in historÿs huius memoriæ scriptor est, eiusq;
verba sunt, quæ prima dixisse filium Crœsi refert: Ἄνθρωπε μὴ
κτεῖνε Κροῖσον. Hæc Gellius. At Plinius longè aliter hanc histo- Plin. lib 11.
riam refert, simulque quid significârit hoc prodigium indicat Nat. hist. c. 51.
his verbis. *Semestris locutus est Crœsi filius in crepundÿs: quo pro-*
digio totum id concidit regnum. Læti igitur monstri fuit tristis
exitus. S. Augustinus ipse testatur, vidisse se, gigantéam mu- S. Augustinus lib. 15. de ciuit. c. 23.
lierem Romæ, ad quam spectandam mirabilis fiebat vndequa-
que concursus, cùm tamen parentes eius reliquis hominibus
æquarentur: paulò autem pòst excidium vrbis esse subsecu-
tum. Surius, cùm terribile illud monstrum Anno 1512. Ra- Supra c. 47. § 2.
uennæ visum, quod suprà exscripsimus, retulisset, addidit: Sur. An. 1512. de reb. in orbe gestis.
Interpretationem quidam eiusmodi esse voluerunt. Superbiam, le-
uitatem, virtutum inopiam, Sodomiticam labem, amorem rerum
labentium, Dei obliuionem, inexplebilem auaritiam, Gallico flagello
castigatum iri. Quod & factum est. Eodem enim anno Gallorum
rex Ludouicus, rupto cum Pontifice & Maximiliano fœdere, Ra-
uennam obsedit: & tandem deditione receptam vrbem, contra fi-
dem datam, diripuit, & magna clade affecit. Imperante quoque
Constantino, legimus editum infantem ore gemino, dentibus
binis, & barba, oculis quatuor, auriculis duabus quidem, sed
breuissimis. *Qui partus*, inquit Marcellinus, *Remp. in statum*
reclinatum deformem planè portendebat. Quin & Mauritio Ti-
berio Imperatori ortum monstrum interitum denunciauit, vt Theophylact.
videre est in historia Theophylacti Simocattæ expræfecti. *Sa-* Simoc. lib. 6.
tellitibus enim *ad eius tabernaculum, pro eo ac decebat, excubias* c. 1. & 2. hist.
ducentibus, vna muliercula partus cruciata doloribus, clarisonas Mauritianæ.

 voces

voces iterum ac sæpius effudit. Egreditur de excubitoribus, qui feminam tam absono clamore prohibeat. Vbi domunculam intrauit, caussamq; vociferationis exquisiuit, illa partu soluitur. Is naturæ piaculum erat: puer nempe sine oculis, sine palpebris, sine superciliis, sine manibus, sine brachijs, peregrinum quiddam, & informe. Ad coxendices prætereà cauda piscis agnata visebatur. Spectaculi huius formâ, & modo lustrato, satelles parentes ipsos cum puero ad Imperatorem deducit. Qui portento conspecto, parentibus interrogatis, vnde id haberent, vbi caussam nullam attulerunt, spectare desinit, quod natum erat, interfici iubet. Ita monstri mater absoluitur, & infans gladio conciditur. Die altero Imp. Enatum (loci nomen est) cum exercitu transit; emensisq; duabus parasangis, castra vallo communit. Tum de eius equis nobilissimus, & aureis ornamentis decorus collabitur, ruptoq; ventre confestim extinguitur. Ex omnibus hisce præsagijs Imp. infausta & peratrocia sibi in posterum præsentiens, & præsentibus terrefactus, ob metum futurorum in mœstitudine haud mediocri versabatur, &c. Recentius quoddam portentum futurarum calamitatum prænuncium memorabo. Anno 1533. postquam die 17. Iulij Cometes longa cauda visus indigitauit, sequenti anno, pacificum illum, & omnibus modis laudandum regem Fridericum fatis sublatum iri, memorabile quiddam accidit, quod Iustinus Goblerus narrat. Mortuo rege, corpus eius, de more, balsamo perunctum & amomo delibutum picatæque sandapilæ inclusum fuit. Feretro ita vndique obturato, vt ne aër quidem, aut mortalis odor inde posset expirare, cadauer tamen adeò cœpit sanguinare, vt defluentem inde cruorem subiectis vasis necessum fuerit excipere. Hæc cùm præter naturam, in corpore mortui, & exsuccis membris contingerent, illico omnes censuerunt, Deum tam manifesto signo aliquid velle portendere. Et rectè censuerunt. Lubeci enim, & in adsitis partibus, bella ac seditiones, aliæq; alibi grauissimæ calamitates extiterunt. Quippe eodem prætereà anno in Hungariam & Austriam Turcarum tyrannus irrupit. Henricus octauus Angliæ Rex Caroli V. Imp. Romani nouercam repudiauit, consiliariosque aliquot factum dissuadentes capite mulctauit. *Quibus apparet, cælestium numen, &*

Iustin. Gobler. lib. 2. de reb. gestis Lubecens.

Val. Max. l. 1. cap. 6. n. 12.

Cæsaris gloriæ fauisse, & populi errorem (aut peccata) *inhibere voluisse.*

Itaq; , peccantibus hominibus, sinit Deus etiam naturam peccare, vt de clade futura cogitantes animaduertant, quantum ab eorum sceleribus Author naturæ abhorreat, qui monstris maximis ostendit, nihil esse tam monstrosum, quàm peccatum. Sed & bonitatem suam immensam declarat. Ex beneuolentia enim nuncium præmittit, ne veniat inopinatus. Præcogitatum malum minùs offendit; & ictum, quem præuidemus, commodiùs excipimus. Immò longè faciliùs declinamus. Idcirco monstra præcedunt, vt signum sint rei alicuius grauis secuturæ; eam quia consultius est auertere, quàm expectare, clemens prouidentia est, præmonere secuturam. Sic equis non in ipso cursu, aut præcipitio, sed antè fræna injiciuntur. Quanti passim fiunt vaticinia? quanta olim in æstimatione fuerunt Sibyllarum oracula? Nonnè beneficij magni loco recensuit rex Dauid: *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi?* Psal. 50. 8. Numquid ipse Deus, in amoris testimonium, dixit: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Gen. 18. 17. Denique nonnè amoris signum fuit, quando illa voce Patriarcham consolatus est: *Eritq; arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam viuentem?* Gen. 9. 16. Cùm ergo plerumque Mundi Gubernator etiam monstris aliquid significare soleat, fine optimo ea in mundum inducit. Per ea enim hominibus loquitur, præcauet, vaticinatur. Qui illum timent, qui filij sunt morigeri, faciem eius præoccupant in confessione. Vident enim atque intelligunt, quò radius eat, & ad quem scopum diuinus digitus intendatur. Quare vel se præparant ad cælestem iram fortiùs excipiendam, vel citiùs anteuertendam. Lippientibus oculis vel sine fructu, vel non sine molestia lumen admouetur. Qui si aliud nihil è monstris discere vellent, saltem possent in illis æternæ prouidentiæ signa agnoscere. *Idoneum, opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis,* ait Tertullianus. *Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, jam scilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur.* Enimuerò, Tertull. in Apolog. aduers. gent. c. 20.

XV.

uerò, si rectè calculum ducimus, & judicia Numinis attentiùs consideramus, tanta illius est bonitas, vt nunquam feriat, nisi præmonitos. Etsi enim minetur impijs *repentinam calamitatem & interitum quasi tempestatem*, tamen eos docet cauere: dum enim minatur, monet. Et disertè perspicueque ipse Seruator: *Attendite*, inquit, *vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore, orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Et adhuc clariùs: *Vigilate ergo (nescitis enim quando Dominus domus veniat: serò, an media nocte, an galli cantu, an manè) ne cùm venerit repentè inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Si omnibus dicit, ergo omnes monet: nullum igitur, nisi præmonitum, ferit. Quanquam non illis duntaxat verbis monet. Monet mille modis; inter quos est etiam vnus iste per monstra. Qua de caussa ita scribit ad Gentes Tertullianus: *Quidquid agitur, prænunciabatur; quidquid videtur, audiebatur. Quòd terræ vorant vrbes, quòd insulas maria fraudant, quòd externa atque interna bella dilaniant, quòd regnis regna compulsant, quòd fames & lues, & locales quæque clades, & frequentiæ plerumque mortium vastant; quòd humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur; quòd iustitia rarescit; & iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit; quòd etiam officia temporum, & elementorum munia exorbitant; quòd & MONSTRIS & portentis naturalium forma turbatur, prouidenter scripta sunt. Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur.* Ita diuina sapientia nòn tantùm clades per monstra, sed ipsa etiam monstra per vaticinia prædixit.

Prou. 1. 27.

Luc. 21. 34.

Marc. 13. 36.

Tertullian. loc. cit.

CAPVT LIII.

Secunda moralis Monstrorum caussa, vt sint pœna hominum, ob scelera plectendorum. Et qui, aut cur aliqua capitis parte, aut toto capite monstroso nati sint?



SVfficeret, vt Monstra sint, si signa sunt, nunc etiam sæpe sunt supplicia. Neq; enim tantùm per illa monet, sed etiam plectit Deus vel ipsos monstrosos, vel parentes, vel magistratus, aut etiam totam communitatem monstrosorum. Et quidem varijs modis, ob varia peccatorum genera, quorum acerbitas diuinam vincit bonitatem, quam facit iustissimè in iram deflectere. Vnde, sicut ceteræ creaturæ sunt potentiæ, ita monstra sunt iustitiæ monumenta. Et vel Ethnicus author Plotinus scripsit; *ipsam mundi artificem rationem, malis, postquam facta sunt, opportunè admodũ vti solere, id autẽ maximæ potestatis est, malis etiam bene vti valere.* Imò monstra ipsa potest esse iubere, quia non sunt mala moris, sed naturæ, & quidem naturæ particularis duntaxat, ac talia, vt sint quoddã bonũ totius vniuersi. Bonum enim est Vniuersi, vt in eo iustitia locũ habeat, sine qua omnia susque deque verterentur. Quod quoniã, præter Plotinũ, etiam alij, apud gentes agnouerunt, factum est, vt Poëtæ quoq; ipsi tot fingerent monstra, in quæ homines pœna dignos, vel ob alios plectendos, mutatos cecinerunt. Hinc Actæon in ceruũ, Iphigenia in ceruã; Scylla, Aglauros, Daphnis, Anaxarate, Niobe, Aconteus, Atlas, Lycas, Olenus, Prœtus, in Saxa; Lycaon in lupum, Achelous in taurum, Æsacus in mergum, Antigone in ciconiam, Atalanta in leænam; Arachne in araneam, Alcithoë in vespertilionem, Diana in felem, Cadmus in anguem, alijque in alias formas monstrosissima metamorphosi feruntur conuersi. Ita enim vnius curiositas, alterius crudelitas, tertij impietas, & alia crimina aliorum castigata significabantur. I.

Plotin. lib. 3. enn. 2. c. 18.

Quod isti carminibus suis expresserunt, alteri in somno est demonstratum, teste Cedreno, cuius hæc sunt. *Antequã, tempore Michaëlis Paphlagonis Imp. calamitates multis prodigijs significabantur.* II.

significata regno Orientis acciderent, cuidam de ministris Episcopi insomnium oblatum fuit, prorsus rem ipsam repræsentans. Visus erat sibi videre Eunuchum, albis vestimentis indutum, formâ effulgente, qui tribus ipsi saccis appositis ordine eos iuberetur aperire, & euacuare. Cumq; id faceret, è primo vim serpentum, viperarum, & scorpionum erupisse. Ex altero rubetas, aspides, basiliscos, cerastas, & alias venenatas bestias. Ex tertio cantharides, culices, vespas, aliaq; aculeata animalia. Cùm ad hoc spectaculum obmutuisset, virum illum dixisse: Hæc vobis accident, ob violata Dei mandata, & impium facinus in Rom. Imperatorem eiusq; coniugem perpetratum. Hac igitur virulentissimarum bestiarũ mixtura & moneri mortales, & puniri monstratum est. Quemadmodum & olim D. Ioanni, qui & ipse vidit *de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum, in quibus plagæ significabantur, erumpere.* Sed nihil visis aut somnijs necesse est probare, cùm exempla suppetant docentia à capite vsque ad calcem siue particulatim & membratim, siue vniuersim & per omne corpus, delinquentes aliquos monstrositate plexos esse ac deformatos.

Apoc. 16. 13.

III. A capite incipiamus in quo summum decus capilli, quos legimus aliquando in superbiæ pœnam rufatos, aliquando in iuuenilis petulantiæ castigationem canos extemplò factos, aliquando omnino, velut arborum folia, vento difflatos esse. Aptè hîc apponi potest, quod in Societatis nostræ historia legitur. *Mulier erat supra ceteras flauo rutiloq; crine decora: quæ crinium specie, cùm nimium sibi placeret & plauderet, cœnobij nomen horrebat, ne cogeretur id aliquando decus tonsori immiti committere. Monuit eam Cornelius Societatis Iesu, si crines illos pluris quàm Deum faceret, caueret, ne in eis crinibus, quos tantum diligeret, pœnas daret. Diebus interpositis non ita multis, sentit Patrem verissimum fuisse vatem, laborare ex capite cœpit, totaq; illa pulchritudo capilli morbo vrgente defluere. Ergo ne caluitij pulchritudinem, euulsis ad vnum crinibus ostentaret, necessitatem in virtutem vertit, cœnobijq; sese latebris, quod antè sic horruit, occultauit.* Monstrosa hæc caluities & pœna fuit, & medicina; supplicium & beneficium. Neque enim, qui dixit: *Vestri capilli*

Hist. Soc. to. 3. An. 1552.

Matth. 10. 3. Luc. 21. 18.

pilli capitis omnes numerati sunt, itemq; : *capillus de capite vestro non perhibit*, sine caussa non solùm capillum vnum, sed & omnes huic abstulit. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion*, Isa. 3. 17.
& Dominus crinem earum nudabit, dixit minitans Propheta. Sic superbia crinium tollitur, &, cincinnis supra caput ædificatis, instar Iunoniæ auis incedentes ad modestiam rediguntur. Vt enim pauo cristas erigere non potest, quas amisit, ita nec femina ornare capillos, quibus est spoliata. Et spoliata est supra dicta puella, vt virginitate ornata maneret. Ita præmium ipsa caluitie meruit, quæ fortasse meruisset infernum, si alios retibus illis illaqueasset, quorum fortasse non nemo dicturus fuisset, *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, &* Cant. 4. 9.
in vno crine colli tui. Quàm vtile est, sic deformari, vt placeas Deo? quàm lucrosa mutatio, si dicatur comtulo adolescenti, aut puellæ mundum vanitatesq; deserenti, & in claustrū Deo consecratarum transeunti: *Et erit pro suaui odore fœtor, & pro* Isa. 3. 24.
zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium? Si enim, vt aliquando Magdalena, crinium superbia peccare possunt mortales; possunt etiam eorundem Luc. 7. 38.
vel squalore, vel cineratione, neglectuq; aut sacro vsu ad Christi pedes tergendos conuerso, Deum placare; maximè autem, si non in Cenchris, sed in monasterijs, ad Numinis honorem, æternamq; suam seruitutem tondeantur. Nam huic quoq; rei suum præmium esse, Ezechiel nos docet, apud quem Deus ita Ezech. 29. 18.
loquitur: *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est: & merces non est reddita ei, neq; exercitui eius, de Tyro, pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam.* Nimirum ob pondus galeæ & loricæ fuerat *militum caput decaluatum & humerus depilatus*; & militum regis Babylonis, quorum opera Deus vsus erat ad plectendam impietatem. Quòd si igitur militum caluitia præmijs ac mercede digna videbantur Deo; quantò præmijs ac mercede digniores erunt, quos non galeæ & loricæ prementes inuitos decaluant; sed qui cæsariem suam sponte non Apollini, aut Æsculapio, sed vero Numini consecrauerunt? Tantò autem euiden-

euidentius fuit beneficium in supra dicta puella, quòd non illam tonsor, sed Deus caluam fecit, ne ijs implexa capillis implicataq; velut olim Absalom arbori, ipsa vanitati adhæreret. Pariter itaq; caluitie punita est, & sanata. Quid conquerimini, vetuli, vetulæque, quando vos senectus depilat, si iuuenibus prodest comarum priuatio, quæ etsi eos deformes, tamen pios facit? Illos pro monstris habetote, quibus non iam manus rixantium, aut iratæ vxores, totos capillorum manipulos à capite reuellunt, sed quos insana libido, infectus intemperantia sanguis, lues Gallica, & infames caussæ crines exuunt; vt galericulos, & fictitias atq; aliunde mutuatas comas gestare cogantur. Immo qui sibimet ipsis, non iam præ ira atque furore, sed præ superbia pilos radicitus extirpant. Multi enim viri, multæ feminæ, vt senium dissimulent, & floridiorem ætatem mentiantur, crines canescere incipientes non tolerant, sed forficulis vellunt; alijsq; & alijs canis subnascentibus, adeò verticem suum depopulantur, vt tam glaber sit, atque manus illorum. Quis eiuscemodi monstrorum caussa est? Nonne ipsi? qui oculos quidē hominum fallere possunt, nunquā tamen mortem decipient, quamuis oculis carentē. Propter eiuscemodi superbiam, Redemtor noster peculiare est illud passus, vt per ludibriū crines illi vellerentur, & olim exprobratione grauissima dicturus sit: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* O quàm in diuino cōspectu formosi sunt, qui sic deformantur, quosq; non piget imitationeMagdalenæ ----- *fœdare in puluere crines*

Vibratos calido ferro, myrrhaq; madentes!

[2.Reg.18.10.] [Isa. 50, 6.] [Virgil. lib.12. Æn.]

IV. Melior est hæc mutatio, quàm si quis ab impexis sordibus ad vnguenta transeat & calamistros. Quemadmodum & satius est, cum Propheta Eliseo caluum vocari, quàm cincinnatulum rapi in gehennam. Quanquam non caluitie duntaxat legimus homines deformatos, sed ipsa etiam capillorum mutatione, aurea illa flauedine in Æthiopum colorem, velut succino in carbones verso. Verè dixit olim humani generis Reparator: *Non potes vnum capillum album facere aut nigrum.* At quod

[4. Reg. 2. 23.] [Matth. 5, 36.]

quod homo non potest, Deus potest, & Sancti diuina virtute petulantem superbiam coërcentes. Quodam tempore, vt de eo testatur Theodoretus Cyri Episcopus, Nisibitanus ille Iacobus, Præsul virtute ac prodigijs clarus, *venerat in Persidem visurus plantas veræ religionis, & ei quem par erat, cultum exhibiturus, cùm is autem fontem transmitteret, puellæ quædam, quæ pannos lauabant, & vestes pedibus emundabant, ne nouum quidem, & qui decentem præ se ferebat grauitatem, sunt reueritæ habitum: sed exuto pudore & perfrictâ facie, & impudentibus oculis diuinũ hominem aspiciebant, neque capita aperientes, neque vestes, quas succinxerant demittentes. Hoc cùm ægrè tulisset homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore ostendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem est execratus, & fluentum confestim euanuit: puellas quoq; est execratus, & impudentem earum iuuentutem castigauit, canis ante tempus inductis. Et sermonem factũ est consecutum, mutatusq; est nigror pilorum, & similes euaserunt nuper plantatis arboribus, quæ vere circumtectæ sunt folijs autumnalibus! Eæ autem cùm sic sensissent supplicium (nam & fontis fluenta effugerant, & sua inuicem capita intuentes videbant repentinam illam mutationem) cursu ad vrbem contenderunt, renunciaturæ illud quod acciderat. Illi autem cùm occurrissent, & Magnũ Iacobum offendissent, rogauerunt, vt iram compesceret, & supplicium remitteret. Ille autem non diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit, fluenta autem rursus scatere iussit. Illa verò mox rursus è suis emanârunt penetralibus, iusti deriuata iussibus. Illi autem cùm hoc impetrassent, petebant vt filiarum quoq; suarum crinibus color suus redderetur. Aiunt autem eum hoc quoque concessisse, requisiisse autem puellas, quæ illam acceperant disciplinam: & quoniam non venerunt, reliquisse supplicium, documentũ temperantiæ, & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum, & euidens miraculum.* Canam antea sciebant mortales vocabantq; senectutem; monstrum igitur erat tunc cana iuuentus. Quo genere monstri meritò castigatæ sunt puellæ, quę quia nimis licentiosè assueuerant iuuenari, canitie aspersę sunt, vt maturiores viderentur. Obstupuit ciuitas, quæ illas vidit intra horam canuisse. Et quia illæ de adolescentia ac ornamento

Sur. 15. Iulij.

namento capillorum superbæ vetulis repentè similes factæ in publicum prodire non sunt ausæ, ob hanc ipsam monstrositatem, ex impudentibus saltem erubescere didicerunt. Quæ enim annis vegetæ erant, canitie effætæ videbantur. Siquidem albor pilorum, carnis ex qua nascuntur, corruptionem & vitium indicat. *Nam lepra*, ait S. Cyrillus, *fit ex eo, quòd caro emoriatur; excauatur enim vlcus illico, absumta cute, & in profundum semper; quo fit vt pilus qui in illis partibus exoritur languescens exalbescat ac velut stirps vnà cum subiecta terra corrumpatur.* Capillos tegit pileus, qui & ipse est memorandus. Siquidem, in Annuis nostræ Societatis legimus, Moguntiæ, hæreticam fuisse feminam, quæ exosa & execrata Iesuitas odium execrationemq; prodigio luit. Prolem enim peperit Iesuitico pileo tectam. Eam nimirum coronam soboli meruerat mater, quæ ne Iesuitarum obliuisci posset, in fætu suo, pro pilo, pileum intuebatur. Sed hæc de pileo & pilo satis. Neq; enim hîc memorabo de monstrositate eorum, qui S. Adalbertum occidêre, & semialbo capillo ac barba, velut creta notati, alijsq; malis affecti, scelus suum vultui inscriptum circumtulerunt. Similia enim occurrunt plurima, & vera, sicut illa sunt fabulosa, quæ dicuntur de Gorgonibus, ideò quòd canæ natæ essent, Græarum nomine vocatis. Neque enim hæc maiorem fidem merentur, quàm quòd vnum dentem, vnumq; oculum communem habuerint, quo, vbi domo exirent, vterentur.

S. Cyrill l. 15. de Adorat.

Vide Vitam S. Adalberti,

Hesiod. in Theogonia. Æschylus in Prometheo.

V. A capillis ad frontem descendat sermo. Est terribile, quod narrabo, sed magnis, multis, fide dignis testibus firmatum. Erat in Normannia vir quispiam sanguine haud clarus, diuitijs tamen maximis cumulatus. Huic vnicus filius in delitijs fuit. Quamobrem etiam inter delitias eum educauit. Eum filium filiæ suæ in maritum poposcit nobilis prosapiæ miles, conditione posita, si ipse bonis suis cedere, filioque omnium rerum suarum possessionem tradere vellet; filium vicissim, quæcunque vel patri necessaria, vel matri forent, abunde suppeditaturum. Aspera parentibus illa conditio videbatur, & periculosa. Sed qui vnà cum milite venerant, alias ei super alias

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 7. §. 4. Simile exemplum refert Cæsarius lib. 6. cap. 22.

rationes ingesserunt; jam filiæ formam, jam gentis nobilitatem, jam prudentiam, peritiamque œconomiæ commendantes; &, ne quid filio diffideret, etiam atque etiam persuadentes. Quid spes honoris & posteritatis non efficit? Consensit in nuptias Polyplusius. Abdicauit se dominio vterque parens; filius & sponsam adeptus est, & patriam in omnia bona potestatem. Beneficia, vt quædam vina, non nisi recentia dulcedinem exserunt, antiqua acescunt. Quare & noui isti nupti, primo à nuptijs anno, memores vnde sibi opes affluxerint, parentibus honores magnos exhibuerunt, omniaque ad vitam atque sustentationem necessaria, bono vultu, benignis verbis, insigni libertate, læta promtitudine præbuerunt; adeò, vt gauderent progenitores, se cura atque labore liberatos iam omnia, quàm priùs, in maiore otio & quiete habere; & verè frui ijs, quæ antea plus molestiæ, quàm solatij fecissent. Talis erat primus abdicatæ potestatis annus. Secundus iam contractiore manu ibat, &, quasi senescente beneficij memoria, omnia parciùs administrabantur. Tertius deinde annus, deposita verecundia, ostendebat fortunas paternas non ad filium, sed ad herum Euclionem fuisse translatas. Nihil ille exquisiti, nihil melioris notæ, vel cibi, vel potus, vel vestimenti parentibus suppetebat. Iam hoc querebatur sibi, iam illud deesse. Nullum præstans vinum emi, nihil pro culina electum haberi posse dicebat. Aliquando & pecuniæ inopiam caussabatur; aliquando prætendebat hanc, aliquando illam necessitatem incidisse. Ita semper aliquid erat, ob quod progenitoribus petita negaret. Tandem ad extremam eum vxor & auarities perduxit impudentiam. Neque enim iam excusabat suas sordes, sed insuper etiam accusabat parentum insatiabilitatem, vt quibus nihil sufficeret, nihil satis dari posset. Illorum prodigalitate redigi se ad incitas; importunitate ad impatientiam cogi. Denique vt vtrinq; pax maior esset, vt vtriusque partis quieti consuleretur, ex vxoris consilio, exiguam quandam è regione domus suæ casam parentibus conduxit, ita fore ratus, vt coniugibus iunioribus, seniorum querelæ ac morositas minùs esset molesta; atque tantò securiùs negari possent,

quæ

quæ oculis essent subducta. Eliminantur itaque è domo sua decrepiti parentes, & à filio separantur, coguntur q; ex ædibus bene instructis in vilissimum mapale, & tecta ventis pluuiisq; peruia emigrare. Ibi ergo in laribus malè materiatis, præter cæli, etiam filij iniurias quotidie deplorabant. Nihil recens coctum, nihil integrum; ea solùm quæ mensæ superfuerant, & plerumque tunc demum, cùm jam esui ampliùs idonea non essent, à filio mittebantur. Et interea apud nurum canes meliùs, quàm mariti parentes prandebant. Quæ caussa fuit, vt miseri parentes, nunquam sine lachrymis accumberent, & plerumque *potum suum cum fletu miscerent*. Accedebat ad hanc calamitatem, quòd seu querendi, seu petendi caussa, vix interdum domum filij intrare auderent, ita vultuosè aspiciebantur, ita compendiosè salutabantur; ita asperè, quid vellent, interrogabantur. Itaque per vernam plerumque internuncium id, quod cuperent, non mandabant, sed mendicabant. Non potuit diuina Nemesis tam crudelem diutiùs intueri impietatem. Fortè aliquando, in filij ædibus, anser veru transfixus assabatur, &, pinguedine in prunas defluente, ventus nidorem & fumum per omnem viciniam difflabat. Non potuit ergo latere tam sapidæ dapis odor famelicos parentes è regione habitantes, & vix sex passibus distantes. Ac, ne erraret, mater curiosioribus oculis alitem ipsum obseruauit ad ignes stridentem. Itaque eiuscemodi verbis seniculum maritum compellauit. Vide, mi coniux, vt lautè cœnat filius noster, nobis propemodum fame enectis! Strepit anser inter prunas, inuitat odor; nonne naribus hariolaris? numquid dentes pruriunt? Me feminam magis decet paucis esse contentam. Tu autem abi, obsecro, & te ipsum inuita, vt semel saltem araneantem stomachum, & dudum impatienter latrantem ventrem tranquilles. Non fuit difficile esurienti persuadere, vt vellet edere. Arrepto igitur scipione, prætrepidum spe silicernium seniliter cucurrit, ne post oua veniret ad mala. Vidit eum de fenestra filius venientem, celerique properatione ab igne remotum anserem occuluit; moxque, velut nihil fecisset, patri obuius quæsiuit, quid negotij id temporis, apud se haberet?

Psal. 101. 10.

haberet? Ipsa hæc filij interrogatio patri pro responso fuit. Qui illico etiam animaduertit, anserem, sine plumis licet, aliò auolasse. Altè illi hoc vulnus in pectus descenderat, sed pressit dolorem, reque omni dissimulata, & ventre malè contento domum reuersus est. Quid ibi anus mater, quid suam ipse sortem, inter fletus & gemitus accusans, sint collocuti, quid cælo & superis questi, vos cogitate. Deus certè non potuit ferre tantam rei indignitatem. Digresso patre, filius mandauit ancillæ, vt anserem in culinam reportaret, & perassaret. Volat puella, auem ex penu relatura. Eò vbi peruênit, fœdum visu reperit spectaculum. Iacebat in grandi patella anser supinus. At pectori eius, tanquam vultur Tityo, pinguissimus insidebat bufo. Caput illi tumidum; oculi prominentes & ignei; os rotundum, & perflabili patore hians; venter obesus; color luridus; pedes semicrudam auem tenacissimè apprehendentes. Tali conuiua conspecto territa ancillula metuendũ in modũ vociferata est. Accurrit herus, & baculo vnde vnde arrepto, impuratam bestiam excutere instítit. Illa, velut vim vi vindicatura, ab ansere in percutientis faciem insilijt, frontique eius ita pertinaciter inhæsit, vt nulla vel vi, vel arte auelli posset. Ita filij erga parentes suos barbaram inhumanitatem puniuit Deus; fuitq; ea pœna tantò grauior, quantò diuturnior. Quippe multis annis durauit. Auxit miraculi stuporem quòd, quotiescunque monstri illius pars aliqua tangebatur, ita miser ille cruciabatur, ac si cor illius feriretur. *Conterritus igitur,* inquit author, *mirabiliter & contritus adijt diœcesanum Episcopum, & cum omni dolore confessus, pro pœnitentia recepit ab illo, vt per omnes fines Normanniæ, & Galliæ ciuitates, reuelata facie circuiret, & vbiq; narraret populis euentum rei, vt per hoc exemplum sumerent filij honorare parentes, & discerent, quàm periculosum sit & nociuum, vicem non rependere laboribus, quos ipsi parentes filijs impenderunt. Hunc ergo hominem, cum bufonis monstro circumeuntem, vt diximus, Frater Ioannes de magno Ponte ordinis Prædicatorum, sicut per ipsum nobis relatum est, vidit in iuuentute Parisijs palam referentem omnibus, & monstrantem, quod pro inhonoratione parentum passus fuerat, multis annis, & adhuc secundùm*

Dei voluntatem pateretur. Hunc postea, sed non per dictum fratrem Ioannem, audiuimus Sanctorum quorumdam precibus liberatum, & disparuisse subitò fœdum monstrum. Magnum vtique buso iste in fronte monstrum fuit. Sed longè maius, frontem ipsam sine fronte fuisse, neque erubuisse, negare rem tantillam patri, à quo omnia acceperat. Discite hinc, ô filij, quàm non solùm monstrosa, sed etiam monstris digna res sit, parentes non venerari. Quid dico non venerari? contemnere. Et tamen, prô dolor, res est quotidiana! Est igitur in hoc monstro maximè monstrosum, quòd non sit rarum.

VI. Matth. 6, 22. Sub fronte sunt oculi, quorum officium est, vt sint velut duæ corporis lucernæ, iuxta illud: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* A cuius incolumitate adeò magnum est corpori momentum, vt idem diuinus Magister dixerit: *Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum erit tenebrosum.* Quemadmodum igitur monstrum est, *si lumen,* quod in aliquo est, *tenebræ sint,* ita vtique monstrosum est, oculum non videre posse, sicut non posse lucem lucere. In hac ergo quoque capitis parte puniri homines, vel illa curiositas docet, quæ puellæ, rem alioqui piam, vt apparet, scrutanti, lumen extinxit. Genoueua, teste Bonfinio, virgo Parisiensis ab Epiphania Domini, ad cœnam vsque Domini, sese solebat, spontaneo carcere, à consortio hominum separare, atque in cellam secretiorem includere, vt diuinis precibus ac meditationi sacræ, remotis arbitris, impensiùs vacaret. Erat puella alia, quæ, noscendi studio, quidnam illa sola faceret, tacitè ad ostium adrepsit, & per rimas negotia occupationesque inclusæ obseruauit. Magni illi ea curiositas stetit. Nam è vestigio luminis vsuram amisit, vt nihil prorsus videret, quæ videre volebat, quod vel diffidentia illi suasit, vel suspicio simulationis. At quæ sanctorum clementia est, quadragesimali ieiunio exacto, eiusdem operâ lumen recepit, cuius indagine id peccans amiserat. Præstat nimirum etiam oculis carere, quàm abuti; quos amittere meruerant & illi, qui cùm Christum Christiq; egregia facta admirari debuissent, liuidis & inimicis oculis *obseruabant eum.* Beneficium est,

Bonfin. decad. 1. lib. 1.

Luc. 14. 1.

armis

armis carere quibus pereas. Itaq; quid mirum est, si puella hæc amisit oculos, ne curiosè videret? Fuit quæ sibi ipsa oculos erueret, ne curiosè videretur. Et quamuis neque Tobias, neq; Samson visum amisit, Deo crimen aliquod in illis puniente, (siquidem Tobiam cæcitate probauit, Samsonem Dei hostes exoculauerunt) tamen ad Elymam magum, qui *quærebat auertere Proconsulem à fide*, Paulus dixit: *Ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsq; ad tempus. Et cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumiens quærebat, qui ei manum daret.* Enimuerò à Deo & Sodomitæ percussi sunt cæcitate. Quid mirum? cùm apud homines quoque legatur pœnaria cæcitas viguisse. De Arsace rege Armeniæ capto ex insidijs à Sapore Persidis rege Ammianus Marcellinus scribit, eum, effossis oculis, catenis argenteis vinctum, ad castellum Agabana nomine exterminatum, ferroq; pœnali discruciatū cecidisse. Et multis ante sæculis, Sedecias Iudæ rex, à Chaldæorum rege, aduersus quem rebellauerat, posteaquam filiorum suorum crudelem ante oculos, trucidationē intueri adactus fuit, indeq; catenis vinctus Babylonem adductus est, pœnam sensit excæcationis. Quæ pœna & ob libidinis perpetrationē, ob armentum, bouis abigendi caussa, dispalatum, atque ob frumentum ex horreis abductum, fuit olim irrogata. Sed de cæcis, & cæcatis infinitus esset differendi campus. Illud sufficit adnotasse, & miseram rem esse cæcitatem, & monstrosè deformem. Miseram esse testatus est ille, qui dixit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Et agnouerunt hanc miseriam, quotquot ad Christum cæci alta voce clamauerunt, eaq; liberari voluerunt. Deformitas autem vel inde potest æstimari, quòd etiam luscos vulgus rideat, aut caligine obscuratos; quæ caligo, teste Galeno, *est oculorum quoddam πάθος, nempe ducta similitudine ab aëris perturbatione, & crassamento spißiore quam nebula, tenuiore quàm nubes, oculi cicatricula à superficiaria exsuperantia contracta, & totum fere oculi nigrum comprehendens, colorisq; cærulei.* Quamobrem Arator ita rem describit:

Tob. 2. 11. Iud. 16. 21. Act. 13. 8.

Gen. 19. 11. Vide Petr. Fabri Semestrium lib. 3. c. 19. Ammian. Marcell. lib. 27. 4. Reg. 24.

Tob. 5. 12.

Galen. in lib. 2. Hippocrat. Prorrheth. comm. 2. num. 18.

tunc nubila vultum
Cæruleis fixêre notis, & pectoris atri
Venit in ora color.

Luc. 22. Quid ni & in aures? aures atro sanguine bullientes. Quid aliud Malchus meruit, quàm mutilari? iam enim antea integer non erat, qui venerat ad capiendum Christum innocentem. Quis scit quæ caussa fuerit, ob quam, circa annum 1240. tanta à Tartaris Polonorum strages ederetur, vt auriculis præcisis Tartari nouem ingentes saccos expleuerint? Multa audiendo peccata perpetrantur. Denique

Crom. lib. 8. *Falsò citat*

Auriculas asini quis non habet?

VII. Ioan. Nider. lib. 1. Formicarij. c. 10.

Non oculos duntaxat, & aures inhonesto vulnere, totum vultum scelera faciunt monstrosum. Nouisse militem se aliquando scribit Ioannes Nider, cuius vxor pulchrior, quàm castior, cùm Helena quàm Lucretia esse maluisset, quantùm mente, tantùm facie est mutata. Quoniam igitur adulterij fæditas ex horrido illi vultu eluxit, nec antè desijt videri monstrum, quàm desijt peccare velle. Itaque postquam pijs mariti monitionibus ad pœnitentiam & criminis confessionē apud sacerdotem factam est adducta, lachrymis vnà & pectoris maculas, & oris dedecus abluit. Si ad hunc modum eadem in omnibus & mentis & frontis esset species, ô quàm multos & multas occurrere nobis monstrosos cerneremus! Sed abscondit Deus sæpius deformitatem animi, olim coram toto mundo detegendam.

VIII. Thom. Cantipr. lib. 2. de vniuerso. cap. 30. p. 40.

Consimile exemplum non jam in vxore miles, sed in milite vxor experta, ab alio authore memoratur. Hic enim cùm, intempesta nocte, de coniugis latere, ad adulterium alibi perpetrandum surrexisset, peractoque flagitio, luna clara, redijsset; faciem venientis vxor per fenestram intuita, horrificè cæpit exclamare. Ad eum clamorem, vt fit, vndique & ancillæ è cubiculis, & famuli de stabulis concurrerunt. Nec minùs isti, quàm domina, perterriti cœperunt vociferari, arbitrantes, se viui cacodæmonis vultum conspexisse. Tot testibus oculis credidit & ipse miles, qui agnoscens se diuino judicio ignominiam induisse, vix expectato die, ad animæ medicum, in templum prope-

properauit. Expellebantur tunc ad pascua pecudes, & ecce ipsi boues, ipsæ sues, ac mutæ animantes Auernalem in illius vultu laruam horrentes, quà datum est, diffugerunt. Quin & pastores obuij Stygium quendam in illo venire Spiritum existimantes fuga sibi consuluerunt. Denique ipse Parœcus pro foribus templi preces matutinas Deo persoluens, aspecto tam formidabili monstro, crucis se signo muniens exilijt, & in interiora templi, adducto clausoque ostio, se properè recepit. Pulsauit tamen miles januam, & eiulabili voce sacerdotem rogauit sibi fores vt reseraret, de peccatis confessuro, Deoq; per pœnitentiam satisfacturo; neque enim se esse illum, qui videretur; faciem in laruam, hominisque in dæmonis vultum, ob scelus suum, vitæq; impuritatem duntaxat, esse commutatum: velle se quæ in animo essent turpia eijcere, paratum omnia quæ imperarentur exequi, cetera diuinæ committere voluntati, à qua misericordiam expectaret. Mira vis est pœnitentiæ, magna potestas lachrymarum. Vix peccata sua detexit, vix se adulterij accusauit, cùm illico detersa est omnis illa laruaIis turpitudo, redijtq; vultus hominem professus. Quis Deum accuset homines deformantem? Ipsi se mortales flagitijs fœdant; & qui cum D. Stephano ita nitere posset, vt *intuentes eum omnes viderent faciem eius tanquam faciem Angeli*, is vel conscientiæ luAct. 6. 15. rore, vel ebrietatis incensus æstu, vel libidinis deformatus scabie diabolo similis videtur. Immo nonnulli quasi non contenti ea forma, quam à Deo acceperunt, vt Bacchanalia viuere, & licentiùs lasciuire queant, faciem teterrimis vestiunt personis; quia laruæ esse malunt, aut quoduis ex Daunia & Getulia monstrum, quàm homines. Quid isti merentur, qui, tanquam eos puderet, claram pulchramque illam Dei imaginem omnibus modis velare & operire conantur, tantaque obscænitate fædant, vt si eis, iusto Numinis judicio, eiuscemodi vultus obtigisset, ipsi se absconderent, & oculos humanos vitarent. Nunc nigræ, rugosæ, pilosæ, verrucosæ, cornutæ cacodæmonum facies, quas à natura accepisse miserrimum fuisset, sponte quæruntur, emuntur, induuntur, & obuia festiuitate sub Orcino schemate triumphatur, ac deformis supplicij calami-

calamitas pro lætitiæ materia habetur. Quid ergo accusant homines, quæ affectant? cur cum impatientia habent, quod quærunt, si non habent?

IX. Immo quod optant? nam siue precentur, siue imprecentur, optare vtique videntur, quæ imprecantur æquè, ac quæ precantur. Ita & Seneca pronunciauit, cuius hæc sunt: *Iam non miror, si omnia nos à prima pueritia mala sequantur. Inter execrationes parentum creuimus. Exaudiunt dij quoque nostram pro nobis vocem gratuitam.* Quid querimur, si exaudimur? Et tamen multos Deus punit, quia exaudit. In Geldria, circa annum Christi M. DL. XXV. mirabile exemplum accidit. *Quidam*, inquit Wierus, *non obscuri nominis Regi Hispaniarum, apud Geldros militans, quum è familia nobili honestam duxisset coniugem, quam & durius tractabat, intelligeretq́ tandem ipsam vterum ferre, indignanter veluti sinistrè precatus, ait illi: Tu infernalem gestas dæmonem, quem gladio confodiam. Non longè post filiolum genuit, dimidia corporis inferioris parte benè formata: verùm superior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, vt Satyrus; auribus longis, veluti canis venatorius: in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata reddebantur sanguinea.* Habes hîc, non vnam tantùm, sed ferè omnes capitis partes monstrosas. Quid horres? quid naturam detestaris? quid Deum in ius vocas? talem huic marito vxor partum edidit, qualem optauit. Ita nimirum nunquã naturæ Gubernator ingratis hominibus satisfacit, siue det, quod petunt, siue neget. Cur imprecantur, quod auersantur? Ac sanè cùm omnes imprecationes sint malè, Plato tamen nihil censet filijs esse periculosius, imprecatione parentum; quemadmodum etiam nihil illis salubrius est, quàm si parentum suorum benedictionẽ mereantur, vt olim in Isaaco, Iacobo, Tobia alijsque fuit videre. Certè, vt *non potest arbor bona malos fructus facere*, sic neque homo bonus serere maledictionem in immerentes.

Senec. ep. 11.

Wier. lib. 4. cap. 18. de præstig. dæm.

X. Nec alios duntaxat feriunt Diræ & maledictiones, sed sæpe etiam redeunt in caput ipsius execrantis; neque manent in externo monstrifico aspectu, sed vocem quoque monstrifi-

cam efficiunt. *Sanè memorabile est*, inquit horarum succisiuarum author, *quod non ita pridem in vicinia contigit, cùm quidam multis imprecationibus & execrationibus subditos suos miserè afflixisset, & coëgisset, vt arcem suam durißimis laboribus ædificarent, eosq́ inter laborandum, & aliàs, nullo alio nomine, quàm* CANES *suos appellaret. Nondum enim ædificio absoluto in grauißimum morbum incidit; cumq́ nondum ab imprecando, & subditos* CANES *suos appellando desisteret, Deum ita offendit, vt prorsus elinguis fieret, & dum hæc scriberem, nulla articulata humana vox, sed solummodo latratus caninus ab eo exaudiretur.* Nimirum quædam talionis forma est, vt quod alterum cogis pati, ipse patiaris. *Quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Quod iustitiæ diuinę est; clementię est, quando non fit; prouidentię, vt non semper fiat. Si enim semper fieret, quales non homines haberemus? quales voces audiremus? quales vultus aspiceremus? Quotidie superi dicere deberent; *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Itaque sicut olim Poëtica illa Solis filia, inaccessos lucos & voce, & facie monstrosis hominibus habuit plenos; ita passim cerneremus totum mundum eiuscemodi prodigijs repletum.

Phil. Camerar. Cent, 1. cap. 86.

Sap. 11, 17.

Gen. 11. 7.

Virgil. 7. Æn.

Hinc exaudiri gemitus, iræq́ leonum
Vincla recusantûm, & sera sub nocte rudentum;
Setigeriq́ sues, atq́ in præsepibus vrsi
Sæuire: ac formæ magnorum vlulare luporum.
Quos hominum ex facie Dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Quanti enim vel jam latrant? quanti rudunt, aut rugiunt? quanti crocitant, aut pippiunt homines? Denique nullum est animal, cuius vel linguam, vel formam innumera mortalium vitia non mererentur. Cur enim turpiloqui, maledici, linguaces proditores non mererentur vocem amittere, si sanctissimus alioqui sacerdos Zacharias mutus in pœnam factus est, quòd non statim credidisset, se tam diuturna sterilitate esse liberatum?

Luc. 1. 18.

XI.

Quanquam non tantùm tunc monstrum est, quando humana facies in bestiæ figurã mutatur. Magnũ quoq; monstrũ

& ter-

Manlius V. Præcept.

& terribile eſt, quando beſtię caput in caput hominis vertitur. Winshemij efferatæ mentis ſicarius, homicidia haud pauca iam pridem perpetrauerat, prægnantesq́; adeò ipſas exciderat; ſed vbi ſcelerum ſuorum menſuram impleuit, rotæq́; & rogo maturus fuit, eiuſcemodi prodigio eſt manifeſtatus. Hebdomade ſacra, quæ Paſcha antecedit, macellum adijt, & in tres dies feſtos tria capita vitulina emit, eaq́; in ſaccum reticulatum coniecta domum reportauit. Dum iret per plateas, omnium oculos traxit exiſtimantiū eum ferre capita tria humana; vtq́; ſpectaculum crudelius videretur, recens à capitibus ſanguis dimanabat. Mota eſt ſuſpicio, creuit rumor, fama ijt per totam ciuitatem, tandemq́; res etiam delata eſt ad Magiſtratum. Mittitur lictor, citatur reus, interrogatur de capitibus. Reſpondet, ea non hominum fuiſſe, ſed vitulorum. Ait, hanc ſe rem planam facere poſſe teſte lanione, à quo præſtinârit. Adducitur lanio, affirmat. Tantò igitur maior inde orta dubitatio. Nempe, tot oculos falli non potuiſſe; prodigia gratis non accidere; ſanguinis veſtigia aliquid clamare, dicebant omnes. Conijcitur in carcerem, datur in quæſtionem, deprehenditur reus, iam ſine tergiuerſatione faſſus complures à ſe patratas cædes, ac tum demum, capita è ſacco exemta in vitulinam reuerſa ſunt formam, vbi homicidia pœnæ meritæ patuerunt. Conſimilem hiſtoriam audiui Hiſpano cuidam accidiſſe, qui, cùm remotis arbitris, in recondito ſaltu, quempiam viatorē crumena atque vita ſpoliaſſet, eumq́; terra obruiſſet, exiſtimans cum cadauere facinus quoque ſuum eſſe ſepultum, incognitam, de cælo vocem hanc audiuit: IN MAIORICA VINDICTA. Territus hac voce, ne fortè in eam aliquando inſulam mitteretur, militiæ nomen dedit. Naue conſcenſa in Italiam nauigaturus, tempeſtate coorta reiectus eſt in Maioricam. Ibi, dum ſibi maximè vult cauere, vitata omnium familiaritate, exſcendit ad emendum ibidem in proximo loco caput vitulinum; quo itidem in cruentum humanum caput conuerſo proditus, illico & vocis, & vindictæ diuinæ memor pœnas dedit. Eſt hæc hiſtoria præcedenti

denti similis. Sed nihil est incredibile, idem sæpius accidisse. Cur non iterentur supplicia, si scelera toties repetuntur?

Hac de caussa etiam in vetustioribus consimilia leguntur. Tale enim etiam monstrum fuit, quod Platina testatur, Romæ contigisse. Summa Romæ duorum insignium virorũ Symmachi & Boëtij (qui gener Symmachi fuit) erat ac præcipua authoritas. Quamobrem euocauit eos Theodoricus rex Gothorum, iussitq; Ticinum venire. Ibi eos diu captiuos tenuit, quòd impijs eius decretis aduersarentur. Neque contentus fuit vinculis eos stringi, verùm bona quoque illorum publicauit, tandemq; etiam iniquissimè ambos iussit interfici. Habent viri probi supra se tyrannos; sed & supra tyrannos alius est, qui in eos animaduertat. Itaque, paulo post iniustissimam hanc cædem, secuta est talis pœna barbaram crudelitatem. Symmacho & Boëtio sepultis, epulæ de more parabantur, vt Theodoricus cœnam pariter & scenam feralem adiret. Inter cetera enim regia fercula, grande piscis caput mensæ imponebatur, quod cùm ceteris ob magnitudinem sumam admirationi esset, regi fuit formidini. Non enim ille piscis cocti, sed Symmachi visus est cernere resectum cruentumq; caput, horribili rictu & flammeis oculis ipsi minitantis. Obstupuit eo conspecto, & subito metu consternatus, totoque corpore contremiscens iussit se in lectum deportari; ibi accersito medico Elpidio & familiarissimis quibusque amicorum, terribilem illam Symmachi speciem à se conspectam lamentabiliter denarrauit, atque ita in scelere & sceleris pœna deplorata extinctus est. Hanc formidabilem, in ipsa mensa, metamorphosin quis non judicet esse monstrosam? Quis autem eius monstri caussa fuit, nisi ipse, quem petiuit, Theodoricus? Sed diuinitus eo inscio atque inuito hæc accidit mutatio. XII.

Longè ego propemodum dixissem conuiuium illud monstrosius extitisse, in quod *allatum est caput* Ioannis Baptistæ *in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ,* saltatricula adulteræ. Non voco caput innocentissimi martyris monstrum, sed conuiuium tamen fuit monstrosissimum. Quis inter fercula cædes, inter pocula vulnera, funera inter conuiuia tractauit? XIII. Matth. 14. 11.

pugnare scyphis Thracum est; & occidere in mensis Lapitharum. Herodes illo die, quo viuere & solem videre cœpit, fert sententiam mortis. Salax puella saltat, & pro mercede exigit Prophetæ caput. Mulier adultera sitit, & vult bibere humanum sanguinem. Quis hoc vnquam audiuit? quis legit? in regiam mensam, inter natalitias dapes, ferale apportatur ferculum, & in disco apponitur conuiuis caput Ioannis Baptistæ? Nonne hæc monstrosa sunt? & omnibus monstris detestabiliora? Ita capitibus ludunt & illudunt homines, & Deus capita non feriat, si capita peccent? Immo ferit. *Furibunda enim*

Nicepor. l. 1. Eccl. hist. c. 20 (verba sunt Nicephori) *& adultera incestaq́; adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniux, vita longiùs acta, cùm priùs filiam & saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque decessit: futuri sæculi iudicio & supplicio reseruata meras ibi, quàm citissimè diuinæ iræ fæces, intolerabilisq́; indignationis Domini calicem haustura. Filiæ autem eius (dignum enim est, quod memoriæ commendetur) talis fuit obitus. Eundum ei quopiam brumali tempore erat, & fluuius traijciendus: qui cùm glacie constrictus coagmentatusq́; esset, pedes eum transibat. Glacie autem rupta, (idq́; non sine Dei numine) demergitur illa statim, capite tenus; & inferioribus corporis partibus lasciuiens, molliusq́; se mouens saltat, non in terra, sed in vndis: caput verò frigore & glacie concretum, deinde & conuulneratum, & à reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet: spectaculoq́; eo omnibus præbito, scelestum hoc caput in memoriam ea, quæ fecerat, spectantibus reuocat.* Quis enim tunc matri eius sensus, cùm ei jam alterum caput afferretur atque in manus traderetur? idque non inuisum, vt fuerat Ioannis Baptistæ, sed longè charissimum? Nonne & ipsa facinoris sui

Matth. 7. 2. recordata agnouit diuinæ vindictæ æquitatem, viditque, *qua mensura mensa fuerat, eadem sibi remetiri?* Sed nihil vident impietate excæcati, percutiuntur, & non corriguntur. At quamuis pereant, geminum tamen ex illorum exitio bonum existit: siquidem ostendit eorum interitus, esse Deum iustum & metuendum, neque tamen sine clementia & bonitate. Nam eiuscemodi pereuntium supplicia, aliorum sunt exempla.

Quale

Quale etiam fuit illud curuiceruicum pecus, Iani infelix imago, homo verè præposterus, de quo in vita S. Ludouici Francorum regis legimus, eum in mirabile monstrum esse demutatum. Inter ceteras D. Ludouici Galliarum regis virtutes eminuit mirabilis quædam moderatio, & victoria mundanæ vanitatis. Non ille fulgere in auro, non in purpura atque ostro nitere amabat, sed vestitu communi ac simplici regiam tegebat dignitatem. Itaque ornatus, quem ille à vestitu non petebat, à miraculis illi accessit. Accidit aliquando, vt Comes Geldriæ Parisios nuncium cum litteris mitteret, illico rediturum. Ex eo reuerso sciscitatur Comes: *Num regem Franciæ Ludouicum vidisset?* Tum ille, vel vt per iocum domino placeret, vel vt per sannam regem contemneret, improba imitatione collum contorquens & in humerum reijciens, *Vidi*, inquit, *vidi illum miserum papilardum regem grisea veste indutum ad scapulas caputium gerentem.* Dixit, & quod dixit, miserando modo expressit. Finierat enim vix ea verba, cùm ecce, facies eius in collo rotata ac retrorsum acta, ita retorta permansit, vt in contrarium intueretur, & iam, quod animâ verè erat, etiam corpore homo peruersus esse videretur. Cui hæc tam monstrosè non videntis quò ambularet, deformitas est ascribenda? merenti, an punienti? Videre nequeo, quomodo in Deum culpa possit transferri. *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse* se ab eo auertens respexerit retro, cum vxore Lot; iniuriosus, non curiosus, contra illud cælestis Magistri: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Itaque iure irrisor iste diuinæ iustitiæ est immolatus, sicut olim aues, *retorto ad collum capite.*

XIV.

Sur. tom. 4. in vita S. Ludouici.

Eccles. 7. 30.

Gen. 19. 26.

Luc. 9. 62.

Leuit. 1. 15.

XV.

Defensa est in hoc monstro regis Galliarum virtus & sanctitas; punita alterius impietas in eo quod sequitur, non tantùm capitis, sed etiam colli monstrosi, prodigio, cuius in historiæ Aquitanicæ fragmentis ex Pithæi collectione editis fit mentio. Sed satius est dare verba Petri Damiani Archiepiscopi Rauennatis & Cardinalis, qui ita scribit: *Deus omnipotens terribile exhibet etiam in hac vita judicium, nec tamen miseri homines desinunt*

Petr. Dam. ep. ad Desiderium Abbat. Cassin.

Baron. t. 3. An. 998.

desinunt iterare plectendum. Nam Robertus Gallorum rex, auus istius Philippi, qui in paterni iuris sceptra successit, propinquam sibi copulauit vxorem, ex qua sucepit filium, anserinum per omnia collum & caput habentem. Quos etiam virum & vxorem omnes ferè Galliarum Episcopi communi simul excommunicauêre sententia. Cuius sacerdotalis edicti tantus omnem vbique populum terror inuasit, vt ab eius societate vniuersi recederent; nec, præter duos seruulos ad necessarij victus obsequium, illi remanerent. Qui tamen & ipsi omnia vasa in quibus rex edebat, & bibebat, percepto cibo, abominabilia iudicantes, pabula ignis exhibebant. His autem Rex coarctatus angustijs, ad sanum consiliū rediens, diuortium fecit, inijtq; legale connubium.

Gen. 41. 42.

Pharao, cognita Iosephi sapientia, *vestiuit eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* Sic honoratur, qui sic meretur; alij qui vt anseres viuunt, vt anseres meritò etiam incedunt; aut in prole sua imaginem suam aspiciunt, quemadmodum rex iste,

Iob. 15. 26.

qui cucurrit aduersus Deum *erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* Quanquam castigatus resipuit, demissaque ceruice collum iugo subiecit. Multi castigantur,

Matth. 18. 6.

& non emendantur, quibus *expediret, vt suspenderetur mola asinaria in collo* eorum, *& demergerentur in profundum maris,* ibi enim cum scandalis suis sepelirentur.

XVI.

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 49. §. 37.

Punitus etiam & emendatus monstro fuit ille Nobilis Theuto, adeò captus amore venandi, vt etiam Dominicis festisq; diebus, sacrificio missæ temploq; adesse negligeret. Adeò canum etiam, quàm Angelorum commercia vanis istis sunt iucundiora. Erat huic vxor moribus ita contraria, vti squalloris illuuiei nitores splendoresq; auri contrarij sunt. Tota enim diuersis seruitijs fuit addicta. Quare vxoria potestate sæpe virum verbis castigabat, sæpe monebat, vt salutis suæ & Dei non obliuisceretur. Sed, vt fit, semper risu refutabatur, dicebatq; crudus venator, mulierum monitus, & ranarum strepitus eâdem lance expendendos. Igitur quod femina non emendauit sua pietate, puniuit Deus naturæ errore. Si tamen error dici potest, tam clemens iustitia. Siquidem innocens vxor, per multos felices partus, tandem aduersa Lucina puerum peperit abortiuum, prodigiosi capitis, quod

canis venatici speciem habebat; erat enim molossico rictu, & auribus, braccorum (vt vocant) more, flaccis ac dependulis. Erubuit partu mater; obstupuerunt, quæ aderant, nobiles matronæ; in tota domo trepidatum est. Consilium fuit, vt mõstrum terra obrutum illico tegeretur, antè, quàm maritus domum rediret. Quod factum est. At herus domum reuersus primum habuit, vt quæreret, quid, se foris venante, vxor domi cepisset, aut peperisset? Tacuerunt omnes, & silentio rem dissimulare voluerunt. Suspectum fuit hoc silentium homini; &, vt erat militaris, gladio è vagina educto, iubet sibi recentem partum ostendi, vel se aliud renuentibus ostensurum minaatur. Metu exterrita vxor mandat vt monstrosa proles refodiatur. Quod tam triste spectaculum vbi est in medium allatum, ita iam ipso diuini honoris zelo animatior mulier coniugem suum est affata, *Videsne etiam coram oculis tuis, ô marite, quàm manifesto prodigio omnipotens iudex, insanam in te venandi libidinem vindicârit? qui, vt leporem posses capere, aut seruo insidiari, nullo honore dies sacros, nulla reuerentia res ipsas sacras, nec adeò ipsum sacrosanctum Christi corpus affecisti. I nunc, & post iterum, neglecto templisq́; debito cultu, feras sectare; i, cum canibus tempus consume, quod Deo debetur; accipies fructum venationis, pro filijs, canes.* His verbis, ac præcipuè monstri tam deformis aspectu ita tactus est Nobilis, vt non solùm negligentiam suam lachrymis ac seriâ pænitentâ diluerit; verùm etiam imposterum præcipuis curis templa frequentârit. Deplorent suum Acteonem Poetæ à vertagis laceratum; hoc humano cane nullus vnquam alius canis aut iustiùs, aut salubriùs dominum momordit.

CAPVT LIV.

Qui, & cur, reliquis corporis membris, aut etiam toto corpore monstrosi prodierint in lucem?



SAt punitur, qui capite luit, quod peccauit: quia tamen etiam reliqua humani corporis membra sæpe sunt scelerum instrumenta, seruiuntque iniquitati, idcircò

idcirco monstrositas per reliquum quoque sese corpus diffundit. Vt enim taceam Antoninum Pium Imp. qui forma conspicuus, & statura decorus, ac longus fuit, tamen senectute incuruatus, tiliaticijs tabulis circum pectus positis fasciabatur, vt rectus incederet, & naturam corrigeret fatiscentem; certè non sine diuina vindicta quosdam, impositis in humeros molibus, Atlantes fieri testatus est Leo Byzantius, cui Pasiades gibberus valetudinem oculorum obiecerat; respondit enim illi: *Humanum vitium infligis mihi, qui dorso portas Nemesin.* Quare, si qui tales sunt, vel suo, vel parentum merito, vix natos infantes nimis superbè amantium, tribuere debent, si id illis euenit, quod Saxo & Cranzius memorant accidisse Ingoni Haraldi Hyberniensis, Noruegiorum regis filio, omnibus honestatis numeris instructissimo, qui infantiæ suæ tempore, per incuriam nutricis fortè sinu delapsus, confracto dorso, gibbū contraxit. Puniuntur sæpe in filijs parentes. Quanquam hæc etiam pœna esse potest ipsorum qui patiuntur. Vnde per imprecantis modum prædicitur illis verbis: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Quod vitium, vt à casu, ita potest & à natura prouenire errante, at errante vel ob parentum peccata, vel ad patientiæ & demissionis occasionem, vel vt plectantur, qui curuantur; iuxta illud: *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* Hoc est, *dorso Nemesin portare.* Alia crux, aliud onus alijs, his sarcina hæc imponitur; quam etiam plerique senes coguntur gestare annis & morbis grauati, vt deorsum pressi oculis sepulchrum sibi quærant: ob quam caussam & *silicernia* vocantur. Est igitur illis gibbus, velut cippus ac monimentum tumuli eos expectantis. Ita enim paulò post, non tergo tantùm cumulato, sed saxo sepulchrali prementur; quo vt libentiùs eant, cum onere eunt. Onerati omnes, si sentiunt onus, magis libentiusq; properant ad quietem.

(Plutarch. de Vtil. ex inim. qui tamen lib. 2. Quæst. con. de filio Passiadis hoc tradit. — Saxo lib. 14. Cranz. lib. 5. Noruegiæ cap. 9. — Psal. 68. 24. — Psal. 65. 11.)

II. Plectitur & vestium peregrinus luxus sua monstrositate; & sæpe exprimit errans natura, quod malè affectauit tumens superbia. Quid enim aliud sibi voluit, circa Annum 1535. Bremopyrgi in vrbe Marchiæ infans, qui teste Fincelio, ita natus est in corpore circumflua & laxa cute, immo mole carnea,

(Conrad. Lycosthen. Anno 1535.)

nea, vt indutus sago militari Germanico crederetur? Fortasse infantis istius mater, sagum militare nimis curiosè aspexit? fortasse ita incedentem nimis fastuosè militem despexit? Nam talis dicere potuit: *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua.* Denique quid si sago digna fuit saga? vt adeò proles eius indicaret, matrem suam intus & in cute nihil valuisse? Psal. 108 29.

III. Polyd. Virgil. l. 13. Anglic. hist.

Sæpe Deus irridet irrisores suos, aut suorum, eosq; ignominia notat, qui Diuo alicui notam volunt aspergere. In Anglicana historia de D. Thoma Cantuariensi hæc habet Polydorus Virgilius: *Rogerius vt homo facinorosus, cum sui furoris sociis episcopis, continuò in Normaniam aduolat, atq; ibi simul ad vlciscendum ardentes regem adeunt, apud eum nomen Thomæ deferunt, eundem accusant, culpant, criminantur, quòd sacerdotij libertatem, quòd ius humanum pariter atque diuinum, quòd instituta maiorum euertere, corrumpere, delere deniq; conetur, qui sibi tantum sumat, vt velit episcopos suo arbitratu Christianorum cœtu excludere, exclusosq; perpetuò exteminare: item regiæ prærogatiuæ derogare, ac cunctis ius ciuium tollere. Præterea si quos sentiant in aula esse, qui inimico sint in ipsum Thomam animo, eos ardentes similiter inflammant, inflãmatos, armant, concitant ad machinandũ illi perniciem, Sed ne plura, hæc & talia eiusmodi ita regem Henricum mouerunt, vt ira vehementer accensus aliquãdo exclamarit: Me miserum, non possum in meo regno pacem cum vno sacerdote habere? nec quisquam meorum omnium est, qui me hac molestia liberare velit? Ex huiusmodi vocibus fuerunt improbi nonnulli quibus visa est occulta voluntas regis esse, vt Thomas è medio tolleretur, qui propterea velut hostis regis habitus, iam tum sic cœpit vulgo negligi, contemni, ac in odio esse, vt cùm venisset aliquãdo Strodum, qui vicus situs est ad Meduciam flumen, quod flumen Rocestriam alluit, eius loci accolæ cupidi bonum patrem ita despectũ ignominia aliqua afficiendi, non dubitarint amputare caudam equi, quem ille equitaret, seipsos perpetuo probro obligantes: nam postea nutu Dei, ita accidit, vt omnes ex eo hominum genere, qui id facinus fecissent, nati sint instar mutorum animalium caudati. Sed ea infamiæ nota jam pridem vnà cum gente illa eorum hominũ,*

qui peccârint, delecta est, Hæc Virgilius. In qua pœna Deus docuit, irrisiones redire ad irrisores. Quo enim adempto equũ deformarunt, eo ipsi acquisito *iumentis insipientibus sunt comparati.* Delrius ait, Deo notum esse, num vltima particula à Polydoro in gratiam, an ex vero sit afficta; conuicium certè in gentem totam manasse, & durare inter homines. Simile diuinæ vltionis exemplum exhibet Dockumensium Frisiorum pœna, ob eorum Episcopum S. Bonifacium cum socijs cæsum. *Nam horum Sanctorum indignam mortem,* ait Cornelius Kempius, *in filios filiorum Deus vindicauit: vt paßim ex eorum familiis (quorum maiores tam nefarium scelus perpetrarunt) in hanc diem videantur in occipite habere, grossos crines subalbi coloris, in modum caudæ cuiusdam bruti animalis, iustè dixeris,*

Delrius lib. 2. Disq. mag. q. 14.

Cornelius Kemp Dockumensis, l. 2. de Orig. Frisior. c. 21.

Sentit adhuc proles, quod commisêre parentes.

IV.

Ianson. to. 2. lib. 9. Mercurij Gallobelg.

Manuum quoque atque pedum monstra extitisse reperio. De manu mirabile quiddam narrat Iansonius, quod Anno 1594. Coloniæ edidit, postquam id ipsum Lubecæ impressit Ioannes Balhorn. In Mechelburgensi Ducatu, quatuor circiter milliaribus Rostochio, ad oppidum Butzau pagus est Muisal, in cuius pagi templo, Anno 1594. pulpitum ligneum, antiquum, aridum, teredine exesum viuoque lapidi impositum fuit, quod proinde nullam inde potuit humiditatem contrahere. In huius suggesti Stylobata seu scapo, cum incredibili omnium stupore, atque inaudito portento, excreuit humana manus, digitis quatuor & pollice erectis, vnguibusque suis munita. Et palma quidem erat, sicut palmæ manuum ceterarum. In aduersa autem atque exteriore parte faciès humana conspiciebatur, oculis, naso, barbatoque ore prædita. Huic manui ne vita videretur deesse, in die, frequenter mouebatur, seque ipsam vertebat tanto conamine, vt vbertim sudauerit, & guttæ sudoris in subiectum lapidem defluxerint. Ingens fuit ad hoc spectaculum concursus, summa admiratio, variæ interpretationes. Iansonius censet, vt per oculos intellectus in scriptura sacra intelligitur, seu fides; ita per manum opera. Vult igitur, ciues hoc monstro monitos, fidem & opera esse coniungenda; adeoque ex illa cathedra idem tunc significatũ,

quod

quod D. Paulus in epistola sua ad Hebræos significauit: *Remissas manus erigite.* Porrò verumné sit hoc prodigium, an fictum, aut præstigiosum, ego non pronuncio. Fides sit penes authorem, iudicium penes lectorem. Heb. 12. 12.

V.

Pro pedibus monstrosis haberi possunt, de quibus Ioannes Trithemius, Albertus Cranzius aliiq; Scriptores meminerunt. Anno Seruatoris 1012. imperante Henrico II. Rupertus pij nominis Ecclesiæ S. Magni martyris, in Saxonia, Sacerdos, nocte sacratissima Natiuitatis Domini, primum Deo sacrficium offerre cœperat, cùm extra templi fores, in ipso cœmitetrio, leuitati assueta quædam plebis turba, diuinis officijs insuper habitis, nugari cœpit, atque ludere. Prmipilus eorum fuit Othertus laicus cum alijs quindecim viris. Hi tres feminas nacti choreas ducere, eo loco & tempore, non sunt veriti. Quin profanis catilenis obstrepere sacrificanti, eumq; molestissimè turbare sunt ausi. Misit sacerdos æditimum, qui eos iuberet, nocte & loco tam sacris à petulanti impietate desistere. Saxea sunt impiorum corda, & corneæ fibræ ad vocem monentis. Quare neque saltatores isti destiterunt. Quoniam igitur & canere turpia, & pedibus terram plaudere contumaciter perrexerunt, Presbyter diuino zelo correptus stans ad sacrosanctum altare dixit: *Faciat omnipotens Deus, vt per vnum annum totum sic saltantes manere vos oporteat.* Exaudit cælum in terra clamantes, & non rarò etiam pœnas dispensat, ad illorum voluntatem. Quare factum est, quod iustissima ira commotus fuit imprecatus. Et nullæ vnquam choreæ fuerunt admirabiliores. Saltarunt; saltarunt quindecim homines; saltarunt sine fidicina & choralistria; saltarunt nulla cithara chorum suscitante; saltarunt per duodecim menses; saltarunt continuò; saltarunt die ac nocte, nulla quiete interposita; toto anno saltarunt; toto anno non ederunt, non biberunt; toto anno non dormierunt; toto anno nulla super eos pluuia cecidit; toto anno cæli iniurias non senserunt; neque eos æstate solis flagrantia, neque hieme Aquilonis rigor vssit: denique, cùm essent in tam vehementi assiduoque motu, attamen neque labor eos deiecit, neque oc-

Io Trithem: in Chron. monasterij Hirsaug. Cranz. lib 4. Saxon. cap. 3. Gilbert. Genebrar. lib. 4. Cor. sub Anno 1012. Abbas Anhusan. in Stemmate Christi. die 22 Decemb.

cupauit lassitudo. Ita saltatio ipsa, qua peccauerant, illis pro supplicio fuit. Sed neque calceos tanto tempore triuerunt; neque vestes vllas lacerauerunt, renouato pænè veteri Hebræorum prodigio. Vt autem & linguæ, quæ obscœna cantauerant, plecterentur, toto anno nihil ne mutiuerunt quidem. Quippe etiam sollicitè interrogati, non responderunt. Nempe, quod est Græcis hominibus in prouerbio, *omnia intus canebant*. Vt autem laboris huius tantò luculentiùs appareret magnitudo, terra ipsa pedibus eorum conculcata cessit; & primò quidem depressior erat, postea fossæ vsque ad genua, deinde etiam vsq; ad femora immersi, tandemque vix medij eminuerunt, vt semper Inferno fierent propinquiores. Conabatur quidam sororem suam, arrepto brachio illius, de medio saltantium choro vi extrahere; sed maior fuit vis saltantis, illa enim ipsa potiùs fratri pertinaciter tenenti brachium abrupit, immaniter vociferanti, cùm interea soror nullam vocem mitteret, neque quidquam se pati ostenderet, sed choream cum reliquis incœptam indesinenter continuaret. Porrò de abrepti brachij vulnere nulla sanguinis stilla defluxit, quasi membrum illud ligneum, non carneum extitisset. In hoc circulo cœmiterij, totum anni circulum saltando absoluerunt. Finis anni erat, quē sacerdos præscripserat, & diuinæ gubernationis prouidentiâ adfuit S. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, qui in cœmiterium intrans, saltantes à maledicto absoluit introductosque in templum Domino conciliauit. Conciliatorum triplex fuit euentus. Fæminæ mox obierunt. Virorum quidam diutiùs superuixerunt; sed in diuinæ vindictæ argumentum, fœdo omnium membrorum tremore, obuiantium oculis pœnarum suarum vestigia ostenderunt: quidam verò paulo post ex hac vita euocati sunt, &, quod mireris, post mortem feruntur etiam miraculis claruisse, vt videas improbissimis quoque veniæ locum esse, si calamitates à Numine immissas sustineant animo peccata sua seriò, atque, vt par est, retractante.

VI. Quemadmodum igitur in superiore exemplo manus, ita
S. Basil. hom. 14. in hoc pedum monstrosa commotio mortales docuit, cauere peccata, & benefacere. Quid est saltare, aiunt? quid nocet

cantare? Respondet D. Basilius: *Cantus profanos exerces, oblitus psalmorum & hymnorum quos didicisti. Moues pedes, & insanus saltas, choreas ducis imprudens, cùm genua ad Dei & Domini nostri* Iesv *Christi cultum flectere oportebat.* Quod planè fecit cum socijs Othertus; qui etsi non obliti Psalmorum & hymnorum, quos fortè nunquam didicerant, tamen diuinos in Ecclesia cantus neglexerunt, & profanis cantilenis, tanquam Sirenes, aures sacras vulnerarunt, eoque tempore pedes ad numerum mouerunt, quo *genua ad Dei & Domini nostri* Iesv *Christi cultum* honorandamque eius Natiuitatem *flectere oportebat.* D. Augustinus, de ijs, qui res sacras non negligebant, sed adibant, & alio tempore tamen in sanctiore loco saltitare consueuerant, ita loquitur. *Isti infelices & miseri homines, qui balationes & saltationes ante ipsas basilicas sanctorũ exercere nec metuunt, nec erubescunt, etsi Christiani ad Ecclesiam venerint, pagani de Ecclesia reuertuntur, quia ista consuetudo balandi de paganorum obseruatione remansit.* S. Ephræm. *Vbi citharæ,* inquit, *ac chori, & plausus manuum, ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio, Angelorum tristitia, & diaboli festum. O improbum diaboli consilium.* Verum est, choreas moderatas in nuptijs, aut amicorum honestis conuentibus, posse sine peccato institui; periculosum tamen est saltare, more præsertim Germanico, non solùm clericis & religiosis, quibus choreæ lege Ecclesiastica vetantur; sed etiam laicis; vix enim vnquam tanta moderatio adhibetur, vt post epularum lautitias, in mulierum consessu, conspectu, auditu, & alloquijs, inter puellarum rotationes, apprehensiones, & allubentias, non sit pronissimum inardescere. Ob quam caussam olim, teste Basilio. *Quando sedit populus manducare & bibere, tunc & surgebat ad ludendum: lusus verò illorum idololatria erat. Tunc Leuitæ contra fratres sese armantes ex eis viginti tria millia ceciderunt, sic enim manus suas, inquit historia, consecrarunt.* Quamobrem *vt vidit Moyses choros, iratus est valde, proiecit tabulas, & confregit eas.*

S. Basil. hom. 14.
S. Augustin. serm. 215.
S. Ephræm. serm. quòd ludicris abstinend.
c. Presbyteri dist. 34. ex c. Laod. c. 29.
S. Basil. loc. cit.
Exod. 32. 6.
Exod. 32. 19.

VII.
Plura malè simul ac infeliciter saltantium exempla recenset Thomas Cantipratensis D. Thomæ Aquinatis æqualis. Sed non opus est longè petere. Habet & nostra ætas quotidiana exem-

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 38.

na exempla. Non enim dicam, illam ipsam Natiuitatis Christi sanctissimam noctem, plurimis puellarum, mulierumq; superstitionibus ac dæmonum adiurationibus transigi; & verò plerumque, quò sacratiora sunt tempora, eò diriora scelera perpetrari, sagasque & maleficos ad sacrilegas suas choreas conuenire; quid consuetius est & vulgò vsitatius, quàm vt ludi, conuentus, comessationes, saltationes diebus maximè festis instituantur? Ita tempus diuinis cultibus consecratum, diabolicis operibus profanatur. *Vbi enim saltus lasciuus*, ait S. Chrysostomus, *ibi diabolus certè adest. Non enim ad tripudia hæc nobis præbuit Deus, sed vt modestè incedamus: non vt impudenter camelorum modo saliamus: Nec enim solùm fœminæ, sed etiam cameli turpiter saliunt; sed vt in Angelorum choris consistamus. Quòd si corpus deforme fit impudenter saliendo, quantò magis animam fœdari credendum est. His tripudijs diabolus saltat. His à dæmonum ministris homines decipiuntur.* Itaque, quisquis es, *Obserua diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delicijs*, ait S. Augustinus, *qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim vtique tota foderent, quàm tota die saltarent.* Pedes dati sunt, ad ambulandum, non adlasciuè saltandum. Illis, die sacro, ad ædes sacras, non ad popinas eundum est. Duplicem esse viam Magister noster esse dixit, vnam, qua ad cælum, alteram, qua ad Orcum tenditur. Per Ecclesias ad cælum, per cauponas ad Acherontem est iter. Ad vtrumlibet nos possunt pedes nostri portare. Tartara fugiamus, sidera petamus. *Id autem*, inquit D. Gregorins Nazianzenus, agens de Natali Christi festo rectè celebrando, *hac demum ratione consequemur, si nec domus limina fertis coronemus, nec choreas agitemus, nec vicos ornemus, & cum promtis ad vitium vijs, peccatiq; ianuis, &c. nec comessationibus & ebrietatibus, quia malorum magistrorum mala doctrina est, vel potiùs malorum seminum mala seges.* Vis videre quàm mala seges? Quemadmodum supra dicti nouemdecim homines, quò diutiùs saltarunt, eò, terra sub pedibus eorum cedente, profundiùs mersi inferis facti sunt viciniores; ita & isti tales, non cadunt, sed saliunt infelices Curtij in voraginem æternorum suppliciorum. Non ego hæc solus affirmo, maior me id pronunciauit,

S. Chrysost. hom. 49. in Matth.

S. Augustin. in Psal. 32. Conc. 1.

S. Greg. Nazianz. orat. in orat. de Christi Nat.

nunciauit. Nam Iob, cùm dixisset: *Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus*, subiecit, *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* O quàm sunt miseri isti, quàm *infelices pedes eorum!* qui non de saxo saliunt, sed de Mundo in sepulchrum, de sepulchro in infernum. Iob 21. 11.

VIII. Non motu tantùm, sed forma quoque, neque vno duntaxat membro, sed pluribus alij fuêre in monstrum (vel sua, vel parentum culpa) deformati. Baccharach oppidum est in ipsa Rheni ripa, inter Confluentiam & Moguntiam situm. Aiunt, olim *Bacchi aram*, ob vini ibi nascentis præstantiam fuisse nominatum. Ibi homo degebat mortalium & immortalium contemtor, cuius deus venter, templum popina, patronus cantharus. Hic Anno Domini 1595. die 14. Martij, ipsa Dominica quinquagesimæ, ne moris sui obliuisceretur in cauponam se coniecit, vsque ad vomitum potaturus, lusurus vsq; ad paupertatem. Vxor, postquam eum è domo elapsum amisit, facilè coniecit, vbi locorum quærendus esset. Quia igitur partui vicina, verita est, ne totum peculium puerperio suo imminenti necessarium abliguriret maritus, secuta eum rogare, & mitibus verbis monere cœpit, vt tandem finem imponere comessationibus, & secum redire domum vellet antè, quàm omnia degularet. Ebrios faciliùs est ducere, quàm ebriosos. Hinc & iste non satiatus, facessere vxorem, & in malam rem ire jussit; monere pergentem & jam accensiùs obloquentem, verberibus abegit, iussitque cum viuo suo malo dæmone, quem in vtero gereret, quique illi in partu, pro Lucina futurus sit, domum, vnde malum pedem attulerat, rebitare. Ni parêret, se gladium suum illi capulo tenus in ventrẽ immersurum. Illa verò: Eia, inquit, mi vir, Ergóne ego viuum in vtero gero dæmonem! Esto igitur. Nec plura locuta, acerbè lachrymans ad ædes suas reuersa est, relicto inter edones & combibones aleatoresque marito. Vix domi appulerat, cùm dolores partûs sensit; siue quòd iniuriæ acerbitas, siue quod diuina vindicta, siue vtrumque, partum ante tempus maturauit. Vocatur obstetrix, adsunt vicinæ mulieres, editur

Ianson. l. 3. lib. 12. p 184. & Michael Isselt. l. 12. Mercurij Gallobelg. Anno 1595.

 in

in lucem fætus! ô qualis, quàm horribilis! quamque prodigioſus! Anteriore ſuperioreque parte homini, inferiore poſterioreq; parte per omnia ſerpenti ſimilis. Trahebat autem poſt ſe caudam tribus vlnis longam diuerſicoloribus maculis variegatam. Hoc tam horrendum monſtrum; tanquam ſtel-
Ouid. lib. 5. Met. lio Cereris, non diutiùs vixit, quàm quoad munere ſuo perfunctum eſſet. Munus autem erat, non tantùm formidinem inijcere ijs qui aderant, & (velut olim curioſæ illæ

Idem. lib. 2. Met. *Erichthonium prolem ſine matre creatam,*
Infantemq; vident, apporrectumq; draconem)

Monſtrum biforme conſpexerant; verùm etiam vt reducem ex hoſpitio parentem pro merito plecteret, oſtenderetq; quàm ſint imprecationes efficaces, redeuntibus per iugulum authoris, vnde malè exierunt, Diris. Phæax igitur ille, cùm libidinem ſuam potando ludendoq; ſatis expleſſet, vino & ſomno plenus domum rediuit. Vix ingreſſus eſt cubile, in quo & puerpera, & partus iacebat, & ecce monſtrum recens natum inſtar falconis in eum illatum eſt, horrificeq; ſibilans hominem caudæ ſuæ ſpiris implicatum, venenoſis ictibus, eum in modum, pupugit flagellauitq;, vt toto corpore tuberibus pleno, paulo poſt infelicem animam priùs, quàm crapulam exhalârit. Coniuge defuncto, puerpera quoque extincta eſt. Sed & mōſtrum viuere deſijt, quo Deus puniuit viri in prægnantem vxorem inclementiam & crudelitatem; vt alij diſcant & linguam frænare, cohibereq; ab imprecando; & manum abſtinere à coniuge vterum ferente, quam ſi percutiunt, duos percutiunt, quorum ſaltem alterum oportet eſſe innocentem. Quid enim poteſt peccare infans nōdum natus? & tamen cum matre ſua verberatur. Profectò ſi verba malè precantia ad illam vſque in aluo iacentem penetrant; longè certiùs verbera illuc penetrabunt, & calces, qui[illegible] in matrem ariebat pater, non iam ebrioſus, ſed furioſu[illegible]

IX. Inter omnia monſtra, res eſt monſtroſiſſima peccatum. Quid ergo mirum, ſi monſtris puniatur? Minatus eſt hoc
Deuter. 32. 23. dudum Deus, cùm diceret: *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. Conſumentur fame, & deuorabunt eos*

aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atq; serpentium. Quod hîc minatus est, luculentè fecit sæpius, sed monstro prorsus inuisissimo, contra Morindum Britanniæ regem. Fuit hic rex aspectu formosissimus, manu fortissimus, mente crudelissimus. Inuaserat eius prouinciam rex Morianorum, quem Morindus, exercitu comparato, felicissimè vicit, immanissimè tractauit. Nullus ex hostibus viuus euasit. Iubebat enim Morindus vnū ex alio ad se adduci, vt sua quemq; manu perimens animum cruoris sitientem exsatiaret. Cæde ingenti fatigatus super aggeres occisorum assidens mandauit, vt qui superfuerant viui excoriarentur, atque excoriati flammis in cineres redigerentur. Ingentes vbique relucebant pyræ. Spectaculum erat tristissimum, & vel Caucaso miserandum. At non diu absuit diuina vltio. Mox enim ex Hibernia aduenit formæ longè monstrosissimæ, & inauditæ feritatis bellua. Hæc primò maritimos incolas inuasit, eosq; lachrimandum in modum laceratos absumsit. Narrata est clades Morindo, qui, armata suorum manu comitatus, accessit cum ea certaturus, & immanitatis suę mercedem accepit. Omnia tela emissa in irritum ceciderunt. Siquidem ea sine noxa hausit monstrum. Pharetris omnibus euacuatis, monstrum ad regem accelerauit, eumq;, diductis faucibus, pisciculi instar, deuorauit. Dubites, vtrumnam monstrum fuerit maius? quod deuorauit alterum, an quod est deuoratum? Rex enim Morindus vnicus fuit, & tamen innumeros absumsit. Gastius pag. 51.

X. At erat vorax illud prodigium Britannici maris partus, alius humanus partus, qui nihil omninò humani habuerat, ab alijs describitur, quos vt inter multa mendacia demus etiam aliquid veri attulisse, non piget hîc referre. Anno salutis 1544. in Belgio (licet non desint, qui Cracouiæ scribant) in die Conuersionis S. Pauli, natus est ex honestis & nobilibus parentibus infans (si infantis nomen meretur tam infelix partus) tetro admodum & horribili aspectu, flammeis occulis & radiantibus; ore naribusq; bouinis, & vehementer in figuram cornu exsertis ac prominentibus; dorso pilis caninis hispido, Wolfius Cent. Caspar. Peucer. Munster.

simiarum

simiarum faciebus in pectore extantibus; quà mammarum locus; oculis felium subtus vmbilicum hypogastrio affixis; horridis ac minacibus canum capitibus ad vtrumq; cubitum, & pedis vtriusq; patellam antrorsum spectantibus. Figura pedũ cygni, cauda sursum reflexa & recurua longitudine vlnæ dimidiæ erat. Hic talis partus in lucem editus dicitur quatuor horas vixisse, ac tandem expirasse his emissis vocibus: *Vigilate; Dominus Deus vester aduentat.* Non est hoc monstrum in peccati pœnam natum? at natum est, ne peccaretur. Enim-
Ioan. 4. 48. uerò & in peccati pœnam. Dixit olim Seruator noster: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*; quid dicet in futuro iudicio ijs, qui signa hæc talia viderunt, audierunt, & tamen non crediderunt? Nuncquid pertinacia malitiam, malitia supplicium est auctura?

CAPVT LV.

Punitorum monstrosa lepra, & monstrosa statua, è diuinis litteris explicata.

I. 
Onstrosos vel homines, vel morbos, ex Numinis pœna extitisse diuinæ quoq; litteræ testantur. Nam
Deuter. 6. 22. inprimis *fecit signa atq; prodigia magna & pessima in Ægypto, contra Pharaonem*; quæ nolo hîc repetere. Deinde in eodem veteri testamento lepra fuit flagellum, quo Deus rebelles atque eos, qui superiores maximè Ecclesiasticos con-
4. Reg. 15. 5. temnebant, percussit. Sic enim rex Ozias, cùm vellet, inuitis sacerdotibus, incensum adolere, lepra percussus est. Sic E-
4. Reg. 5. 27. liseus Giezi mentienti dixit: *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, vsq; in sempiternum.* Sic Maria perfusa est lepra, quòd contra Moysen murmurasset. Immò hoc ipsa lex
Deuter. 24. 8. monuit his verbis: *Obserua diligenter, ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcunque docuerint te sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple sollicitè. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ.* Vbi obseruant authores, tametsi lepra sæpe sit morbus, siue vitium naturale, tamen sæpe etiam ex speciali Dei prouidentia fuisse Iudæis immissam, maximè autem

autem ad grauiora eorum peccata punienda. 1. Murmuris & rebellionis, vt Mariæ sorori Moysis contigit. 2. ob simoniam, vt Giezi euenit, pro sanitate diuinitùs Naaman data, munera accipienti. 3. ob homicidium, ob quod Dauid Ioabo Abner occidenti lepram est imprecatus. 4. ob sacrilegiū, ob quod Ozias rex sacerdotium vsurpans atque incensum adolere, &, vt dici solet, *in patellam dare* volens, à Deo lepra tactus est. Quemadmodum ergo seruos vænales Romani cretâ, ita diuina Nemesis impios Iudæos leprâ notauit. *Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix*, ex formosa heroide in luridam & monstrosam laruam commutata.

Num. 12. 10. 4 Reg. 5. 27. 2. Reg. 3. 29. 4. Reg. 15. 5. Num. 12. 10.

II. Vitium autem istud lepræ monstrosum fuisse, varia ostendunt. Nam 1. eiuscemodi lepra in pœnam à Deo inflicta, non inflicta est modo naturali, sed diuinitus, repentè, verbo vno, vna imprecatione, cùm lepra alia, vel contagio, vel corrupto paulatim sanguine, alióue humore exuperante acquiratur. 2. Etsi lepra illa Iudæorum similis fuerit veteri lepræ Græcorum, non tamen ex simili caussa nata est. De Græcorum lepra ait Hippocrates: *Lepra, & pruritus, & scabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia à pituita fiunt; sunt autem turpitudo magis, quàm morbi.* Hæc autem *turpitudo*, licet aspectu similis sit lepræ Græcorum, non tamen similis est ortu. Illa ex pituita, hæc ex Dei pœna, illa naturaliter, ista diuinitus vnde vnde pullulauit. 3. Etsi tam Iudæorum quàm Græcorum lepra, vt docet Franciscus Valesius, varia vitia & turpitudines externi corporis comprehendat, quorum vnum nascitur ex alio, idque in naturali lepra ex redundantia pituitæ, vel melancholiæ, per variam alterutrius intensionem, aut remissionem; & Deus quiuerit etiam his humoribus aëre corrupto, leprosi contactu, tanquā caussis secundis vti ad plectendos Iudæos, non videtur tamen ijs vsus; quia hæc omnia vim propriam & adæquatam in vestibus & muris gignendi lepram non habuerunt, nisi Deo singulariter concurrente & inoperante. Quis etiam melancholiæ aut pituitæ ascribat lepram manus in Moyse, tam citò natam & rursus denatam? ad quem dixit Dominus: *Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm misisset in sinum, protulit lepro-*

Hippocrat. lib. de Affectionib. Franc. Valesius lib. de sacr. Philos. cap. 19. Exod. 4. 6.

sam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Quæ tam subitò erumpens, ac rursus euanescens lepra, instar monstri ac prodigij, Moysi est exhibita, nullâ vtique in corpore eius pituitâ, aut melancholiâ intensâ vel remissâ. Multò minùs in veste, vel muro pituita, aut melancholia aliqua potuit esse lepræ caussa. 4. Adde quòd, ex doctrina S. Augustini, vetus Iudæorum lepra sæpe coloris magis fuerit vitium, quàm valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum. Qua de caussa leprosi à Christo non sanati, sed mundati esse scribuntur, & ipsi quoque leprosi non tam sanari, quàm mundari cupiebant: *Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis potes me mundare. Et extendens IESVS manum tetigit eum dicens: Volo, Mundare. Et confestim mundata est lepra eius.* Et infra: *leprosi mundantur.* Quin & ad Apostolos ait: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, &c.* Quoniam ergo nostra lepra carnes & ossa depascitur, Iudæorum autem ferè tantùm in cute fuerat, sunt qui existiment, vel hinc sufficientem sumi differentiam posse. Quanquam ego hoc non ita firmum censeam: etsi enim id potuerit subinde esse discrimen, tamen de Maria Moysis sorore ita loquitur Aaron: *ecce iam medium carnis eius deuoratum est à lepra.* Serpebat ergo lepra illa & carnem corripiebat, immò *deuorabat.* 5. Igitur firmius est indicium illud, quòd lepra nostra sit ferè incurabilis, lepra autem Iudæorum sæpe fuerit curata; sicut frequenter vnus idemque morbus in alio climate alius est, aliaq; habet symptomata. Curari autem potuisse lepram Iudæorum, constat è diuino codice. 6. Illud profectò liquidum est, nostrâ à leprâ neque vestes, neque domos corripi, vt fiebat à lepra Iudæorum. Quæritur sanè, quo modo lepra illa potuerit muro aut vestibus accidere? Ad quam quæstionem respondet Valesius, cùm lepra sit morbus non minùs quàm pestis contagiosus, sicut pestis semina solent adhærere vestibus, cubiculis, domibus, poculis, lancibus (per hæc enim omnia accidit fieri infectionem) ita pariter etiam lepram posse vesti aut muro adhærere, esseque posse domum aut vestem æquè leprosam ac pestilentē.

S. Aug. lib. 2. Quæst. Euangel. q. 40.

Matth. 8. 2.

Matth. 11. 5.
Matth. 10. 8.

Num. 12. 12.
Leuit. c. 13. & c. 14.

Sed verosimiliùs Theodoretus ait, domos aut vestes olim non dictas fuisse tantùm idcirco leprosas, quòd vapores noxios & contagiosos haberent, & homines inficerent; sed quòd ipsæ infectæ, non secus ac homines eroderentur. Constat enim, Deum olim, dum peccarent Iudæi, lepram hanc infligere solitum vestibus, aut domibus eorum, vt per eam possessores ad sanitatem mentis reuocaret. Quia igitur lepra hæc non tam naturalis fuit, quàm plaga à Deo immissa, videtur fuisse qualitas quædam corrosiua (qualis est in sale, nitro, vitriolo, quæ vestes & stannum, & ferrum exedunt) vel corruptiua solis Iudæis propria, alijs Gentibus ferè incognita. Vbi enim, aut quæ nunc vestes, qui parietes lepræ non faciendæ, sed etiam patiendæ sunt capaces? Capaces fuerunt vestes & parietes Iudæorum. Vnde monstrosa res fuit illa lepra. Certè nunc lepra propriè non se diffundit à leproso in vestes, vel domũ eius, oporteret enim omnes leprosorum vestes arrodi, & putrefieri. Esto autem, sicut pestis vesti aut domui adhæret, eamque reddit homini pestilentem, dum ex ea vapores pestilentes contrahit; haud tamen vlla pestis vesti vel domui ita inhæret, aut ita eam inficit, vt illam consumat & interimat. Igitur lepra nunc non inhæret, sed adhæret tantùm vesti, aut domui, neque eam facit leprosam formaliter, vt olim, sed tantùm caussaliter, quia eam homini afflare potest. Quanquam autem etiam nunc aliquam subinde cariem in lignis, calce & lapidibus reperimus; non tamen ea est talis lepra, quæ nouos quoque solidosque lapides inuadat, erodat & absumat, vt olim lepra Iudaica. Vnde iussi sunt omnes lapides lepra infecti ex domo eximi, & noui substitui, qui si postea lepra infecti inuenirentur, jubebatur domus dirui; adeò etiam muri tunc ipsi lethaliter, vt ita dicam, ægrotauerunt.

Theodoret. q. 17. in Leuit. c. 13.

Leuit. 14. 44. Ita fere Cornel. à Lapid. in Leuit. c. 13.

III.

Quid leproso deformius? immo, si lepra est monstrum, quid monstrosius? Horrorem hunc Mundi moderator, in Iudæis ostendit, vt peccatum, caussam illius, horreamus. Est enim peccatum animæ lepra, maximeque illud, quod lepra legimus fuisse punitum. Murmurauit contra Moysen soror, & lepra perfusa est. Appositè, ita culpa & pœna congruebant.

Quippe murmuratio instar lepræ serpit, & inficit totum aliquod corpus communitatis. Qua de caussa sicut leprosi olim
Leuit. 13. jussi sunt è castris eijci, & habitare seorsum, ita eiecta est è castris murmuratrix Maria; ita SS. Patres, & Religionum fundatores statuerunt, vt è cœtibus sacris murmuratores separarentur. *Ex teterrima Mariæ Prophetissæ lepra docemur,* ait S.
S. Ephrem de morbo linguæ. Ephrem, *quàm graue & detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quo modo hominis detractoris corrumpatur animus. Nam sicut illa defecerat à fratre suo: ita & ab ipsa proprium corpus defecit, vt ex semetipsa charitatem addisceret.* Quod si autem & ipsa Mariæ murmuratio expendatur, poterit ea leuis videri; contigit enim ob Sephoram Madianitidem, & idcirco *Æthiopissam* vocatam, quæ more muliebri voluit se præferre Mariæ, eò quòd esset vxor Mosis, Mosenque suum quasi populi ducem Mariæ & Aaroni prætulisset. Itaque vt muliebris sexus imbecillis est, primùm concitata Maria, deinde per hanc incitatus etiam Aaron, se erigere cœperunt, non Sephoræ tantùm, sed ipsi etiam Moysi æquantes, jactitantesque, se æquè nobiles esse Prophetas, ac Moses erat. Hæc inter sanctos illos, & Mariæ illius, cui Dominus locutus fuerat, ex æmulatione orta murmuratio lepram meruit, in diuino judicio, & septem dierum separationem.

IV. Quid merebitur murmuratio non iam muliebris, sed virorum, & eorum, qui se doctos, qui religiosos, qui sanctos volunt haberi, & tamen re ipsa sunt arrogantes, Theones, superiorum suorum censores, quibus se non æquant modò, sed etiam anteponunt, qui rectores suos regere, & iudices volunt judicare? hoc ipso indigni qui regant, quia regi nesciunt; sola sua æstimatione idonei, aliorum judicio inepti ad gubernandum. Et videbis, non nisi vilissimos, & grandibus næuis plenos esse suorum maiorum contemtores, censores, murmura-
Num. 12. 2. tores; siquidem superbia & æmulatione cæci aiunt: *Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus?* quasi Deus nesciat, quem subditum debeat facere, aut superiorem,

periorem. Habet diuina illa sapientia suas iustissimas caussas, cur aliquando etiam ineptiorem sinat altiùs promoueri, & digniorem premi. Fortasse vult & illum sic deijci, & hunc extolli. Sicut enim valde honorificum est, si quæratur, *Cur iste non regit? Cur iste non est militiæ Dux? Cur iste non sedet in curia?* ita profectò tacitè carpit, quisquis interrogat: *Cur regit iste? Isténe est militiæ Dux?* aut cum Catullo dicit:

Quid est, Catulle, quid moraris emori? Catull. ep. 53.
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum peierat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

Ita vulgus loqui solet, vulgum tu sine suo more loqui; tu tibi sororem Moysis ante oculos pone, & Dei regimen ne inuade; qui si mulieris vnicam murmurationem lepra percussit, eamq; quasi infamem, & non tantùm fratris aspectu, sed etiam populi consortio indignam à castris separauit, quid illis faciet, qui non sola arrogantia sunt huic mulieri similes, sed etiam carpunt, quidquid à superioribus fieri cernunt; quod sanum est, sanare præsumentes, cùm ipsi vlceribus scateant. Qui- Math. Rader. de simplic. SS. c.5.
bus nisi Moysis soror in exemplum sufficit, legant apud Raderum historiam de Stylita Edesseno, qui quòd fratrem suum germanum, aurum spernentem, simplicem iudicasset contempsissetq;, eò quòd ipse idem aurum prudenter, vt sibi videbatur in viros Religiosos & pauperes erogasset; ab Angelo redargutus, ac à fratre suo germano in omnem vitam separatus, iussusq; quadraginta nouem annos stare in columna, post tam longam & duram pœnitentiam, tandem veniam meruit, anno quinquagesimo, siue iubiléo. Tunc enim apparens ei Angelus, peccatũ remissum, eumq; Dei gratiæ restitutum nunciauit. Si eadem vel Mariæ pœna, vel Stylitæ pœnitentia omnibus murmuratoribus nunc imponeretur, neque leprosorum domus, neque columnæ sufficientes possent ædificari. Sed qui, vt pœnitentiam agant, nihil patiuntur, aut non stant in columna, ante Dei tribunal stabunt.

V. Id multò magis verum esset, si lepra afficiendi forent, qui vel per homicidia cum Ioab, vel per Simonias cum Giezi, vel

per sacrilegia, cum rege Ozia lepra contaminari merentur. O quot cædes fiunt innocentium, quæ non candida lepra, sed purpureo sanguine notantur! Quot vestes, quot calices sacri venduntur & emuntur! quot aræ, quot templa sacrilegè violantur! Hi omnes si impetigine, aut alopecia cooperti in certum locum forent separandi à sanis, totæ forent extruendæ pro eis ciuitates, sed sat pœnæ eos manet, si à societate ciuium supernorum separantur. Ad quam, vt è numero monstrorum exemti admittantur, Christus animarum medicus, in leprosis à se sanatis, viam monstrauit, quando decem leprosis sibi occurrentibus & dicentibus: *IESV miserere nostri*, respondit: *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factũ est, dũ irent, mundati sunt.* Nimirum sicut leprosi in lege veteri erant quasi irregulares, eò quòd non tantùm naturaliter, sed etiam legaliter essent immundi; adeoq; nõ tantùm ab hominum cõuictu, verùm à templo quoque & sacris arcerentur: ita peccatores omnes in lege noua sunt immundi, ac proin indigni cõsortio Sanctorum, à quorum cælesti domicilio, & beato illo Agni templo arcentur. Quemadmodum igitur illam leprosorum irregularitatem non medicus, sed sacerdos poterat tollere, cui propterea se sistere debebant, vt expiarentur, ac sacris, iuxta ritum, quem Deus præscripsit, restituerentur: ita se se debent & nunc sacerdoti sistere, & accurata omnis labis suæ patefactione, per confessionem, & sacramentalem confessionem, sicut Christus instituit, ostendere, vt ab illo absoluantur, diuinæq; gratiæ, & in ius hæreditatis cælestis restituantur. Atque hæc de monstrosa Iudæorum lepra.

Luc. 17. 14. Matth. 8. 4. Luc. 5. 14.

Leuit. c. 14.

VI. Quod si quis aliud è diuinis historijs monstrum sibi cupit ostendi, quod in peccati supplicium sit datum, potest id sanè, & quidem luculentum, cui ad memoriam perpetuandam statua est posita. Nam si vel Poëtæ in monstris numerant periurum illum Battum, quem Mercurius vertit

In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index,
Inq; nihil merito vetus est infamia saxo,

Ouid. lib. 2. Metam.

Cur in monstris non habeatur vxor Lot, *quæ respiciens post se, versa est in statuam salis?* Vatablus vertit *in statuam perpetuam,*

Gen. 19. 26.

quæ versio etsi minùs propria est, cùm passim authores agnoscant, eam mulierem propriè esse in statuā salis conuersam; tamen illud innuit, quod de ea Tertullianus scripsit, eam durasse ad multa sæcula; immò quod alij asseruerunt, eam ære perennius superfuisse. Siquidem Borchardus, qui vixit ab hinc trecentis annis, testatur hanc statuam, sua adhuc ætate, inter Engaddi & mare mortuum extitisse; eamq; etiam sua adhuc ætate visam docet Adrichomius & Abulensis. Enimuerò Targum Hierosolymitanum addit, statuam hanc duraturam, vsque ad diem extremi iudicij & resurrectionis. Christus sanè Dominus voluit memoriam eius perennare, quando dixit: *Mementote vxoris Lot.* Voluit ergo Deus statuam illam effigie mulieris, & retenta vxoris Lot forma æternum esse iustitiæ suæ monumentū. Nec mirum videri debet, si sal alioqui aquis diffluens, tam diu possit pluuias ac tempestates sustinere. Est enim sal quoddam metallicum, quod imbribus resistit, & ipsis ædificijs soliditate sua est vtile. *Africa*, ait Plinius, *circa Vticam construit aceruos salis ad collium speciem: qui vbi sole lunaq́; induruêre, nullo humore liquescunt, vixq́; etiam ferro cæduntur.* Eiuscemodi salis statua vtique potest & nimbos & hiemes tolerare. Præsertim si miraculo conseruetur. Luc. 17. 32. Plin. lib. 31. cap. 7.

VII. Nam inter mira & monstrosa huius statuæ, non est sola conuersio eius ex homine in lapidem, quæ vim naturæ superat; neque sola eius duratio, siquidem aliàs & marmora suam patiuntur senectutem, & nihil non

æui longinqua valet mutare vetustas;

sed etiam modus conseruandi. Etenim, quod idem Naturalis historiæ scriptor de sale, qui alicubi in extremitatibus aquarū inarescit, alicubi vsque ad medium locum coquitur, scribit: *Aliud etiam in eo mirabile, quod tantumdem noctu subuenit, quantum die auferas*, id ipsum longè in hac statua mirabilius est. Affirmat enim Tertullianus, statuam hanc, si à quopiam mutiletur, mox hoc mutilum quasi vulnus suum sarcire & implere. Accedit & illud prodigium mirissimum, si verum, quod, tametsi statua isthæc eadem & tumulum agat & tumulatum; vt proinde illi accommodari illud ex Græcorum Epigrammatis possit; Plin. loc. cit.

Cadauer,

Cadauer, nec habet suum sepulchrum;
Sepulchrum, nec habet suum cadauer:
Sepulchrum tamen, & cadauer vnà est;

etsi, inquam, hæc statua & cippus sit, & cui cippus ponitur, nihilominus viuere quodammodo videtur. Siquidem viuentis more quasi menstrua quædam effundit. Non referrem hoc, nisi apud Tertullianum reperirem affirmatum. Verba illius do carminibus innexa.

Tertull. in carm. de Sodoma.

Ipsaq; imago sibi formam sine corpore seruans
Durat adhuc, nunquā pluuijs, nec diruta ventis.
Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam.
Protinus ex se se suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore sexus,
Munificos solito dispungere sanguine menses.

VIII. Sufficit hoc in saxo, aut sale sanguinante monstrum, in quod mulieris istius corpus abijsse, nefas est dubitare. At cùm vxor Lot dicatur *versa* esse in statuam salis, quærunt nonnulli, An etiam anima illius cum corpore sit in statuam commutata, profectò enim illi tum anima pro sale, & sal pro anima fuisset, essetque prodigium tantò magis formidolosum. Et sunt rationes dubitandi. Sacra enim historia rotundè asserit, vxorem Lot in statuam salis abijsse; at vxor constat æquè, immo magis anima, quàm corpore. Quin ipsa id videtur scriptura innuere his verbis: *Incredibilis* (hoc est, incredulæ) *animæ memoria stans figmentum salis.* Sed hæc nihil euincunt. Consuetum est in diuinis litteris, vt nomen *animæ* pro toto homine sumatur, nota Rhetoribus figura: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia,* id est, homines. Quòd autem absolutè vxor dicatur versa in statuam salis, rectè dicitur, etsi anima eius nō sit in statuam salis versa. Quod enim viuo corpori contingit, toti homini dicitur contingere. Sic homo dicitur mori, etsi anima non moriatur. Quoniam igitur conuersio vxoris Lot in statuam salis fuit mors eius, & in morte anima non interit, sed solum corpus viuum mutatur in cadauer, conficitur solum corpus vxoris Lot in statuam salis conuersum fuisse. Constat

Sap. 10. 7.

Act. 2. 41.

etiam

etiam animam incorpoream in corpus ſeu ſtatuam non potuiſſe propriè tranſmutari; neque verò etiam interire, tanquā immortalem. Neque ſufficiens cauſſa videtur fuiſſe, vt Deus faceret animam illam interire, cùm ob peccata longè grauiora animas aliorum non extinxerit; neque ob leuiora, quamuis ipſæ mallent in nihilum redigi, quàm æternis ignibus excruciari. Neque verò id ad exemplum hominibus erat profuturum. Ad exemplum enim ſuffecit, corpus viſibile in ſtatuam viſibilem fuiſſe transformatum. Stat ergo ex homine ſtatua, & ſtatua ſalis; ſtat forma mulieris ſine muliere, ſtat ſtabitque monſtrum & diuinæ iuſtitiæ monimentum.

Quandoquidem autem anima cum corpore non interijt, ſcire voles, quò ipſa abierit? Curioſa quæſtio. Difficilis reſponſio. Quis enim inſpexit diphtheram Iouis; quis vidit tabulas æternitatis? aut quis conſiliarius Dei fuit? De hac tamen anima, ſicut de Samſone, de Salomone deque alijs diſputatur. Cornelius ita concludit: *Itaque anima huius vxoris, corpore conuerſo in ſtatuam, ſuperſtes manſit, atq; iuit ad infernum, aut potiùs Purgatorium: videtur enim hæc eius retroſpectio venialis tantùm fuiſſe culpa.* Reſpexit enim vel ex muliebri leuitate, & curioſitate; vel quia pluuij ſulphuris de cælo cadentis ſonitu, ſtrepituque ignis tecta domoſque cum furore corripientis, aut etiam pereuntium vociferatione mota fuit; vel quia dolore rerum amittendarum, ac miſeratione ciuium ſuorum, patriæque ſuæ conflagrantis tracta ſui oblita eſt; vel quia extimuit, ne & ipſam ſequens à tergo flamma inuaderet. Quis Petrum cenſeat mortaliter peccauiſſe, quando *conuerſus vidit illum diſcipulum, quem diligebat IESVS ſequentem,* & interrogauit, *Domine hic autem quid?* Cur ergo tam ſubitò ac ſeuerè iſta mulier-cula eſt punita? Quia inobediens & vt ſcriptura loquitur, *incredibilis,* hoc eſt, incredula fuit. Haud enim credidit, aliquid referre ad ſalutem & incolumitatem ſuam, reſpicere, aut non reſpicere. Qua in re Dionyſius Carthuſianus exiſtimat, illam mortaliter peccauiſſe. Petro autem non mandatum fuit, ne reſpiceret; neque ea in re incredulus fuit. Fuit ergo feminæ illius curioſitas ex duplici capite peior. Alij tamen eam à pec-

IX.

Cornel. à Lapid. in c. 19. Gen. v. 26.

Ioan. 21. 20. Sap. 10. 7.

 cato

cato mortali excuſant, tum ob inconſiderationem, tum ob le-
uitatem materiæ, tum ob ignorantiam quandam, aiunt enim
venialem duntaxat hanc culpam fuiſſe, non ſolùm quia nimio
metu perculſa ſubitò, præcipitanter, & indeliberatè reſpexe-
rit, quæ ratio mihi quoque probatur; ſed etiam quia non re-
ſpicere leuis illi viſa ſit res ac materia, atque eapropter non
ſciuerit, aut judicauerit, illam ſub peccato mortali præcipi aut
obligare. Quæ opinio an excuſandæ curioſitati ſufficiat, apud
me non eſt liquidum. Potuiſſet & Eua leuitatem & exiguita-
tem materiæ, pomi ſcilicet eſum, obtendere; ſed ſciuit ſatis
graue eſſe, quidquid à Deo præcipitur, atque mortis commi-
natione vetatur. Ita & vxor Lot audiuit ab Angelo non ſoli
Gen. 19. 17. Lot marito, ſed ſibi quoq; & filiabus dici: *noli reſpicere poſt ter-
gum, nec ſtes in omni circa regione: ſed in monte ſaluum te fac, ne
& tu ſimul pereas.* Satis ergo ſcire poterat, graue eſſe, quod
tam grauis pœnæ intentatione prohibetur. Sed *incredibilis,* ſeu
incredula fuit. Itaque ſi illam aliquid excuſat, impetus excu-
ſat, qui in tali rerum ſtatu potuit rationem præuenire. Ple-
rumque enim affectus ſubitus caret libertate.

X. Siue autem lethaliter, ſiue venialiter peccârit, perſpicuè
Hebr. 10. 31. inde cernitur, quàm ſit *horrendum incidere in manus Dei viuen-
Apoc. 19. 2. tis! Iuſta ſunt iudicia eius,* quæ ſi ob eiuſcemodi vel incredulita-
tem, vel inobedientiam, vel curioſitatem, ſiue mortalem, ſiue
venialem, tam ſeuerè punit; quid non metuendum erit ob ſce-
lera nefanda? Nam etſi Hebræi, teſte Lyrano, aiant, vxorem
Lot idcirco in ſtatuam ſalis eſſe compactam, quòd veſpere
præcedente, cùm Lot Angelos exciperet, in cœna non appo-
ſuerit ſalem, quo cibi condiuntur, idque ex gentilitio hoſpitũ
3. Reg. 13. 24. & hoſpitalitatis odio, fabula tamen illa eſt Iudaica. Vera cauſ-
ſa eſt, vt, quemadmodum poſtea Deus, ob inobedientiam tan-
tùm venialem, Prophetam à leone occidi iuſſit, alijs in exem-
plum; ita & vxor Lot in ſtatuam ſalis verteretur, vt eſſet quaſi
marmor & monumentum perenne diuinæ caſtigationis. Hoc
enim exemplo docemur. 1. Credere Angelis, diuinis ſugge-
Sap. 10. 7. ſtionibus, bene monentibus. Idcirco enim *Incredibilis animæ
memoria ſtans figmentum ſalis,* nos adhortatur. 2. Docemur
obedire

obedire, & nõ tanquã leue contemnere, quod jubet Deus, suggerit Angelus, monet Concionator. 3. Docemur, teste Philone Cyprio, oculos continere, atque à curiositate abstinere. Si nocuit videre supplicium, quid damni feret intueri scandalum? *Vt vidi? vt perij?* potuit dicere vxor Lot. Quot, & quanti id iuuenes, viri, senes, pueri & puellæ dicere possent? Posset id dicere Dauid; possent dicere duo senes, quorum ille à lauante Bethsabea, isti à lauante Susanna oculis venenum hauserunt: posset id dicere Puthipharis vxor, quæ mœcha facta non esset, nisi Iosephum petulantibus oculis respexisset. Punita est vxor Lot, quòd ad terribile illud supplicium, quo impuri Sodomitæ vstulabantur, oculos reflexisset; qua pœna digni erunt, qui, quod opere consequi non possunt, saltem oculis venantur; vt, dum vsus non conceditur, aspectu satientur? 4. Docemur, *quæ retro sunt, obliuisci, ad ea verò, quæ priora sunt, extendere nos ipsos, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo IESV.* Neque enim bene cœpisse sufficit. Quàm multi bene cœperunt, sed exciderunt? Non vanè Psalmus Cantici Asaph titulum præfigit: *In finem ne corrumpas.* Insistendum est bonis cœptis, non respiciendum. *Vxor Lot salis statua effecta, suo exemplo fatuos condiuit,* ait S. Prosper, *in proposito sancto, quo tendunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere;* ac repetere Mundi & carnis voluptates. D. Augustinus hæc inculcat apostatis, qui calcato castitatis voto, ad vomitum respiciunt. Christus vniuersim hoc exemplo monet eos, qui bene cœperunt, vt perseuerent. *In illa hora, qui fuerit in tecto; & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro similiter non redeat retro. Memores estote vxoris Lot.* Et alio loco: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* 5. Docemur, quàm nihil sine caussa iubeat Deus. Posset videri nimis rigidus, dum tam seuerè vetuit, ne Lot cum suis retro respiceret, aspiceretúe Sodomam fumantem. Sed habuit eius rei multas grauesque caussas. Ita enim se Dominũ ostendit, cùm mandatum dedit. Ita illi se seruos exhibuissent, si omnes obediuissent. Ita demonstrauit Deus detestandam conscelerataæ gentis abominationem, vt quam à suis respici

Philo Cypr. in catena.

Phil. 3. 13.

Psal. 74.

S. Prosper. l. 1. de Prædict. & promiss. c. 16.

S. August. in Psal. 75.

Luc. 17. 31.

Luc. 9. 62.

nollet; ne quis pereuntium miseratione tangeretur. Ita volebat omnem memoriam nefandorum hominum ex animis sanctorum & purorum deleri. Ita demonstrabat, adeò execrandos Sodomitas, vt Lot, & familia eius, ne de supellectili quidem, aut domo, ceterisque bonis suis vnà cum impia vrbe conflagrantibus cogitare, aut dolere deberet. Nam sic etiam Christus iussit Apostolos excutere puluerem de pedibus in eos, qui Euangelium auersarentur, vt hoc signo manifestum facerent, se cum tam nefarijs hominibus nihil, ac ne puluisculum quidē velle habere communem. Ita denique non solùm Deus Sodomam relinquentibus occasionem dedit, vt nullum in illis pœnitentiæ signum, quale est respicere, videretur; sed etiam, vt instante incendio quàm citissimè fugerent; sicut è domo fugiunt homines incendio iam illam depopulante. Hoc vos ergo monstrosa vxoris Lot statua docet, ô iuuenes, detestari, fugere; &, si fugitis, non respicere mundum & vanitates eius Auernali incendio proximas. Hoc vos docet, ô peccatores, statua salis, deserere malos, horrere præterita, ac neque oculis, neque mente respicere ad pristinas illecebras: denique iudiciorum Dei, cum timore ac tremore meminisse.

Matth. 10. 14.

CAPVT LVI.

Quantum ex rege Nabuchodonosore, &, ob quæ peccata, monstrum factum sit?

I.



HActenus pœnam minùs atrocibus peccatis monstrositate repositam palam fecimus: nunc maioris monstri maiora delicta prodigiosè punita è diuinis litteris producemus. Apud Poëtas, monstrum ingens erat Inachi filia Io in iuuencam mutata; & grandius Iuppiter ipse, qui illam fingitur mutauisse. Nimirum

Ouid. lib. 1. Met.

Idem. lib. 2. Met.

Sceptri grauitate relicta
Ille pater rectorq; Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, mistusq; iuuencis
Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis.

Formo-

Formosusué fuerit Deus, &, vt fingitur supremus Deorum, in taurum abiectus, nemo est, qui credat; immò nec rem ipsam credimus. Fabulæ, apinæ, tricæq; saperdarum. Vera audite, de magno rege, qui seipso, *omnibus populis, gentibus & linguis, qui habitant in vniuersa terra*, scribit: *Ego Nabuchodosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo;* narratq; fatidicum calamitatis suæ somniũ, in quo audiuit vocem Angeli fortiter clamantis: *Alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei: & septem tempora mutentur super eum.* Quæ hæc mutatio? quod somnium? *Hæc est interpretatio sententiæ Altißimi, quæ peruenit super Dominum meum regem*, ait Daniel. *Eijcient te ab hominibus, & cum bestijs ferisq; erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud. Omnia hæc venerunt super Nabuchonosor regem.* &c. *Et ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est; donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.* Dan. 3. 98. Idem c. 4. 1.

Hæc quanta regis fuit metamorphosis? *Cor eius ab humano in cor feræ commutatur*, & ex sapiente fit amens. Pro torquibus, armillis, & annulis, *vinculo ferreo & æreo alligatur.* Quando enim in amentiam versus cœpit delira fari, atque insanire, mox ne sibi & alijs noceret, compedibus astrictus fuit, manicisq; vinctus & inclusus. Deniq; autem monitu Danielis solutus compedibus, ex regia domo, & palatio suo, in quo floruerat, aufugit in siluas, retentis manicis ferreis in manibus, ne illæ coniungi possent, neúe ijs vteretur vt homo, sed vt illis disiunctis reperet ad herbas more bestiarum. Idcirco enim dicitur: *Alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis.* Itaque, qui erectus antea incedebat, postea deiectus coactus est repere; qui priùs sub auratis tectis habitabat, postea debuit manere sub Ioue frigido; qui priùs tot satrapas & magnam aulicorum turbam coronamq; habuit circumstantem, iam inter cer- II.

ter ceruos & lupos, inter apros & vrsos, inter leones & dracones versabatur; qui antehac fercula videbat in mensam inferri, quorum ne numerandi quidem, ne dum edundi copia erat, postea pro lautitijs regijs, *fœnum vt bos comedit*; qui antea comtus cæsariem calamistris crispabat, & vnguentis Arabicis imbuebat, postea illi crescebant *capilli in similitudinem aquilarum*; cuius digiti antea gemmis, velut cælum stellis lucebant, postea *vngues quasi auium*, aut falconis hamabantur. Et hæc omnia, per septem annos, est passus, vt tanto acerbiùs, quanto diutiùs deprimeretur; passusq; est, postquam iam triginta septem annis regnauit, vt tanto tempore assuetus delitijs, grauiùs sentiret calamitates inexpertus. Nonne hæc magna est metamorphosis?

Dan. 4. 30.

III. Maior apparebit hæc mutatio, si quid non sit, & quid sit, in apricum deducamus. Etenim magnitudine prodigij adductus Origenes cum suis, ausus est affirmare, hæc de Nabuchodonosore non historicè, sed parabolicè duntaxat narrari, & sub regis huius nomine, casum Luciferi depingi. Verùm D. Hieronymus & alij plerique aiunt, hanc esse hæresin; cùm ex simplici narratione eius facti pateat, historiam esse; & scriptura clarè dicat, *omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem*, quæ scilicet ipse priùs narrauerat, sibi in somno ostensa, ac postea re ipsa contigisse. Quo pacto autem contigerint, vel contingere potuerint, graphicè certatur. Nec eadem omnium est sententia.

Dan. 4. 25.

IV. Quatuor sunt modi, quibus id contingere potuit; 1. vt Nabuchodonosor talis in oculis tantùm aliorum videretur; 2. vt talis sibi duntaxat esse putaretur. 3. vt fera talis reipsa esset. 4. vt partim talis esset, partim talis non esset, qualis ab authoribus perhibetur. Primus modus placuit Michaëli Medinæ, existimauit enim, regis in bestiam conuersionem nequaquam veram, sed phantasticam duntaxat fuisse; quo pacto etiam Apostoli, quando Christum *viderunt ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse*. Eiusmodi autem phantasma vel à dæmone potest fieri, vel à Deo. A dæmone, per præstigias. Quo sensu comicus ait:

Michael Medin. lib. 2. de fide. c. 7.

Marc. 6. 49.

Glauco-

Glaucomam ob oculos obijciemus, eumq; ita
Faciemus, vt quid viderit, non viderit. Plaut. in milite glor.

Hac arte sagi, & magi, dæmonis auxilio, ita perstringunt falluntq; oculos intuentium, vt præsentes vel non videantur, quemadmodum apud Homerum Vlysses, & apud Virgilium Æneas:

Infert se septus nebula (mirabile dictu) Virgil. 1. Æneid.
Per medios: miscetq; viris: neque cernitur vlli;

vel videantur esse picæ, feles, canes, lupi; vnde & lycanthropi vocantur, qui sub figura lupi ouium gregem exagitant, inuadunt, occidunt, & mox in hominis formam reuertuntur. Habemus prô dolor exempla quotidiana in nostris sagis, etiam sub eiusmodi forma sauciatis. Et mentionem facit talis transformationis D. Augustinus; nos autem infra fusiùs. Cũ ergo Deus voluit Nabuchodonosorem humiliare, potuit permittere cæcodæmoni, vt aliquid simile circa eum operaretur. Immò potius potuit ipse Deus, circa corpus regis, quandam bestiæ figuram circumponere, sub qua, ab alijs aspicientibus bestia esse crederetur. Quemadmodum feminam, ad se adductam S. Hilarion curauit: alijs, per magicas artes, iumentum esse apparebat, quæ S. Hilarioni mulier, vti reuera erat, videbatur. Hoc modo potuit & Nabuchodonosor superuestiri, & feræ faciem præ se ferre; non tamen reipsa hoc modo feræ faciem præ se tulit. 1. Quia hoc non est mutari, sed tegi. 2. Quia non ab extrinseco, sed intrinsecus eum mutatum esse significant illa verba: *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* 3. Quia *fœnum vt bos comedit,* quod non facturus fuisset, si in se ipso mutatus non esset, sed tantùm alijs mutatus apparuisset. 4. Quia commemorantur disertè *capilli eius in similitudinem aquilarum* creuisse, *& vngues eius quasi auium.* 5. Quia ipse de se testatur suo, non aliorum sensu, sanato: *sensus meus reuersus est ad me, & figura mea reuersa est ad me.* Quod non dixisset, si in eo tantùm deceptus esset sensus alienus.

S. Augustin. lib. 18. ciuit. cap. 18.

S. Hieron. in vita S. Hilarionis.

Dan. 4. 13.

V.

Est igitur secundus modus, vt mente cerita, non jam alijs, sed sibi ipse, per imaginationem vitiatam, in feram transfor-

matus crederetur. Hæc sententia videtur S. Thomæ, sed in libro 2. de Regimine, quem Bellarminus alijque non censent esse S. Thomæ. Habet tamen pro se multa exempla, neque caret ratione. Exempla accumulat Galenus, & post eum Leuinus Lemnius; & Iacobus Bidermannus in Vtopia; quorum nonnulla libet breuiter perstringere, in gratiam hypochondriacorum, id est, quorum præcordia humore melancholico ac flatibus turgent, è quibus morbus iste frequenter talia per imaginationem monstra efficit. *Quidam*, inquit Leuinus Lemnius, *putabat nasum sibi excreuisse in immensum, vt elephantis proboscidem circumferre videretur. Medicus hunc ei morbum & phantasiam hac arte exemit: longum farcimen naribus admouit, arreptaq́; nouacula, illud sensim abscidit, ac tandem extimam nasi partem perstrinxit, vt sanguis deflueret; itaq́; imaginarium ei nasum auulsit: atque præscripta ei soporifera potione, & salubri diæta eum plenè curauit.* Quidam aiunt, eum antè comedere noluisse, quàm denasaretur, quòd putasset, viam cibi impeditam esse, naso supra os propendente. Alius existimabat, caput suum aluear esse, ideoque & volebat, fimo bubulo illud circumlini, vt apes tanto libentiùs tutiusque in eo habitarent. Fuit & qui se capite omnino carere arbitraretur, manuq; supra verticem ducta illud in vacuo aëre quæritaret. Quidam intestina sua putabat ab inquilinis aquaticis habitari; eaq; saltantibus hinc inde & coaxantibus ranis infestari; donec medicus ei dedit potionē, ac subdito clystere, ranas in subiectam peluim coniecit, quibus visis opinionem illam peruersam posuit, credens, se eā sobolem peperisse. Fuit & qui diceret, se cum Hecuba in canem mutatum esse, eaq; propter identidem baubare solebat, ac prætereuntes allatrare. Quin & ossa, more canum, rodebat. Alius censebat se membra habere vitrea, idcirco rogabat homines, ne ad se accederent propiùs, neu se tangerent, metuebat enim ne frangeretur. Quin aiunt eum opinatum esse, se caligas quoq; habere ex vitro, vnde semper stabat, metuens, ne si sederet, eæ quasi vitri fragmenta dissilirent. Fuit & qui imaginaretur, se Cardinalem esse; & rubri pilei epomidisque purpureæ loco, in publicum processurus, supparum capiti in-

Bellarm lib. de script. Eccles.
Leuin. Lemn. lib. 2. de complex.

ti inijceret coccineum, vt bardocucullum vel subuculatus gestare videretur. Plura in hanc rem exempla videri possunt apud Bidermannum nostrum. Quæ perspicuè ostendunt, multos dementire, & verò etiam stultos fieri, ob solam vehementem rei alicuius amabilis, vel execrabilis apprehensionem. Enimuerò Seneca testatur Bibium Gallum Romanum, imitando gestus stulti, eos ita phantasiæ impressisse, vt inde reuera stultus euaserit, neque post eum diem indiguerit stultitiæ simulatione.

VI.

Itaque tali modo censet S. Thomas, vel quisquis illius libri est author, regem Nabuchodonosorem in feram mutatum. Eiusdem opinationis est etiam Franciscus Valesius, & Hieronymus Mercurialis, qui prorsus existimant, nihil aliud fuisse regis huius metamorphosin, quàm morbum, quem medici melancholiam appellant, quo qui nimio laborant, insaniunt, & incredenda somniant vigilantes. Imaginantur, se captos, catenis ligatos, gladio subijciendos, strangulandos: jam hoc, jam illo morbo affligi, sæpe etiam mortuos se esse suspicantur. Quippe ni etiam se alia putant esse animalia? asinos aureos, vnde rudere conantur; leones Erimantheos, quare & rugitum tentant; molossos Anglicos; hinc identidem latrant; gallos gallinaceos, atque idcirco latera concutiunt, & diem cantu salutant; lupos famelicos, vnde & greges quærunt; quos sæpe pro hominibus aspiciunt, vt apud Poëtas Aiax, qui sæuijt in gregem porcorum hostes suos esse arbitratus. Eiuscemodi melancholia *canina, lupina, &c.* Latinis, Græcis λυκανθρωπία, Arabibus *cutabut* appellatur. Modus iste non sufficit, & meritò dicitur à Cornelio non adæquatus; quia nullus naturalis morbus figuram hominis mutat; neque temperamentum eius ita efferat, vt per septem annos cibo ferino, & quasi fera cum feris viuat. Neque sanè regi reliquæ in siluis feræ pepercissent, si mutatio ista fuisset in sola illius phantasia, quam non vidissent. Et, esto protegi à Deo, etiam sic potuisset, contra vim aliarum bestiarum, certè neque Daniel, neque ceteri satrapæ eum ex aula in siluas eliminassent, si vidissent nihil in eo, nisi phantasiam corruptam; sed eum

Francisc. Valesius. de sacr. Phil. cap. 80. Hieron. Mercur. lib. 6. var. lect. c. 20.

domi catenis alligatum, aut conclaui cohibitum custodijssent, donec ad se rediret; sicut & alij insani custodiuntur.

VII. Tertiò igitur quidam Iosepho ascribunt eam sententiam, quasi Nabuchodonosor reipsa ex homine bestia sit factus. Sed neque Iosephus id scribit, neque ratio patitur; si enim tam anima, quàm corpus subijssent eiuscemodi mutationem, non jam ipse *vinculo ferreo & areo alligatus* fuisset, non ipse *fœnum vt bos comedisset*, non *rore cæli corpus eius infectum* esset; non *capilli eius in similitudinem aquilarum* creuissent, & *vngues eius quasi auium*; sed hæc omnia boui, aut bestiæ accidissent, quæ nihil peccauerat, anima regis annihilata, vel in exilium pulsa, atq; tantisper vagari iussa. Quamobrem Dorotheus & Epiphanius volunt Nabuchodonosorem non totum in feram fuisse commutatum, sed interiùs formam hominis, hoc est, animam immortalem seruasse; exteriùs autem prorsus fuisse aliâ, & quidem bestiæ figurâ indutum; ita scilicet, vt anteriùs figuram bouis, posteriùs leonis referret. Itaque putant, eum taurino capite cornua ventilasse; & jubis ac cauda leonina terribilem extitisse. Fundamentum istorum est, quòd boui leonem addant, tum quia Septuaginta interpretes vertunt, *capillos eius* non *in similitudinem aquilarum*, sed *leonis* creuisse; tum quia dicitur, *cor* non bestiæ, sed *feræ detur ei*; bos verò, licet sit bestia, non tamen est *fera*, leo autem & bestia est, & fera. Quare hi idem de Nabuchodonosore fingunt, quod Poëtæ de Gyge & Minotauro, quos partim fuisse homines, partim boues, canunt. De Gyge

Dorotheus in synopsi. Epiphan. in vita Danielis.

Dan. 4.30.

Centimanumq; Gygen, semibouemq; virum.

Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 6.

De Minotauro:

Semibouemq; virum, semiuirumq; bouem.

Hæc quoque sententia nimium dicit. Nam ex homine, boue, leone triplex monstrum facit. Tametsi enim demus, aliquam veri hominis, immò plures partes posse esse membra aliarum bestiarum, non tamen concedimus, omnes partes ac membra (præsertim præcipua) posse esse sufficiens animæ rationalis instrumentum, vnde etiam supra docuimus, Satyros, centauros, & similia monstra, siqua sunt, potiora habere hominis. Immo

Supra cap. 48.

neque

neque Poëta dicit in Gyge, aut Minotauro animam hominis, corpus totum bouis fuisse, sed *Semibouemq́; virum, semiuirumq́; bouem* vocat; quòd corporis vna pars hominem, altera bouem retulisset. In explicatione porrò somnij Daniel nullam leonis, sed tantùm bouis mentionem facit. Ad *feram* quod attinet, cuius cor dandum regi ait scriptura, notum est, boues non tantùm cicures esse & domesticos, sed etiam agrestes & feros, vti sunt vri & bisontes. Dan. 4. v. 29. & 30.

VIII. Restat igitur quartò media sententia, vt dicamus, Nabuchodonosorem & secundùm animam, & secundùm corpus, non tamen tantum, quantum citati volunt authores, mutatum fuisse. Secundùm animam verè mansit homo; licet humanus ei sensus, quoad exercitium & sensationem humanam, & vsum rationis fuerit ademtus. Secundùm corpus autem & præcipuas eius partes, etsi manserit homo, tamen ita nonnullæ deformatæ sunt, vt bestia potiùs quàm homo videretur. Quæ singula à nobis declaranda sunt. 1. Nisi enim illi eadem anima mansisset, & idem corpus, non essent vera, quæ de illo narrantur; non fuisset idem, qui peccasset, sed bos pro eo, sicut olim cerua pro Iphigenia, substitutus pœnas dedisset. Nisi etiam idem corpus seruasset, tunc anima humana corpus bouis informasset, neque debita sibi organa habuisset, quod non magis fieri potest, quàm si anima bouis corpus hominis informaret. 2. Dici tamen potest anima mutata, secundùm vitiatam suam imaginationem, secundùm ligatum rationis vsum, secundùm tactus, gustus, & odoratus sensationem. Siquidem cordis & corporis eius temperamentum ita immutatum efferatumque est, vt esset simile feræ bestiæ, quantum fieri potuit, citra humanitatis, siue naturæ humanæ amissionem. Certè si *fœnum vt bos comedit*, stomachus aliam habere vim concoquendi debuit; aliam vim palatus, vt ei fœnum saperet; aliam odoratus, vt pro nidore culinæ graminis fragrantiam sequeretur; aliam etiam tactus; vt non sentiret frigora & æstus, rorem cæli super se cadentem, genibusque incedens non doleret. Denique emota mente, rationis vsum amisit; eiusque loco vtebatur phantasia, eaque & ipsa corrupta, & velut ferina, qualis est Dan. 4. 30. seq.

vri, vt fœnum, vt societatem ferarum, vt loca sola, & saltus reconditos appeteret; quemadmodum exoticè melancholici è domo se proijciunt, & sepulchra quærunt, & libenter versantur cum cadaueribus. Ita enim etiam, apud Homerum quispiam vt dolori mentis, & tristitiæ animi vacaret, lucos auios & solitudines captabat:

Homer. Iliad. lib. 3.

Nam miser in siluis mœrens errabat opacis,
Per campos solus latos, perq; auia rura,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Ita quondam fertur Atys in Phrygium nemus delatus, cuius vel fabulam, vel superstitionem exagitat Arnobius. Is enim & ipse in dementiam datus fuit,

Arnob. lib. 5.

Catull. de Aty LXIV.

Adytq; opaca siluis redimita loca Deæ.
Stimulatus vbi furenti rabie, vagus animi;
Veluti iuuenca vitans indomita iugi,

aut *dominos, vt herifugæ*

Famuli solent, ad Idæ tetulit nemora pedem,
Vt apud niuem, & ferarum gelida stabula foret,
Et earum omnia adiret furibundus latibula.
Vbi viridis algida Idæ niue amicta loca coluit,
Vbi cerua siluicultrix, vbi aper nemoriuagus.
Vbi cuncta mugienti fremitu loca retonant.

Sic & Nabuchodonosor *demens fugit in nemora fera.* Atque hoc est, quod dicitur: *Cor feræ detur ei;* nempe priuetur sensu humano, qui facit vt homo sit animal ciuile, & hominum amet societatem; fiat amens, insaniat, videatur sibi non esse ampliùs homo, sed bestia, sed fera, sed vrus, vt in saltus ac nemora exeat. Siquidem *cor,* in diuinis litteris idem est, quod mens & intellectus, item quod appetitus & voluntas. Quod enim cor est in corpore, hoc ratio & voluntas est in anima & toto homine. Cùm igitur bestiæ nec mentem, habeant, nec voluntatem, vice mentis habent imaginationem, quæ eas earumq; actus regit; & loco voluntatis, habent appetitum ferinum. Quando ergo dicitur, *cor feræ detur ei;* idem est, ac si diceretur phantasia feræ detur ei, & appetitus ferinus. Quo pacto etiam magni peccatores fiunt *sicut equus & mulus, quibus*

Psal. 31. 9.

non

non est intellectus, tantùm enim imaginantur sibi, appetuntque ea, quæ sub sensum cadunt. Ita pleraque Nabuchodonosoris cogitatio erat de fœno & pastu, hoc noctes & dies appetebat ferè vnum, quod sensui blandiebatur. Dixi, pleraque cogitatio, quia valde verosimiliter aliqui censent, eum quædam lucida mentis interualla habuisse, sicut multi insanorum. Ita enim pristinæ dignitatis amissio eum magis afflixit, si cognouit, quod amisit. Ita & potuit errorem suum agnoscere, ac retractare; iuxta illud, *donec scias, quòd dominetur excelsus*, hoc est, Dan. 4. 22. donec ex tua pœna Deum vindicem agnoscas, & ad eum atque ad teipsum redeas. Hæc in anima passus est, quæ tamen non animam in se, sed in vsu actuque duntaxat potentiarum attigerunt.

IX. In corpore autem sanè mutationes plures sustinuit. Nam 1. cùm dicitur, *cor feræ detur ei*, potest cor propriè sumi; quia cordis, & per cor totius corporis complexio fuit in Nabuchodonosore commutata; ita vt ex humano ferinum fieret temperamentum. Quod si sanguis alimenti naturam sequitur; ex fœno, quem chilum stomachus; ex chilo, quem sanguinem hepar, ex hoc tali sanguine, quos spiritus, vel vitales, vel animales cor potuit in reliquum corpus deriuare? Hinc pænè totus fuit efferatus. 2. Ob hanc caussam etiam externus corporis habitus magis fuit ferinus, quàm humanus; nullum igitur cultum admisit; vestes omnes, more insanorum, lacerauit & abiecit. 3. Quia semper nudus incessit, soli, æstibus, rori, frigori, niuibus, pluuijs, omnibusq; cæli iniurijs, vt fera, obnoxius mirificè fuit vstus, denigratus, & deturpatus. 4. Sed præcipua fuit faciei mutatio; cilia & supercilia non folliculis, sed cornibus paria. 5. Genæ nullæ apparebant, neque frons cernebatur, vix ipsi oculi, vix nasus eminuit è piloso vultu. 6. Labia herbã carpentia in rostrum induruerunt. 7. Vngues & barba & capilli (qui nisi etiam ijs, qui integris sunt sensibus, sæpe resecentur, solent turpiter, ac ferinum in modum crescere,) ita fuerant aucti, vt barba quidem ad terram dependens humum verreret, capilli autem totum ferè corpus tandem velut palla contegerent; vngues verò adeò longi densatiq;

tiq; fuerant, vt vngues referrent vulturum, aut aquilarum. Apud Danielem, c. 4. v. 30. dicitur, *capillos eius in similitudinẽ aquilarum creuisse*, pro *aquilarum*, Septuaginta habent, *leonũ*. Vnde S. Epiphanius & Dorotheus putauerunt, regem in leonẽ transformatum. Sed Latina versio & Chaldaica habent, *aquilarum*, hoc est, vt in Chaldæo textu legitur, *donec pili eius multiplicarentur, instar aquilarum*. Quare, sicut Nabuchodonosor incessu & forma boui similis erat, ita pili eius aquilæ comparantur, ob copiam & densitatem; itemq; ob colorem. Sicut enim pili aquilæ, plerumq; sunt admodum nigri; ita & regis nigri erant, ex copia melancholiæ, quæ crassissimã fuliginem exhalat; ex qua pili hi generabantur. Poterant etiam pili eius aquilinis æquiparari, ob prolixitatem & formam; vt enim cristæ in capite aquilæ prolixiùs excrescunt, eriguntur, crispæq; & horridæ, & minaces existunt; ita, & regis huius pili, instar rapacis auis, vndiq; assurgebant, vt vel erinacius videri posset. 8. Quamquam etiam cutis ipsa vrsi aut elephanti corio similis, dura erat, & ferina, crassissimisq; comis horripilabat; immò pili setas ipsas referebant, quia *à copiosissima fuligine crassissima melancholia oriebantur*, inquit etiam Valesius. 9. Ad hæc ipse incessus & figura, erat bestiæ, non hominis. Neque enim os sublime ferebat, aut cælum tuebatur, vt erectos ad sidera vultus tolleret, quemadmodum homo, & bipes; sed curuatus, pronus & cernuus, manibus pedibusq; reptabat, quemadmodum bestia & quadrupes; & Anthapathitæ, qui instar quadrupedum incedunt. 10. Idcirco manus, quibus repserat, & genua quibus nixus erat, ita induruerunt, adeoq; incalluerunt, vt bouinis vngulis, aut calcibus equinis ambulare videretur. 11. *Addunt aliqui*, ait Cornelius à Lapide, *regis huius genuum vertebras inuersas fuisse, ita vt extrorsum quadrupedum more prominerent; idq; vt pari cum bobus celeritate curreret, & inæqualia loca transiliret: nam si genua eius introrsum humano modo plicata fuissent, fuisset ipse ad talem motum & saltum ineptus. Hæc opinio videtur congrua & probabilis. Nam hic situs ad incedendum, more quarupedum, est naturalis, & pæne necessarius ad hoc, vt talis incessus continuari, diuq; durare possit, vt patet*

experientiæ,

experienti, & docent populi singularis velocitatis, quos Gellius lib. 9. c.4. refert vestigia pedum habere retro porrecta, non vt ceterorum hominum prospectantia. 12. Bouina Nabuchodonosori cornua, existimant nonnulli, pictorum licentia & priuilegio appingi; sed, quamuis de his nihil certi dici queat; non est tamen incredibile, ei aliqualia cornua adnasci potuisse, temperamento humano in ferinum commutato; cùm non solùm in fabulis legamus Actæones cornutos, sed id etiam factitatum in historijs reperiamus; vt taceam *faciem* Moysis *cornutam* apparuisse, quippe quia illa cornua alterius fuerunt rationis, radijs circum caput honorifica luce emicantibus. Illud tamen hinc dubium existit, num & dentes superiores amiserit Nabuchodonosor, quorum materia in cornua missa sit, quæ subierunt. Factum & hoc esse credibile est; ita enim, more boum, fœnum potuit commodiùs carpere ac ruminare. 13. Quidam eidem dependulam retro caudam adijciunt, quod etsi necessarium non est, tamen naturæ vim non excedit, talem humano corpori addere appendicem. Cùm id supra docuerimus in alijs de facto contigisse; ac præsertim omnibus illis, qui per ludibrium S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi equo caudam demessuerunt, vti & vniuersis, qui ab illis postea nati sunt; nati sunt enim cum annato sibi ad imum tergum muscario; vt ipsi portarent, quod equo abstulerunt. Quod etsi Deus non sine miraculo fecerit, nihil obstat, cùm multa & hîc miracula interuenerint in ista metamorphosi. Potuit ergo & Nabuchodonosori etiam hunc Deus apponere colophonem, vt vndique more bestiæ ornatus antè iugo ferendo idoneus esset, retrò autem etiam hac dependentia insignis fieret; quam, vt & cornua, extemplo ad Dei nutum, iterum amittere potuit. Idcirco ait: *Figura mea, reuersa est ad me.* Debuit igitur abijsse vt reuerti posset, hoc est, ex humana ferina facta fuisse, vel similis ferinæ. 14. Etsi fortasse initio, quando cœpit insanire, sicut non statim hirsutus fuit, sed crines & vngues cum tempore creuerunt, ita neque sermonem illico perdidit, sed paulatim amentia magis magisque dominante, absurdiùs locutus est; tamen videtur tandem cum mentis

Exod. 34. 29.

Polydor. Virgil. l. 13. hist. Angli.

Dan. 4. 33.

Vide Ludou. Molinam 1. p. q. 111. & Delrium lib. 2. de Magia. q. 18.

mentis vsu etiam linguæ vsum adeò perdidisse, vt neque articulatas ampliùs humanasque voces ederet, sed inconditas, ac bestiales, instar bouis mugientis. Siquidem qualis est imaginatio, talis solet esse locutio, seu vox animalis, quod sibi aliquid imaginatur; cùm ergo in Nabuchodonosore imaginatio tandem ferina fuerit, necesse erat & ferinas voces, immo furiales ab eo effundi, tantoque truculentiores, quia fauces crassiore pabulo rasæ vocem exasperant. 15. Quia enim non solùm cum feris, quasi fera in siluis, versabatur, sed etiam earum victu vtebatur, herbis scilicet ac radicibus vescens, lædebat vtique delicatum priùs guttur ac fauces; quæ cibi cruditate & assiduitate vocis viam laxauerunt. Neque debet hoc ex libris *Incredibilium* Palæphati putari; cùm non solùm diuina scriptura dicat, *fœnum vt bos comedit*, sed etiam Aben Esra de homine quodam melancholico affirmet, cum in montes Sardiniæ secessisse, ibique cum ceruis diu herbis victitasse. Quod & sani homines plurimi fecerunt, qui deserto mundi tumultu in eremum secesserunt, & amore cæli solis herbulis, ac radiculis vitam sustentarunt. Immò vixerunt multi rebus, à quibus humana natura longè magis abhorret. Vt enim taceam Argæos pyris siluestribus, Arcades glandibus, millio Sauromatas, Persas cardamo, nasturcioque in cibum vsos; certè Æthiopes, vti
Matth. 3. 4. & Ioannes Baptista, locustis vescebantur; Ophiophagi autem
Marci. 1. 6. serpentibus comedendis; & quædam femina Coloniæ araneis, oculato teste Alberto Magno, & multi hodie, quos ipse vidi, tam araneis, quàm alijs rebus venenatis glutiendis, non minùs quàm olim Mithridates, assueti nihil inde damni senserunt; idque non sicut peculiari Numinis protectione olim Apostoli,
Marci. 16. 18. & ij qui Apostolis crediderunt, quibus dictum est: *serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, sed vel quia antidoto muniti, vel quia consuetudine in naturam transeunte tuti fuerunt. Potuit ergo, quamuis in delitijs antè enutritus rex Babylonis herbis & graminibus vitam conseruare, præsertim cùm talem cibum imaginatione atque appetitu ferino & bouino (hoc enim est *cor feræ*) sibi à Deo in pœnam indito, appeteret. Et talis fuit, per septennium, in corpore Nabuchodonosor.

Vt

Vt autem *diligit misericordiam & judicium* Deus, ita neq; ista regis pœna sine misericordia & clementia fuit. 1. Vixit inter feras ac belluas, tanto tempore, nulla eum lædente, quia imaginatæ sunt, eum feram esse nouam ac monstrosam, & omnibus alijs vel terribiliorem, vel minùs idoneam, vt deuoraretur; aut certè, quia Angelus illius bestias cohibuit, ne eum inuaderent, ac deartuarent. Quo pacto postea ipse Daniel de se dixit: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* 2. Quæ maior fuit misericordia, non solùm per somnium præmonuit hunc regem Deus obscurè, quid futurum esset, sed etiam per claram somnij interpretationem à Daniele factam. Per quem etiam illi ostendit modum euadendi hanc calamitatem, dum ei dixit Daniel: *Quamobrem rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Delentur enim peccata, per pœnitentiam, & actus misericordiæ; & per eleemosynam redimuntur, quippe quia eleemosyna peccatorem disponit ad gratiam & peccati remissionem, quam instar orationis, emeretur à Deo impetratque; itemque vbi remissa est culpa, ex condigno quoque meretur reliquæ pœnæ remissionem: denique licet non mereatur semper culpæ & pœnæ æternæ, tamen ferè meretur pœnæ temporalis remissionem, vt Deus plagas suas talibus in hac vita non immittat, vel differat. 3. Quanta clementia fuit? vt pœnitentiam ageret, dedit ei spatium pœnitentiæ; siquidem distulit ad duodecim menses sententiæ suæ in regem latæ executionem; & velut nouam captauit occasionem, impleta mensura peccatorum.

X. Psal. 32. 5.

Daniel. 6, 22.

XI. Dan. 4. 26.

Itaque *post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat: respondit q; rex & ait: Nonne hæc est Babylon magna, quã ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei? Cumq; sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit a te, &c. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, &c.* Deus sanctissime, quid audio? Turris Babel, & vrbs Babylon, quæ à Nemrod siue Belo Nini patre condita, à Semiramide aucta,

fuit, & postea euersa, iterum à Nabuchodonosore restituta & magnificentissimis operibus adornata est; tanta fuit, vt in am-
Herodot. l. 1. bitu murorum stadia 480. excurrerent; muri ipsi 50. cubitos crassi, 200. cubitos alti essent, vrbsque centum æreis portis
Diodor. lib. 3. clauderetur; &, vt Diodorus ait, muri Babylonis adeò lati fuerunt, vt per eos sex currus simul possent procedere. Vtque
Aristot. lib. 3. Polit. cap. 2. Aristoteles testatur, tanta fuit Babylon, vt vrbe ab hostibus capta, per triduum incolæ alterius partis vrbis eam captam
Martial. ep. 1. esse non senserint. Quin tanta fuit Babylon, vt inter septem mundi miracula numeraretur. Hanc ergo tantam à se vrbem denuò excitatam deambulans rex, tanquam opus suum aspexit, & admiratus, quod verum erat, dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui? cumq; adhuc esset sermo in ore*
Iob. 37. 1. *regis, eadem hora*, tam grauiter punitus est. *Super hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo.* Nam quot homines aspiciunt non ciuitatem tam amplam, sed vel vnicam duntaxat domum? quid dico domum? vnicum librum, vnicam imaginem, sæpe vnicum carmen à se concinnatum, & sibi non aliter placent, ac si orbem terrarum condidissent? Habent igitur hinc homines, vnde discant, sibi non ipsis plaudere. Quanquã Nabuchodonosor etiam ob monarchiam tumidus, illa: *Nonne hæc est Babylon,* ingenti fastu, & non sine insigni Numinis contemtu, videtur protulisse. Et meminisse debebat somnij sui, ac interpretationis eius, cuius vel oblitus est, vel paruam habuit rationem, eaque propter ad ingenium arrogantiamque pristinam rediuit. Ita nimirum pereunt, qui diuinas monitiones parui faciunt, & *ad vomitum suum reuertuntur.* Multa præterea alia quoque perpetrauit, ob quæ puniendus erat. Vastauit Arabiam, depopulatus est Moabitas; intrauit Syriam, oc-
Ierem. 4. 6. cupauit Iudæam; qua de caussa eum Ieremias *prædonem gentiũ*,
Ierem. 18. 12. itemque *latronem*, quin alibi scriptura, ob rapacitatem lupum, leonem ob ferociam, pardum ob celeritatem appellauit; aitq;
Ezech. 28. 3. eum vasa domus Domini transtulisse in Babylonem. Quæ omnia vitia cùm jam etiam nostris bellis & multis bellatoribus sint communia, quid aliud merentur, nisi vt paribus suppliciis puniantur? Sed differt eos Deus, si enim in hac vita, ad

 hunc



hunc modum eos plectere vellet, omnes siluæ monstris implerentur. Nimis pulchra est hæc statio pro illis; aliud stabulum paratum est: sicut & pro heroicè pugnantibus aliud cælum. Hinc mirari non debent, si illis bene bellantibus malè est. Æquè magna præmia, ac magna supplicia, in futurum differuntur.

CAPVT LVII.

Tertia moralis monstrorum caussa, vt non tam pœna, quàm medicina; diuinorumq; Sacramentorum commendatio, & procuratio virtutis, conseruatioq; castitatis sint.



QVod regi Nabuchodonosori profuit, profuit etiam alijs multis. Monstrosi fuerunt corpore, vt animo fierent pulchri; aut vt pulchri permanerent. De rege Babylonis, qui ictus didicit sapere, ipse rex loquatur. *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli; quia omnia opera eius vera, & viæ eius judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* E qua confessione non pauci verosimiliter colligunt, Nabuchodonosorem septennali sua monstrositate castigatum seriò ad Deum verum fuisse conuersum, totoque corde contritum atque humiliatum; proindeq; etiam iustificatum; quin etiam, cùm non diu superuixerit, saluatum. Dorothei hæc sunt verba: *Cùm* Nabuchodonosor *peccatorum suorum remissionem adeptus esset, dedit Prophetæ regnum suum; & nec panem, nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confessus. Nam hoc illi Daniel præceperat, vt leguminibus & herba vescens Dominum placaret.* Eadem ferè habet Epiphanius; quæ ostendunt diuersos in diuersis esse flagellorum Dei effectus. Nam Pharao per flagella & prodigia Numinis magis induruit, ac in sua cæcitate mortuus æternùm damnatus est. Hæc sunt dispari judicia Dei, qui *cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Vterque fuit rex, vterque tumidus & superbus, vterque contemtor Numinis; *in eodem lecto* dormierunt; eodem morbo ægrotârunt; *vnus fuit assumtus, & vnus relictus.* Et, vt tantò

Dan. 4. 34.

Ioseph. Dorothei in Synopsi. Epiph. in vita Danielis. Lyran. Carthus. & vt videtur etiam S. Augustin. ep. 122. Doroth. in vita Danielis.

Rom. 9. 18.

Matth. 24. 40.

magis timeas omnipotentem, cum alio illum rege compara. Salomon à teneris vnguiculis fuerat piè educatus, & religiosè vixerat; quin tantæ fuit iuſtitiæ, quantæ ſapientiæ; in ſenio tamen à mulieribus deprauatus, idola coluit; qua de cauſſa multi eum eſſe Orco addictum arbitrantur. Nimirum *qui ſtat, videat ne cadat.* Nabuchodonoſor autem, qui in ſceleribus omnem vitam traduxit, in fine vitæ conuerſus eſt, æternum inter beatos futurus; vt nemo deſperet, aut dicat, actum de ſe eſſe. Ad hoc ex rege hoc monſtrum factum eſt, vt diſceremus, è monſtris homines, immò reges fieri poſſe. Lucroſa eſt metamorphoſis, vbi pœna pœnitentiam operatur.

1. Cor. 10. 12.

II. Et ſæpe pœna non tam pœna eſt, quàm medicina, & commendatio diuinorum Sacramentorum. *Noui aliquando nobilem & deuotum militem* (ait Ioan. Nider, quem alio loco Boarum nominat, & tanquam ſanctum militem, cui quinque annis ante obitum mors ſua fuit reuelata) *qui vxorem pulchram habuit deceptam occultè pauliſper à quodam adultero, cui ſatis conglutinato amore affecta, & infecta erat. Expertus illud miles maritus prudens, qui animam perditæ vxoris curare volebat, ſecretè vxorem accerſiuit, vultum eius (vt mihi miles retulit) horridum nimis vidit; ei ſanctis & pijs monitionibus contritionem ſuper ſcelere, & pœnitentiæ Sacramentum ſuaſit; & per Dei gratiam ad hoc exequendum vſque perduxit. Quo facto & ſacramentali ſumta pœnitentia à ſacerdote recedens, caſto marito militi viſa eſt priſtinam recuperaſſe faciei ſpeciem totaliter, quam antea ſenſibiliter perdidiſſe videbatur.* Hæc ille. Ac ſanè conſcientia ſæpenumero per vultum emicat, vt ſi illa patiatur tempeſtatem, etiam rugæ in frontem, & nubila in oculos veniant, reſpondeantque teter vultus, & teter animus. Et vult Deus vel in corpore ſubinde oſtendere animæ deformitatem. Quod ſi autem pœnitentiæ Sacramentum hanc in corpora vim habet, quantam habebit in animas, quam non in illas reducet venuſtatem? cùm ex illis tollat peccatum? cùm omnem maculam emaculet? cùm in eam gratiam reducat? cùm charitatem reſuſcitet? cùm juſtitiam, omnemque virtutem moralem ei reſtituat? qui virtutũ chorus, eſt verus nitor, & vera mentium pulchritudo. Mirum

Io. Nider. l. 2. Form. c. 9. & lib. 4. c. 10.

eſt,

est, hominem, vt hominibus placeat, nolle esse vultu monstrosum; &, ne Deo displiceat, non curare animæ suæ monstrositatem.

III. Sicut autem, dum medici morbos curant, morbi vicissim medicos commendant; ita fit in diuinis Sacramentis, dum sanant prodigia, fiunt prodigiosa. Neque ea vis soli est Sacramento pœnitentiæ. Baptismus quoque vt hoc genere inclaresceret, & morbos fœdos pepulit, & deformitatem. An. 1298. Rex Tartarorum Cassanus, quem Magnū vocant, cum ducentis equitum millibus Syriam finitimasq; regiones occupauit. Facta est tanti victoris potentia omnibus formidanda. Quare Rex Armeniæ, quamuis Christianus, eius viribus exterritus, non ausus est filiam suam illi negare, quam in matrimonium poposcerat, quia pulcherrima esse dicebatur. *Illa, post aliquod tempus, è viro suo Cassano edidit in lucem partum tanta deformitatis, vt rex maritus nullo modo illum veluti suum voluerit agnoscere, quòd monstrum videretur. Vocat ad consilium primarios: de ipsorū sententia vxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptum vltimo supplicio adiudicat.* Quo fugeret innocens mulier, nisi ad innocentiæ defensorem Deum? Itaque deplorata sua infelicitate ad preces sacras se contulit, illi questa iniuriā, cui soli cognita erat iustitia caussæ. A precibus vbi surrexit, ignara cōsilij, quo ne regente duceretur, saltem rogauit, vt sibi priùs quàm moriendum esset, liceret sacris vndis abluere eum, quem peperisset. Annuit rex, deditq; id faciendi potestatem; ea tamen lege & conditione, vt adessent baptismo aliqui fidei spectatæ viri, vnà cum rege, ne qua fraus intercederet. Mira res: quàm primùm baptismo tinctus est puer, adeò repentè venustus formosusq; apparuit, vt rex prodigij magnitudine permotus, cum plurimis satraparum, qui aderant, plebemq; sibi subiectam post se traxerant, manus nomenq; Deo dederit, maximumq; rei Christianæ factum sit incrementum. Quis neget hanc vim baptismo? cùm penetret vsque ad animæ labem abluendam, cur non & corporum menda posset, Deo iubente, emendare?

Thom. Boz. tom. 1. de Sign. Eccles. l. 1. c. 16. ex Io. Villano. lib. 8. cap. 35. Anno 1298.

IV. Quod si puer iste non fuit satis monstrosus, alia supersunt

sunt & maiora, & quæ, dum baptismi virtutem ostenderunt, magnas Christo animas lucrata sunt. Nam, etsi alij aliter hanc historiam referant, sunt tamen etiam qui affirment, Tyridatem Armeniæ regem, imperante Constantino, Christum hac occasione secutum. Postquam enim variè Christianos vexauit, tempore Diocletiani, visus est sibi cum multis suorum in porcum mutari. Agnoscebantur præstigiæ & spectra, sed nulla erat ars, quæ ab eis regem cum suis liberaret. Solus Gregorius Thaumaturgus eum cum suis asseclis, aquis baptismi pristinæ figuræ & moribus restituit. Quo signo moti Armeni longè lateq; Christi cultum amplexi sunt. Nicephorus sic rem narrat: *Cùm Gregorius ille, qui miraculis edendis clarus fuit, multa à Teritate propter Christum passus, & post multas variasq; malorũ species, ad quatuordecim annos, fouea cœnosa & caliginosa inclusus esset, Teritates ipse eius gentis princeps, cum domo sua tota, & cum optimatibus diuina iræ vindictam est expertus. Ad vitam enim simul & formam porcorum redacti seipsos deuorabant. Ceterùm ex fouea illa extractus D. Gregorius, vno signo omnibus Christum colere persuasit: & suilla forma atq; vita liberatos, institutum nostrũ complecti coëgit, delubra eis construxit, sacra arcani & mystici sacrificij celebrauit, & nouis miraculis dæmones ex ea regione exturbauit. Sunt qui Gregorium vnà cum Teridate ad Imperatorem magnum Constantinum venisse tradunt, eumq; tam miranda & inopinata audientem magnopere lætatum esse, & Gregorium ipsum totius eius regionis episcopum ordinatum eò misisse.* Æthiopem lauare posse aquam illam, quæ è porcis homines fecit, quis dubitet? Hoc nimirum est inter Mundum & Deum discrimen; Circe ex hominibus porcos, Christus è porcis homines fecit, hoc est, è porcis, humanos & homine dignos mores esse iussit. Quare & ipse Teritates tum demum verè esse homo cœpit, cùm monstrum esse desijt.

Niceph. l. 8. hist. Eccl. cap. 35. Sozom. l. 2. c. 7. Bozius t. 1. l. 1. c. 16.

V. Quoniam autem suprà leprosos quoque, inter monstra numerauimus, quibus nihil est immundius, dicendum nunc est, hoc etiam pacto multos fuisse monstrosos, vt Deus palam faceret, quanta sit baptismi vis ad animam mundandam, si potuit à corpore lepram abstergere. Nam quemadmodum o-

lim Naaman ad Iordanem missus & gentilismi errorem ex animo, & lepræ fœditatem ex cute exterminauit; ita multi postquam sacro se fonte tingi passi sunt, etiam corpore esse luridi desierunt. Sic S. Gaugericus Episcopus Cameracensis obuium peccatorem lepra punitum, vbi meliora doctum ablegauit ad sacerdotem baptismo imbuendum, duplici morbo curauit. Vnà enim & interioris, & exterioris hominis squallor ablutus est. Sic Arnulphus Metensis episcopus mendicum victum & amictum petentem, cùm lepra esset coopertus, etiam sanitate donauit, quando eum, sacra vnda, qua nondum erat lustratus, perfudit. Quæ illustria sunt documenta, morbos aliquando immitti, vt medicus ametur, cuius tam salutaris est medicina.

4. Reg. 5.

Sur. 11. Augusti. Ioan. Molan. in Natalib. SS. Belgij.

Sur. 16. Augusti.

VI. Verùm nihil illustrius potest esse, quàm quod de Constantino Magno fertur, eum vtique non alia de caussa fœdo lepræ morbo contaminatum, quàm vt à Christi medicina, etiam animæ pharmacum acciperet. Ad quod illi profuit innata pietas. Medicis enim balneum crudelitatis præscribentibus, dicentibusq; sanguinem cæsorũ infantium præsens huic malo esse remedium; auersatus hanc immanitatem, maluit ipse ægrotare, quàm alios sui sanandi caussa occidi. Quare dignus fuit, vt de cælo manus medica illi porrigeretur. Operæ pretium est, historiam ab alijs quidem compluribus perstrictam, sicut à S. Hadriano Pont. in epist. ad Constantinum & Irenen Augustos missa, & secundo Concilio Nicæno intexta narrarur, huc apponere. *Cùm aliquando Constantinus Imperator per noctem somnum caperet, ecce B. Apostoli Petrus & Paulus dormienti astiterunt dicentes: Quandoquidem sanguinis effusionem horruisti, missi sumus à Christo IESV Domino, dare tibi sanitatis recuperandæ consilium: audi ergo monita nostra, & fac omnia quæcunq; indicabimus tibi. Siluester Episcopus ciuitatis Romanæ, ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum suis clericis latitat. Hunc cùm ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertiò merserit, omnis te valetudo deseret lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem Saluatori tuo compensa, vt omnes, iussu tuo per orbem totum Romanum Ecclesiæ*

Zonaras. t. 3. Niceph lib. 7. hist. Eccl. cap. 33. Baron. An. 324. Sur. in vita S. Siluestri. 30. Decemb.

Ecclesiæ restaurentur: tu autem purifica te, vt relicta omni superstitione idolorum, tu Deum vnum, qui verus & solus est, adores, & excolas, & ad eius voluntatem te dirigas. Exurgens itaq; a somno Imperator statim conuocat eos, qui obseruabant palatium & secundùm tenorem somnij sui mittit ad montē Soracte, vbi Siluester erat. Profectus inde Siluester peruenit ad regem, ad quem ingressus, inquit: Pax tibi & victoria tibi de Cælo ministretur. Quem cùm rex alacri animo & vultu suscepisset, omnia illi, quæ facta, quæq; sibi reuelata fuerant, exponit. Inde percunctatus est quinam isti essent dij, Petrus & Paulus, qui illum visitassent ob caussam salutis suæ, & eius latebras detexissent? Siluester respondit: Hi quidem Dij non sunt, sed idonei serui Christi, & Apostoli electi ab eo, & missi ad inuitationem Gentium, vt credentes salutem consequantur: Cumq; ille hæc diceret, interrogare cœpit Augustus, vtrumnam ipsos Apostolos haberet aliqua imago expressos, vt ex pictura disceret, quos reuelatio docuerat. Tunc S. Siluester misso diacono imaginem Apostolorum sibi exhiberi præcepit. Quam Imperator aspiciens ingenti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos viderat: nec debere iam differre Spiritum sanctum ostensionem piscinæ, quam istos promisisse suæ saluti memorabat. Constructo itaq; lauacro, Constantinus, cùm sacro rore tinctus esset, confestim est sanitati pristinæ restitutus. Deinde non immemor accepti beneficij, ecclesias Dei exædificare cœpit, columnas earum passim sacris imaginibus in memoriam incarnationis Domini nostri IESV Christi, omniumq; Sanctorum reuerentiam exornauit: nec alia de caussa, quàm vt Christianismum in lucem & veritatem, DEIq; cultum proueheret, & omnes gentes à cultu Idolorum & diabolica deceptione conuerteret. Constantinus inde, vt gratiam tanti beneficij Siluestro referret, edictum, quod nunc 6. Cal. Aprilis datum legitur, scripsit, in quo hac historia enarrata, adijcit, se ad referendam gratiam Siluestrum omnibus ad amplitudinem & dignitatem Apostolicæ sedis ornandam insignibus decorare, atque eundem & Successores eius ipso insuper occidente donare. Tantum per lepram effecit mundi Gubernator; qua si caruisset, nunquam balneum Constantinus poposcisset. Ita & corpori Imperatoris suum decus, & animæ nitor, & baptismo nomen, & Christo gloria, Ecclesiæ denique ingens emolumentum, per

impera-

imperatorij morbi squallorem, accessit. Nullus Chiron, nulla Podalirij manus tam fuit felix, vt non solùm morbos, sed etiam morbis sanaret.

Nec Baptismum honorauit tantùm monstrositas in eo VII. sanata, sed ipsa etiam monstra à Baptismo abhorrentia atque refugientia. Vt enim vespertiliones lucem oderunt, ita sacra ista profani spiritus execrantur. Anno 1554. Stetini natus est infans, cuius vertici capitis insedit massa carnis, imaginem testudinis rufæ præ se ferens. In ceruice, muris instar, caudam tulit carnosam, sed albescentem, sine pilis. Capite erat Thersitico, extantibus terribiliter oculis. Hic tam notatus infans cùm portaretur ad Baptismum, mirabili corporis gyratione, horrendis vociferationibus, gestibusq; in hac ætate inauditis, denique dirissimis modis aduersatus est baptizaturo, vt ingens omnibus astantibus terror incuteretur. Quid aliud voluit hoc monstrum, quàm cælum & orcum inter se pugnare? *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Vos quoque, peccatores, monstra estis; si vultis sanari, ecce præsens est in Sacramentis diuinis medicina: sin pertinacia placet, nolite sacra profani contaminare.

Iac. Fincelius de mirac. nostri temporis, & Schenck. obseruat. 16.

2. Cor. 6. 14.

In hanc rem si velimus animum intendere, plurifariam VIII. talia contigerunt, vt etiam ceteris diuinis Sacramentis authoritas adderetur. Sicut enim, quando *præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius. Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS: Neq; hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo*: ita & sæpe aliàs euenit. Notissimus ibat per Sueciam puer, quem itidem mater cæcum pepererat. Hunc S. Rembertus secundus Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, in Sueciam profectus, pontificali ritu, sacro chrismate inunxerat; & quem cæcum tetigit, vngendo reddidit videntem. Quo prodigio vnà & puerum, & regnum illuminauit. Ad eundem modum etiam Faro Meldensis Episcopus populum curata cæcitate ad fidem formauit. Cùm enim sacro chrismate promiscuam plebem confirmaret, adductus est, inter

Ioan. 9. 1.

Surius 4. Febr.

Surius 18. Octob.

confertam multitudinem, etiam cæcus puer, quàm primùm chrismate vnctus est, lumen cæli, quod nunquam antea viderat, iucundissimè aspexit. Itaque geminum ex hoc sacramento fructum reportauit, in animo gratiam, in oculo sanitatem. Quod signum cùm in nostrum documentum factum sit, mirum est, tam multos vsque in seram ætatem differre huius doni susceptionem; immò aliquos tam infrequenter id conferre.

IX. Plura, ex huiusmodi corporum deformitate, aut vitijs, commoda prouenisse, etiam in SS. Eucharistiæ laudes, ostendunt qui peruigiles libros lucubrauerunt. Inter quos Ioannes Nider pius pariter & pereruditus scriptor refert, paulo priùs, quàm Coloniam missus esset, ad litteras addiscendas, fuisse inibi, intra ciuitatem, duas insignes virgines, eadem matre & mente natas, vnanimes, in vna eademque domo degentes, & sponso Christo virginitatem consecrantes; contentas victum tenuem manuum labore quæritare. Ita ad incuriam vsq; corporis grassatur cura castitatis. Sed præ omnibus epulis illis erat suaue epulum Eucharistiæ. Harum vnam, cælestis sponsus primore aspectu, duriter, postea tamen amabili euentu probauit. Cùm enim diuini pabuli desiderio ingenti teneretur, atque ad id etiam magna animi pietate soleret accedere, tanquam indigna repulsa est, in hunc modum. In morbũ cecidit, eumq; ita grauem, ac tantopere inualescentem, vt neruis, quibus labia & mandibulæ solent moueri, se contrahentibus, etiam adhibito totius corporis conatu, os diducere ad cibum sumendum non posset. Enimuerò ea erat contracti oris vis ac pertinacia, vt labia, etiam liquido iusculo sumendo vel vix, vel etiam penitus, cochleari, aut argenteo instrumento non possent aperiri. Adeò mandibula superior inferiori tenaciter cohærebat, vt concreuisse viderentur. Erat itaque non mirabilis duntaxat, sed etiam miserabilis virginis huius aspectus. Siquidem arctissima conducti oris compressio trucem, & dira minantem vultum efficiebat. In hunc modum affectam virginem non tam sollicitabat cibi sumendi cupiditas, quàm timor, ne sacratissimum Christi viaticum omittere cogeretur. Cuius sumendi desiderium tantò ampliùs crescebat, quantò se vide-

Ioan. Nider. lib. 2. Formicarij c. 7.

bat morti viciniorem, quantoque credebat, illud magis necessarium ingressuræ iter æternitatis. Negabant omnes, qui eam aspexerant, fieri posse, vt sacratum hunc panem sumeret, quæ etiam coctæ gallinæ liquorem sorbere nequibat. Vt tamen satis fieret tam ardenter cupienti cuicuimodi posset, vocatus est sacerdos, qui ei de peccatis confessæ, venerabile sacramentum sub oculos exhiberet adorandum; vt, quod re ipsa atque ore sumere non poterat, saltem fide, desiderioque manducaret. Adfuit mysta, qui postquam eam à peccatis absoluit, dominicum quoque corpus, ab ea venerandum, manu dextera eleuauit. Mira vis, & eximia virtus Eucharistiæ! statim vt eā Sponsa Christi conspexit, præter omnē spem & opinionem, animaduertit sibi vires redijsse in corpus, internoque animæ instinctu impulsa, os reserauit, accepitque in omniū oculis, quem tantis votis desiderauit. Quod miraculū omnes inflammauit præsentes ad illum laudibus extollendum, qui non solùm mutorum ora soluit in loquelam, sed etiam labia aperuit, ad cælestem cibum capiendum.

Matrimonij Sacramentum venerabile est, ideoq; & ipsum paulo priùs ostendimus illustratum, per mœchæ monstrosam faciem, pœnitentiamque, formâ iterum in integrum restitutâ. X.
Quia tamen voluntariæ virginitatis status perfectior, Deoque acceptior est, ideò Deus multos voluit potiùs esse non pulchros, quàm non castos; quin & ipsi nonnulli pij sanctiqué homines deformes fieri maluerunt, vt virgines permanerent. *Soror Angela de Trinitate, Carmelitana, filia Mareschalli de Brisach, cùm ob formam aliaq; natura dona a magnis proceribus in matrimonium expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, vt decus forma deperiret, & procorum oculis minus arrideret. In conuictu etiam nobilium fatuam se tardamq; simulauit, proposito suo nulli, quàm sibi, perspecto.* O quàm sapiens fuit hæc stultitia simulata! Olim Dauid, vt mortem euaderet, vitamque suam conseruaret, *immutauit os suum coram* hostibus, *& collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia porta, defluebantq; saliua eius in barbam*: hæc, quia erat vna de numero prudentum, maluit videri fatua, quàm placere alijs oculis, nisi Christi. Vnde

Paulus de Barrij in solitud. Hagiophilæ. 5. die medit. 2. dissert. pomerid.

1. Reg. 21. 13.

mentis quæsiuit, non frontis venustatem, vt verè dicere posset, *nigra sum, sed formosa.* Multæ aliæ, dum genas pingunt, dum fuco illitæ iuuenibus fucum faciunt, Deo nauseam creant, vt eas sinat labi in mille fœditates. Quemadmodum olim, quando *venit Iehu in Iezrael, Iezabel, introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram ingredientem per portam.* Quid hoc suo ornatu Circe ista retulit? quid illi facies picta dedit? iussa per fenestram in plateas præcipitari, canibusque obiecta, est deuorata; ita istæ pigmentis maculatæ, à Deo proijciuntur, & non rarò illis ipsis, quibus se ornant, reddunt fastidiendas. Quis enim cerussatas amat? quis non odit fucum & fumum destructores oculorum? Sapienter igitur se se soli exposuit colorandam Angela de Trinitate, quia sic effugit & principes, & opera tenebrarum. Non enim tantùm fugit matrimonium, sed multa alia, quæ solent eiuscemodi formis contingere. Pellem mutauit, ne mutaret virtutem. Æthiopissa facta est, vt animi seruaret candorem. Aliæ etiam plus impenderunt, cùm viderent periculosè simul stare venustatem corporis, & mentis integritatem. Vates fuit, qui dixit:

Cant. 1. 5.

4. Reg. 9. 30.

Sed te decor iste, quod optas,
Esse vetat, votoq; tuo tua forma repugnat.

Ouid. lib. 1. Metam. XI.

Sur. tom. 1. Febr. 1.

Quid oculis charius esse solet? castis virginitas. S. Brigida, inter totius Scotiæ puellas facilè omnium pulcherrima, & hoc ipso à multis ambita, à Christianis parentibus filio suo in matrimonium petebatur. Ast illa, quia virginitatem Deo consecrârat, sponsum Christum enixissimè precata est, vt alique corporis vitio illam deuenustaret, quo procantium cupiditas frangeretur. Nihil erat in tanta forma oculis elegantius. Itaque cùm oculorum decore maximè placuisset, alterum subito vlcere percussum diuinitus amisit. Antiquis dictum est: *oculum pro oculo.* Hæc virgo, ne Christum perderet, oculum perdidit. Quid dico perdidit? ingenti lucro mutauit. Siquidem ipse Christus oculus illius fuit: cui lusca tantò visa est formosior, quantò alij magis ab ea postea abhorruerunt. Vicisti, puella, ipsa deformitate felix:

Exod. 21. 24.
Matth. 5. 38.

Non

Non tua virginitas auibus libata sinistris,
Nec tua ab humana est zona recincta manu.

Verè illud Seruatoris didicisti: *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proyce abs te.* Quod consilium etiam secuta est altera illa admiranda, non imitanda Virgo, de qua Ioannes Moschus hæc habet: *Quidam vir fidelis narrauit nobis, cùm in Alexandria essemus, tale quiddam. Sanctimonialis (inquit) quædam sedebat in domo suâ vitam solitariam ducens: salutisq; suæ valde solicita, jeiunijs ac vigilijs vacabat iugiter, multasq; faciebat eleemosynas. Sed bonorum omnium semper inuidus diabolus tantas in virgine virtutes non ferens contra illam puluerem excitauit. Immisit enim cuidam adolescenti turpem de illa, diabolicamq; cupidinem. Manebat autem extra limen eius adolescens. Cùm ergo Virgo illa domo sua vellet egredi, atq; ad ecclesiam orationis gratia accurrere, ingerebat se illius oculis improbus & impurus adolescens, nec illam egredi sinebat, amatoria quædam verba procacibus nutibus illi insusurrans, adeò vt jam præ nimiâ molestia cogeretur virgo domo sua nusquam progredi. Die igitur quadam misit ancillam suam virgo ad illum, vt ei diceret: Veni, vocat te Domina mea. Abijt ergo ad illam gaudens & stuprum committere gestiens. Sanctimonialis sedebat in cubili suo. Ingresso igitur adolescenti ait: Sede. Cumq; sedisset, dic oro te, frater, inquit illa, cur ita mihi molestus es, nec permittis me domo mea egredi? Respondit adolescens: verè, Domina, te multùm amo, & quando te inspicio, totus in tui concupiscentiam inflammor. Quæ ait ad illum: quidnam in me pulchrum vidisti, quia sic amas me? ait adolescens: oculos tuos: ipsi enim seduxerunt me. Virgo verò vt audiuit, quia oculi eius illum seduxissent, sumpto gladio mox oculos eruit. Hoc autem cùm vidisset adolescens, eruisse scilicet sibi Virginem oculos, compunctus corde abijt in Scitim, ibiq; sæculo renuncians effectus est probatissimus monachus.* Quis non dicat hoc esse monstrum? sed monstrum felicissimum. Nemo enim vnquam vel cæcum ducem sapientiore consilio est secutus, quàm iste iuuenis; vel se maiore lucro exoculauit, quàm hæc virgo. Duobus enim his oculis duæ animæ sunt seruatæ, virginis & iuuenis. Sed monui iam suprà, quædam Sanctorum facta plus habere admirationis, quàm imitationis, Hinc saltem

Matth 5.29.

Euiratus in prat. Spirit. cap. 60.

 tem

tem discere licet, quàm homini sæpe forma inutilis sit ad pudicitiam tutandam.

Iuuenal. Satyr. 10.

Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater,
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutila Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare: filius autem
Corporis egregij miseros trepidosq; parentes
Semper habet. Rara est adeò concordia formæ
Atque pudicitiæ.

XI. Scio, neminem esse suorum membrorum dominum, neque concessum hominibus, vt seipsos mutilent, dominus est tamen membrorum nostrorum Deus, qui condidit nos. Illius igitur authoritate atq; instinctu multa fecerunt sancti miranda potiùs quàm imitanda. Inter quæ & istud est, ex quo perspicuè cernimus, virtutis amantes pulchritudinem longè prætulisse corporis venustati. Quod Deum fecisse clarum est in exemplo S. Brigidæ, cui ipse oculum ademit, ne virginitatis decus adimeretur. Quamquam etiam plures sint, quæ peculiari Numinis impulsu, vt animæ seruarent integritatem, corpus deformarunt. S. Ebba (cuius mentionem facit Venerabilis Beda, vbi miranda describit eius, quæ illi successit, Abbatissæ) Ethelfridi regis generosa filia, Antistitam agebat in Collinghamensi cœnobio, sollicitaq; erat admodum, ne vel ipsa, vel alia illi concredita ouicula contaminaretur. Probè enim sciebat mores militum. Danis igitur se se in Angliam cũ exercitu infundentibus, nec procul inde omnia vastantibus, totum virginum suarum cœtum in vnum locum conuocauit. Ibi eas huiuscemodi verbis est allocuta. Charissimæ sorores, & in Christo filiæ, haud ignoratis, in hoc regnum nostrum sæuos & impios Gentiles, hostem crudelem irrupisse; qui omnia peruadit, neque mortalium vlli parcit; non immunes sunt ab eius tyrannide mulieres, non tuti infantes; loca sacra æq; ac profana contemerat; neque templorum, neque hominum Deo dicatorum vllam habet rationem. Ædes pariter ac virgines sanctas violat, Denique quidquid offendit, perdit. Periculum

Beda lib. 4. hist. Anglor. cap. 19.

culum audistis, etiam præsidium accipite. Si enim meo consilio vultis auscultare, spero, penitusq; confido vos mecum, diuina adiuuante gratia, tyrannidem nobis imminentem euasuras, virginitatemq;, quam Deo vouistis, æternùm conseruaturas. Facilè consenserunt omnes, quod iam dudum statuerant. Cùm itaq; vna voce respondissent, se consilium & exemplum illius secuturas, Abbatissa prima, in conspectu omnium nouaculam arripuit, & quasi de Mutij Scæuolæ gente esset, ipsa sibi nasum à summo, vnà cum superiore labro abscidit, dentesq; fœdum in modum retexit. Hoc exemplum ceteræ omnes imitatæ, se ipsas pariter denasauerunt. Erat tunc miserabilis & verè monstrosus earum aspectus; qui superuenientes hostes ita deterruit, vt nullam omnium cuperent attaminare. Quas igitur venerant violatas occisuri, intactas, in suaue Numinis holocaustum vnà cum monasterio concremârunt, ipsi naso suspensi, quia nimium nasuti prædam malè odorati fuerunt. Horrentur alioqui monstra, has sine naribus ac labris virgines monstrosas factas, Deus tanto magis amauit, tamquam ipsa monstrositate decoratas.

Ad hanc classem pertinet Ascetes ille, qui *castitatem & virtutes alias pijs studijs sedulò meditans æquali decertauit agone. Is cùm expugnari omnino non potuisset, nullamq; aduersarijs vincendi spem reliquisset, post innumera tormenta, in lecto vinculis ligatus reponitur: & mulier impudica ad eum immittitur, quæ illum complectens, exosculans, manusq; petulanter ad membra secreta adhibens, procacissimè ad rem illicitam, nihil prorsus lasciuiæ, & illecebrarum prætermittens, concitat. Iste aliud, quod faceret, non habens, linguam ipse suam morsu concisam, dentibusq; comminutam in faciem meretricis expuit. Qua re sibi ipsi quidem pro voluptate acres dolores, impudicæ autem illi probrum atque stuporem, cum acerbitate, tam vehementibus illis illecebrarum insultationibus superior, conciliauit. Et sicuti in certamine pudicitiæ aduersus eam victor fuit, ita paulo pòst vitam martyrij sigillo confirmauit.* Nimirum qui didicit vulneratus vincere, meritò triumphauit moriendo; & mortuus est, vt triumpharet. Pergite, qui castitati cauetis, virtutem hanc adumbrare; si non fas est vobis linguam præmordere, li-

XIII. Niceph. l. 2. hist. Eccl. c. 13.

re, li-

re, licet tamen vobis cum Paulo corpus castigare, & flagellis sæuire in terga, & ibi quoque erubescere. Veneris faces, quæ vino accenduntur, sanguine extinguuntur. Nemo se hîc excuset, nemo inermem putet ad pugnandum pro castitate. Hic iuuenis vinctus, cùm alia omnia deessent, telum in ore reperit, quod impudicæ Thaidi in faciem iacularetur. Nimirum hæc oratio illius fuit:

Senec. in Hercule fur.

Grauent catenæ corpus, & longa fame
Mors protrahatur lenta, non vincet fidem
Vis vlla nostram: moriar, ô numen tuus.

XIV. Quid de lingua amissa sanctus queratur? si hæc taceat, omnibus membris potest Christum prædicare. Et scimus, multos elingues, ipso Cicerone disertiùs diuina vi fuisse locutos. Ita si tyrannus membro exempto monstrum voluit facere, Deus monstrum prodigio condecorauit. Quanquam omnino digni sunt hoc plectro, qui eo nôrunt in diuinas laudes vti. Illi autem, quibus hæc in ore caro mille parit infernos, dum lingua Deum blasphemant, dum homines impetunt, dum viperas agunt, *quorum os maledictione plenum est*, magni meritò beneficij loco habere debent, si linguam amittunt, aut velut capistro iniecto eam sentiunt impediri. Vincentius clarum inter Patres Dominicanos sidus, & ob tot tamque illustria prodigia meritò miraculosus Prædicator, aliquando Valentiæ, in solenni D. Ioannis Baptistæ festo die, ad populum, in publica concione dicebat. Dum verba faceret, per confertam multitudinem, in medium adducta est mulier muta, quæ in omni vita sua nunquam fari quiuerat. Animaduersa fide eorum, qui fæminam adduxerant, cœpto orationis argumento pausam interiecit Vincentius; oculisque aliquamdiu in cælum eleuatis, postea ad mulierem conuersus mutam interrogauit: *Quid vis filia?* Illa extemporali prodigio respondit: *Panem volo, & officium linguæ.* Attonitis omnibus, ait Vincentius: *Panem quidem quotidianum, quàm diu vixeris, habebis: officium verò linguæ non poteris impetrare: pro futura enim vtilitate tua Deus voluit te tali beneficio priuare. Si enim loquendi vsum habuisses, tanta fuisset lingua tua mordacitas, vt vitam corporis & animæ perdidisses.*

Petr. Ranz. Panormit. in vita eius. l. 3. cap. 1.

Meritò

Meritò ergò Deum magnificare non cesses ; & caue ne ab eo vlteriùs petās, quod non immeritò denegabit. Ad hæc mulier denuò clarè articulateque respondit : *Faciam, quod hortaris* ; & cum dicto confestim rursus obmutuit. Obmutuerunt stupore & alij qui aderant, & aliquantum ad silentium admiratione redacti tacuerunt, præsertim illi, qui eam adduxerant ; postea laude & gratijs Deo dictis, adductam domum reduxerunt ; vbi postquam septem annis superuixit, mortem piè religioseque obijt, ipso vitæ exitu testata, meliùs sibi fuisse, loqui non potuisse, quàm malè esse locuturam. Quod etiam aliæ lingulacæ & blateratrices fæminæ optare deberent. Minùs enim deforme est, defectu corporis, quàm virtutis laborare. Quamuis & malus spiritus linguam subinde vinctam teneat, ne Deum laudet. Hinc *eiecto dæmonio locutus est mutus.* Itaque & tacere aliquando malum est, & loqui bonum ; aliquando autem satius, non posse loqui, quàm nimis loqui ; vt & silentium, & eloquium à Deo, vel diabolo possit prouenire. Matth. 9.33.

XV. Quemadmodum autem grande beneficium fuit huic mulieri, linguæ vsu fuisse destitutam, ita & aliæ piæ feminæ, vt pudicitiam tuerentur, ipsam formæ suæ destructionem, tanquam beneficium, à Deo petierunt. Adeò quod monstrosum est Mundo, pulchrum est Deo. S. Liberata, alioqui Wilgefortis, apud Belgas Ontkommera, Germanis Onkummernuß dicta, Regis Portugalliæ filia, clam Christiana nescio parente, omnium totius regni formosissima habebatur, quam speciem vnà cum virginitate Christo addixit. Sed non defuit generosæ menti tentator, vt virtutem etiam pugna redderet illustriorem. Abierat è mortali vita mater eius. Pater qui sine vxore nolebat viuere, cùm sponsam circumspiceret, nullam potuit hac filiâ suâ vel nobiliorem, vel venustiorem reperire, quæ videbatur ex omnibus gratijs composita. Ethnicus igitur homo nihili faciens reuerentiam sanguinis, eam in coniugium expetijt. Liberata exhorruit petitionem incestam, potiusque millies mori maluit, quàm consentire in nuptias tam inauspicatas. Quid, inquiebat, pater meus Oedipum aget? ego eadem & filia, & vxor illi ero ; filij autem mei, si quos genuero, fratres

Martyrolog. Rom. Molan. ad Vsuardū, & Abbas Anhusan. in Stemmat. Christi. 20. Iulij post Bartholom. Riccium in triumph. Christi crucifixi.

mei vocabuntur? Absint à me tales nuptiæ. Quæ nullas volo, etiam acceptabo inhonestas? Quàm infandus hic esset Hymenæus? An non

Pronuba Tisiphone thalamis vlularet in istis?
Et caneret mœstum deuia carmen auis?

Primùm precibus agens,

Da mihi perpetua genitor charissime, dixit
Virginitate frui, dedit hoc pater antè Dianæ.

Postea etiam grauioribus verbis tedas iugales execrata est. Vidisses contrarios vtrinque motus. Quantum filia à tali connubio abhorrebat, tantum impurus parens ambiebat, cuius desiderium ipsa negatione incendebatur. Itaque in eo res erat, vt filiam quantumuis matrimonium detrectantem, regia potestate adigeret ad nuptias adornandas. Quò fugeret innocens virgo; iubente patre, cogente rege, nisi ad eum, qui est rex regum, & naturæ Dominus? Illum ergo contentissimis precibus orauit, vt id, quod patri maximè esset illecebrosum, & caussa tam infandæ petitionis, in se mutaret, formamq; illicem insigniter deuenustaret. Audijt hoc votum Deus, atque vna nocte ita eam vehementer deformauit, vt die altero viri, non feminæ ampliùs speciem præseferret. Barba enim hispida, & prolixa mentum illins genasq; contexit vndique, verum hoc omnibus & subitum monstrum videbatur. Parens ita demutatam nec pro femina, nec pro filia agnouit, sed, quòd comperisset, esse Christianam, diris eam tormentis subiectam, tandem in crucem clauis affixam crudelissimè interemit; hoc ipso postea, in toto terrarum orbe celebratam, quia barbata virgo mori maluit, quàm incæsto coniugio fœdari.

XVI. Tanta est Numinis prouidentia, tanta Conditoris cura, vt Christus verè dixerit: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; & quidem ita numerati, vt alibi addiderit: *Et capillus de capite vestro non peribit.* Quod si capillus de capite non cadit, sine prouidentia Dei, multò minùs sine eadem prouidentia illi accedet. Numinis igitur & sapientia & bonitas est, etiam fæminæ barba, sub qua tutò castitas potest latere, quæ vtique plus pulchritudinis habet, quàm vlla etiam in hoc sexu

Matth. 10.30.

Luc. 21. 18.

barba

barba monstrositatis. Quare etiam in hunc numerum apponenda est Romana illa vidua, de qua D. Gregorius ita scribit: *Gothorum temporibus Galla huius vrbis nobilissima puella Symmachi Consulis ac Patricij filia, intra adolescentiæ tempora marito tradita, in vnius anni spatio, eius est morte viduata, quam dum feruente Mundi copia ad iterandum thalamum & opes, & ætas vocaret, elegit magis spiritualibus nuptijs copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, sed ad æterna gaudia peruenitur, quàm carnalibus nuptijs subijci, quæ à lætitia semper incipiunt, & ad finẽ cum luctu tendunt. Huic verò cùm valde ignea corporis conspersio inesset, cœperunt medici dicere: quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbam esset habitura. Quod ita quoq; pòst factum est. Sed sancta mulier nihil exteriùs deformitatis timuit, quæ interiùs sponsi cælestis speciem amauit: nec verita est, si hoc in illa fœdaretur, quod à cœlesti sponso in ea non amaretur. Mox ergo vt eius maritus defunctus est, abiecto sæculari habitu, ad omnipotentis Dei seruitium sese apud B. Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibiq; multis annis simplicitati cordis atque orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cumq; omnipotens Deus perennem iam mercedem reddere eius laboribus decreuisset, cancri vlcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum eius duo candelabra lucere consueuerant, quia videlicet amica lucis non solùm spirituales, sed & corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum Apostolum inter vtraque candelabra ante suum lectum constitisse. Nec perterita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultauit, eiq; dixit: quid est domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? cui ille benignissimi, vt est, vultus, inclinato capite annuit, dicens: dimissa, Veni.* Ita igitur ad cælestia regna viam inuenit Galla, quæ maluit esse barbata, quàm maritata.

S. Greg. lib. 4. dialog. c. 13. Vide de hac ead. Fulgentium in ep ad Gallam.

Capitis hucusque & mamillæ defectus vtiles extitisse ostendimus, in alijs etiam totius corporis vitium morbusq; virtuti profuit. *Angadrisina virgo, in Gallia, Lothario regnante, fuit, quæ cùm à parentibus Ausberto Principi viro, qui postea Rothomagensem Ecclesiam erexit, inuita desponsaretur, multis cum* XVII.

Sur. tom. 1. in vita eius.

lachrymis Dominum obsecrauit, ne suam pollui virginitatem pateretur. Moxq́; lepræ morbo totum corpus occupante, ob fœditatem intacta dimittitur; & , ne in incerto esset, cur id mali ei accidisset, continuò sana euasit. Quæ vnquam femina opportuniùs ægrotauit? quæ pulchriùs monstrum mundo exhibuit? Nisi velis heroidem illam, illud patientiæ prodigium illi anteponere. *Virgo fuit Lydvvina, domo Hollanda, patriæ suæ decus immortale, quæ ne virginitatem perderet, formæ decus, quod in ea summum, petiit sibi auferri ab eo, qui facilis esse solet ad istiusmodi virginum votum. Sed & morbus addidit, ne proco alicui volupe esset, morborum conflugem in vnius corpusculi angustijs hospitantem cum sponsa domum ducere. Itaq; mansit in domo paterna, vbi videre erat adolescentulā membrorum omnium officio orbatam, manibus, genibusq́;, monstri instar, reptantem, & nunc trunco, nunc scabello per domus angulos se promouentem.* Sed alius sibi locus postulat morborum numerum & genera, quæ hanc virginem, sideris instar micantem, deuastauerunt. Hîc satis est, ostendisse, quibus monilibus Deus sponsas suas exornet, vt seruet. Quod etiam de S. Petronilla quidam memorauerunt, deformata corpore, ne animo deuenustaretur.

Maxim. Sandæus in schola affectuum pior. dec. 8. n. 3. ex Surio.

XVIII. Si, quod Salomon in Canticis Canticorum fecit, vt nuptias amoremq; spiritualem, ac supernaturalem animæ nostræ sponsum, nuptijs, amoreq; & sponsis naturalibus exprimeret, idem mihi fas esset; dicerem Christum in historia sanctissimè fecisse, quod in fabulis Poëtæ finxerunt ab iniqua Iunone impiè factitatū, cùm Calisto vitium passa, in vrsam est mutata. Christus aliam non violatam mutauit; sed ne violaretur, sub vrsi forma seruauit illibatam. Res digna est stilo, quam pereruditus Theologus meritò in exemplum virgineæ constantiæ recensuit, atque in veritatis testimonium sibi notam eam virginem affirmauit, *Claram re, nomine, & opere.* Hæc ea forma atq; ætate fuit, quam in vrbe certatim adolescentes ambiuissent; vt ergo vitam castam Deo dedita ducere posset, rure maluit, atque in vili villula degere, quàm in ciuitate, atque inter iuuenes quotidie periclitari. Inuidit Orcus hunc illi locū, quare de portu eam conatus est in procellas retrahere. Ad

Ioan. Nider. lib. 2. Form. cap. 10.

quod

quod conſilium duo ſubſidia adhibuit, & quòd nubilis eſſet ſcilicet, & quòd paupercula. Terræ igitur illius dominus vi conatus eſt illam in matrimonium dare ſeruo ſuo, vt ex eo matrimonio mancipia adipiſceretur. Duo ſunt modi, quibus iſti tales vtuntur, blanditiæ & minæ. Blanditijs priùs vti placuit. Sed quia eas omnes forti pectore reiecit puella, ad minas animum conuertit dominus, qui, (cùm illa Spartana generoſitate reſpondiſſet: *Ingenua, ſcio, ſum corpore, ſicut omnis parentela mea teſtatur: idcirco libera caſtimoniam elegi, quam abſit vt Deo ſubtraham, & tradam homini,*) in iram exarſit. Vtq; ſuperbi ſolent, qui nihil ſibi ſine contemtu negari arbitrantur, vi agendum ratus; vt quod illecebris non poterat obtinere, minis terroribusq; impetraret, more tyrannorum. Verùm, quia generoſas animas minæ minùs percellunt, quàm inſidioſæ blanditiæ, denuò illa dixit, ſe minas non morari, neque verò etiam cruciatus, ſi mille aſtarent carnifices cum omnibus ſuis tormentis, nunquam tamen ſe in nuptias conſenſuram. Extitit hinc magnum certamen inter virginis conſtantiam, & pertinaciam domini. Seruilis vitæ & conditionis ruſticus ſeligitur, ei coniugium Claræ deſtinatur, ſi pati inuitam cogeret, quod facere voluntaria nolebat. In hanc rem turris aperitur, reis cuſtodiendis ac furibus aſſeruandis alioqui deſtinata. In eam ambo deducuntur, compinguntur, includuntur. Ibi fuit virtutis & flagitij palæſtra. Sed fortior fuit virtus. Illico enim inuicta virgo in angulum carceris ſe recepit, è quo tutiùs pugnatura, fronti, ori, pectori crucis figuram impreſſit, inuocataq; diuina ope, iuuenem allocuta

Antea, ait, moriar, quàm ſit tibi copia noſtri.

Video enim quouſque tu, & dominus tuus tendatis. Violentia vti ſi voles, violentè peribis. Elige de duobus vnum; aut mihi non appropinqua, meque intactam relinque; aut ſi me inuaſeris, quando aliter me defendere non poſſum, occidam te, manibuſque feminæ diceris interemtus. Erat enim Clara hæc robuſto corpore, & viribus valida, caſtitatiſque amore ardens. Vix hæc dixerat, cùm repentè alia fieri viſa eſt, figuramque amittere qua iuueni placebat. Siquidem

Ouid. lib. 2. Metam.

Brachia cœperunt nigris horrescere villis,
Curuariq; manus, & aduncos crescere in vngues,
Officioq; pedum fungi, laudataq; quondam
Ora viris, lato fieri deformia rictu.
vox iracunda minaxq;,
Plenaq; terroris rauco de gutture fertur.

Hoc prodigio perterrefactus rusticus horrendum in modum cœpit vociferari, magnisque clamoribus dicere, ad eos, qui pro foribus stabant: *Aperite, quæso, carceres, aperite, vrsam, non coniugem mihi dedistis.* Accurritur, reserantur fores, exilit infelix nuptus. virgo pristino schemate humanaq; facie astat, & gaudet se vrsam potiùs egisse, quàm lupam; quæ dimissa è turri, postea sine interpellatione Deo seruire permissa est. Fratrem itaque iuuenem, & multas alias virgines ad idem virginitatis consilium attraxit, docuitque in paupertate & castitate superis parem vitam agitare. Et quia audierat, gratius esse Deo, si virginitatem voto stabiliret, quinquagenaria demum votum castitatis, coronidis loco, anteactæ in tot meritis vitæ adiecit. I nunc, & dic monstra in mundo non esse debere, quæ diuinæ prouidentiæ sapientiam bonitatemque tantopere commendant. Quamuis enim ordinem naturæ mutare videantur, tamen Numinis ordinem non inuertunt. Rectè igitur D. Augustinus Deum ita laudat: *Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque tædio regis, & nihil est, quod perturbet ordinem imperij tui, vel in summis, vel in imis.*

S. Augustin. lib. Medit. cap. 29.

CAPVT LVIII.

Quarta monstrorum caussa diabolus se transfigurans, vt probet, terreat, puniat, & suam deformitatem detegat.

I.



CAussam dixi, ob quam Deus benignissimè voluerit virginem, instar vrsæ apparere: hac enim forma perterritus est lupus, qui oui insidiabatur. Quo pacto autem, in vrsæ specie virgo fuerit tecta, non puto esse disputandum, Sunt enim Deo multi modi, quibus id fieri potuit. Bene

fecit,

fecit, quocunque demum fecit modo; dum texit, protexit. Malus dæmon, simia Dei, producit & ipse monstra, Deo vel jubente, vel permittente; sed longè alio fine. Id enim Deus facit, vt potentiam suam ostendat, vt prodigijs sua & sacramentorum vis innotescat; vt succurrat sanctis; vt virtutes defendat; vt moneat; vt emendet; vt clementer puniendo sanet; ad quas res etiam dæmones, tanquam iræ suæ instrumenta, adhibet; immò etiam ob vtilitatem proborum, quorum per dæmones virtutem exercet. Ab alio fine monstrificus est Orcus. Nam nefarius Spiritus idem cùm facit, vel terrere vult, vel torquere, vel prodere, vel fallere, vel, quod non inuitus facit, punire & perdere: Quas ob caussas plurima sanè Acherontica monstra legimus, iustissimo numinis iudicio, nequissimo dæmonis consilio, hominibus sæpè apparuisse, vel certè alia prodigia Stygijs artibus procurata. Modi sunt varij, quibus hic se Proteus sistit contuendum; quibusque vera, vel ficta monstra oculis fascinatorum, aut non fascinatorum objicit. Siquidem & ipse vt formidabile monstrum se repræsentat; & eos quos in possessionem accepit, monstris similes reddit; & denique in veris vel apparentibus monstris variorum animalium fabricandis laborat. Quæ tria genera ordine percurremus, vt videas non jam Ianum geminum, seu Quirinum, seu Consiuium, seu Iunonium, seu Curiatium dicere posse:

Nomina ridebis, modò namq; Patulcius idem,
Et modò pacifico Clusius ore vocor:

sed multò magis talem nominum & formarum varietatem Auernalibus polypis conuenire.

II.

In primis, igitur quia ipse Spiritus, tanquam abortiuus, è cælo cecidit, atque ex Genio pulcherrimo, in deformem admodum draconem est mutatus; de iusto peccator, de capace beatitudinis damnatus, ex angelo diabolus; idcirco vt vel hinc homines vitia abominentur, cogitur plerumque talis apparere, qualis est, hoc est, monstrosus; tametsi subinde etiam se in Angelum lucis sinatur transfigurare. Hinc varios horribilesque prodigiosarum belluarum vultus induit, vt olim Iobum tentaret; vt alios vel in vrbe, vel in solitudine commorantes diuexa-

Petr. Binsfeld. in tract. de Confessionib. maleficor. prælud. 12. Vide Cæl. Rhodig. l. 16. Lect antiq. cap. 5. Matth. 4.

diuexaret. Et quanquam nescitur, quo schemate Christum sit allocutus, facilè tamen cogitatur fuisse tale, ex quo bestia illa nosceretur. Quin etiam, quando formam humanam mentiuntur maligni Spiritus, plerumque alijs sunt proceriores, vel exiliores, vel etiam nani, gibbosi, naso longo & digno Dunstani forcipe, pedibus caprinis, dentibus aprinis; capite cornuto, vngula fissa, Æthiopico vultu. Ita notus ille Chrysorius, *ad extremum veniens, eadem hora, qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit, teterrimos viros, & nigerrimos Spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra eum raperent.* Ille superbiæ, ille auaritiæ, ille luxuriæ finis erat, quem luculentè describit D. Gregorius, inducijs carentem. Ita quinquennis ille blasphemulus *malignos ad se venisse Spiritus trementibus oculis puer aspiciens, cœpit clamare: obsta pater, obsta. Qui clamans declinauit faciem, vt se ab eis, in sinu patris absconderet. Quem cùm ille trementem requireret, quid videret? Puer adiunxit, dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt.* Iustissimè. quamuis enim tu filius fueris albæ gallinæ, oratio tamen tua & virulenta lingua Genios non meruit candidiores. Atra quoque Æthiopis imagine visus est alastor Brunoni Episcopo Herbipolensi, sedens in saxo Danubij, non procul à Greinone, ibi, vbi vorticosum barathrum aquam contorquet, nauesque hiatu maximo haurit atque absorbet, nisi remis pro viribus incumbatur. Quod contigit, cùm Episcopus Cæsarem comitaretur, secundo Danubio in Austriam descendentem. Fugauit hoc monstrum, & insidias eius, signo crucis sacer Antistes, quod vtique Cæsari malum struebat inter vortices, quibus intorta nauis obliqua ageretur, & pessum iret. Sed vicit Æthiopem candor Episcopi ostendens quàm vtile sit pios habere in comitatu. Anno Christi 1578. celebris illa saga Ioanna Haruilleria confessa est magistratui, *se diabolo (qui specie hominis atri apparebat staturam humanam excedentis, atrisq; vestibus induti) inde à duodecimo suæ ætatis anno fuisse oblatam a matre.* Cur atro diabolo? vt vel inde cognosceret puella, se malo domino tradi, & idcirco resiliret. Nota est memorabilis illa Athenodori Philosophi historia, cui vigilanti consimile visum obuenit

S. Greg. lib. 4. dial. cap. 38.

S. Gregor. l. 4. dial. c. 18.

Auentin. l. 5. Annal. Boiorum.

Ioan. Bodin. Præf. in Dæmonoman.

Plin. lib. 7. epist. 27.

obuenit infesti idoli obambulantis humana macilenta specie, procera, squalida, catenis vincta, quod in ædibus propter allatas à maligno spiritu molestias, jam diu desertis, indicauit locum, vbi inuenta sunt ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus æuo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis. Sed de hac vmbra dubitari potest, animâne fuerit, an Genius malus. Valerium Maximum audiamus. *Apud Actium*, inquit, *M. Antonij fractis opibus, Cassius Parmensis, qui partes eius secutus fuerat, Athenas confugit: vbi concubia nocte, cùm solicitudinibus & curis mente sopita in lectulo iaceret, existimauit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba, & capillo demisso: interrogatumq́; , quisnam esset, respondisse* κακοδαίμονα. *Perterritus deinde tam tetro visu, & nomine horrendo, seruos inclamauit, sciscitatusq́; est, si quidem talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent? Quibus affirmantibus, neminem illuc accessisse, iterum quieti, & somno se dedit: atq; eadem animo eius obuersata est species. Itaq; fugato somno, lumen introferri iussit, purosq́; à se discedere vetuit. Inter hanc noctẽ & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, paululum admodum temporis intercessit.* Aduertit Thyræus terriculamenta eiuscemodi nocturna mortes hominum portendere. Hæc nigra orci monstra pleraque sceleratis missa, terrorem iniecerunt, vt exitium suum vel cauerent, vel ad aliorum exemplum in hac vita inciperent; quod sanè Alastores isti subinde, ingratijs suis ac vel inuiti, facere coguntur. Valer. Max. l. 1. c. 7. n. 7. Pet. Thyræus de locis infestis. p. 1. c. 6.

III. Io. Diacon. in vita S. Gregorij l. 4. c. 89.

Sed ad Christianos redeamus Tartareis monstris, patientiæ caussa, vexatos. Refert Ioannes Diaconus, Spiritum quendam habitationem suam habuisse, post absidem oratorij, vbi S. Gregorius Deo laudes consueuerat celebrare; eundemque intempestiuo sæpius incursu S. virum orationi intentum tumultuosissimè perturbasse: equos ex stabulo eduxisse: duos ex ipsis præcipites egisse: viros religiosos eiusdem cum B. Gregorio professionis; nunc in forma cati vnguibus tentasse lacerare, nunc sub specie Æthiopis lanceâ petiuisse. Adeò infestus est Deo per preces supplicantibus, vt varias artes excogitet, quibus orationes sacras interrumpat. Præsertim autem ijs, qui

à turba secedunt, vt secum habitare & cum conscientia sua aut cum Deo soli agere possint, Christum in solitudinem sequentes. E qua etiam eos extrahere amat, sicut extraxit illum, quem, D. Gregorio teste, D. Benedictus vidit extrahi. Nam *cùm vir Dei venisset ad monasterium, & constituta hora expleta Psalmodia sese fratres in orationem dedissent, aspexit, quòd monachum qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras traheret, extra oratorium scilicet.* In S. Antonij vita legitur, post varias & atroces pugnas, tandem teterrimum draconem in atrum se vertisse Æthiopem. *Cùm* enim *videret se semper ab eius cogitationibus repelli, secundùm quod scriptum est, stridens dentibus & vlulans, qualis est merito, talis apparebat & vultu: puer horridus atque niger, ad eius se genua prouoluens, humana voce flebat dicens: Multos seduxi, plurimos decepi; nunc autem, vt à ceteris sanctis, ita & à tuo sum labore superatus.* Fassus est autem se esse spirirum fornicationis. Hoc victo atrocissimè à Tartareis laruis verberatus, cùm stare pedibus non posset, humi prostratus dicebat: *Ecce ego hìc sum Antonius: non fugio vestra certamina, etiamsi maiora faciatis. nullus me separabit à charitate Christi. Psallebatq; dicens: Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus admiratus, quòd post tot verbera fuisset ausus reuerti, congregatis canibus suis, & proprio furore se lanians: Videtis, ait, quòd nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter lacessit nos. Omnia arma corripite, acriùs nobis impugnandus est. Sentiat, sentiat: debet scire, quos prouocet, &c. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita vt loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria dæmonum exinde turba se effunderet. Nam & bestiarum, & serpentium formas induentes omnem protinus locum replevere phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, nec non & pardorum atq; vrsorum. Et hæc singula secundùm suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens: taurus mugitu & cornibus minabatur: serpens sibilo personabat: luporum impetus inhiabat; pardus discolor à tergo, authoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus atq; confossus sentiebat quidem*

S.Gregor l.2. dialog. c. 4.

Sur. 17. Ian.

quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente peruigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quasi de inimicis luderet, loquebatur. Si virium aliquid haberetis, sufficeret vnus ad prœlium: sed quoniam Domino vos eneruante, frangimini, multitudine tentatis inferre terrores: cùm hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quòd irrationabilium induitis formas bestiarum. Rursumq; confidens aiebat: Si quid valetis, si vobis mei potestatem Dominus dedit, ecce præsto sum; deuorate concessum: Si verò non potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Certant pictores de his monstris inferni penecillo exprimendis. Videtur enim Stygius archipirata omnes copias totamq; classem suam, contra vnum hunc Christi heroem conuocasse. Sed nihil effecit, sciuit enim Antonius, se contra laruas pugnare, tantoque fuit clarior eius victoria, quantò plures diuersioresque hostes superauit.

Has autem laruas, fumum, fucum, pigmentum, hanc caliginem & fuliginem, quam Acherons omnem, velut in conflugem collectam, opposuit Antonio, aliàs etiam sæpe seorsim induxit in theatrum. Meminit infestæ à Tartaro domus in vita Theodori Sicæorum Archimandritæ, Georgius presbyter, Theodori discipulus, in qua & hominibus, & iumentis plurimum molestiarum afferebant cacodæmones. In illa cùm domestici pranderent, aut cœnarent, lapides in mensas à Spiritibus iaciebantur, & telæ mulierum rumpebantur. Tanta quoque murium & serpentum multitudo domum occupabat; vt præ formidine nemo ingredi auderet. Antiquum hoc est, & cum Eua in serpentis exuuijs, rem suam magnam voluit confabulari. Quin & Gertrudi vt præstigias offuciasque faceret, in murem se contraxit; ille vtique Angelus, qui olim vertice cælum tangebat, qui dicebat in corde suo: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*; ecce ille Angelus, cuius operimentum fuerat omnis lapis pretiosus, nunc pugnaturus procedit, qua galea, qua lorica indutus? musculi corio. Nonnè hoc est grande monstrum, quod à pulchritudine Angeli, in formam musculi degenerauit? Tanti est tentare, oppugnare,

IV. [right margin, beside "Has autem laruas"]

Isa. 14. 14. [right margin, beside "Ascendam"]

pugnare, vexare hominem Numini seruientem. Ostensum est autem huc vsq; malum Angelum vel in mure, vel in Æthiope atrũ apparere, vt memores illius: *Hic niger est, hunc tu, Romane, caueto*, eum fugiamus. Aliquando tamẽ assurgit, seq; ostentat grandiorem. Fundum Barbilianũ, ob flagitiosam incolarũ vitam, assiduè vehementerq; infestans, in forma ferocientis tauri, nunc oues insectabatur & fatigabat; nunc gregum atq; armentorum custodibus graues molestias afferebat, adeò, vt etiam quidam ipsorum, ob eas intemperies Furiasq; solũ mutare coacti sint. Huic tauro alio lanione opus non fuit, quàm qui sacris armis vteretur. Adfuit igitur S. Gregorius, qui *Litaniarũ* & *aquæ lustralis* præsidio eũ profligauit. Misera bestia, sis magna licet, magnum tamen inuenisti antagonistam, cùm Gregorium inuenisti. Meruerant quidem fundi incolæ, non iam æripides Martis boues, quibus ararent, sed igniuomum talem Plutonis taurum; at præualuit sanctissimi Pontificis virtus sacris armis contra profanissimum spiritum vtentis; vt & nos disceremus modum Auerni monstra fugandi. Piè ergo & sapienter agunt, qui nõ solùm Litanijs Diuos inuocant, in fundorum & domorum suarum custodiam, sed etiam aquam lustralem & hominum cubiculis, & iumentorum stabulis vbiq; appendunt; asperguntq;, cuius affusionem non potest pati spiritus ille, qui ad ignes est damnatus, authoratusque. Quid ni autem Vertumnus iste de tauro in equum, aut centaurum; & rursum de gigante in pygmæum mutetur? Ingrediamur in fodinas metallicas. An non ibi Spiritus Annebergicus operarios duodecim viros vno flatu interfecit? Contigit id in specu, qui *Corona Rosaica* appellatur, estq; argenti diues. Apparuit autem tunc specie equi habentis procerum collum, & truces oculos, ac velut adhinniens, ex immani rictu flatum emisit infernali sulphure venenatum. Nimirum vt non sine cupiditate, ita neque sine discrimine effodiuntur opes, quas natura in viscera terræ abstrusit. Hinc alter Schnebergicus spiritus, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana, operarium è solo sublatum, in superiore loco maximæ illius concauitatis, quondam feracis argenti, non sine inclementi corporis attritu col-

Io Diacon. in vita S. Greg. lib. 4. c. 93.

Munsterus lib 1. Cosmograph. c. 15. ex Georgio Agricola.

tu col-

tu collocauit. In multis alijs fodinis auri, viſuntur tripalmares maſculi verſicoloribus tunicis veſtiti, qui velut Gryphes id metallum cuſtodiunt; neque rarò de vicinia audiuntur tanquã malleatores rupem extundentes. Ita neque vllarum pecudum, neque vllorum homunculorum forma tam eſt vilis, in quam gigantes iſti non intrent; in muſcas, in formicas; in omnes figuras.

Quia enim admodum rarum eſt damnatorum animas, vel V.
ad breue tempus, ex Orco emitti, dæmones earum vice funguntur, in hominibus diuexandis, eamq; in rem varios vultus mentiuntur. Quod credibile eſt Athenis Athenodoro cõtigiſſe de quo memoraui. Clariùs tamen euenit Corinthi in domo Eubatidæ, vt memorat ipſe Pythagoricus Arignotus. (Apud Lucian. in Philopſeude.) *Inhabitabilis illa erat domus, propter terricula. Quod ſi quis inhabitaſſet, expauefactus ſubitò fugiebat. Deciderat ergo iam, tectumq; rumpebatur. Nullus erat, qui ingredi auderet. Arignotus hæc audiens, incantationibus & carminibus armatus, domum ingreditur, Vmbram, ſi appareat, domo exacturus. Dum tacitus in vaſtiſſimo atrio ſedens, ad lumen legit, adeſt dæmon ſqualidus, hirſutus, & tenebris nigrior: tentatq; ſi qua ratione terreat, & expugnet: & nunc in canem, nunc in taurum, nunc in leonem ſe vertit. Nihil his omnibus commouetur Arignotus; ſed aſſumto carmine, in quendam domicilij tenebroſum angulum, Spiritum cõpulit, vbi mox ille diſparuit. Manè ſumtis ligonibus iuſſit effodi locum, vbi Spiritum ſe condentem noctu obſeruarat. Inuenitur cadauer hominis defuncti, quod exhumatum, vbi ſepulturæ fuit traditum, omnis infeſtatio domum reliquit.* Vides varias figuras dæmonis poteſtatem habentis ibi, vbi cadauera ſunt ſuorum? Quanquam etiam in pœnam eorum, id permittere diuina Nemeſis potuit, qui fortaſſe inibi locorum innocentem occiderunt; ac ne facinus erumperet, in eadem domo clam ſepeliuerunt. Vides dæmonem canem? vides taurum? vides eum, qui *circuit tanquam leo rugiens quærens quem deuoret?* VI.

Vis etiam videre draconem? Audijt eum ſaltem allegoricè deſcribi Iob, quem expertus eſt verberantem. (Iob. 40. 41.) *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet: fortitudo eius*

in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam suam, quasi cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistulæ æris, cartilago illius, quasi laminæ ferreæ. Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquã separabuntur. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur &c. Eundem alius delineans ait: *Ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem: & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli:* Vnde meritò dictum est, apud Iob: *Stringit caudam suam, quasi cedrum.* Quippe ni? cùm ille dæmon, quem S. Antonij imperio expulit ab adolescente S. Paulus Simplex, mutatus sit *in maximum draconem circiter septuaginta cubitorum, recedens in mare rubrũ.* Alius *Theodorus nomine puer fuit*, ait D. Gregorius, *qui in monasterium meum, fratrem suum necessitate magis; quàm voluntate secutus est. Cui nimirum graue erat, si quis de salute sua aliquid loqueretur. Bona enim non solùm facere, sed etiam audire non poterat; nunquam se ad Sanctæ Conuersationis habitum venire iurando, irascendo, desidendo testabatur. In hâc autem pestilentia, quæ nuper huius vrbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine est perductus ad mortem. Cumq; extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extremâ parte fuerat præmortuum; in solo tantùm pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres cœperunt tantò pro eo enixiùs orare, quantò eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repentè cœpit eisdem fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: recedite, recedite. Ecce Draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest. Caput meum iam suo ore absorbuit, date locum, vt non me ampliùs*

Iob. 41. 4.

Apoc. 12. 3.

Pallad. in hist. Lausiac. sect. 25.

S Greg. lib. 4. dial. c. 37.

cruciet, sed faciat, quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: quid est, quod loqueris frater? Signum tibi S. Crucis imprime. Respondet ille dicens: Volo me signare, sed non possum: quia squamis huius draconis premor. Cumq; hoc fratres audirent, prostrati in terram cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementiùs orare. Et ecce subitò cœpit æger clamare dicens: Gratias Deo. Draco qui me deuorandum acceperat, fugit, orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & sæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut iam dictũ est, ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reseruatus ad vitã toto corde ad Deum conuersus est. Hæc D. Gregorius, qui mox sequenti capite aliud terribilius exemplum subiungit his veris: *Est etiam nunc apud nos Athanasius ex Isauria presbyter, qui in diebus suis Iconij, rem terribilem narrat euenisse. Ibi namque, vt ait, quoddam monasterium Thongolatom dicitur, in quo quidam monachus magnæ æstimationis habebatur. Bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni actione sua compositus, sed sicut ex fine res patuit, longè aliter, quàm apparebat, fuit. Nam cùm ieiunare se cum fratribus demonstraret, occultè manducare consueuerat. Quod eius vitium fratres omnino nesciebant. Sed corporis superueniente molestia, ad vitæ extrema perductus est. Qui cùm esset in fine, fratres ad se omnes, qui monasterio inerant, congregari fecit. At illi tali, vt putabant, viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderant. Quibus ipse afflictus & tremens compulsus est prodere, cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit: Quando me vobiscum credebatis ieiunare, occultè comedebam, & ecce nunc ad deuorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedesq; colligauit: caput verò suum intra os meum mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atq; vt pœnitendo se liberare potuisset, à dracone quem viderat, expectatus non est.* Plura de cacodæmonum forma & deformitate qui legere vult, librum meum de ruina Luciferi adeat, vbi hoc argumentum fusè tractaui.

Idem c. 38. eiusd. lib.

Parænes. de ruina Lucif. à cap. XI. XII. &c.

VII. Ex historijs huc vsque recensitis satis constat, diabolum ipsum

Gen. 3. Matth. 4. ipsum specie monstrosa & corporali apparere, sicut Euæ apparuit, in figura serpentis; quamuis non constat, qua figura fuerit, quando cum lapidibus ad Christum, in deserto, accessit tentator. Teste etiam S. Damasceno, *Mali angeli potestate à Deo concessa, & viribus pollent, & immutantur, & in quamlibet formam (vt quidem apparent) migrant.* Scire igitur aliquis volet: Quo pacto ita possint apparere? Aio duobus modis id fieri posse, primò per ludificationem sensuum, ita vt nonnulla, quæ de illis narrantur, in visione phantastica duntaxat atque imaginariâ contingant; adeoq; solâ apparentiâ, præstigijs & illusione. Eiuscemodi illusiones facilè fieri possunt per motum localem. Negari certè nequit, ipsos quoque bonos Angelos sæpe solùm secundùm internã imaginationem hominibus loqui & apparere. Quemadmodum & multæ Angelorum visiones, in Apocalysi narratæ, solùm interiùs in phantasia factæ videntur; neque rarò sagæ à dæmonibus illuduntur, cùm ad varia se se loca vehi existimant domi dormientes. Secundò tamen non omnes eiuscemodi apparitiones dæmonum sunt imaginariæ duntaxat, sed sæpe assumunt vera, atque exteriùs sensibilia corpora, ita vt ab omnibus videri queant, aut audiri, aut tangi. Quæ corpora non sunt illis spiritibus naturaliter, ac substantialiter vnita. Neque enim Angeli sunt corporei, aut formæ ex natura sua ad corpora substantialiter informanda idoneæ. Assumunt tamen corpora non per solum motum localem, alioqui omnia corpora quæ loco mouent, vt cælum, & homines, v. g. Habacuc per aërem portatum, dicerentur assumpsisse. Vt ergo in assumtis corporibus possint verè apparere, necesse est illa corpora esse visibilia, & tangibilia, & adeò vt habeant colorem, duritiem, frigus, calorem, aliasque qualitates, per quas possint tangi, videri, vel alio modo sentiri. Quod fit, dum agentia & passiua artificioso modo applicantur, figuram formantia, in qua se volunt præsentare. Vbi eadem est bonorum & malorum Angelorum ratio. Quis dicat, Euam à serpente illusione tantùm phantasiæ aut oculorum ita deceptam esse, quemadmodum in somnijs, aut præstigijs fieri solet? Quis neget, dæmonem ad Christum visibiliter

S Damascen. lib. 2. de fide cap. 4.

S. Thom. 2. 2. q. 171. a. 5. ad 2. & q. 173. a. 2. 3. & q. 174. a. 2. ex S Aug. lib. 9. Genes. ad lit. c. 19

S. Thom. 1. p. q. 51. a. 2.

liter accessisse? Quis credat Gabrielem ad Dei matrem, alios Angelos ad Magdalenam in die Resurrectionis, vel ad Apostolos in Ascensione Christi, per phantasiam tantùm locutos? Fuit ergo id, per quod dæmon Euæ, aut Christo, & boni Angeli Mariæ vtrique, ac Apostolis apparuerunt, aliquid externũ, & aptum ad sensus eorum externos naturaliter immutandos. In hanc sententiam scribit S. Augustinus: *apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, vt non solùm videri, verùm etiam tangi possent, verissima scriptura testatur.* S. Isidorus etiam modum explicans ait: *Angeli corpora, in quibus hominibus apparent, de supremo aëre sumunt, solidamq́; speciem ex cælesti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifestiùs deteguntur.*

S. Augustin. lib. 15. de ciuit. cap. 23. S. Isidor. lib. 5. de summo bono c. 10.

VIII.

Indicium autem valde probabile, ad imaginariam & externam apparitionem discernendam à S. Thoma illud est traditum, quòd ea, quæ solùm per imaginariam apparitionem, aut per illusionem sensuum fiunt, tantùm quoque appareant illi homini, qui specialiter illuditur, non tamen communiter ab omnibus videantur: externam autem apparitionẽ alij etiam indifferenter intueantur. Quod indicium ita verum est, vt tamen non sit necessarium. Potest enim interdum Spiritus exteriùs alicui visibiliter se obijcere, vt oculis conspiciatur ab ipso solo, alijs circumstantibus nihil videntibus. Quo pacto *viri illi, qui comitabantur* Paulum, *stabant stupefacti audientes quidem vocem* Christi, *neminem autem videntes.* Et Daniel, *Leuaui,* inquit, *oculos meos & vidi,* vbi subiungit, *vidi autem ego Daniel solus visionem, porrò viri, qui erant mecum, non viderunt.* In quæ verba Pererius monet, in potestate Angelorum esse, cùm in assumtis corporibus apparent, sui aspectum, quibus volunt, vel exhibere, vel denegare. Qua autem id virtute, faciunt? SS. Angelos ait Suarez, id facere posse virtute diuina, *quia fortè in assumtis corporibus participant hanc proprietatem corporis gloriosi: nam istud per voluntatem animæ potest se manifestare, cernendumq́; præbere vni, & non alijs, etiamsi sint æquè propinqui, & nullum obstaculum interponatur, sicut in exemplo de vocatione Pauli Christus Dominus fecit, præsentiã suam Paulo concedendo, & eius socijs eandem subtrahendo.* Atqui hoc facere constat & malos Spiritus,

Act. 9. 7.

Dan. 10.

Franc. Suar. lib. 4. c. 33. de Angelis.

qui in acie astant vni à quo videntur, & non ab alijs etiam præsentibus militibus. Quin ipsas quoque sagas ac magos inuisibiles reddunt, cùm volunt. Quod vtique non faciunt virtute diuina. Qua ratione igitur? Nimirum immutando mediũ, & ponendo obstaculũ impressioni specierum visibilium, quod potest Spiritus tanta celeritate facere; vt non impediat transitum specierum ad oculos eius, cui apparere vult; impediat verò transitum ad alionum oculos, vt post Richardum docet modò laudatus Pater.

Richard. in 2. dist. 8. a. 2. q. 3.

IX. Quin quoque ipse dæmon etsi videatur ab eo, quo cum agit, potest tamen, quædam latentis monstri indicia ad tempus subducere, quæ postea cogitur detegere, diuina prouidentia, in cautelam hominis, ita disponente, *Author est Thomas Monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem probitatemq; pluribus in rebus expertus didici,* inquit Alexander ab Alexandro, *qui seriò mihi retulit, quòd cùm in monasterio & sacris ædibus, quæ in Lucanis montibus sunt, cum pluribus iurgatus foret, & post immodica conuicia & rixas, animo perturbato, inde se proriperet: cùm per nemora iter solus intenderet, speciem hominis vultu tetro, nigra barba, promißis tunicis, vultu adspectuq; deformi & sæuo, obuiam habuisse: quem cùm compellaret, quid ille solus per deuia errabundus incederet, dixit equum, quo vectabatur, amisisse, atq; in proximos campos illum euasisse credere: cumq; per sinus inuios equum vnà quæsitum pergeret, ad profluentem, in cuius alueo gurgites magni & formidabiles redundabant, deuenisse. Et cùm Monachus, vt aquam traijceret, calceos sibi eximere appararet, illum magnopere coëgisse, & peruicisse tandem, vt super spatulas suas ascenderet, potiusq; à se, qui corpore maior erat, vectaretur: qui acquiescens cùm super illius spatulas, vt succollaretur monachus ascenderet, illeq; in aquam ingredi appararet, dum vada exquirit, illius pedes non humana, sed tetra & deformi specie conspexit. Quo animaduerso, terribili horrore percitus Deum, vt sibi præsto esset, acclamauit. Mox Dæmonem & diram illam speciem, diuino audito verbo, stridore querulo, & vi maxima, quanta dici potest, ita è conspectu abijsse dicit, vt imminentem quercum ingenti impetu colliserit, ac perfractis ramis funditus euerterit, ipseq; consternatus atque exanimis diu iacuerit. Credebas*

Alexand. ab Alexand. l. 4. Genial. dier. cap. 19.

bat enim, quòd à vero non abhorret, niſi præuidiſſet, illum in rapidiſſimos vortices, & voragines fluminis præaltas ſe fuiſſe necaturum. Quis neget hunc dæmonem corpus aſſumſiſſe? Sed pedes occuluit longioribus tunicis; quas aquam ingreſſurus attollere eſt coactus, vt beſtia infernalis è veſtigio ſuo cognoſceretur. Vtinam & alij eundem ſpiritum omnis mali machinatorem agnoſcerent, cui ſeſe in ſtagnum ignis ardentis deportandos tradiderunt. Quàm illi altè exclamarent, quàm citò ab eius humeris reſilirent, neque ſe deferri ad Stygios vortices permitterent? Ad hoc Deus hos malos genios plerunque non ſinit corpora aſſumere, niſi monſtroſitate notata, vt, ſicut Iudæi ex aſſuta plagula, noſcantur, & horreantur.

X.

Si igitur vera quoque corpora aſſumunt Spiritus, qualianam ſunt corpora illa? verorumné Æthiopum, draconum, leonum? Reſpondet D. Auguſtinus, ſpiritum poſſe aſſumere corpus verum animalis præexiſtentis, vel etiam de nouo formare corpus, vt illud aſſumat. Potuit igitur ſeductor in ſpecie ſerpentis cum Eua confabulatus vel eſſe ſpectrum ſerpentis, vel verum animal; vti & quando in larua incedit aliarum beſtiarum. Et deprehenſus eſt Spiritus ſæpe aſſumere corpus animalis præexiſtentis, quin etiam cadauer hominis defuncti. Quod cùm fit, monent authores, non permitti dæmoni, circa corpora eorum, qui iuſti & in diuina amicitia ex hac vita deceſſerunt. Eſt enim hoc diuinæ amicitiæ non conſentaneum. Maiorem habet poteſtatem in corpora eorum, quorum & animas habet ſubiectas. Poteſt igitur ea mouere, portare, & in ijs ſe præbere tangendum, palpandum, videndum. Quod fecit in illo, quem curioſum & magica imperitè tractantem in muſæo Cornelij Agrippæ occiſum, poſtea à Cornelio domum redeunte, ac adiurante coactus eſt, tanquam viuum in forum producere, vt in rixa percuſſus, videretur inibi etiam interemptus. Frequentiùs tamen ſpiritus aſſumit corpus, quod ipſe ex ſpiſſato aëre, aut alio elemento, concurrente aliqua mixtione ſubtilium corporum, per artem Angelicam applicatorum, & ſe inuicem tranſmutantium, vt ex eis vna ſubſtantia reſultet apta ad talis corporis repræſentationem. Aiunt Angelos ſanctos

Aug. lib. 3. de Trinit. c. 10.

S. Bonauent. in 2. p. diſt. art. 2. q. 2. & alij cum S. Thom.

ctos sumere hanc materiam ex purioribus corporibus, quæ in superiore parte aëris inueniuntur; à dæmonibus autem ex locis terrestribus humidioribus, & fortasse immundis ac cœnosis, eò quòd, in pœnam suæ malitiæ, aliud eis non permittatur.

XI. Animaduertite igitur, mortales, qualem aduersarium; attendite, peccatores, qualem dominum; videte magæ & sagæ, qualem sponsum habeatis; ex qua materia corpus gerat compactum, aut qualia de patibulis, vel rotis, vel bustis cadauera mutuet, vt se vestiat, & vobis ornet. Animaduertite, qua forma se vobis sistat; quàm ater, quàm teter, quàm squallidus, quàm monstrosus appareat? Putatis, hoc superbum illum spiritum libenter facere; qui vtique mallet in specie pulchra, regia, cælesti videri, vt admirationi esset eius pulchritudo, & ad decipiendum aptior frons blandiens; sed cogitur diuina voluntate, vt in sordida & humano generi inuisa forma, vel etiam metuendo vultu plerumque se præbeat intuendum. Sic tumor illius premitur; sic fastus humiliatur; sic innotescit quantum à sua origine degenerarit; quantumque peccato sit deformatus; sic homines docentur, quantis monstris seruiant, si se sinunt seduci; sic peccatores monentur, qualium prodigiorũ, in inferno sint habituri societatem. Apud Athenienses, si semimares, aut insoliti animalium partus, & alia monstra informia edita essent, fœtus exportari, & in mare, vel flumen deijci iubebatur. Quid aliud vult Deus, cùm talia dæmonum monstra sinit videri, quàm vt ea detestemur, amoliamur, & in mare Creticum, procul à nobis, immò in barathrum illis debitũ ablegemus? Pudor est, amentia est, insania est, nos illum qui pro nobis passus est tam dira, qui pro nobis sanguinem & vitam fudit, qui *speciosus est præ filijs hominum*, spernere, ipsumque Saluatorem nostrum, amabilissimumque IESVM nostrum fugere, repudiare, auersari; & audire, sequi, ah sæpenumero etiam colere ac venerari, tam vile, tam turpe, tam execrandũ monstrum, perditorem nostrum, & animæ nostræ latronem, draconem sæuissimum, qui aliquando non solùm nobis insultans hoc ipsum exprobrabit; sed etiam aduersus Redemtorem nostrum de tam insipiente perfidia nostra gloriabitur. Quam-

Alex. ab Alexand. lib. 5. Genialium dierum c. 27.

rem etiam atque etiam considerans D. Basilius, in huc modum proponit. *Terribilis me quidem cum mentis consternatione horror inuadit metuentem videlicet, ne si aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, à Dei charitate deiectus Christo dedecori sim. Qui enim assiduè nunc suis nos artificijs circumuenire, & mundialis istius vitæ illecebris inescans omni conatu efficere studet, vt datorum nobis à Deo beneficiorum, Deiq; ipsius memoriam ex animis nostris reuellat, is, vbi hinc migrauerimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans, vehementissimeq; insectans, contemtionem Domino nostram contumeliosè exprobrabit, contumaciaq; ac defectione ab ipso nostra, gloriandi materia aduersus illum vtetur, quòd videlicet, cùm nos ipse neque crearit, neque pro nobis mortem subierit, sibi tamen, spretus contemtisq; Dei præceptis obsequentes habuerit. Equidem istam ego futuram aduersus Dominum contumeliosam opprobrationem, ac dedecus, & insolentem hostis gloriationẽ, grauiora longè esse statuo, quàm ea, quæ sunt in gehenna supplicia, materiam videlicet nos aduersario Christi, gloriosiùs se se aduersus illum efferendi extitisse, qui conciliandæ nobis caussa salutis & mortuus sit, & resurrexerit: cui etiam vel hac gratia maiorem in modum debitores sumus, sicut scriptum est.*

S. Basil. in Reg. fus. disp. 2. iur.

XII.

Superest ergo, vt hæc monstra horreamus, fugiamus, detestemur. Quod sancti sanè tantò ardentiùs faciunt, quantò censent clariùs, sibi bonum esse adhærere Deo. Nam & Sanctis apparet, vt in Iob, in D. Ioanne, in Antonio, in Dunstano, in Brunone Episcopo Herbipolensi, in ipso Christo est demõstratum. Cum his velut miles congressus est, vt ex certamine victores prodirent, tantoq; fierent illustriores, postquam vicissent. Alijs apparet Dei beneficio, vt territi desinant peccare & resipiscant. Alios omnino deuorat, quibus non in illorum, sed, vt D. Gregorius ait, *ad solam vtilitatem audientium* eiuscemodi historias, adest morituris. Ita à quinquenni puero, ita Chrysorio, ita Monacho hypocritæ visus est. De Chrysorio hæc habet. *Pauore tetræ eorum* spirituum *imaginis huc illucq; vertebatur in lectulo, iacebat in sinistro latere, aspectum eorũ ferre non poterat; vertebatur ad parietem, ibiq; aderant. Cumq; constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpit magnis vo-*

S. Greg lib. 4. dial. cap. 38.

cibus clamare: Inducias vel vsq; manè, Inducias vel vsq; manè. Sed cùm hæc clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirum constat: quia pro nobis ista, non pro se viderit, vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & inducias petijsse, quid profuit, qui easdem inducias quas petijt, non accepit? Quanquam igitur talia monstra videntibus nullum fructum afferant, afferunt tamen audientibus, & legentibus, in quem solum finem à Deo non minùs benignè, quàm iustè contingere permitterentur; & tamen non in hunc solùm finem permittuntur; quia sæpe talia aspicientes agnoscunt, quid meruerint, & auxilia petunt, quæ priùs respuerunt. In quam rem sit vel vnicum hoc exemplum, quod Alexander ab Alexandro recenset. Ita enim loquitur.

XIII. Alexand. ab Alexandro lib. 4. Genial. dier. c. 19.

Non est profectò fabulosum, quod apud sanctos viros autores memorant, vt cum tetris spiritibus, quos dæmones vocant, congressum habuerint, illosq; diuersis imaginibus, ac specie multiplici prope deluserint: Siquidem nostra memoria id euenisse compertũ est. Nuper amicus meus summus ingenio, & fide singulari, rem dictu admirabilem, hæc prodentibus nobis, sibi euenisse narrauit: quod cùm credi vix poßet, multorum testimonio comprobauit: se, cùm apud coniunctißimum & sibi familiarem Neapoli diuerteret, & noctis silentio clamantis de via, & vocem hominis auxilium implorantis audiuisset, cùm accenso lumine accurrisset, vt quid rei esset inquireret, ibi Dæmonem, & dirum quoddam numen tetra & horribili specie conspexisse, qui iuuenem quemdam clamantem & reluctantem, in via infestis manibus inuadere quærebat, quo conspecto, cùm miser ille ad ipsum, quem propè videbat accurrisset, & ne apprehenderetur, quanto poterat nixu ipsius vestem & manum apprehẽdisset, se, diuino sæpius aduocato nomine, cùm multum diuq; frustra fuisset reluctatus, vix tandem Dæmonem abegisse. Quo demum abacto, cùm iuuenem animo consternatum in domum recepisset, nunquam quòd se dimitteret, aut pallium relaxaret, quiuisse efficere, tantáque eum torpedo inuasit, vt mente euicta sui compos non esset, cùm sibi prorsus repræsentari, & ante oculos obuersari illa species videretur. Tandem ad se redditus, rem quo pacto se habuerit enarrauit.

Constabat

Constabat enim prauis eum moribus, & inciuilibus, cum DEI contemptu diu vixisse, in parentésque, tunc iurgatum contumelias & intoleranda probra dixisse, deuotionibus execrationibusque diris ab eis agitatum abijsse. Hæc Alexander. Et adhuc miramur talia patientes? miremur potiùs talia facientes. Æquum est, vt turpes laruæ inuadant turpia facientes. Habet magistratus lictores, quos mittit ad rebelles. Dei lictores sunt dæmones, ex merito igitur illis plectit impios, ac præsertim parentum contemtores. Felix, qui, ne plectatur, territus exclamat auxiliumque vocat. Solent & parentes, vt terreant liberos suos, illis nescio quas vmbras, & hirsuta monstra, extra hypocaustum vagantia, minitari. Memini & ego non ita pridem insignem ingenio & nobilitate adolescentem eiuscemodi intemperijs agitatum, non ausum dormire solum, non egredi sine comite extra limen hypocausti, nocturno tempore, denique metuentem vehementer, ne à cacodæmone abriperetur; caussã ipse probè nouerat. Quàm ille tum ad me cupidè cucurrit? quàm opem meam solicitè implorauit? ac propè hanc ipsam mihi tunicam à corpore abstulit, cupiens, vt ad Exercitia spiritualia eum promouerem. Sed non erat tum tempus eum admittendi: satis illum diabolus exercebat, cuius terriculamenta illi vtile erat experiri, donec disceret caussam potiùs molestiarum, quàm molestias ipsas exhorrere. Sic & & Apostolus olim fecit, ita scribens ad Corinthios: *Ego quidem absens corpore,* 1. Cor. 5. 3. *præsens autem spiritu, jam judicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri IESV tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, in die Domini nostri IESV Christi.*

CAPVT LIX.

Cur, & quàm monstrosos diaboli faciant eos, quos insident?



I. VEnio ad alterum modum, aut speciem monstrorum diabolicorum. Neque enim ipsi duntaxat horrificè monstrosos se se mortalibus aspiciendos exhibent, sed

ſed etiam admodum monſtroſos faciunt energumenos, in quos ingrediuntur. Hoc antè, quàm demonſtrem, priùs oſtendendum eſt, an Spiritus iſti, & quomodo in homines intrent? Sunt enim, qui cum Leuino Lemnio putent, energumenos, qui à dæmonibus poſſideri dicuntur, naturalibus tantùm morbis laborare, non verò à dæmonibus poſſideri. Sunt qui animas quaſdam jam olim defunctorũ arreptitios inuadere arbitrentur. Priores erroris arguit, quòd nulla morbi vis docere homines poſſit, vt omnium gentium linguis loquantur. Audimus enim ſimplices, ruſticos, illiteratos à ſpiritibus his infeſſos nunc Latinè, nunc Græcè, nunc Hebraicè, nunc alijs idiomatis conuicia iacientes. Quis morbus eſt, qui futura, aut abſentia mortalibus patefaciat? Ex energumenis autem talia intelliguntur, vti & occulta aſtantium peccata non rarò propalam reuelantur. Denique quis morbus tantas ægroto dat vires, vt eum catenis aſtrictum vix quatuor validis lacertis viri poſſint cohibere; aut etiam vt è templi pauimento, per aërem, vſque ad fornicem ſummum tholúmue ſe ſe queat extollere? Ægrotat profectò mente, quiſquis hos effectus morbis naturalibus aſcribit. Poſteriores autem, qui animabus defunctorum hæc attribuunt; eodem argumento confutantur, quis enim illis hanc futura cognoſcendi vim tribuit? quis linguas docet? Et verò vel animas ſeparatas fateri, eſt concedere ſpiritus, qui ſi ad corpora pertinentes, ſine corpore exiſtere poſſunt, quanto magis exiſtere poterunt ſine corpore, Spiritus ad corpora non pertinentes? Plura contra hos cumulat Toſtatus argumenta.

Leuin. Lemn. lib. 2 de occult. naturæ cap. 2.

Toſtatus Abulenſ. q. 124. in c. 8. Matthæi.

II. Sed contra vtroſq; experientia quoque, & ſcriptura perorat. Experientia quidem, quia non ſolùm tot antiquæ & recentes extant hiſtoriæ, ſed etiam oculi mille teſtantur, ſe talia vidiſſe, qualia neque morbus vllus, neq; vlla defuncti anima poſſet facere, dum adiurantur, exorcizantur & datis maniſeſtiſſimis ſignis eijciuntur nigri iſti hoſpites. Clariſſima etiã de hac re eſt ſcriptura, immò ipſius Chriſti ſententia, & facta. Quot enim ipſe dæmones, diuerſis locis & modis, exturbauit? Eiuſdem ſententiæ fuerunt illi, qui *obtulerunt ei multos dæmonia*

Matt. 8. 16. 28. Matth. 4. 24.

dæmonia habentes, & eÿciebat spiritus verbo. Omnia in Euangelistis sunt plena. Frustra etiam Dominus Apostolis dedisset potestatem in dæmones exterminandos ab hominibus, si nulli dæmones eos possiderent. Frustra Euangelium fidemq; hoc signo confirmasset. Frustra etiam regulã expellendorum quorundam dæmonũ illis tradidisset. Atqui dedit eis eam potestatem: *Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eÿciendi dæmonia.* Item voluit fidem hoc signo confirmari: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eÿcient.* Sed & regulam hanc dictauit: *Hoc genus dæmoniorum non eÿcitur, nisi per orationem & ieiunium.* Vsurparunt hanc potestatem & regulam Apostoli, & omnes ferè Sancti prodigiorum patratores. Quin & blasphemi illi Iudæorum principes, dum per summam contumeliam Christo dixerunt: *dæmonium habes*; itemq;: *Quid ipsum auditis? dæmonium habet*; ac rursus: *In principe dæmoniorum eÿcit dæmonia*; opinati sunt vtique, aliquos à dæmonijs inhabitari. Facessant igitur illi atheizantes, qui, ne cogantur fateri, esse aliquos Spiritus, quod arreptitij perspicuè commonstrant, negant energumenos esse dæmonum domicilia, & incredibilia opera atque effecta morbis naturalibus ascribunt, nempe quales medici, tales Christiani, helleboro curandi. Itaque non frustra in Sacerdotali Romano posuit Ecclesia formulam exorcismi, qui non est aliud, quàm oratio & adiuratio ab Ecclesia approbata, qua nomine Christi imperamus dæmoni, vt ab homine recedat. De quo S. Cyprianus agens Demetrianum Christianorum hostem sic compellat: *O si audire eos* (dæmones) *velles & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eÿciuntur, quando eiulantes, & gementes voce humana & potestate diuina flagella & verbera sentientes venturum iudicium confitentur.*

Matth. 9. 32. Matth. 12. 22. Marc. 3. 15. Marc. 16. 17. Matth. 17. 20. Ioan. 8. 48. Luc. 11. 15. S. Cyprian. ad Demetrianum.

III. Vt autem homo à dæmone insessus dicatur, necesse est quidem, sed non sufficit, vt in eo insit tanquam motor illius, sed insuper requiritur, vt in eum habeat quandam potestatem. Neutrum sine altero sufficit. Accepit in Iob potestatem satan, vti in S. Antonium, in S. Franciscum Xauerium verbe- Iob. 1.

randum, non tamen isti obsessi dicuntur, quia in illis non fuit
Ioan.13. 27. Satan. In multis rebus est Satan, qui & *post* acceptam *buccellam* in Iudam *introiuit*, non tamen tunc obsessus est Iudas, quia non habuit in eum agendi potestatem. Dicitur igitur in eum intrasse, quia Christi vendendi suggessit consilium; teste
Dydimus l.3. de spirit. S. Didymo. Quod ex Ioanne constat sic accipiendum, ait enim:
Ioan. 13. 2. *Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* vbi insinuatur, aliquando, idem esse *introire & mittere in cor.* Pertinet ergo ad insessionem etiam potestas mouendi ac sæuiendi in possessum; quam sanè potestatem, dum exerit, non rarò mõstra ex hominibus quodammodo facit, & sæpenumerò mirificè eos deformat; sæpe sensuum vsu priuat, mutos, surdos,
Matth. 15. 22. Marc. 1. 34. & 5. 15. 18. insanos, phreneticos reddit. Hac de caussa *mulier Chananæa clamauit: Miserere mei, Domine, fili Dauid: filia mea malè à*
Luc. 6. 18. *dæmonio vexatur.* Quo verbo passim vtuntur Euangelistæ. Estq; atrox vexatio belluæ istius. Quosdam cæcos, quosdam mu-
Matth. 12. 22. Marc. 9. 25. tos, quosdam surdos efficit. Hinc legimus: *Oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum ita, vt loqueretur, & videret.* Alio loco surdum & mutum sanauit, cui spiritus iste vtrumque sensum ligauerat. Quod si quis vult audire vexationẽ grauiorẽ, audiat patrem genibus prouolutũ ante
Matth. 17. 14. Christum & orantem: *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam.* Ac ne quis morbum, non spiritum id fecisse putaret, sequitur:
S. Chrysost. hom. 28. *Et increpauit illum IESVS, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* An non prodigium fuit, in ignem & aquã
Luc. 8. 27. præcipitari, nec occidi? Adhuc sæuiorem describit Lucas. *Et cùm egressus esset* Christus, *ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neq; in domo manebat, sed in monumentis, &c. Multis enim temporibus, arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.* Mat-
Matth. 8. 28. thæus eandem historiã perstringens ait: *occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo*
S. Augustin. lib. 2. de con- *posset transire per viam illam.* Lucas vnum tantùm describit, nobiliorem, vt D. Augustinus putat, aut certè sæuiorem, vt vult

D. Chry-

D. Chrysostomus & alij. Extendit sese autem frequenter hæc diaboli potestas vsque ad morbos, vsq; ad cruciatus maximos, vsque ad mortem. Prius illud itidem scriptura indicat: *Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, annis decem & octo. & erat inclinata, nec omnino poterat sursum aspicere.* Hanc autem infirmitatem à Christo expulsam, à dæmone procuratam fuisse, ipse Christus archisynagogo respondens docuit his verbis: *Hypocrytæ, vnusquisque vestrûm sabbato, non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis non oportuit solui a vinculo isto, die sabbati?* Eo vsque hominem malus hic hospes denormat, vt ex eo testudinem faciat, aut etiam serpentem, qui per terram repat, morbisque & doloribus impleat.

sensu Euangelistar. c.24. Luc. 13. 11.

IV.

Testantur id etiam diuersorum Sanctorum historiæ, è quibus legimus, quosdam spumasse, quosdam ignito vultu, virentibus oculis, rictu terribili, iam luporum instar vlulasse, jam more leonum astantes rugitu terruisse, & nullam non vocem edidisse bestiarum. De S. Bernardo testatur Wilhelmus Abbas, eum à tyrannica diaboli vexatione, liberasse mulierem quandam, cuius faciem Proteus iste vsque adeò fœdam, deformem, horribilemque intuentium oculis obiecerit, vt non pro homine, sed pro deterrimo monstro haberetur. Qualem vultum, quales oculos, quàm luridum colorem putemus fuisse filiæ illius principe parente oriundæ, quam viginti sex annorum grauissimo morbo à dæmone afflictam tortore suo liberauit Theodorus Archimandrita? Qualem laruam exhibuit cacodæmon, in filia Gordiani Imperatoris, quem S. Tryphon ex illa eliminauit? Quàm terrificum fuit videre mulierem, Cerberi instar aconita vomentis, ore contorto spumantem, dentibusque, in morem irritatæ tigridis frendentem, quam proscripto malæ fidei possessore pristinæ incolumitati restituit Laurentius Iustinianus sanctus Venetorum Patriarcha? Nullus bufo ita fœdè tumet, vti tumuit guttur à Spiritu superbiæ inflatum illius, qui ad preces S. Catharinæ est persanatus. Refert Palladius, puerum ex quo S. Macarius humani generis hostem pepulit, supra quàm credi potest, toto corpore intumuisse;

Wilhelm. Abbas lib. 2. cap. 3.

Georg. Presbyter in eius vita apud Sur. tom. 2.

Metaphrast. 1. Februarij. Bernard. Iustinian. in vita S. Laurentij Iust. cap. 8.

Raimund. in vita S. Catharinæ. Pallad. in vita S. Macarij.

muisse; tympanum putasses, aut vtrem inflatum; deinde, qua parte potuit, maximam aquarum copiam, cum ingenti vocis elatione, effudisse. Quid dico, aquam effudisse? consuetum est hoc etiam hydrope laborantibus. Audierat D. Dominicum concionantem femina à dæmone insessa, quæ, cùm in frequentissima turba sederet, repentè agitata cœpit magnis editis clamoribus verba facientem interturbare. Id consilium erat maligni hostis, sed sua machina captus est. Nam vir sanctus & silentium imperauit spiritibus (quorum septem erant) & facto Crucis signo, jussit eos facessere. Ad imperium viri, fugatus hostis hoc prodigium reliquit, vt mulier magna carbonum & sanguinis vi per os eructata, vnà cum spiritu animam expirasse crederetur. In alijs aciculæ, crines, claui, vitrorum & ouorum fragmenta, & nescio quæ non quisquiliæ reperiuntur, quæ vti non constat, quo modo intrarint, ita etiam prodigiosè euomuntur.

In vita S. Dominici lib. 2. cap. 9.

V. Atque vt manifestius fiat, quanta vastatione hominem destruat malus iste inhabitator, annumerabo, quid in alijs, atque alijs vel corrumpat, vel efficiat, vt monstrosi sint. Siquidem 1. sensus inuadit eorumq; organa hebetat, aut opprimit. Hinc in Euangelio legimus, alios excæcatos, alios exsurdatos, alios elinguatos, aut certè mutos factos; quemadmodum & grandæuam illam mulierem, quæ neque oculis, neque auribus quidquam ampliùs haurire quiuit, dæmone organa horum sensuum obstruente; de qua Wilhelmus S. Theodorici Abbas memorat. 2. Vires depopulatur, vt se loco mouere nequeant, sicut puella, cuius meminit Fortunatus, quam Stygius ergastularius ita debilitate vinctam tenuit, vt templum ingredi non posset. 3. Contrahit obsessos in globum, distrahit in lineam, torquet in omnes partes, vt experientia quotidiana sub oculos ponit, & mulier Euangelica suo exemplo testatur, de qua supra recensuimus; nec non Eutychius miserrimè distortus ac volutatus, de quo Georgius Presbyter. 4. Vi impellendi quosdam sursum attollit, vt mulierem à S. Bernardo Mediolani curatam: alios humi applaudit, ita enim filiam principis vehementissimè in terram allisit, quam supra scripsimus,

Wilhelm. S. Theodorici. in vita S. Bernardi l. 2, c. 3. Fortunat. in vita S. Germani Episc. Parisiensis c. 27. Luc. 13. 11. Georg. Presbyt. in vita Theod. Archim. In l. 2. Vitæ S. Bernardi. c. 4.

mus, à Theodoro Archimandrita liberatam. Quosdam etiam in ignem, quosdam in aquam præcipites agit, vt Euangelium testatur. 5. Plurimos morbis & cruciatibus ita dissoluit, vt non solùm membra ad officia sua præstanda reddantur inidonea; verùm etiam vt color è vultu, gratia è genis, nitor ex oculis fugiat, formaque omnis extinguatur. Vt enim, si vires integræ sint, & singula membra suis locis consistant, officijsq; suis fungantur, venustas quædam proportioque allubescit; ita si hæc tollantur, necesse est, ipsam quoque pulcherrimam hominis constitutionem dissolui atque destrui. Hinc quidam ex hac hominum classe, luridi, buxantesque, & instar Auernaliũ vmbrarum incedunt, viris timendi, pueris fugiendi; præsertim si oculi igniti, velut draconum fulgurantes, accedant. 6. Imaginationem & phantasiam ita occupant, turbant, euertunt isti Spiritus, vt obsessus se ipsum pro monstro habeat, vtque non solùm sibi persuadeat, se in hostes suos incidisse, belluas cruentas videre, laruas cernere, mortem præsentem habere; sed etiam vt seipsum in belluam conuersum arbitretur, eaque propter in obuios inuolet, sæuiat, eos laceret, & occidat. Talis fuit, quem gladio infesto per vrbis plateas ruentem, & quoscunque obuios petentem, teste Sozomeno, Arsacius integritati restituit. 7. Membris obsessi vtitur diabolus tanquam suis instrumentis. Neque enim tantùm manibus inuadit, & vnguibus ad se accedentes; vt eos vulneret, laniet, discerpat. Neque calcibus solùm impetit & percutit. Lingua illi ipsa est pro gladio; vox pro ferro est. Quàm impias vomit blasphemias? quanta iactat in astantes conuicia? quàm atroces calumnias spargit? quot falsis detractonibus nomen aliorum infamat? Ita quidem lingua energumeni abutitur. Abutitur & gutture, per quod voces trudit inconditas & belluinas: sibilat vt serpens, rugit vt leo, mugit vt taurus. Sic ex latratu, Alexandriæ, multi vtriusque sexus sunt deprehensi, à Cerbero in potestatem redacti, vt tradit Sigebertus. Abutitur & stomacho, quem subinde monstrosæ voracitatis ingluuie contaminat. Fuit Theodoreto teste, à vulpe

Marc. 9.

Sozom. lib. 4. cap. 15.

Sigebert. ad An. Domini 537. in Chronic. Theodoret. in hist. SS. PP. sect. 13

Tartarea obsessus, qui tametsi, vno die, triginta gallinas degularet, *appetitionem tamen non poterat extinguere satietate.* Tanta fames cum dæmone expulsa est à S. Macedonio, aquâ benedictâ. Hic talis priùs helluo, postea parua gallinæ particula fuit contentus. Alium fuisse refert Palladius, qui trium modiorum panes, vna vice deuorare solebat, & eosdem mox eructans resoluebat in vaporem. Quin supra omnem Erisichthonem adeò rabiosè famelicus fuit, vt, si panes deessent (quis enim ei pistor poterat satis pinsere?) sua ipse excrementa comederet, &, vt ferculo potus responderet, suum ipse lotium potitaret. Quis, in hoc misero homine, dubitatet spiritum immundum habitasse? Qualis hospes, tale epulum. Abutitur denique & vultu. Neque enim minaces sunt tantùm obsessorum & tragici oculi, sed etiam ipse reliquus vultus horribilis est ac truculentus, quando se se vult exerere cacodæmon; & qualem aspectũ ne in ipso Atreo finxerunt Poëtæ. Quid ita? Nimirum quales ipsi sunt maligni spiritus in oculis Dei, & in sua perturbata deprauataque voluntate, tales formas plerumque coguntur etiam in arreptitijs exprimere; vt hospes vel de hospitio possit agnosci. Quin etiam non coacti, sponte sua, truces volunt videri & crudeles, vt terreant, & timeantur. Non rarò certè ita pingunt genas, rugant frontem, pandunt rictum, stringunt dentes, vibrant oculos, distrahunt capillos, vt supra horrorem omnium Furiarum intuentibus horribiles ac metuendi videantur. Talia monstra ex hominibus facit Orcus, vt taceam eum etiam sæpe in ipsam animam grassari, si permittatur; siquidem dum corpora affligit, etiam in animas quædam detrimenta manant. Sicut enim, quando corpora bene affecta sunt, non exigua emolumenta in animas redundant; ita vice versa, eorundem molestiæ animas impediunt ab exercitio virtutum, quarũ nonnulla opera vel membrorum ministerio indigent, vel certè eorum doloribus retrahuntur. Et quamuis dæmon hominum voluntatem per se impellere non possit, potest tamen inclinare, dum in corporibus illecebras excitat, & ea sensibus externis internisque proponit, quæ magnum pondus addunt voluntati. Siquidem *corpus quod corrum-*

Palladius in vita Abbatis Macarij sect. 17.

Sap. 9. 15.

corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quanquam etiam habitus virtutum, quos importunus iste habitator inuenit, non extinguat, ita tamen sæpe hebetat, vt nullam possint vel modicam habere functionem; præcipuè eos, qui intellectum fulciunt, & proinde phantasmatum auxilio indigent. Dum enim validus est in phantasmata, per ea etiam obfuscat intellectum. Sic non tantùm corpus fit ab hoc incola miserũ & monstrosum, sed anima quoque ipsa destruitur, vt homo talis hominem non agat, sed sit quodammodo incarnatus dæmon. Quas ob caussas, inter maxima beneficia diuina, est vnum, à dæmone insidente liberari; &, quod pauci agnoscunt, multò maius; dæmonem ita arceri, vt nos semper volens, nunquam tamen audeat inuadere. Multos sanauit IESVS, multa varijs beneficia contulit, quæ iussit taceri, & nemini dici: at quando, apud Gerasenos, eiusmodi hominem liberauit, dixit illi: *Redi in domum tuam, & narra, quanta tibi fecit Deus.* Quod & ipse, qui sanatus fuerat, agnouit. Nam *abijt per vniuersam ciuitatem, prædicans, quanta illi fecisset IESVS,* quem proinde, tanquam Deum, quem iussus est prædicare, agnouit. Luc 8. 39.

VI.

Hæc talia igitur tantaque hominibus damna ab hoste humani generis cur inferri sinit Deus? Nam sine eius nutu non inferuntur. Si enim Iobum non potuit vel in fortunæ, vel in corporis bonis attingere, nisi potestate à Mundi Authore & Gubernatore accepta; quantò minùs poterit in ipsum hominẽ intrare & vires eius inibi vastare, sine concessa sibi à Numine, permissaque facultate? Enimuerò si neque in porcos potuit ingredi, sine eius permissu, quis credat, id illi in homines licere, nisi diuina prouidentia ita ordinante? Quanta enim dæmones damna corporibus & animabus obsessorum inferant, vidimus. Si non refrænarentur, omnia pessum irent. Est in illis vis maxima, voluntas nocendi summa: &, vt scriptura ait; *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Etenim, si permittantur, omnia nunc possunt operari, quæ in natura pura facere potuissent; cùm post peccatum naturalia in eis integra manserint, vt cum S. Dionysio, & S. Thoma scholastici Doctores

Iob. 1. 12. & c. 2. 6.

Luc. 8 32.

Iob. 41. 24.

S. Dionys. de diuin. nomin. cap 4.

S.Thom.1.p. q 64. a. 4. ctores tradunt. Ad has vires accedit in illis voluntas & libido extrema mortalibus damna inferendi. Cur igitur id non faciunt? manus illorum ligantur. Quod etiam ex illis Christi Luc. 22. 31. verbis discimus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Impeditur igitur sæpe ne noceat; &, vt noceat, Dei debet sententiam voluntatemque expectare. Tantum potest, quantum ille permittit, qui in vnum hominem plus huic carnifici permittit, in alium minus. Cur igitur diabolo, hosti suo & hominum, permittit Deus ista? Hosti, aio? immò hosti ferocissimo, crudelissimo, immanissimo; hosti corporum tortori, & animarum insidiatori.

Claud. lib. 1. in Ruffin.

Quid talo immanes vnquam gessisse feruntur
Vel Scinis Isthmiaca pinu, vel rupe profunda
Scyron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla?
O mites Diomedis equi, Busiridis aræ
Clementes. Iam Cinna pius: iam Spartace lenis
Plutoni *collatus eris.*

VII. Cur spiritus nequam in homines ingredi gestiat, caussa in propatulo est; adeò voluntas illius auersa est à Deo, vt quia Deo nocere nequit, saltem creaturam illius diuexet: quam etiam idcirco odit, quia Deum odit; & cui inuidet, quod Diuina maiestas, relictâ Angelicâ naturâ, in vnitatem diuinæ hypostasis assumserit humanam. Sicut ergo homines vindicta ardentes voluptatem capiunt ex occasione vltionis, ita ille delectatur, si quibus infensus est cruciantur. Hæ diabolo caussæ sunt homines arripiendi. Atqui Deus humanum genus amat, eique bene vult, bene facere cupit, cur ergo dæmones vel immittit illis, vel permittit, vt cum tanta clade in eos intrent? Quomodo hoc cum illius amore, cum bonitate, immò cum iustitia congruit? Congruit omnino, vt etiam hîc exclamare Psal. 35. 5. libeat: *Domine, in cælo misericordia tua: & veritas tua vsque ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei,* hoc est, sicut montes maximi maxima: *judicia tua abyssus multa.* Etsi igitur illam infinitæ sapientiæ & prouidentiæ abyssum non possimus penetrare, sunt tamen nihilominus multæ claræque, etiam in hac Stygia tyranni-

tyrannide immittenda, vel permittenda, caussæ, vt cogamur dicere: *Domine, in cælo misericordia tua,* circa Sanctos tuos ab omni eiuscemodi vexatione immunes; in terris autem, vbi ista permittis, *veritas tua vsq; ad nubes; & iustitia tua sicut montes Dei.* Caussæ enim sunt hominibus ex ipsa misericordia, veritate, iustitia patefactæ. 1. Ita discimus, præter corpora, spiritus aliquos esse, quod athei negant, vt Deum negent. Fit ergo ipse hostis Dei, testis Dei,. Cum atheis prosternuntur & Sadducæi. *Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* 2. Ab his spiritibus colligimus, absonum non esse, etiam animam nostram à corpore liberam, corporis expertem posse subsistere, ac proinde, instar Angelorum, immortalem esse atque æternam; eamque post hanc vitam, aliam viuendi rationem ingressuram. 3. Obsessorum tam tyrannicè tractatorum calamitas ostendit, quantum sit huius nequam spiritus erga homines odium, quanta crudelitas; vnde meritò ab omni eius consortio, auxilio, familiaritate abhorremus. Est enim eius consortium fallax, auxilium inutile, familiaritas perniciosa. 4. Contra tam potentem & dirum hostem, necessariò ad diuinam opem, ad Sanctorum suffragia, ad Ecclesiæ sacros ritus, & Sacramenta currimus. Malus ergo persecutor boni remedij quærendi caussa est. 5. Discimus ex hac dæmonum vexatione, quàm miserè accipiat animas peccantium, quas tanquam fortis armatus possidet. Ea enim quæ in corporibus cruciatis facit, indicia sunt eorum, quæ in anima molitur. Longè enim ille ex animabus monstra efficit detestabiliora. Facit eas cæcas, vt non videant veritatem; facit surdas, vt non audiant monentem; facit mutas, vt peccata sua non confiteanrur; deniq; nihil in corpore destruit, quod non suo modo etiam in anima corrumpit. 6. Ex cruciatu, quo à se possessos affligit, coniecturam haud obscurè facere possumus de tormentis, quæ patientur in inferno damnati; illi, inquam, qui in æternum sub omnimoda illius erunt potestate. 7. Discimus & hinc, quàm longè meliorem hospitem possimus recipere, nempe ipsum Christum, per SS. Eucharistiam in pectus nostrum intrare cupientem, qui identidem stat ad illud

Act. 23. 8.

Vide Tostat. Abulens. in c. 8. Matthæi. q. 12.

ostium & pulsat; ipsum Spiritum sanctum, qui meritò *dulcis hospes animæ* ab Ecclesia appellatur; ipsam SS. Trinitatem

Ioann. 14. 23. iuxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quàm isti longè alij melioresque sunt hospites? quàm longè aliter domum, in quam intrant solent ornare? Vt ergo Deo ianua, & fenestræ, & totum pectus aperiatur, excludaturque vastator Angelus, sinit diuina prouidentia à dæmone malo insessos adeò malè tractari.

VIII. Hi omnes, aliją; plures sunt optimi fines, ob quos diuina prouidentia adamantinas Inferorum portas reserat, damnatisq; spiritibus inde exeundi, hominesq; inuadendi facit potestatem. Sed longè aliæ sunt ex parte ipsorū hominum caussæ, quæ Deum cogunt, vt, tanquam iustus criminum vindex, dæmones, haud secus ac tortores carnificesq; suos, iubeat in homines insilire, sæuire, furere. Imperat rex militibus suis, vt ciuitatem rebellem armata manu inuadant, spolient, diripiant, incendant; & Deus de cælo aspiciat tot homines sibi indignissimè rebellantes, nec mittat suos hos stygios executores,

1. Cor. 5. 5. vt eos lacerent? Audijt D. Paulus, incestum, apud Corinthios, commissum, & zelo Domini exardescens iudicauit, *tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis;* audit & videt mundi Rector longè magis nefanda, & satanam nullum habeat, cui nefarios tradat? Septem dæmonia fuerunt in Maria Magda-

Marc. 16. 9. lena. cur? quia *erat in ciuitate peccatrix.* Tot ergo dæmonia

Luc. 7. 37. meruit, quot hydræ fuerunt capita. Luxuria enim raro est sola; ornat se superbè, vt placeat; auarè emulget à iuuenibus opes, quibus se ornet; irascitur, si contemnitur; odit, si non amatur; & quia sine Baccho & Cerere friget Venus, carnem gulosè saginat. Caro autem opprimit spiritum; nec sapiunt terrenis desiderijs cælestia. Hinc acedia. Hæc sunt septem hydræ capita, quorum singulis suus Satan debebatur. Illi enim se subijcit, quisquis illius suggestioni obedit. Malè igitur Deus accusatur, quòd homines diaboli subijciat potestati; ipsi homines dum peccant, se se imperio illius subijciunt; se ipsos igitur accusent. Immo Dei clementiam obstupescant, tam pau-

cos

cos peccatores tyranni huius libidini permittentis. Non millesimus, nec millies millesimus patitur, quod omnes peccatores merentur. Qui autem patiuntur, quod meruerunt, sciant illud S. Augustini dictum: *Dæmones, nisi quos fallendo, deceperunt, poßidere non possunt*: iure per peccatum acquisito scilicet. Nam Dei potestate accepta, potest, ob alios quoque bonos fines, etiam sæuire in innocentes, vt infrà docebo. Interim & nocentes diuinus iudex, vt iustè, ita & vtiliter plectit.

S. Augustin. de ciu. lib. 4. cap. 34.

IX.

Si aliquos permittit palam ita vexari, eosq; monstrosos fieri, ceteris mortalibus monstrat, quid vitare debeant, ne & illi in huiusmodi monstra abeant. Sententia D. Hieronymi & D. Epiphanii est, Assyriorum regem Nabuchodonosor, præterquam quòd ita monstrosus effectus sit, quemadmodū eum nos suprà descripsimus, etiam adeò monstrosum fuisse, quòd à dæmonibus obsessus esset. Quæ opinio inde suam accipit probabilitatē, quia certè plurima obsessi in eo fuerunt argumenta. Quod si ita est, reuocemus in memoriā flagitia illius, & fatebimur eum totas legiones diabolorum commeruisse. Saul quoq; rex à multis grauissimisq; authoribus existimatur à cacodæmone insessus & exagitatus. At quis eum innocentem passum existimauit, qui tam inuidus, tam superbus, tam Deo & Prophetæ inobediens, & tantus Dauidis persecutor fuit? Quas ob caussas dicitur: *Spiritus autem Domini receßit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam, à Domino.* Recedente ergo spiritu Domini, animaq; virtutibus euacuata, succedit spiritus nequam; sicut in domum ab hominibus desertam, immigrant vlulæ, & vespertiliones, & striges. Huic nocturnæ & malè ominatæ aui nidus vitijs paratur & ornatur; & ibi vbi vsq; ad puluisculum, vt aiunt, virtutes sunt eliminatæ, libenter habitat spiritus immundus, cui locus immunditijs mundatur, & spurcitijs ornatur. Hunc ergo hospitem inuitat, qui animam suam ad hunc modum ornat; iuxta illud: *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, &* *ingreßi*

S. Hieron. in Dan. S. Epiphan. in vita Danielis.

1. Reg. 16. 14.

Luc. 11. 24.

Cassian. collat. 7. c. 24. *ingreßi habitant ibi.* Hoc ipsum declarat Cassianus his verbis. *Constat, immundos spiritus,* (ordinariè) *non aliter posse in illos, quorum corpora obtenturi sunt, penetrare; nisi priùs eorum mentes cogitationesq́; possederint. Quos cùm timore ac memoria Dei, vel spirituali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni præsidio, ac munitione diuina nudatos, facilè vincendos audenter inuadunt: domiciliũ deinceps in ijs, velut in possessione sibi tradita præsumentes.*

X. Potest hoc innumeris exemplis illustrari, atque in primis eo, quod in vita S. Tryphonis legimus. Metaphrast. 1. Febr. Adducta erat, ad hunc sanctum Gordiani Imperatoris filia, à malo dæmone infessa. Eum dæmonem adiurans Tryphon interrogauit, cur ausus esset in puellam hanc intrare? Coactus igitur pater mendacij dicere veritatem, respondit: *Dæmones in illos habere potestatem, qui opera ijsdem grata exercent: qualia sunt, cultus simulachrorum, blasphemiæ, adulteria, veneficia, inuidiæ, cædes &c.* Sigebertus circa An. 697. Verum hoc esse, docet historia S. Kiliani à nobis alibi recitata. Summa est. Persuaserat Kilianus Franconiæ Duci, vt Geilanam fratris eius coniugem dimitteret, ne alter Herodes fieret. Id mœchæ fuit peracerbum. In vltionem igitur Kilianũ interfici iussit. Sed & Geilana experta est diuinam Nemesin, Lisiard. in vita S. Arnolphi cap. 41. à dæmone enim correpta truculentas pœnas dedit. Scribit in Arnolphi vita Lisiardus, D. Arnolphũ cùm pacem etiam atq; etiam suaderet, à Folcardo homine potente præ sanè arroganter contemptũ fuisse: ob quem fastum spiritus superbiæ in eum accepit potestatem, illumque possidens miserandum in modũ lacerauit. Gundericus Wandalorum rex templum statuerat compilare; in ipso adhuc limine erat, cùm eum vindex Genius malus anteuertit, & priùs in illum, quàm ille in templum intrauit. Psal 77. 49. Nihil hoc noui. Iam olim *Deus misit in* impios *iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immißiones per angelos malos.* Cur non per angelos malos? qui contra Pharaonem aliosq; peccatores ipsas bestias armauit? Sunt angeli isti bestijs etiam sæuiores.

XI. Sed bestiæ istæ catenis vinctæ, custodijsq; clausæ tenentur; irrumpere non possunt, nisi in eos, quibus vel culpa talẽ S. August. l. 4. pœnam parat, vel Dei prouidentia. Quo sensu S. Augustinus ait:

ait: *Potestas inimica vincit, aut subiugat neminem; nisi societate peccati.* Quamobrem quæstionem mouet, & soluit in hunc modum. *Dicit aliquis, si ligatus est diabolus, vt est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres charißimi, quia multum prævalet: sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim, tanquam canis catenis innexus, & neminem potest mordere; nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit.* In adultis igitur ordinariè & plerumque flagitium aliquod præcedit, quod diabolo ianuam aperit, per quam in hominem ingrediatur. Testem do D. Hieronymum, cuius hæc verba sunt: *In Gazensis emporij oppido, virginem Dei, vicinus iuuenis deperibat. Qui tùm frequenter tactu, iocis, nutibus, sibilis, & cæteris huiusmodi, quæ solent moritura virginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim; vt confesso vulnere suo magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur post annum doctus ab Æsculapij vatibus subter limen domus puellæ tormenta quædam verborum, & portentosas figuras, sculptas in æris Cyprij lamina defodit. Illico insanire virgo, & abiecto capitis amictu rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta à Parentibus ad Monasterium seni (Hilarioni) traditur, vlulante, statim, & confitente dæmone: Vim sustinui, inuitus sum adductus. Quàm bene Memphi somnijs homines deludebam? O cruces! ô tormenta! quæ patior? Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi adolescens, qui ligauit, dimiserit. Tum senex, Grandis, ait, fortitudo tua, qui lino & lamina strictus teneris. Dic quare ausus es ingredi puellã Dei? vt seruarẽ, inquit, eam virginẽ. Tu seruares proditor castitatis? cur non potiùs in eum, qui mittebat es ingressus? vt quid, respondit intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem? Noluit autem sanctus iubere signa perquiri, ne aut solutus Dæmon incantationibus videretur recessisse, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandum callidos. Seuerè autem, reddita serenitate, increpuit virginem, cur fecisset talia, per quæ dæmon intrare potuisset?* Qualia autem ea fuerint non expressit, vel ne virginem

[Margin: de ciuit. c. 34.]

[Margin: S. Hieronym. in vita Hilarij.]

nem infamaret, vel vt, minoris culpæ tam graui pœna, alios à maioribus quoq; peccatis absterreret.

XII. Si enim in virgine inuenit, ob quod in eam immigrare potuit immundus Spiritus, quot caussas habebit in Helena aliqua, aut Thaide? Atque vt, quæ leuiora videntur, sufficere intelligas ad hospitij istius apparatum, Romæ, *quadam die Dei famula ex monasterio virginum hortum ingressa est, quæ lactucam conspiciens concupiuit, eamq; signo crucis benedicere oblita, auidè momordit: sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cumq; vexaretur, Patri Equitio sub celeritate nunciatum est, vt veniret concitus, & orando succurreret. Moxq; hortum idem pater vt ingressus est, cœpit ex eius ore quasi satisfaciens ipse qui hanc arripuerat diabolus clamare, dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam vltrà contingere praualuit.* Itaque non cogitatio tantùm impura, locum dat diabolo, sed etiam leuis indulgentia gulæ, aut crucis faciendæ neglectus; &, vt Petrus Thyræus (qui in hoc argumento est valde locuples, magnamque disputandi materiam suppeditauit) docet, *certum est, veniales culpas dæmonibus homines ingrediendi occasionem præbuisse.* Confirmat hanc doctrinam Cassianus hoc exemplo. *Cùm esset Moyses singularis, & incomparabilis vir, ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Abbatem Macharium disputans paulò duriùs protulit, quadam scilicet opinione præuentus, tam diro confestim est traditus spiritui, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gloria se Dominus intulisse (ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret) velocitate curationis eius atq; aucto remedio demonstrauit. Nam continuò Abbate Machario in oratione submisso, dicto citiùs nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.* En quid vnum impatiens verbum; quid leuis gula, quid fortè incauta cogitatio puellæ superioris in diuino conspectu pœnæ meruerit? Quibus pœnis digni erunt in omne scelus fatuati?

S. Greg. lib. 1. dial. c. 4.

Pet. Thyræus p. 2. de dæmoniacis c. 30.

Cassian. collat. 3. c. 17.

XIII. Quid alij merebuntur, qui se se in illicitas voluptates totos immergunt? qui vino & ingluuie ventris nō rationis tantùm,

tùm, verùm etiam sanitatis vigorem opprimunt? qui in peccata conantur etiam esse ingeniosi? Suessionensis Ecclesiæ Episcopus Arnolphus postquam ab adolescente totam dæmonũ legionem exturbauit, quæsiuit ex eo pristinæ sanitati restituto, quanam de caussa tam atroci malorum spirituum tyrannidi traditus fuerit? Cui adolescens: *vindicta*, inquit, *quam in alio probaui, præcipua mali, quod passus sum, caussa fuit. Porrò fugientem me dæmones primùm insecuti: post assecuti circumsteterunt; & vbi vehementer terruissent, ingressi fuerunt infelicem.* Itaque cur non vindictæ appetentes talem vindicem mereantur, si merentur vindictæ approbatores? Cur superbos non hoc pacto humiliaret, qui est *rex super omnes filios superbiæ?* Sic ingressus est mox illum religiosum, vbi Popponis Stabulensis Abbatis sui mandatum implere neglexit, & non sine contemtu præteriuit. Superbos pariter, & inobedientes, ac suis parentibus impiè ingratos eandem pœnam sæpe sæpius irrogatam legimus, vt quod peccatum est frequentissimum, etiam frequenti exemplo puniretur. Venerunt aliquando ad S. Parthenium parentes duo, cum adducto filio, qui grauibus tormentis à dæmone quatiebatur. Eum Sanctum enixè rogauerunt, vti filium suum pristinæ restitueret sanitati. His S. Parthenius ita respondit: *Sinite, torqueatur. parricida est: parentibus vobis sæpe molestus fuit: & quam eidem optastis, iustam sustinet castigationem.* Quo exemplo non filij tantùm discunt esse morigeri erga parentes, sed etiam parentes monentur, ne filijs irati diabolum imprecentur. Audit enim Deus, & vtramque partem subinde vno plectit ictu, peccantes, & imprecantes. Habent ergo postea, & quod meruerunt illi, & quod petierunt isti; nec possunt iure conqueri contra Deum, à quo impetrauerunt, quod optauerunt. Sic ille pater filiæ quinquenni, quam deprehenderat lac comedentem, ira efferuescens imprecatus est, *vt vna cum lacte diabolum vor̄aret.* Vix verbum hoc illi ex ore euolauit, cùm diabolus inuolauit in puellam; quam vsque ad maturam ætatem miserè cruciauit. Alia duo recenset idem author, vnum de vxore, alterum de filio, quibus maritus & pater diabolum imprecatus est cum effectu. Nihil habent ergo isti,

Lisiard episc. Suession. in vita S. Arnolphi.

Iob. 41.

Euerhelm. Abb. Altimontensis in vita Popponis cap. 18.

Metaphrast. 7. Febr.

Cæsarius l. 5. cap. 26.

Idem lib. eod. c. 11. & 12.

isti, quod accusent Mundi gubernatorem. Digni sunt hac pœna, in qua Deum ludunt. Ludunt autem, si petunt, quod nolunt impetrare.

XIV. Quanquam etiam bono zelo Sancti leguntur hunc Spiritum præuaricantibus imprecati, vel pro potestate sua etiam immisisse, in iustam peccati pœnam, ac emendationem. S. Eligius Nouiomensis Episcopus, viderat à suis subditis, in natali die S. Petri, impios quosdam ac superstitiosos chorearum ritus celebrari. Eos, pro officio suo, volebat esse abrogatos. Vsus argumentis; surdi fuerunt. Vsus est imperijs; quasi saxum fuêre immobiles. Vtq; plerumque est inemendabilis pertinax consuetudo, cùm corrigi deberent, facti sunt longè insolentiores. Vltimum remedium petijt à Deo Eligius, vt in eos animaduerteret. Petijt, impetrauit. Mox enim amplius triginta (alij quinquaginta numerant) obsessi sunt à spiritibus immundis. Tremuerunt hoc tam diro spectaculo reliqui, & sociorum miserti Sanctum virum rogauerunt, vt eos hoc supplicio liberaret: quibus respondit: *Experiantur priùs, cui seruire elegerint.* Perdurauit ea vexatio, per solidum annum. Vertente anno, ac natali S. Petri demum redeunte, intolerabili illa tortura sunt liberati. Ita plebeia petulantia minimè plebeo modo, & chorea choreis ipsis punita est. Castigata quoque ad eundem modum militaris licentia legitur, apud Magnũ Gregorium. Siquidem *Valeriæ prouinciam Longobardis intrantibus, ex monasterio reuerendissimi viri Equitij in prædicto oratorio ad sepulchrum eius monachi fugerunt. Cumq; Longobardi sæuientes oratorium intrassent, cœperunt eosdem monachos foras trahere, vt eos aut per tormenta discuterent, aut gladijs necarent; quorum vnus ingemuit, atque acri dolere commotus clamauit: Heu, heu, Sancte Equiti, placet tibi, quòd trahimur, & non nos defendis? Ad cuius vocem protinus sæuientes Longobardos immundus spiritus inuasit. Qui corruentes in terram tam diu vexati sunt, quousque hoc cuncti, etiam qui foris erant, Longobardi cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare vlteriùs non auderent.* Vtinam, hoc tempore, Equitij hæc potestas etiam alijs Diuis concederetur, quorum templa quotidie violantur! Sed ea, prô dolor, est militaris disciplina,

Audoënus Rhotomagensis præsul in vita S. Eligij lib. 2. c. 20.

S. Gregor. l. 1. dial. cap. 4.

disciplina, vt milites ipsi diabolorum vice fungi videantur. Ceterùm non est nouum, si sanctis aliquando hæc potestas datur, cùm, vt suprà vidimus, etiam Corinthium Paulus tradiderit Satanæ *in interitum carnis, vt Spiritus saluus fieret;* vt alibi Hymenæum quoque & Alexandrum, ob blasphemias. Accusatis enim ijs, qui *circa fidem naufragauerunt*, addit: *ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* Quæritur, quid sit tradere Satanæ? Respondetur, eos qui excommunicantur tradi Satanæ, qui extra Ecclesiam regnat, eoque ipso excommunicatos, tempore Apostolorum, solebat in anima, & in corpore affligere. Dum enim orationibus, suffragijs, sacrificijs, sacramentis, societate Christi atque Ecclesiæ, diuinaq; protectione, & pastorali cura alijsque bonis priuabantur, ita tyrannidi & incursibus dæmoniorum exponebantur, vt in eos magis quàm antè grassarentur, ægritudine corporis, vulneribus aut plagis, quasi possessos, hoc est enim *in interitum carnis* tradere. Quemadmodum postea, cùm S. Ambrosius quendam Satanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens discerpere cœpit.

1. Cor. 5. 5.

1. Tim. 1. 20.

Theodor. in 1. Timoth. 1. v. 20. & S. Ambros. ib.

Paulin. in vita S. Ambrosij.

XV.

Quòd si mortales hoc rectè fecerunt, cur non & Diui cælites, eodem vindice vterentur, ad honorem suum defendendum? Enimuerò vsi sunt. Luculentus testis est Gregorius Turonensis, apud Tricassinorum Campaniæ vrbem templum fuisse, in quo S. Lupi ossa condita fuerunt. Ad illud templum Mauri cuiusdam seruus confugit, quem assecutus herus in S. Lupum verba blasphema euomuit, qui extemplo diuinam vltionem sensit. Quippe lingua, qua dira verba effudit, obriguit; & Tartareo enthusiasmo agitatus horrendum mugire, totamq; clamoribus inconditis ædem replere cœpit, tertiaque die, cum grauissimo cruciatu, vitam finiuit. Vt Matris quoque suæ honorem defenderet Christus, ad eundem modum in illam blasphemos puniuit. Nam, vt post Cedrenum Baronius memorat, aliquando Græci in domo cuiusdam prandentes, eò prolapsi sunt, vt in Virginem Deiparam conuitia & execrationes iacerent. Horum aliqui illico à malis spiritibus correpti pœnas dederunt, Diabolicum crimen est, blasphemare; jure igitur

S. Gregorius Turonens. c. 67. de Gloria Confess.

Baron. to. 7. An. Christi 630.

igitur meretur diabolum punientem, vt impij isti jam eum tortorem incipiant pati, quem in inferno æternum sustinebunt punitorem. Denique quid homines queruntur, se permitti à Deo diaboli potestati, vel sanctis se vindicantibus, vel parentibus imprecantibus; cùm toties ipsi sibi diabolum imprecentur? Nonnè digni sunt, vt exaudiantur, & monstrosè optantes monstra fiant? ô si homines agnoscerent, quantum sit malum à diabolo possideri, & multò magis, ab illo in infernũ abripi; vtique sibi ipsis non imprecarentur, ab hoc tam crudeli hospite possideri; neque iurando tam temerè dicerent: *Diabolus me rapiat: Mille diaboli me lacerent; Mille diaboli me auferant, si hoc, vel illud feci.* Fecerunt, & audent iurare? Veniret prorsùs in exitium humanum tam auidus hostis, nisi diuinæ bonitatis immensitas cupientem toties prohiberet. Quæ proinde potiùs admiranda est, quòd non sæpius faciat potestatem diabolis in homines insiliendi; quàm quòd tam raro in sceleratissimos, & omni supplicio dignissimos eos immittat.

XVI. Illa itaque maior potest esse quæstio, cur aliqui absque vlla sua culpa sinantur à cacodæmone vexari? Nam & tales à malo spiritu subinde inuadi, cum experientia docet D. Augustinus his verbis: *Graue iugum filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsq; in diem sepulturæ & matrem omnium, vsque adeò impleri est necesse; vt ipsi paruuli per lauacrum regenerationis ab originali peccato, quo solùm tenebantur vinculo, iam soluti, multa patientes nonnulli incursiones Spirituum malignorum patiantur?* Habentur huius generis quàm plurima exempla. Sufficit illud, quod Marcus recenset, de eo qui dixit: *Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: qui, vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis, vt eycerent illum, & non potuerunt &c.* Et interrogauit Christus: *Quantum temporis ex quo ei accidit? At ille ait. Ab infantia.* Itaq; ab infantia nonnullis hoc accidit, & contra scripturam negari non potest. Cur igitur innocentes, & qui peccare nondum possunt, permittit torqueri Deus? Vt variæ sunt caussæ, ita quoque variæ possunt dari responsiones. 1. Quærit, & respondet D. Hieronymus in hunc modum: *Quæ*

S. Augustin. lib. 21. de ciu. cap. 18.

Marc. 9. 16.

S. Hieron. ep. ad Paulam

Quæ caussa est, vt sæpe bimuli, trimuliúe & vbera materna lactentes, à dæmonio corripiantur? Inuisibilia hæc, inscrutabili Altissimi iudicio sunt relinquenda. 2. Etsi de eo, quod plerumque fit, loquens, S. Augustinus dicat: *Potestas inimica vincit aut subiugat neminem, nisi societate peccati*; potest tamen ea potestas etiam ob alienam culpam concedi. Cùm enim in bonis, quæ quis possidet, queat puniri, possunt etiam ipsi homines nonnulli aliorum bona censeri, vt sunt serui dominorum, filij parentum. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quanta sunt sæpe parentum scelera, quorum castigatio in filijs, quid mirum est, si cernatur? 3. Num Deus iniustus fuit, quando permisit à dæmone Iobum cædi? At Iob vir rectus & innocens fuit? Sic magnę immo maioris præbuit patientiæ exemplum. Ob eandem caussam potest diuina prouidentia permittere, vt alij penitus à dæmone infideantur. 4. Potest etiam hæc plaga scutum esse contra peccatum: quamobrem refert Sulpitius, Eremitam quendam à Deo postulasse, & impetrasse, vt per menses aliquot eius corpus ab inhabitante dæmonio affligeretur, ob periculum peccati superbiæ. *Cognouit profectò vir pius,* addit Thyræus, *non semper præteritis & commissis peccatis tribui dæmonum torturam, sed quandoque admitti; ne in peccata homines incidant, Deumq; offendant.* 5. Faciunt huc etiam reliquæ diuinæ prouidentię caussæ, de agnitione spirituum, & infernalium tormentorum; de peccati detestatione, quæ inde hauriri potest. Quibus adde, hinc multos sanctos innotuisse, qui potestate diuinitus accepta dæmones eiecerunt; hinc Euangelium fuisse confirmatum; hinc crucis formandæ vim intellectam; hinc vsum aquæ benedictæ approbatum; hinc sacramentorum baptismi, confessionis, & Eucharistiæ virtutem illustratam; quibus omnibus prædictus author, alijque scriptores, dæmonem cessisse docuerunt. Esto igitur faciat ex obsessis monstra monstrosus ille habitator, non facit id, sine iusti Dei permissu, non sine prouidentia, non sine caussa, non sine mille emolumentis.

[Margin notes: de dormit. Blesillæ. — S. Augustin. lib. 10. de ciuit. c. 22. — Exod. 20 5. — Sulpit. in vita S. Martini dial. 1. — Petr. Thyræ. p. 2. de dæmon. c. 31.]

Hoc pacto consolatus est S. Cuthbertus præfectum Egfridi XVII.

Ven. Beda in vita S. Cuthberti c. 15.

fridi regis Hildmer nomine, *cuius vxor cùm eleemosynis & ceteris virtutum fructibus esset intenta, subitò correpta à dæmone acerrimè cœpit vexari, ita vt stridendo dentibus, voces miserabiles emittendo, brachia vel cetera corporis sui in diuersa raptando, non minimũ cunctis intuentibus vel audientibus incuteret horrorem.* Ea ita iacente, maritus concitato equo Cuthbertũ adijt, req; ipsa cælata, ab eo petijt sacerdoté. At Cuthbertus ad orandum secedens diuinitus didicit rei veritatem. *Reuersusq; ad eum, Non inquit, aliũ mittere, sed ipse ad visitandam eam tecum pergere debeo. Cumq; agerent iter, cœpit flere homo, & dolorem cordis profluentibus in maxillam prodere lachrymis. Timebat enim, ne cùm eam dæmoniosam inueniret, arbitrari inciperet, quia non integra Domino, sed ficta fide seruisset. Quem vir Domini blandè consolatus, Noli, inquit, plorare, quasi inuenturus sim coniugem tuam, qualem non velim. Scio enim ipse, quamuis te dicere pudeat, quia dæmonio vexatur: scio etiam quia priusquam eò peruenerimus, fugato dæmonio liberabitur, ac nobis aduenientibus cum gaudio occurrens, has ipsa habenas sanißima mente excipiet, nosq; intrare citiùs obsecrans, ministerium quod consueuerat, nobis sedula impendet. Neque enim tali tormento soli subijciuntur mali, sed occulto Dei iudicio aliquoties etiam innocentes in hoc sæculo, non tantùm corpore, sed & mente captiuantur à diabolo.* Hæc ille, quæ clarè ostendunt, energumenos, de quorum scelere nihil constat, non esse temerè, tanquam sceleratos, iudicandos; sed sæpe ad Sanctorum gloriam, à quibus liberantur, alijsq; occultis Dei iudicijs, cruciari. Neque enim vnica tantùm Deo est rerum permittendarum caussa. Noui hominem in suis oculis magnum, qui ausus est alium nõ solùm apud ceteros differre, verùm etiam manifestè persequi, quòd audisset, eum à dæmone vexatũ. Idem, credo, fecisset Iobo, si cum illo vixisset. O quàm iusta sunt iudicia Dei! Nam hic ipse, eodem vexationis genere, per eiusdem spiritus ministrum, paria passus est: sed non paria de se judicauit. Quia enim *non videmus mantica, quod in tergo est,* sibi ipse ignouit, immò laudi duxit, quod in altero censuit esse judicium improbitatis.

CAPVT

CAPVT LX.

An, & quomodo diabolus poßit creaturas in monstra conuertere?

SVperest tertius modus, quo diabolus non jam se ipsũ, neque eos, quos possidet monstrificos facit, sed homines & ceteras creaturas videtur reipsa ac verè in monstra mutare. Satis enim monstrosum est, si animal aliquod de vna specie in aliam transformatur: quod num fiat, & quo modo fiat, aut non fiat, tametsi suprà, cùm de rege Nabuchodonosore ac statua salis ex coniuge Lot facta disseremus, obiter perstrinximus, hîc tamen tanquam suo loco, pluribus meritò discutiendum est. Atque in primis non quærimus, an substantiam aliquam cacodæmon creare possit, sed de mutatione, quæ ad subiectum ordinem dicit. Creatio non fit ex subiecto, sed ex nihilo; quare, cùm in agente infinitam potentiam exigat, nulli spiritui creato tribui potest. Quærimus ergo an Stygia arte, substantia ex subiecta materia produci, & homo in bestiam, vel bestia in hominem mutari possit, aut vna bestia in aliam? Nec ratio deest pro hac sententia, nec experientia. Ratio est illa, quòd cælum possit producere viuentia, quæ dicitur eminenter continere; cur igitur & spiritibus ea potestas negetur, qui sunt longè cælestibus corporibus eminentiores? Experientiæ autem præter Nabuchodonosorem, & vxoré Lot, agminatim possunt recenseri taliũ transmutationum, vel à magis factarum. Sed his aliæ sunt experientiæ præmittendæ, quæ cùm sint opera naturæ, stupendis metamorphosibus, hominis quoque in brutum, aut bruti in hominem metamorphosin videntur probare. I.

Vide S. Thomam 1. p. q. 44. a. 1. & q. 45. a. 1. & 5.

Quòd si enim concessa mortalibus facultas est, efficiendi vt rosas proferat cerasus, vel brassica poma, cur non idem contingere possit in sentientibus? II.

> *Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)*
> *Truditur è sicco radix oleagina ligno.*
> *Et sæpe alterius ramos impunè videmus*

Virgil. lib. 2. Georg.

Vertere in alterius, mutatamq; insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna.

Si humana virtute ferrum in chalybem, argentum in aurum vertitur, inquit Bodinus acerrimus huius sententiæ propugnator, *quis dæmonem viribus tam imbecillum esse sibi persuadeat, vt hominem in bestiam commutare nequeat?* Narrat Scaliger, folia arborum iuxta Iuuernam fluuium sitarum, si in flumen decidant, pisces fieri; si humum petant, ex ijs terrestria quædam animalia gigni. Apes ex cadauere bubulo, ex equi crabrones, ex cancro scorpionem generari vel Poëta canit.

Ouid. lib. 15. Metam.

Nonne vides quæcunq; mora, fluidoq; calore
Corpora tabuerint, in parua animalia verti?
I, quoq; delectos mactatos obrue tauros
(Cognita res vsu est) de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes,

Et paulò pòst. *Pressus humo bellator equus crabronis origo est.*
Concaua littoreo si demas brachia cancro,
Cetera supponas terræ, de parte sepulta
Scorpius exibit, caudaq; minabitur vnca.

Aristoteles Peripateticæ Philosophiæ author, papiliones ex erucis, has ex virentibus folijs, maximeque ex brassica nasci cum experientia docet. *Primum*, ait, *minus quid milio consistit in folio, mox vermiculi inde contrahuntur & accrescunt, tum intra triduum eruculæ efformantur, quæ auctæ motu cessant, suaq; forma immutantur, appellanturq; tantisper chrysalides, quasi aurelias dixeris. Duro sunt intecta putamine, ad tactum mobiles, meatibus araneosis obducta, non os, non aliud ex membris, quod conspicuum sit, possident. Longo post tempore putamine abrupto euolant, inde animalia pennigera, quos papiliones vocamus.* Et paulò infrà. *Fit ex quodam verme grandiore, qui velut cornua gemina protendit, primùm toto immutato, eruca, deinde, qui bombyx appellatur, ex quo necydalus, inualidam dixerim. Quæ varia formarum successio in semestri temporis spacio completur.* Mira de animali quodam terrestri, apud Iaponas, Pererius refert. Est illud corporis magnitudine figuraque non dissimile cani, mollissimo pilo, & suauissimis ad edendum carnibus. Hoc certo anni tempore vehemen-

Benedict. Perer. in Daniel. 5. comment.

vehementer appetit, & frequentat mare; in quo identidem natans & se se mersans, membratim fit piscis. Tandem exuta prorsus terrestris animalis figura in piscis similitudinem & naturam commutatur. Cùm igitur res interitui obnoxiæ tantis polleant viribus, vt vna res in aliam vertatur, non videtur ea vis dæmonibus neganda, qui potentiâ cuncta, quæ terræ ambitu comprehenduntur, longo post se interuallo, relinquunt.

His naturalibus rerum commutationibus accedunt maris in feminam, & feminæ in marem transformationes, quas nullus, nisi omnem historijs fidem abnegare velit, inficias iuerit. Cænis femina, apud Ouidium, in Cæneum virum, in puerum Iphis puella mutata est. III. Ouid. lib 12. 9. & 15 Metã.

Tiresias angues baculi violauerat ictu,
Deq; viro factus (mirabile) femina septem
Egerat autumnos,

octauo autem rursus, visis & percussis anguibus ijsdem,

Forma prior redijt, genitiuaq; venit imago.

Ac ne hæc vt fabulosa explodantur, puerum ex virgine factum Paulo Licinio Crasso, & C. Cassio Longino Coss. in publicis Romanorum annalibus annotatum esse, & à Mutiano Consule pro vero sibiq; explorato accepisse, & à seipso in Africa manifesto exemplo compertum, memoriæ prodidit Plinius. Ex recentioribus quoque historiographis narrat Fulgosus, sua ætate, regnante Neapoli Ferdinando primo, duas Ludouici Guarnæ Filias Franciscam & Carolam post decimum quintum ætatis annum sexum mutasse, mutatoq; habitu pro maribus habitas Franciscum & Carolum deinceps nuncupatas fuisse, cuius exempli Petrus Fonseca meminit, & alterius similis Sotus de quodam qui ex femina factus sit vir. Vnde argumentum ducunt, putantq; non minùs arduum esse, virum in feminam, quàm hominem in bestiam mutare; quasi scilicet femina à viro non plus; quàm bestia ab homine discreparet. Petr. Fonsec. in 5. Metaphys. Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 8.

IV. Rursum ait Bodinus, *transmutationem hominum in bestias agnouerunt Pomponatius, Theophrastus, Paracelsus, principes sua ætate Philosophi, Herodotus author antiquißimus, Homerus poëta-*

rum quasi Deus; M. Varro Græcorum Latinorumq́; (Tullio teste) doctißimus, Pomponius Mela, Dionysius Afer, Strabo, Virgilius, Ouidius, & sexcenti alij viri eruditionis laude clarißimi, pro indubitato confirmant. Hoc exemplorum innumerabilium experientia, iudicia, & supplicia in magos constituta, & diuinæ atq; humanæ omnium gentium historiæ certißimæ probant, quibus se opponere, seq́; solum sapere velle hominis frontis perfrictæ est, & qui iam impudentiæ callum obduxerit. An non apud S. Prophetam Danielem legimus, Nabuchodonosorem fortunæ fauoribus elatum in bouem mutatum esse, septemq́; annorum spatio fænum & gramen duntaxat comedisse? Vxorem quoque Lot in salis statuam conuersam sacræ tradunt litteræ. Quidam adferunt magorum Pharaonis exemplum, qui non minùs, quàm Moyses baculos in serpentes cõmutarunt. Narrat M. Varro, Arcades transnatasse stagnum quoddam, atque in lupos commutatos, inter feras, per illius regionis deserta, vixisse; etsi carne humana abstinuerint, decurso nouem annorum spatio, eodemq; rursus tranato stagno, in homines reformatos esse. D. Augustinus, seipsum, dum in Italia versaretur, audiuisse asserit, de regione quadam, vbi stabulariæ mulieres magicis imbutæ artibus, caseum dare solebant viatoribus, vnde in iumenta illico mutarentur, & necessaria quæque clittellis portarent, postq; perfuncta opera ad se se redirent. Mira huius rei testimonia refert Olaus Magnus Archiepiscopus Vpsalensis. Scribit, in Prussia, Liuonia, & Lithuania, sacrosancta illa nocte, qua Christus in hasce terras humana carne vestitus venit, feris immaniores homines se se in lupos conuertere, tantaq; ferocia in homines sæuire, vt pluribus maioribusq; se ab illis, quàm à veris lupis, quorum tamen magna inibi est copia, incommodis vexari illius regionis incolæ testentur. Ædificia in siluis mira attrocitate oppugnant; fores effringunt, & obuia quæq; prosternunt, dilacerant, deuorant, cellaria ingrediuntur, & vino cereuisiaque se ingurgitant. Vbi vasa euacuarunt, omnia in medio cellarij vnum super aliud eleuando collocant, in quo à genuinis lupis, ait Olaus, degenerant. Intra Lithuaniam verò, Samogethiam, Curoniam, parietem ex castello diruto reliquum esse

esse idem asserit, ad quem certo anni tempore aliquot millia huiusmodi luporum, quos inter magnates, & ex prima nobilitate viri, conueniunt, ibiq; eximiam vnuscuiusq; agilitatem explorant; & si qui parietem transilire nequiuerint, flagris digni à Præfectis judicati, acerrimè cæduntur. Immò priore sæculo, Anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, Sultane Solymanno imperij gubernacula tenente, tanta huiusmodi luporum vis, Constantinopoli fuisse narratur, vt armatus Imperator prætoriano stipatus milite ad centum & quinquaginta, vniuerso prospectante populo, ex vrbe eiecerit. Putantur autem omnes fuisse homines, in lupos transformati. Quales sæpè, nostra quoque hac ætate, auditi, visíque sunt in pagos intrasse, & rusticos miris modis vexasse, aut eos in via inuasisse. Vnum in vicinia nostra ex his lupis, cùm educto gladio quidam vellet ferire, astitit repentè seniculus, exuuijs lupinis in auram resolutis, & sibi parci rogauit: cui, etsi is, quem inuaserat, vulnus non imposuit, tamē magistratus parcere non debuisset. Audiui adhuc puer de pica viatorem ad passus multos secuta, ac identidem importuniùs garriente, eumque velut ludente: quæ, cùm ille eam fistulæ æneæ explosione petijsset, ac tetigisset, penna vna alteráue cum fasciculo clauium ex arbore decidente, auolârit. Postea & ille domum reuersus, hospitam reperit brachio læso decumbentem, intellexitque, & claues illius fuisse, & illam in pica sibi circa caput obuolasse. Hanc historiam puto esse eandem cum illa, quam refert Martinus Delrio sibi, in Belgio, à Wanderburchtio Ecclesiæ Melchiniensis Decano hoc modo recensitam. *Municeps bombardam gerens deambulabat extra municipium: cui ecce obstrepunt multæ aues ex obscœnis, corui & picæ in arbore prope viam. Sclopum collimat, & displodit. Visus sibi vnam certo ictu perculisse, & decidisse de ramo, reperit solam ferream clauem de cingulo muliebri delapsam. Capit, & domum rediens narrat amico, & num norit clauem? quærit. Respondet alter se nosse clauem vicinæ domus N. Itur ad domum, reperiunt ianuam clausam; inserunt in seram clauem, recludunt, ingrediuntur, pro familiaritate, quæ illis cum patrefamilias. Ingressi matrem familias inueniunt, glande la-* Martin. Delrio lib. 5. Disquis. Magic. sect. 3.

tus ictam. En vt nec ouum ouo similius est, quàm hæc historia priori: vt meritò eadem videri possit. Quanquam illa in Sueuia, hæc in Belgio contigisse dicatur. Sed nihil obstat, idem bis, & in pluribus locis contigisse: potuit enim talis pica & in Sueuia, & in Belgio fuisse, vt jam verè de ea dici posset, illud Poëtæ:

Ouid. lib. 1. Am, eleg. 8.

Est quædam (quicunq; volet cognoscere lenam,
Audiat) est quædam nomine Dipsas anus.
Ex re nomen habet: nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.
Illa magas artes Æaaq; carmina nouit.
Inq; caput liquidas arte recuruat aquas.
Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.
Cùm voluit, toto glomerantur nubila cælo:
Cùm voluit, puro fulget in orbe dies.
Sanguine (siqua fides) stillantia sidera vidi,
Purpureus lunæ sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas versam volitare per vmbras
Suspicor, & pluma corpus anile tegi.
Suspicor, & fama est: oculis quoq; pupula duplex,
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.
Euocat antiquis proauos atauosq; sepulchris,
Et solidam longo carmine findit humum.

V. Apul. lib. 2. Asini aurei.

Quem morem, & quam artem iam olim in Thessalia fuisse communem Madaurensis Philosophus tradit. *Quippe cùm deterrimæ versipelles in quoduis animal ore conuerso latenter obrepant; vt ipsos etiam oculos Solis & iustitiæ facilè frustrentur. Nam & aues, & vrsum, canes & mures, immò verò etiam muscas induunt.* Ibi cadaueri custos constitutus, dum aduigilaret, hæc sibi accidisse scribit. *Cùm ecce crepusculum, & nox prouecta, & nox altior, & deinde concubia altiora; & iam nox intempesta, mihiq; oppidò formido cumulatior quidem: cùm repentè introrepens mustela contra me constitit, obtutumq; acerrimum in me destituit; vt tantillum animalis præ nimia sui fiducia mihi turbauerit animũ. Denique sic ad illam: Quin abis, inquam, impurata bestia, teq;*

ad tui similes musculos recondis antequam nostri vim præsentariam experiaris? quin abis? Terga vortit, & cubiculo protinus exterminatur. Expertus est postea, qualis fuerit illa mustela. Atq; sequenti libro nequam ancilla illi indicauit, dominam suam, nocte proxima *in auem se plumaturã, atque ad suum cupitum deuolaturam*, proin se se ad tantæ rei spectaculum cautè præpararet. *Iamq; circa primam noctis vigiliam*, inquit, *ad superius cubiculum, suspenso & insono vestigio me perducit. Ipsa per rimã ostiorum quampiam iubet spectare: quæ sic gesta sunt. Iam primùm omnibus lacinijs se deuestit Pamphile, & arcula quadam reclusa pyxides plusculas inde depromit. de quìs vnius operculo remoto, atque indidem egesta vnguedine, diuq; palmulis suis adfricata, ab imis vnguinibus se totam ad vsque summos capillos perlinit: multumq; cũ lucerna secretò collocuta, membra tremulo succussu quatit. Quis leuiter fluctuantibus, promicant molles plumulæ, crescunt & fortes pinnulæ, duratur nasus incuruus; coguntur vngues adunci. Fit bubo Pamphile. Sic edito stridore querulo, iã sui periclitabunda paulatim terrâ resultata; mox in altum sublimata forinsecus totis alis euolat. Et illa quidem magnis suis artibus volens reformatur.* Rogauit deinde curiosus Philosophus ancillam, vt sibi quoq; inde vnctulum partiretur, atque ex homine auem faceret. Quid fit? *Illa summa cum trepidatione irrepit cubiculũ, & pyxidem depromit arcula*, inquit author, (qui auidè manus immersit, & hausto vnguine corporis sui membra perfricuit) *Iamq; alternis conatibus libratis brachijs, in auem similem gestiebam. Nec vllæ plumulæ, nec vsquam pinnulæ; sed planè pili mei crassantur in setas, & cutis tenella duratur in corium; & in extimis palmulis, perdito numero, toti digiti coguntur in singulas vngulas; & de spinæ meæ termino grandis cauda procedit. Iam facies enormis, & os prolixum, & nares hiantes, & labiæ pendulæ. Sic & aures immodicis horripilant auctibus. Ac, dum salutis inopia cuncta corporis mei considero, non auem me, sed asinum video.* Hæc Lucius ex Luciano. Nam vterque asinus fuit; dum vterque ex Thessalia Arcadiam fecit.

Quod ne Milesijs fabulis ascribatur, idem narrant de Badulo rege Anglorum annales; qui & tradunt Ambrosij Merlini VI.

Vide Galfridum & Virunnium.

Barthol. Spin. q. de strigibus c.16.

lini incantamentis Vterium regem in Gorloidis Cornubiæ ducis speciem transformatum, vt Igernæ vxoris eius toro poti-retur: vnde aiunt Arturum & Annam genitos. Apud Palladium in vita Macarij, mulier in equam versa circumiuit. *Huius etiam apparentis conuersionis strigum in cattos*, ait Bartholomæus Spineus, *testis alius in hac eadem ciuitate Ferrariæ Philippus nomine, artificio cerdo, sub iudiciali iuramento mihi asseruit, hoc anno: Strigem quandam ante tres menses ei imposuisse, ne prohiberet venire circa puerum (à se fortè strigatum) quem curandum assumserat, si quos blandientes & alludentes videret cattos. Eadem igitur die, dum discessisset illa, viderunt post horam ipse & vxor sua cattum magnum, & hactenus ab eis inuisum, qui ad puerum accedebat concito gradu. Quem cùm ex timore parentes sæpius abegissent, postremò contra venientis vexationem ad impatientiam exarserunt: clausoq; ostio vir ille grauissimè cattum, hinc inde fugientem diutiùs, hasta percussit, & demum ex alta fenestra se iactare compulit, vt toto collisus videretur corpore cattus. Ex tunc autem strix illa vetula toto confracta corpore, per plurimos dies lecto decubuit, quo factum est vt leuis, quam priùs habebant suspicio, quòd striga esset, & puerum suum, qui hac infirmitate strigiatus grauissimè laborabat, ipsa strigiasset, in vehementem transijt, immo & violentam. Etenim percussiones & plagæ, quæ in catto infixæ sunt, in illa vetula sunt inuentæ, quoad morborum correspondentia.* Hæc ille. Simile memini me audire ab eo, qui id accepit ab ipso cui contigit, hac nostra ætate. Monachij honestus ciuis quidã, nocte, vxore sua adhuc ad colum sedente, cubitum se receperat. Vix lectum intrauit, cùm felis secuta eòdem insilijt: & principio ad pedes illius quietè iacuit. Hanc vbi contemtim omisit repellere, paullatim creuit, sensimq; ita se extendit, vt illi par esset; ac mox è fele mulier fieret. Ibi homo exterritus vtraque manu humanam bestiam arripit, & cum clamore exiliens eam iterum in felem mutatam ad vxorem suam exportat, cultroq; petito, aures illi ambas vult amputare. Ne id faceret, vxor (rei gnara an ignara, haud dixerim) rogando obstitit, satisq; esse dixit, si per fenestrã in plateas spargeretur, simulq; fenestram reserauit, Erat inde altitudo satis magna, & tamẽ felis

felis sine damno cecidit: quæ quàm primùm terram attigit, in mulierem rursus mutata clarissimo cachinno proiectori gratias egit, quòd se auritam dimisisset. Ille, vt tantò manifestiùs sciret, quam illa nocte iacturam fecisset, habuit altero die obuiam in platea notam sibi anum, quæ subsistens, eo transeunte, atque cum risu in eum respectans, in morem nocturnæ felis, *Meau*, *Meau* clamauit. Ambiguus diu fuit vir ille, an non vetulæ nomen magistratui obijcere deberet: sed timuit, ne illa negante, ipse affirmans littus, quod dicitur, araret, & non crederetur, quod non legitimè probaretur. Potuisset lupum auribus tenere, si aures illi abscidisset. Fecisset enim ex aurito teste oculatum, si aures ad consulem detulisset.

Hoc pacto illa deprehensa est, quæ An. 1587. capta est Caleti, vbi ad pontem Nuleti duo Walonum signa, præsidio posita, limitem contra Bolonienses, tum hostes, tuebantur. Sub vesperam, sudo cælo, Procubitores duo conspexerant subnigram nubem supra capita sua transuolantem. Eam dum contemplantur, confusas magnæ multitudinis voces sibi videbantur audire, nullum tamen hominem poterant conspicere. Tum alter audacior, quid hoc rei est, inquit, satin' securi? Si videtur librabo arcubuziam in nubem, & experiar, quid vehat. Annuente socio, immò iubente, explodit. Dictum, factum. Cum tonitru sclopi, cadit ex nube, non fulmen, sed fulmine icta mulier, ebria, vestibus exuta, bene obeso corpore, & media ætate, iacetq; ante pedes militum femur traiecta duplici vulnere. Difficile est cum hoc hominum genere agere; plenum est mendacijs; plenum periurijs, & ad fingendum condocefactum. Quare & hæc saga capta, se mentis impotem simulauit, nec fere aliud alloquentibus referebat, quàm: *Hostésne, an fœderati?* Quæ ars est multarum, vt se mentis impotes fingant, præsertim si in antilogijs deprehendantur. Addo alterum ex eodem authore. *Vix quinquennium effluxit*, inquit, *cùm in pago quodam occiduæ Flandriæ, vbi fascinaria pestis mirè gliscit, haud procul à Dixmuda, pœne ad Ieperlee & Isaræ conflugē sito contingit; quod ab homine religioso, fide digno, qui tum illic in vicinia, auditione accepi. Rusticus quidam vnà cum filio adolescen-*

(VII. Martin. Del. lib. 5. mag. disq. sect. 3.)

(Idem lib. 2. q. 18.)

te in symposio potitans, limis obseruabat coquam mensuras cereuisiæ, qua propinabat (vt solent) bifurca notantem creta. Dißimulat nihilominus dum compotatio soluitur. Tum hospitam vocat, vt calculum expensi subducat. Petit ista quantũ creta notârat: negat ille, & multis vltro citroq; iactis, pecuniam in mensam proijcit, quã sciebat sufficere; & discedit; stomachabunda hæc, tu verò, ait, non hinc hodie poteris domum, vel non ego, quæ sum. Abit contemnens mulierculæ minas. Vbi peruenit ad fluuiolum, in quo scapham reliquerat, nequit vna cum filio admodum valido summa ope eam à ripa contis depellere. Diceres clauis affixam vicino solo. Fors duo tresúe milites illic iter habebant. Compellat, & contubernales, clamat, boni. Venite suppetias, vt hinc lintrem de ripa deducamus: merces operæ futura largum à me bibale. Parent & ingreßi, quantum possunt, protrudunt. Diu frustra fuère, anhelus vnus & sudans, quin sarcinas & onera hæc efferimus, fortè vacuam commodiùs deducemus. Fit: Et ecce, mercibus expositis, vident in sentina ingentem luridũ buffonem scintillantibus oculis eos intuentem. Non tulit vnus militum, sed gladij cuspide perforatum ad guttur tumidatum in aquam eijcit. Ille quasi exanimis in tergum prouoluitur ventre supinato. Vulnera natitanti imponunt cæteri alia, & repentè nauis soluitur. lætus rusticus ad idem vnde venerat hospitium auxiliatores reducit: potum petit: præbet ancilla: Quærit ille, vbi hospita? audit pessimè habere, & animam in lecto agere. Quid, inquit, inepta ebrium me putas? Vix media pars horæ elapsa, cùm ego illam isthic sanam, & malam, qualis tu, reliqui? Eo, & visam, quid hoc rei? intrat in thalamum, inuenit collum & ventrem vulneribus perfossam, laceramq; expirasse. Vnde hæc, exclamat, vulnera? Nescire se profitetur ancilla, nec domo, quod sciret, pedem extulisse. Itur ad Magistratum, vulnera cæsim punctimq; illata inueniuntur. Iisdem in locis, quibus buffonem, qui nusquam comparebat, milites distinxerant. Hæc ille.

VIII. Quibus addi possunt duo ex Austria. Ibi enim Serenissimus Archidux Carolus in venatione quadam, ceruos, credo, secutus, incidit in immanem quendam vrsum, quem iaculatu plumbeæ glandis petens, audijt fæmineam vocem, *væ mihi*, clamantem, quam secutus, reperit vrsum in anum conuersum,

sum, quæ pro præda humi iacuit, ex globi ictu interemta. Rem hanc narrari audiui ab ijs, qui Archiduci erant intimi. Consimile quid, haud ante multos annos, in superiore Austria, cõtigit, quanquam euentu lætiore. Inter rebellium capita vnus erat, magicæ artis princeps. Is varia commentus est, vt sibi quandam diuinitatis opinionem, apud simplices, conciliaret. Finxit enim impiè se Gabrielis Archangeli generũ esse, eaq; propter multa ab eodem Archangelo futura, multa arcana discere. Pro quibus sacrilegis mendacijs, vti & pro rebellione mercedem suam accepit. Hic ergo vir, ope dæmonis, multa lepida sæpe fecit. Aliquando ambulans ruri, cùm videret procul aduenientem institorem vitrorum, sub corbe dorsuario bene scyphis vtreis onusto, pressum, curuatum, fatigatum; in media via repentè se ipsum conuertit in arboris truncum, vix vno alteroué pede à terra emergentem, & sessui idoneum. Ad quem vbi vitrorum baiulus oppidò lassus peruenit, commodũ quiescendi locum ratus, supra assedit, & conniuere oculis cæpit. Dormitanti & nictanti magus, iterum in hominis figurã mutatus se subduxit, vt concidens baiulus pariter, corbis, vitraq; omnia in terram effunderentur. Fractorum vitrorũ sonitu somno excussus institor, vidit se inter scyphorum cadauera iacere; neque tam suo casu, quàm miseranda mercis strage iacturaq; mouebatur, eam eiulabili lamentatione deplorabat. Accessit magus, & caussam lamentorum non tantùm audiuit, sed oculis quoq; vidit demonstratam. Ergo vt miserũ hominem consolaretur, Succurram, inquiebat, si vis mihi parere; & ita succurram, vt etiam lucrum tuæ mercis sis reportaturus. Cui cùm alter operam suam addixisset, Ecce, aiebat, ego nunc in bouem mutabor, tu me fune ligatum, in proximum oppidum deducito, inibi in foro constitutum vende, & cum pecunia abi. Dixit & adhuc durante sermonis humani voce mugire cœpit; vltima certè syllaba in mugitum desinebat; cumque vellet institor plura interrogare, vidit pro pileo duo alta lateque lunata cornua in capite mugientis stare; proq; gemino pede quadrupedẽ, pro homine bouem in ijsdem vestigijs hærere, bene pastum, lectum, formosum, qui vt duci

posset,

posset, funem cornibus implicitum ipse gerebat. Relictis igitur vitrorum fragminibus extemporalem bestiam baiulus trahebat, haud inuitè sequentem. Et facilè inuenit emtorē bos tam nitidus & pinguis, præsertim pretio non maximo addictus. Emit eum lanio, atque domum, cum tripudio duxit, gloriatus se eo die bonum forum habuisse. Domi, postquam eum præsepibus innexuit, famulo mandauit, vt ei fœni affatim præberet. Is lætus stabulum adit, & fœnum ambobus brachijs prehensum boui hospiti sufficiens apponit. Hîc mirabile, quid accidit. Nam bos claris verbis locutus dixit: *Stulte quid apponis? non vescor ego fœno.* Attonitus seruus, *Quid ergo vis comedere?* inquit. Cui bos rursus: *Pulmentis ego vescor* ait. Servus admiratione plenus ad herum currit, eumque interrogat, Qualemnam bouem emerit, qui loqui sermonem humanum nosset, & non fœno, sed pulmento vesci vellet? Obstupescens lanio, arrepta bipenni, aduolat in stabulum; sed nihil ibi reperit, præter funem, quo se suspenderet, si ei pendere liberet.

IX. Ita ergo vidimus, arte Tartarea, homines in boues & vaccas, in vrsos & lupos, in mures & bufones, in picas & noctuas, & denique in quæ non monstra mutari posse. Quæ cum ita se habeant, quis, reclamante Græcia, Asia, Italia, Gallia, Hispania, Germania, Polonia, & toto denique terrarum orbe, hominis in brutum conuersionem experto, velit negare? aut falsam atque fictitiam asserere? Ob has certè experientias Gaspar Peucerus, qui hasce metamorphoses sibi semper fabulas visas scripserat, tandem multitudine testium & exemplorum, quæ mercatores plurimi fide digni, etiam ex alio orbe, confirmârunt, victus manus dedit, calamumq; reduxit, assensumq; contrariæ sententiæ præbuit, affirmanti malos dæmones ex hominibus varia posse monstra producere. Cum Peucero stant Spondanus, Bodinus, Philippus Camerarius, & pauci alij; qui procliuissimè etiam Poëtarum fabulis subscribent, & fabulas non esse fabulas, sed historias dicent, verumque esse testabuntur quod de Lycaone Arcadiæ rege canit Ouidius:

Territus

Territus ipse fugit, nactusq́; silentia ruris
Exululat, frustraq́; loqui conatus ab ipso
Colligit os rabiem, solitaq́; cupidine cædis
Vtitur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet.
In villos abeunt vestes, in crura lacerti,
Fit lupus, & veteris seruat vestigia formæ.
Canities eadem est, eadem violentia vultus,
Idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.

Ouid. lib. 1. Metam.

Et quod de Hecuba ------------- *Priameia coniunx*
Perdidit infelix hominis post omnia formam,
Externasq́; nouo latratu terruit auras.

Idem lib. 13. Metam.

Item quod de Mida, qui *Aures induitur lentè gradientis aselli.* Qualibus mutationibus pleni sunt Metamorphoseon libri; immò & Homerus, & Virgilius, & alij Poëtæ, qui de Vlyssis socijs, à famosissima illa maga Circe in sues, sicut & Diomedis comites in volucres conuersi memorantur.

X. Ob hæc autem talia opus non fuisset, vt Gaspar Peucerus Philippi Melanchthonis socer palinodiam caneret, & alij illius asseclæ in eam sententiam descenderent. Verùm sicut à veræ religionis doctrina impiè desciuerunt isti, ita & in Philosophia varios incurrunt errores: quia intellectum de sede sua, in qua eum supremus arbiter collocauit, deturbantes, principem locum sensibus, quos rationi natura subdit, assignant. *Victus experientia sum?* ait Peucerus. Rationi, mi homo, cedere debet sensus, cuius iudicia sæpe corrigit intellectus, qui errores esse ostendit, quos oculi putant esse demonstrationes. Qui visu solem metitur, communi rota dicet non esse maiorem; stellas autem reliquas ne rotæ quidem æquiparabit. An igitur censendum est asserendumque, solē rotis, stellas pomis esse æquales, dicendumque: *Victus experientia sum?* nequaquam. Sicut ergo diuina fides humanam rationem; ita ratio sensum debet regere. Antè, quàm igitur ad ea, quæ obiecta sunt, respondeam, rei veritatem breuiter explicabo.

XI. Sentio igitur primò, multa quidem de commemoratis ficta & fabulosa esse, plurima autem contigisse, negari non posse; immò quædam qui contra tot oculos negaret, impudens; qui

qui contra diuinas litteras inficias iret, hæreticus esset. Horum autem quædã dæmonis ope & arte facta esse fateor; & mens est affirmare; vt doceam, mali spiritus arte non solùm ipsum dæmonem, cùm apparet, esse monstrosum, sed etiam ex alijs non possessis, monstra facere. Tota quæstio est de modo, quo id faciat ille Orcinus artifex. Sentio igitur secundò, neque dæmonem malum, neque ipsos etiam bonos Angelos pollere vlla vi naturali, qua ex subiecta materia substantiam aliquam perfectam producant, aut hominẽ in veram belluam, vel belluam in hominem, aut aliam belluã reipsa conuertant. Quæ sententia non solùm authoritate S. Augustini, sed etiam vnanimi consensu nititur Theologorum. Sunt pro ea verba Concilij Ancyrani ista: *De Domino nostro scriptum est, omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo credit, posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, infidelis est.* Per quæ verba non negatur, iuxta mentem Concilij, efficacitas naturalium caussarum, sed dæmonum, de quibus ibi sermo erat, & de extraordinarijs immutationibus, quas se facere fingunt mali spiritus, qui ex rerum visibilium materia non possunt facere quod volunt, sed tantùm id quod in virtute rerum à Deo factarum continetur, applicando actiua passiuis. Et quidem ne hoc quidem ad libitum (quid enim non facerent?) sed quantum agere permittuntur duntaxat. Quanquam igitur boni Angeli multa faciant supra naturæ vim, ea tamen non sua virtute, sed diuina faciunt, vt sunt miracula. Malorum autem Angelorum operâ, quidquid aut verè fit, aut fieri apparet, sufficienter fieri potest, agentia corporalia corporibus patientibus applicando. Vbi discrimen est animaduertendum inter ipsam transformationem, quæ semper delusoria est, & inter effectus eam comitantes, qui sunt verissimi, sed varij. Delusoriam esse ipsam transformationem, hoc est, ex homine, non verum lupum, veram felem, veram picam, aut aliud animal fieri, satis superque docet illa ratio, quòd anima humana singulari Dei munere interitui non sit obnoxia. Qua igitur ratione homo in lupum, felem, vrsum, bouem aut aliam bestiam mutabi-

S. Augustin. lib. 18. de ciuit. c. 18.
S. Thom. 1. p. q. 110. a. 2. & Theologi in 2. dist. 7.

mutabitur à malignis ſpiritibus, vel, qui impotentiores ſunt, magis? An lupi ergaſtulo includetur anima, lupi anima permanente? quo modo hæ duæ animæ ſe mutuò aſpicerent? An non Philoſophi docent, duas formas vno ſubiecto vi naturæ, ineſſe non poſſe? Quid verò, ſi duæ formæ vni corpori lupino inſint, an dicemus, lupum ratione præditum, vel hominem ratione carentem? Certè Philoſophia tradit, ab anima humana, non poſſe, ex natura, informari corpus belluinum, cùm quælibet forma ſubſtantialis, vt ſuum eſſe tribuat informando, requirat peculiares ſibiq; conuenientes diſpoſitiones, propriamq; corporis organizationem. Ob quam cauſſam Ariſtoteles definit animam *actum corporis organici.* Quia igitur anima hominis in lupino, aut vrſino corpore organis ſuis caret, nihil ipſa operabitur, nec idoneum poſſidebit habitaculum. In quod ſi vel maximè, tanquam incarcerem includatur, quò interea ibit corpus humanum? an alibi iacebit mortuum, & ſatan aliquis illud poterit ad vitam reuocare, quando volet? hoc nemo illi conceſſerit. An illud ipſum corpus humanum in lupinum vertetur? atqui hoc ipſum eſt, quod dicimus eſſe abſurdum, vt anima hominis det eſſe lupi, & organis præcipuis alienis vtatur tanquam ſuis. Enimuerò, nonné hoc plus erit, quàm reſuſcitare mortuum, ſi eadem anima non ſolùm cum humano poſtea corpore denuo erit vnienda: verùm etiam corpus ipſum è lupino rurſus in humanum reformandum. Quod ſi quis dixerit corpus ſolùm hominis ita mutari, vt lupinum fiat, & à vera lupi anima regatur ac poſſideatur; quæro, quò interea anima hominis, à ſuo corpore diuulſa vadat? An ad cæleſte volat domicilium? nimirum anima ſagæ aut venefici, mille titulis diabolo mancipata? Aut fortaſſe, quia infandis facinoribus contaminata eſt, ad vltrices ſcelerum flammas detrudetur? Eſto ſit facilis deſcenſus Auerni, cuius verò Herculis virtute Cerberi cuſtodiam effugiet, cuius ope auxilioque inde gradum reuocabit, ſuperaſque ad auras euadet? cuius vi ſe corpori coniunget? Et an non ſuppliciorum Auernalium recordabitur, vt ſe emendet? Nihil horum vidimus, nihil audiuimus. Nugæ, ſomnia inſanientium, non dogmata Philoſophantium.

Phantium. Si enim quis dicat, dæmonem id potesse, obstat velut murus vnanimis Theologorum consensus, qui hanc animæ cum corpore copulationem, nulli creaturæ, sed soli rerum vniuersarum creatori semper tribuerunt. Multò verò minùs quibit vllus diabolorum bestiam in hominis substantiam mutare. Nam si vel maximè concederemus (quod tamen non damus) eum è corpore lupi, aut ranæ, aut etiam è limo, imitatione quadam diuina, corpus humanum effigiare, vnde misellus accipiet animam immortalem? creabit? At jam hæretici, jam Priscillianistæ erimus, qui asserebant, Angelos malos figurare & efficere corpora humana in vteris mulierum. Contra quos decretus est in Concilio Bracharensi iste canon. *Si quis credit, quòd aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, &c. anathema sit.* Vnde & Platonis sententiam, dicentis Angelos, seu *secundarios Deos*, res corporeas ex præiacente materia produxisse, ad Epicuri intermundia relegamus.

S. Leo ep. 93. ad Turib. c. 8.

Conc. Brachar. 1, can. 8.

XII. Quo igitur modo talia luporum, vrsorum, felium, rubetarum, aut bufonum similiaque alia bestiarum monstra ex hominibus facit Acheronticus artifex? Siquidem negari non potest, non solùm putare magiæ peritos se in tales effiges mutari, sed etiam tales exoticè grassantes bestias videri, immò etiam sentiri in strage hominum pecorumque. Sentio tertiò, sæpe talia monstra verè videri, verè sentiri, & quidem arte magica, licet nunquam tamen sine aliqua deceptione. 1. Aliquando diabolus magos & sagos aliò transportatos, vel domi relictos, altissimo somno sopit, insomnioque deludit, vt putent se ibi esse, vbi non sunt, & ea agere, quæ non agunt; cùm interea ipse vel corpus lupi, vrsi, &c. ex aëre, aqua, aliaque materia formatum assumit; vel verum lupum, vrsum, &c. impellit, agit, excitat, trahit, ducit, vel in eo ipse facit, quæ sibi magi dormientes videntur facere. Si enim porcos Gerasenorum potuit ita agitare, vt in stagnum se præcipitarent, cur non posset & corpora luporum aliarumq; bestiarum ita mouere, vel in propriam perniciem, vel in exitium aliorum? Talem cacodæmonis fraudem à Sancto quodam viro omnibus manifestatam recenset Guilhelmus Parisiensis. Et sæpe certò constabat, talem

Luc. 8. 33.

lem ſagam domi dormijſſe, cùm foris, eo ipſo tempore, ſe putaret fuiſſe graſſatam. Vtq; fraude dignos artifices magis decipiat, ſauciat ipſe dormientes in ea parte, in qua vel vera vel phantaſtica ex aëre beſtia ſubinde ſauciatur. Aliquando tamẽ eiuſcemodi veneficos planè re ipſa in rem præſentem adducit, non quidem veros ex eis lupos, vel vulpes faciens, aut alias ſimiles animantes, ſed, ne agnoſcantur, ex aëre compreſſo eiuſcemodi beſtiæ formans imaginem, quam tanquam nebulam, ad amuſſim, conformatam, ita mago ſuo circumdat, vt quo ad poteſt, caput capiti, os ori, ventrem ventri, pedem pedi, brachia brachijs, & omnia membra membris ad viuum accommodet. Cur enim, qua arte ſeipſum, cùm vult apparere, veſtit, non veſtiat etiam ſuos domeſticos & familiares? aut quid obſtet, ne tali modo vtatur? Hoc pacto veſtigia luporum terræ impreſſa relinquuntur; neque mirum eſt, ſi tunc verè in illis membris veneficæ ſaucientur, in quibus fera fuit vulnerata. Circumiectus enim aër, quamuis denſior, tamen mollis eſt, & facilè cedit gladio, aut ſagittæ, aut globo plumbeo iaculantis, vt vulnus tranſeat ad hominem intus latitantem. Hoc pacto apud ducem Ruſſiæ quidam eſt à canibus laceratus, & in Bulgaria quidam Baianus, de quo Sigebertus in Chronico. Quod etiam contingit ijs, qui veris exuuijs beſtiarum conteguntur. 3. Quippe aliquando magis veras pelles & exuuias eiuſcemodi belluarum circumdat; quod contingit, quando illis præbet lupinum corium v. g. in trunco quopiam cauæ arboris abſcondendum. Potuit Nero humanis manibus ita confectas piſcium aliarumque beſtiarum exuuias comparare, vt veri piſcis, aut veræ belluæ inſtar nataret, vel homines laniaret in theatro, vel amphiteatro, & id diabolica arte confieri non poſſet? Hoc modo Petrus Stumfius, qui Bebburgi, in oppidulo Vbiorum vltimo ſupplicio affectus eſt, quoties cingebatur zonâ quadam latâ à dæmone ſuccubo donatâ, ſibi & alijs in lupum verti videbatur; & verò hoc ſchemate ter quinque pueros iugulauit, eorumque comedit cerebellum, crudeli gulâ. Quin & duas nurus ſuas conatus eſt deuorare, quouis vero lupo appetentior; quauis tigride ſæuior.

XIII. Sentio quartò, aliquando ex humorum vitio, & atræ bilis excessu phantasiam ita mutari, vt nonnulli tristitia efferati, putent se in bestias esse commutatos, induantq; affectus lupinos, odiumq; gregis, aut hominum, ac proinde etiam desiderium eos inuadendi, lacerandi, vorandi. Quem affectum medici λυκάωπα, λυκανθρωπίαν vocant, interq; morbos, recensent, à Paulo Egyneta alijsq; medicis *melancholiam*, vel *insaniam lupinam* Latinè nominatam. Sicut enim Aiax præ insania in gregem pecorum sæuijt, putans se in Vlyssem & alios homines sæuire; ita potest nimius mœror, hominem adeò de mente deijcere, vt se in belluam versum arbitretur; immò vt se magum, aut sagum dæmoniq; addictum esse existimet. Quales aliquot ad me adductos, fatentesq; se veneficos esse, cùm viderem nimia melancholia laborare, misi ad medicum & vena secta vidi curatos. Cur enim imagnatio nō posset ingerere talem cogitationem, si eadem, teste Auicenna, potest hominem eò ducere, vt se canem, leonem, vel aliam bestiam esse existimet? Itaque qui sola corruptione phantasiæ laborant, magi non sunt, licet se magos esse dicant, licet se lupos esse persuasum habeant; licet lupina pelle, aut nube non tecti grassentur. Insaniæ enim, non magiæ est effectus ille; & clarè vident alij eos homines, non lupos, non vrsos, non leones esse. Talis sibi non ceteris videbatur pater Præstantij, apud D. Augustinum; & agricola Patauinus apud Fincelium, & vidi ipse multumq; egi cum aliquo, qui per aliquot hebdomades, ex tristi casu, eò amentiæ deuenit, vt se non in lecto, sed in flamma Inferni damnatum iacere putaret, omnesq; ad se accedentes, pro diabolis haberet, vocesq; desperatione plenissimas iactaret, idq; per plures hebdomades continuò, diu noctuque tanta vociferatione, vt nullæ humanæ vires tam inconditis assiduisq; clamoribus sufficere posse viderentur. Post multos menses ad se paulatim redijt, & ad officia honorata. Plura eiusmodi exempla qui volet, narrat plura Io. Nider, & sanè luculenta. In his tamen prudenter attendendū est, qua vita priùs fuerint. Callidus enim est Alastor, & vt ipse est pater mendacij, ita sæpe docet etiam veras sagas, cùm iam deprehensæ sunt,

Paul. Ægyneт. l. 3 c. 16.

Auicenn. l. 3. fin. 1. t. 4. cap. 24.

S. Augustin. lib. 18. cap. 8. Fincel. lib. 2. de mirac.

Io. Nider. l. 5. Formicarij cap. 12.

sunt, insaniam simulare, vt fingendo morbo euadant, quod sacrilega impietate meruissent. Quin certum est, etiam in ipso sacro tribunali multas eiuscemodi Orco mancipatas mulierculas; postquam verè cœperunt confiteri ac resipiscere, subita diaboli suggestione deceptas, omnia extemplo retractare, quæ paulò priùs sponte confessæ sunt; quæ si vrgeantur, vt constanter pergant pœnitentiâ vti, dicunt, se priùs quasi per somnium locutas, nec mente præsentē fuisse. Ibi Confessarius habet campum pugnandi, instandi, vrgendi, adhortandi, vt bene cœpta non interrumpant, & se tandem tam dira Stygij tyranni seruitute liberent. Cessit multis feliciter ille conatus, animasq; amabili constantia & cōstanti charitate lucrati sunt; quas vtique fide statim mendacijs adhibita, per lenitatem perdidissent.

Sed, vt ad rhombum redeamus, etsi dæmon potest efficere dictis modis monstra ex hominibus, animaduertendum tamen est, quid agat, quando specie picæ, mustelæ, aut bufonis, vel etiam muris, aut felis, alteriusué parui animalis tales sibi videntur apparere. Nam quemadmodum ipse non potest loca distantia ab inuicem, non occupato medio, simul implere, & idcirco nec vnum corpus in duobus locis disiunctis simul collocare; ita neq; potest quantitatem corporum sic mutare, vt inde partium penetratio sequatur. Quia id natura nō permittit, & meritò cum Aristotele D. Thomas reclamat. Potest vtrumque Deus, vel diuina virtute Angelus; ita enim S. Nicolaus, S. Agatho, S. Benedictus, S. Ambrosius, S. Franciscus infinita Dei virtute, simul in duobus locis visi sunt; & D. Chrysostomus ait, Habacuc ab Angelo demissum & reductum ex lacu clauso, & sigillis integris manentibus; docetq; cùm D. Augustino fides, ita Christum Dominum post resurrectionem, ad discipulos clausis ianuis ingressum; sicut & clauso manente sepulchro resurrexit; & illæso claustro virginali in lucem prodijt. Potest hæc Deus naturæ dominus, & in virtute Dei Angeli boni; at spiritus mali neutrum possunt, quia nihil possunt supra vires naturæ. Quare, si Pythagoras, eodem tempore, in duabus vrbibus conspectus est, vt de eo Origenes tradit; XIV.

Petr. Tyræus lib. 2. de spirit. appar. cap. 6 & 7.

S. Chrysost. orat. de incredulit. D. Thomæ.

S. Augustin. tract. 121. in Ioan.

Ioan. 20. 19.

Orig. lib. 6. contr. Celsum.

tradit; si Imperatori patri filium suum exhibuit Theodorus monachus, vt scribit Zonaras, apparitiones illæ ab Angelis malis procuratæ, ad speciem tantùm visæ, re ipsa præstigiosæ fuerunt. Facile est dæmoni, personam alterius exprimere & præsentare, si Deus permittat; sicut & à bonis Angelis fieri posse, negari nequit. Quin & quando venefici sibi videntur in cicadas, mustelas, picas, immò & formicas contrahi, & per tenuem rimam in conclaue alterius irrepere, aut etiam per ianuas clausas, vel per circulum carbone in muro designatum ingredi, tunc vel dæmon eorum dormientium vices agit; vel eos dementatos occulit per glaucoma, ne toti videantur, monstratoque tantùm mustelæ alteriusúe animalis corpore, cetera præstigijs tegit, & ianuam, vel fenestram, vel aliam per muros rimam totius corporis capacem latenter aperit, lapidibus alijsúe obstaculis, non minore dexteritate, quàm celeritate, exemptis, atque in suum locum pari velocitate repositis, viam intrandi exeundique facit. Potest autem, vt suprà dixi, species visiuas, ne in oculos astantium perueniant, per corporis alicuius interpositionem, vel per nimiam aëris agitationem, impedire; vel corpus illud aliqua ratione vestire, vt tapetibus, vel parieti, vel alij rei simile videatur; vt factum esse credibile est, quando Apollonius Thyanæus se Domitiani oculis subduxit. Neque aliud fuisse putem Persei clypeum, apud Græcos; aut Gygis annulum, apud Ciceronem, quàm dæmonis talem fraudem, qui mediante solùm motu locali, & per eum actiua passiuis applicando potest esse caussa talium mutationum. Nulla enim est proportio spiritus extra omnē materiam subsistentis, ad corporeas qualitates ex potentia materiæ, vel subiecti materialis immediatè educendas. Sumit ergo agentia & patientia naturalia, eaque applicans, facit, vt talia, vel talia monstra, vel non monstra producantur. Atque ita satis explicatas puto artes mali spiritus etiam ex alijs monstra facientis. Vnde nunc expeditum erit, ad contrariæ sententiæ argumenta respondere.

S. Thom. 1. p. q. 110. a. 2. ad 2. & 3. & a. 3. ad 2. Gabriel Vasq. 1. p. disp. 218. c. 3.

XV. Ratio enim illa, à cælo ducta ad Angelos, non est valida; quia cælum quod viuentia producit, materiale est, vnde propor-

Supra §. 1.

proportionem habet, vt corpora connaturali modo poſſit immutare, & adeò per ſuam formam inferiores aliquas formas etiam materiales eminenter continere; cùm ſpiritus, ſiue boni, ſiue mali, ad hoc non habeant proportionatum ſubſiſtendi modum, tametſi alioqui multò ſint perfectiores. Experienti- Daniel. 4.30.
as illas de Nabuchodonoſore, & Lot vxore in ſalis ſtatuā mu- Geneſ. 19.
tata, ſuprà expoſuimus; vnde conſtat, vtrumque diuina, non Supra §. 2.
diabolica virtute factum, neque experientias, ſed hiſtorias appellandas. Sicut & illud diuina virtute factum eſt, quod Beda narrat de S. Felice, nempe quo pacto eum aduerſarij ſtrictis Ven. Beda
gladijs in foro quæſierint, ſed peruenientes *ad eum, mutato di-* to. 3 in vita
uina prouiſione aut vultu ipſius, aut corde illorum, nequaquam eum, S. Felicis.
quem optimè nouerant, agnoſcere valebant &c. Nec fas eſt, à diuina potentia, ad dæmonum argumentari poteſtatem. Naturales autem experientias & plantarum, aut imperfectorum etiam animalium in ſe mutuò tranſmutationes negare nō poſſumus: verùm in promtu cauſſa eſt. Fiunt hæc, vel non immediatè, vel ob formarum, vel animarum affinitatem, ſimilitudinem, & nonnunquam etiam ſubordinationem. Quare ſicut ſubnigrū facile eſt reddere nigrum; ita non difficile eſt, ea, quæ non multùm inter ſe diſcrepant, mutuò conuerti. Sic lolium mutatur, in triticum, & hoc in illud, dum vel perficitur, vel corrumpitur. Sic, teſte Ariſtotele, galerucæ ex vermibus in lignis aridis degentibus, aſilus ex beſtiolis, quæ in fluuijs ſupernatant, enaſcuntur. Sic ex eruca fiunt papiliones; ex formicis muſcæ, ex alijs alia. At quis adducatur, vt credat, animam humanam à ſolo Deo opt. max. ad rerum cœleſtium cōtemplationem conditam, cuius ætas nullo tempore circumſcribitur, illam diuinæ particulam auræ, tantam ſimilitudinē habere, cum lupi vel canis anima, quæ corpori immerſa penitus, tot periculis, doloribus & morti denique expoſita atq; obiecta eſt? Adde quòd multorum imperfectorum animalium natura ſit; è fimo, aut cadaueribus naſci, vt in apibus, veſpis, ſcarabæis videmus. Nulla autem natura, vt hominem producat, facit priùs bouem. Quòd ſi ex hoc, quòd dæmon ſerpentes, locuſtas, ranas, muſcas, & huiſmodi imperfectas beſtias

actiua passiuis, & semina rerum applicando, producit, colligere licet, eum etiam hominem, equum, vel lupum producere posse; idem in sole locum habebit, generat hic solo calore suo mures & ranas, nemo tamen dixerit, eum leones, homines, vel aliud animal, cui maior contigit perfectio, solum generare.

XVI. Supra §. 3. Sexus quoque mutationem grauissimorum authorum testimonijs nixam non negamus; sed cùm hæc sexuum distinctio accidentaria sit duntaxat, homo autem à brutis essentiali perfectione differat, quis tam à vero auersus, aut tam obtusi & pinguis ingenij erit, qui non intelligat, ex feminæ in marem, aut maris in feminam conuersione, hominis in feram transformationem malè colligi? Certè natura humana æquè sub sexu maris atque mulieris, tanquam sub accidentibus, potest conseruari; siquidem vir & mulier specie non distinguuntur. Quin & alia huius mutationis ratio est, quàm cùm homo in felem, murem, lupum mutari dicitur. Nam vt ex viro fiat femina, vel vice versa ex femina vir, quale exemplum etiam Sotus narrat, necesse est, vt ab ipso statim ortu huius rei à natura posita sint fundamenta, vt nonnulli volunt. Alij neque istud quidem requirunt. Sed medicis, quibus omnia munda sunt, hoc relinquo clariùs explicandum. Authoritates contrariæ partis, quibus Bodinus cum suis triumphat, vt non contemno, ita contrarijs authoritatibus refuto. Quanquam hæreticorum non maior esse debeat authoritas, quàm Poëtarum; & aduersarij plerosque in suam sententiam retorto collo pertrahant; quippe complures scripserunt, homines in lupos esse conuersos, non quòd res ita se se habuerit, sed quòd sic se habuisse visa sit. Quanquam etiam nonnullos viros alioqui doctissimos, in rebus à vulgari captu remotioribus in errores lapsos esse, sit manifestum. Multa etiam, quæ pro historijs venduntur, fabulis esse contaminata ambigi non debet. Moyses diuina vi baculum in serpentem vertit, & reuertit. Magi Pharaonis idem fecisse dicuntur? Negant multi Patres eos veros fuisse serpentes; sed celeritate quadam aiunt dæmonis substitutos serpentes, virgasque ex oculis subductas. Et si vel demus,

Sotus in 4. d. 1. q. 5. a. 8.

virgas eorum verè fuisse in serpentes versas à malorum omniũ machinatore, an idcirco etiam homo poterit in colubrum conuerti? Imperfecta hæc animalia vel ipsa natura ex putri materia gignit; cur naturæ auxilio non faciliùs in his producendis vti potuisset artifex ille, quàm in lupis ex homine faciendis? cùm vel Plinius dicat: *Homines in lupos conuerti, rursumq́; restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot sæculis esse comperimus.*

XVII. Quo pacto autem dæmon mortalibus illudat, vt vel phantasia tales decipiat, alijque sensus tam externi, quàm interni, concitatis humoribus, & confusis speciebus perturbentur: vel nebula, aut exuuiæ lupinæ alteriusúe animalis corpori circumponantur; aut ipse tales spiritus nequam repræsentet, veneficis, qui se in feras transformatos esse censent, sopitis, & ad alia loca translatis: aut veræ bestiæ supponantur; quales fuisse aues Diomedeas, & ceruam pro Iphigenia Agamemnonis filia à Græcis ad placandam Dianæ iram mactatam D. Augustinus indicat, & à nobis satis, arbitror, suprà est explicatum. Et quid vsitatius est, quàm vt Stygius artifex sensibus hominis illudat, oculisque tenebras offundat, vt res, quas pedibus conterunt, vel omnino aspectum eorum effugiant, vel sub vera & genuina forma non percipiantur? Cùm enim ea, quæ sensibus hauriuntur, potentijs naturaliter virtutẽ aliquam imprimant, cuius ope sensus elicitur, facilè dæmon huiusmodi virtutem, per medium productam, potest variare; sicut organum ipsum. Sic lingua febricitantis humore cholerico infecta dulcia amara, & mel fel esse judicat. Sic nauigantes vrbes, colles, siluasq́; recedere, seque solos firmiter consistere æstimant. Sic phrenetici mirabilia se putant videre, audire. Cur non idem posset dæmon, quod potest morbus? Consueta res est, vt dæmon visum hominis in errorem ducat. Ducit etiam in errorem intellectũ, si cui persuadet, eum in lupum verè verti. Necesse enim esset talem mori, ac ad vitam à diabolo reuocari, quando eum denuo ex lupo hominem faceret. At Theologorum vox est, sola diuina virtute semel lucis huius vsura orbatum in eandem redire posse. Memoriæ proditum est, Simonis Magi præstigijs,

tres qui communi spiritu frui desierant, apud Phorum Ephesi oppidum, præsente S. Euangelista Ioanne, ad vitam reuocatos esse. Et à Pythonissa Samuelem suscitatum esse sacræ tradunt litteræ. Ast illi, sine dubio non veri homines, sed dæmones simulatis Samuelis, vel aliorum trium corporibus septi fuêre. Fatetur ista Bodinus, sed momentenea, ait, ista est fascinatio: hominis autem in lupum transformatio multis nonnunquam annis durat. Quasi inquinati Spiritus mortalibus diuturno tempore illudere nequeant? Expertæ sunt hoc magno cum dolore matres, quæ filiorum loco lacte suo nutriuerunt, & per multos annos dæmones educarunt, qui Sprengero teste, infantum vicem subeunt, cùm veri infantes à veneficis sublati, & miserandum in modum jam dudum trucidati sunt. Eodem pacto scribit Olaus Magnus, dæmones varia in stabulis & ærifodinis ministeria exercere, risus & cachinnos edere, saxa frangere, cauare, findere, eaque vrnis seu situlis ingerere, vt ita ad metalla damnatos fossores, ad sui venerationem, incitent, vel ad inferendam sibi iniuriam, quam deinceps morte vlciscantur, prouocent. Quod multis annis continuant. Iudicant hi quidem, se veros cernere homines fraudum ignari, reipsa tamen phantastica tantum, & ficta corpora cernunt. Quem in modum decepti etiam non rarò sunt ij, qui magos ad supplicia duxerunt, quorum tamen vice, cùm in patibulum tollerentur, filum, vel stramen inuentum in cruce fuisse accepimus. Aliquando enim dæmon cultores suos, ad tempus, ex periculis eripit, vt & illos, & per illos, alios quoque grauioribus sceleribus inuoluat. Hoc pacto deceptus etiam à Simone Mago peritissimo fuit Nero Imperator, qui Simonis loco arietem capite plecti iussit; ad quem, cùm triduo confecto Simon reuertisset, Nero attonitus eum diuino honore prosecutus est, eique statuam Romæ posuit cum hac inscriptione: SIMONI MAGO DEO. Sic Apuleius commemorat, tres aliquando homines interemtos se putasse, cùm tamen tres hircinas pelles à Pamphila saga fascinatus confoderit. Simile est, quod de Aiace Homerus scribit, qui cùm insignem porcum flagellis egregiè exciperet, Vlyssem se cædere opinabatur. Quamuis hoc furore magis, quàm

quàm Orcina arte factum videatur; neque circa porcum aliqua mutatio, sed in sola Aiacis imaginatione tunc facta est. At quando pro Simone Mago aries decollatus est, à Nerone atque aulicis omnibus visus est is Simonis schemate. Circumposuit illi igitur dæmon corpus aliquod, non organicum, sed merè phantasticum, vt etiam eum fecisse, cùm generis nostri authori Adamo, & Reparatori Christo apparuit, docent S. Thomas & D. Bonauentura. Cuiusmodi corpora ex aëre eum, vel alia materia conficere posse diximus. Quamuis autem aër, ob raritatem suam, omni colore & figura careat, contractus tamen, & condensatus varias formas & colores recipit: sicuti cùm nubes in aëre montes, naues, equites, & instructas nonnunquam acies repræsentant. Illud quæri potest, quo modo, si talia non sunt vera animalium corpora, voces articulatas in ijs dæmones exprimant? An non enim oratione mentis sensa explicare soli homini à natura datum est? Respondeo, malignos spiritus, sicut non vera assumunt semper animalium corpora, ita neque veras voces edere. Cùm enim vox ab Aristotele definiatur, operatio animæ facta ex allisione aëris attracti ex pulmonibus, & per arteriam asperam expirati, dæmonesq; & anima destituti sint, & neque pulmones, neque arteriam habeant, neque corpori huiusmodi organis instructo assistant, non veras voces proferunt, sed veris similes, eo ferè modo, quo si tubicen artem suam bene callens, tubæ beneficio, humanis vocibus similes sonos exprimit; aut quo, per hydraulica opera vidimus audiuimusque Salisburgi in nobilissimi celebratissimique horti æstiuo palatio omnis generis auium voces cantusque, ad viuum exprimi. Longè doctior artifex est diabolus, cuius ingenium longè accuratiùs potest, quàm vlli Dædali, voces & linguas animalium æquè ratione præditorum, ac destitutorum imitari.

S. Thom. 1 p. q. 51. art. 2. S Bonauent. in 2. d. 8. a. 2. quæst. 2.

XVIII. Quæ ex fabulis proferuntur, vno verbo cadunt, si dicantur fabulosa. Et quidem quod ad Vlyssis & Diomedis socios, atque Luciani, Apuleiúe Asinum aureum attinet, vera an fabulosa sint, non immeritò dubitat D. Augustinus, & Franciscus Victoria. Aureus doctor S. Chrysostomus Vlyssis comites

S. Augustin. lib. 18 de ciuit. Dei Franc.

Victoria relectione 12. mites putat in sues transformatos esse à malefica Circe, quia in voluptatum sordibus, tanquam porci in cœno volutati, & suibus quasi similes, non natura, aut figura, sed vita & moribus affecti erant. Apuleium verò Ludouicus Viues asinum factum scripsisse existimat, non quòd hoc ei contigerit, sed vt ficto casu tam mirabili narratio legentium, vel audientium animos in admirationem raperet, lectioq; iucunditate maiori, ac lepóre illorum mentes pasceret, qui Milesijs fabulis delectantur. Neque verò necesse est, vt omnibus illis, quæ aliorum sermone, vel scriptis accepimus, fidem adhibeamus, cùm, vt iure miratur Plinius, eò Græca credulitas processerit, vt nullum tam impudens mendacium sit, quod teste careat. Quanquam sub multis fabularū inuolucris viri doctissimi multa olim ad mores spectantia exprimere, & velut hieroglyphicè depingere voluerunt. Lycaonem in lupum conuersum scribit Ouidius? ob nominum id fecit affinitatem, λύκος enim Græcis lupū significat; itemq; ad feram regis crudelitatē, qua aduenas & hospites immani scelere trucidauit, declarandam. Hecubam in canem mutatam esse perhibent? Nempe sicut rabidi canes hominem morsibus venenatis inuadunt, lædunt, lacerant, sic illa malorum pondere pressa, & oppressa, ac rei indignitate victa, victores Græcos conuiciorum & maledictorū aculeis momordit, proscidit, dilaniauit. Midæ aures in asininas abijsse aiunt? ita eius deprauatū aurium iudicium & stolidæ præcordia mentis insinuant, qui Panis fistulam solus omnibus dissentientibus citharæ Apollinis, hoc est, iniqua æquis, & mala bonis solebat anteferre. Poëtæ igitur, si vera carminibus suis inseruerunt, de ijs mutationibus locuti sunt, quas nos suprà dæmonum arti concessimus; sin autem fabulas excogitauerunt, sub vmbris mores hominum describere voluerunt, quibus nihil contra nostram sententiam astruitur.

XIX. Procliue autem est æstimare, cur vel hanc potestatem monstra ex hominibus faciendi generis humani inimicis toties permittat Deus. Nam inprimis naturales illis vires suas reliquit, vt etiam in damnatis apparerent beneficia, quibus eos ab initio cumulauit. Quantò plus acceperunt, tantò fuerunt ingra-

ingratiores abusi potestate. Neque eos quidquam iuuant hæ vires, nisi ad maiorem damnationem. Magis enim sentit casum, qui ex altiore loco cecidit. Deinde sæpe merentur aliqui à præstigiatoribus vexari, quorum insidias diuinis precibus, ceræ sacræ amuleto, cruce fronti impressa, aqua benedicta, sale consecrato, candelarum benedictarum, & palmarũ in die Palmarum consecratarum vsu, alijsq; pijs ac facilibus remedijs à se arcere potuissent. Faciunt multos pericula cautiores; & tunc diligentiùs vigilamus, si videmus, hostes non dormire. *Induite vos armaturam Dei*, inquit Apostolus, *vt possitis stare aduersus insidias diaboli &c. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Qua de caussa S. Antonius in hac militia peritus dux ad discipulos suos dixit: *Magna, dilectissimi, aduersus dæmonem arma sunt, vita sincera & intemerata in Deũ fides.* Addit Ioannes Nider, præter fidem etiam multùm valere aduersus hæc monstra obseruationem præceptorum Dei, publicæ iustitiæ executionem, memoriam Passionis Christi: atque rem exemplo confirmans, cuiusdam magi hæc verba refert: *Cùm quidam simplex, sed non rectus maleficum me inuocaret, vt inimicum suum vita priuarem, aut in corpore læderem grauiter fulminis ictu, vel modo alio; vocaui ego magisterulum, id est, dæmonem; qui mihi respondit, quòd neutrum facere posset. Habet, inquit, fidem bonam, & diligenter se signo crucis munit, idcirco non in corpore, sed in vndecima parte fructuum suorum, in campo, si libet, ei nocere possum.* Ex qua confessione planum est, etiam quæ naturæ viribus potest spiritus nequam, non posse, nisi Deo permittente. Sicut & olim ipsi Iob non potuit nocere, nisi Deo illi frænum laxante. In cuius rei confirmationem memorat etiam S. Epiphanius, conatus Magorum, vt feminam quandam Christianam in amorem pellicerent, irritos fuisse, ob crucis signaculum ab ea factum, & insignem eius fidem. Tertiò ostenditur harum laruarum exterminatione potentia Sanctorum, & rerum sanctarum, quæ dæmonum potentiam profligat. Sic Palladius refert, B. Macarium eremicolam, mulierem quampiam magi præstigijs in equã transmutatam, effusa in caput eius aqua sacra, pristinæ formæ reddi-

Ephes. 6. 16.

S. Athanas. in vita S Antonij.

Ioan. Nider. lib. 4 Formic. cap. 4.

Iob. 1. & 2.

S. Epiphan. hæres. 30.

Pallad. in Lausiac. hist. cap. 19.

reddidiſſe. Non igitur ſanctorum hominum tantùm, ſed etiam ſanctarum rerum vis pateſcit, dum prodigijs his laruam detrahit. Ita ſæpiſſimè ad Ieſu & Mariæ nomen inuocatum eiuſcemodi ſpectra in ventum diſſipata videri deſierunt.

XX. Quartò multò æquiſſimè venefici, dum ſub his laruis fallere volunt, redeunte in authorem machina, ipſi decipiuntur. Præterquam enim, quòd hominis forma figuraque indigni meritò in ſpeciem murium, felium, porcorum, aut aſinorum tranſeunt, & *comparati iumentis inſipientibus ſimiles illis fiunt*, plerumque ſic exuuijs beſtiarum veſtiti, vulnerantur, capiuntur, occiduntur; aut dum huic arti fidentes, ſe tutos eſſe arbitrantur, incidunt in caſſes. Hoc ipſum ſpectat diabolus, vt occupet imparatos; & opprimat improuisò. *Quemadmodum à ſupradicto Petro judice audiui*, ait Nider, *in territorio Bernenſium & in locis eidem adiacentibus à ſexaginta circiter annis ſupra facta maleficia à multis practicata ſunt. Quorum primus auctor fuit quidam Scauius dictus, qui publicè de hoc gloriari audebat, quòd quandocumque vellet, ipſe ſe in omnium ſuorum æmulorum oculis velut murem facere valeret, & dilabi à manibus inimicorum ſuorum lethalium, & ita è capitalibus inimicorum ſuorum manibus, vt dicitur, ſæpe euaſit. Sed cùm terminum ſuæ malitiæ diuina iuſtitia facere voluit, tandem per hoſtes ſuos in ſtuffa quadam, prope feneſtram quandam ſedere explorabatur cautè, quo in loco cùm nullum de ſibi inſidiantibus ſuſpectum haberet, per feneſtram gladijs & haſtis inopinatè transfixus eſt, & ob ſua facinora mortuus ibi miſerabiliter.* Hoc lucrum eſt artis, mutantur, vt occidantur. Quin & ſummus judex, vt eorum oſtendat vanitatem, finit eos ſub hac monſtrorum imagine ludos facere, vt tandem, dum ludunt, ſeria patiantur. Luculentum eſt, quod Beda refert his verbis: *Nunciatum eſt* S. Patricio *aliquando, nequiſſimum opus cuiuſdam Britannici regis nomine Chairtic infauſti crudelisque tyranni, qui erat maximus perſecutor & interfector Chriſtianorum. S. igitur Patricius per epiſtolam ſuam ad viam veritatis eum reuocare tentauit, ſed ille ſalutaria eius monita deridebat. Quod vbi denunciatum eſt homini Dei, flexis genibus orauit, & dixit: Domine, ſi fieri poteſt, expelle perfidum hunc de præſenti ſæculo & futuro. Nec*

Ioan. Nider. lib. 5. Formic. cap. 4.

Ven. Beda lib. 2. vitæ S. Patricij.

multò



multò post præfatus ille tyrannus musicam artem à quodam sibi præcantari fecit, à quo audiuit, quòd citò de suo regali transiturus imperio esset: omnesq; charissimi eius in hanc vocem proruperunt. Tunc ille, cùm esset in medio foro illico VVLPECVLÆ miserabiliter arrepta FORMA profectus est in præsentia suorum, quò eum impetus animi duxit: & ex illo die illaq; hora velut à diabolo raptus nusquam comparuit. Quidam morituri, in honorem S. Francisci, S. Dominici, S. Benedicti aut alterius sancti habitum induunt, vt in illo sepulti eorum Diuorum patrocinium consequantur, quorum habitum profiteri voluerunt: hic Britannicus rex vulpis pellem induit, vt constaret, qua mente, qua arte fuisset. Mente enim erat similis illi regi, de quo Christus dixit: *Ite, dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor:* corpus illius in vulpem mutari videbatur, vt palam fieret, qua arte, quod præmium meruisset. Erat scilicet de numero illorum, de quibus dicitur: *Introibunt in inferiora terræ,* hoc est in infernum, *tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt,* seu Acheronticarum bestiarum, à quibus vulpinari didicerunt. Hoc autem exemplum etsi non profuit illi, qui passus est, prodesse tamen potest ijs, qui viderunt, vel audierunt. Itaque cum D. Augustino concludo: *Qui hucusq; in istis diabolicis rebus captiuandum diabolo tradidit se, toto corde pœnitentiam agat, & illa sacrilegia supradicta cum omni horrore fugiat, & contemnat, vt illi Deus indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem ob gloriam nominis sui faciat peruenire.*

Luc. 13. 32.

Psal. 62. 11.

S. Augustin. serm. 141.

CAPVT LXI.

Suismet homines vitiis in quales bestias transmutentur?



QVi mores hominum ingeniaque vult inspicere, neque naturam, neque naturæ Authorem, immò neque admodum Dei hominumque calumniatorem, tanquam monstrorum caussam, sed se ipsum potiùs intelligit, aut eos, qui monstrositate aliqua afficiuntur, trutina dignos esse. Siquidem illi sunt potissimùm monstrorum caussa, in quorum 1.

ea pœnam vel Deus, vel natura à Deo gubernata, vel hostis humanæ gentis mittit, aut efficit. Quanquam ea indole sunt homines deprauati; vt non expectent manum de cælo punientem; præueniunt enim iram diuinam, & antè ex seipsis monstra efficiunt, quàm alijs monstris puniantur. Non enim solis veneficijs, sed omnibus quoque ceteris vitijs homines in bestias transformantur. Quod non eo intellectu capiendum est, quo Isidorus Basilidis filius, apud Clementem Alexandrinum, physicam quandam & portentosam hominis, pro vitij qualitate, in varia ferarum ac etiam plantarum genera transformationem inuexit. Verba Clementis sunt: *Basilidis sectatores vitia & animi perturbationes consueuerunt vocare* προσαρτήματα, *id est, appendices; & ea esse quosdam in essentia spiritus appensos animæ ratione præditæ, per quandam conturbationem & confusionem principalem: & alias rursus spirituum adulterinas, & diuersi generis naturas ijs adnasci, vtpote lupi, simiæ, leonis, vrsi, quorum proprietates, quæ visione in anima apprehenduntur, animæ cupiditates animantibus dicunt assimilare. Quarum enim ferunt proprietates, earum opera factaq; imitantur. Et non solùm cum rationis expertium animantium appetitionibus, & visionibus coniunctionem ineunt & familiaritatem, sed etiam plantarum æmulantur motus & pulchritudines, propterea quòd plantarum quoq; adiunctas habeant proprietates: habere autem etiam habitus proprietates, vtpote duritiem adamantis.* Hæc Basilidis sectatores docuerunt. Error is est; &, quia pertinacia accedit, hæresis, & stulta impietas, quam, præter dictum Clementem, omnia refellunt, quæ à recentioribus hæreticorum confutatoribus scripta sunt, in non dissimile sententiæ monstrum à Matthia Flaccio Illyrico fatuè excogitatum. Itaque quæ nos allaturi sumus, non de physica, sed morali & metaphorica transmutatione sunt accipienda, quæ non in natura, sed in similitudine morum consistit. Quo pacto & Prophetæ loquuntur, vt ille cùm ait: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Non dixit, *Nolite fieri equus & mulus,* sed *sicut equus & mulus.* Sat ignominiæ est homini, satisque monstrosum, si *comparetur iumentis insipientibus, & similis fiat illis.* Si enim insipiens est, maximo hominis ornamento

Isidor. Basil. lib. de annata anima Clemens. Alexandr. lib. 4. Strom. c. 9.

Psal. 31. 9.

Psal. 48. 13.

mento caret, quod est, sapere. Neque contumeliosiùs potest quisquam ab altero appellari, quàm si *pecus*, si *bestia*, si *canis*, si *asinus*, si *porcus*, aut *bellua* appelletur.

II.

Atqui omnino, quisquis peccat, vel in magnam, vel in paruam bestiam abit, pro peccati vel magnitudine, vel paruitate. *Quid est homo?* ait Epictetus, *Animal ratione praeditum, ac mortale* (quod addit, quia & ipse cum Porphyrio, & antiquis Philosophis putauit, Angelos esse animalia quaedam, sed immortalia) *Cùm dicimus ipsum compotem rationis, à quibus eum separamus rebus? A feris bestijs, scilicet. Num ab alijs quibusdam? Ab ouibus quoque & similibus. Vide ergo, ne quid tanquam bestia feceris. Quod si facias, hominem perdidisti; non praestans id, quod praestandum tibi erat. Quin etiam vide, ne quid feceris tanquam ouis: si non caueris, hac quoque ratione hominem perdideris. Quae sunt igitur illa, quae facimus tanquam oues? Quando nimirum ventris gratia, aut penis, aut aliàs temerè quid agimus, quando sordidè, quando oscitanter. Quò degenerauimus? In naturam ouium. Quid amisimus? rationis vsum. Quando crudeliter, perniciosè, incitatè, vehementer; quam in naturam desciuimus? Ferarum. De cetero itaq; nonnulli ex nobis magnae sunt bestiae, quidam verò sumus paruae bestiolae, & maleficae, quas abominando & detestando dicere solemus, Deuoret me potiùs leo. His omnibus naturis id, quod de se promittit homo, aboletur.* Quàm multùm autem aboleatur vnà ex Seneca disce: *Omnia suo bono constant*, ait, *Vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas seruum. Quare fortia dorso iumenta sint, quaeris? quia eorum hic vnus est vsus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si inuestigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere & inuadere. Id in vno quoq; optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? Ratio: hâc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium homini bonum est: caetera illi cum animalibus satisq; communia sunt. Valet? & leones. formosus est? & pauones. Velox est? & equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Non quaero, quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? & bestiae & vermes. Habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilae, grauiorem*

Epictetus apud Arrian. lib. 2. c. 9.

Senec, ep. 76.

tauri, dulciorem mobilioremq; lusciniæ? Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta & consummata felicitatem hominis impleuit. Ergò si omnis res cùm bonum suum perfecit, laudabilis est, & ad finem naturæ suæ peruenit, homini autem suum bonum Ratio est, si hanc perfecit, laudabilis est, & finem naturæ attigit. Hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eademq; honestum est. Id itaq; vnum bonum est in homine, quod vnum hominis est. Nunc enim non quærimus, quid sit bonum, sed quod sit hominis bonum? si nullum aliud est homini, quàm ratio: Hæc erit vnum eius bonum, sed pensandum cum omnibus. Si sit aliquis malus, puto improbabitur: si bonus, puto probabitur: Non dubitas, an hoc sit bonum: dubitas, an solum bonum sit. Si quis omnia alia habeat, valetudinem, diuitias, imagines multas, frequens atrium, sed malus ex confesso sit: improbabis illum. Item, si quis nihil quidem illorum, quæ retuli, habeat, deficiatur pecunia, clientum turba, nobilitate, & auorum proauorumq; serie, sed ex confesso bonus sit: probabis illum. Ergo est vnum bonum hominis: quod qui habet, etiamsi alijs destituitur, laudandus est: qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac reijcitur. Quò

Psal. 48.13. vsque reijcitur? vsque ad gradum bestiarum juxta illud: *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Non est magnus gradus ab equo ad asinum; vterque enim ratione caret. Magnus gradus est ab homine ad pecus. Cùm ergo contra rationem agat, quisquis peccat; quantò magis quis peccat, tantò magis etiam à ratione recedens ad bestiæ indolem accedit. Sic incorruptibilis anima corrumpitur,

Lucret. lib 3. *Et contracta suis è partibus obbrutescit.*

III. Quas verò in bestias mutentur homines, euersa per peccatum rationali natura, indicauit haud obscurè idem Epictetus, apud Arrianum his verbis. *Melius quiddam habes carne. Quare, misso illo & neglecto, carni dundaxat es deditus? Ob huius societatem declinantes à meliore, natura quidem lupis similes efficimur, dum sumus perfidi & insidiosi, & ad nocendum parati: leonibus, quia feri, & immanes ac truculenti: maxima verò pars vulpeculæ sumus, aut si quid aliud in animalibus pro monstroso habetur. Etiamne aliud quiddam est maledicus, aut maleuolus homo, quàm vulpes, aut si quid ea est vel ignobilius vel contemtius? Circumspicite*

Arrian. lib. 1, cap. 3.

cite itaq; & curate, ne quando huiusmodi calamitatibus obnoxios fieri vos accidat. Et alio libro. *Quid verò est, quod illum hominem esse dixisti? Quæq; enim res ex figura simplice non est iudicanda; alioqui cereum quoq; malum pro malo habeas; ipsumq; & odorem & saporem mali habere contendas. Figuræ externæ circumscriptio satis non facit, vt rem esse aliquam pronunciemus. Quamobrẽ vt homo dicatur quispiam, satis non est, nasum & oculos habere: sed tum hominem esse censeo, si ita vt hominem decet, senserit. Aliquis est, qui rationem non percipiat, nec castigatus obtemperat: Talis nimirum pro asino est habendus, pudorisq; sensum deposuit omnem, inutilis est, & quiduis potiùs quàm homo. Is nimirum quærit aliquem, quem calcibus, aut dentibus impetat. Quocirca nec asinus est, nec ouis, sed fera quædam, & immanis bestia.* Idem lib. 4. cap. 5.

IV.

Ne autem Epictetus hæc ex schola Stoicorum, censurâ quadam Stoicâ, hausisse videatur, etiam alios in hanc sententiam iuisse monstrabimus. Philo doctissimus Iudæus, *Chaldæi*, inquit *hominem Enos vocant, ac si solus verè homo sit, qui res bonas expectat, & bona spe se sustinet. Vnde manifestũ est, quòd spe carentem non hominem existimant, sed bestiam humana forma præditam, cui desit spes proprium ornamentum humanæ animæ.* Immò vsque adeò talis est *bestia humana forma prædita*, vt D. Gregorius Nyssenus in illud: *Et præsit bestijs* ita scribat: *Impera bestijs omnibus, quæ sunt in te. Quid? inquies, egonè in me ipso bestias habeo? Tu verò bestias habes, & eas quidem innumerabiles, plurima in te est bestiarum multitudo. Ac ne me contumeliosum existimes, dic, amabo, paruané est bestia iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea est quouis cane crudelior? Quid? in callido animo tuo dolus latitans, nonne quouis vrso fraudulento sæuior est? Quid? nonne fera est hypocrisis, vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliã nonné scorpius est? Qui præceps ad vindictam vltionemq; fertur, nonne est vipera grauissima? Quid auarus ipse? nonne lupus est rapacissimus? Nulla in nobis fera non inuenitur. Qui fœminarum amoribus insaniunt, nonne furiosi sunt equi? Equi amatores, inquit, & emissarij facti sunt, vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat. Sic in alicuius feræ naturam quisq; conuertitur, vt aliquo animi vitio, perturbationeq; vincitur.* Ex quo fit, vt innume-

Philo in lib. de Abraham. circa initium.

S. Gregor. Nyssen. orat. 1. de hom. procreat.

innumerabiles in nobis sint feræ. Credis igitur te ferarum esse dominum, ac principem, si illis, quæ foris sunt, imperes, eas autem quæ intus versantur non domes, ac regas? Quorsum tibi ratio, qua leones vincis, eorumq́ fremitum non reformidas, cùm ipse dentibus frendas, vt Leo, & præ iracundia vocem confusam, & perturbatū clamorem emittas? Quid enim grauius aut acerbius est, quàm cùm iracundiæ furor totus erumpere nititur, nec intus vllo modo contineri potest? cùm ab aliqua perturbatione victus est homo, non iam ipse imperat, sed in eius animo perturbatio dominatur. Quamobrē cùm ita creatus sis, vt bestijs imperes, & serpentibus, & volatilibus, perturbationibus impera. Ne permittas cogitationem tuam sublimem vagari. Ne sinas animum tuum leuitate instabilem ferri. Datum est tibi vt auibus præsis: absurdum erit si visco volantes illas ita capias, vt ipse leuis sis, efferarisq́ superbia. Ne sublimes spiritus tollas, ne intumescas, ne tibi nimium placeas, aut plus de te sentias, quàm patiatur humana conditio. Ne laudibus inflatus extollaris, ne te ipse iactites, aut magnum aliquid esse putes. Alioquin eris volucrum similis, quæ natura leues & instabiles huc illuc feruntur, & volitant. Tuum igitur animum moderare, eiq́ impera, si vis rebus omnibus imperare. Hàc ratione nobis in animantia atributum imperium nos monet ac disponit, vt ipsi nobis imperemus.

V. S Chrysost. hom. 4. in Matth.

Consonat D. Nysseno D. Chrysostomus his verbis, dum fidelem non ex fidei legibus viuentem ita castigat: *Quid verò fidelem dico? Nec enim es homo, si manifestè possum videre. Cùm namq́ tanquam asinus recalcitres; lasciuias autem vt taurus; tanquam equus verò post mulieres hinnias; ventri tanquam vrsus indulgeas; & vt mulus carnem impingues; & malum memoria teneas, vtlut camelus; porrò rapias quidem vt lupus; at vt serpens irascaris; ferias vt scorpius; sis subdolus vt vulpes; nequitiæ verò tanquam aspis & vipera venenum serues; at sicut ille malignus dæmon fratres impugnes: quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te naturæ signa cùm non intuear?* Hæc ille, qui alibi addit, brutum quodlibet vnicam bestiam esse; qui verò à virtute deflectit, in tot bestias, quot peccata admittit, transformari. Imitatur idem magnus Chrysostomi æmulator, ac aliquando auditor, Isidorus Pelusiota his verbis: *Si rem accuratè atque*

Idem hom. 1. in Ioan.

Isidor. Pelusiot. lib. 2. ep. 135.

exactè

exactè perpendere velimus, non iumentis duntaxat: sed etiam truculentis feris comparari posse videtur, immo etiam eas superat, qui turpium affectionum ac libidinum amator est. Quodq; mirum, atque ab hominum opinione alienum est, quæq; fera uni tantùm vitio seruit: at qui hominis speciem habet, omnibus vitiis in vnum congestis & cumulatis, vltra eorum temeritatem & amentiam progreditur. Ac ne me hyperbolicè loqui putes, res ipsas incorrupta mente perpendamus. Cùm enim quispiam vt taurus subsultat; vt asinus calcitrat; vt salacissimus equus in feminas hinnit; vt vrsus voracitati studet; vt mulus corpus saginat, vt camelus iniuriarum memoriam retinet; vt leo irascitur; vt lupus rapit; vt scorpius ferit; vt serpens subdolus est; improbitatis venenum vt vipera conseruat; opes denique, vel, vt rectius loquar, peccata cumulat, vt scarabeus scarabeas, quonam pacto quispiam hunc belluino animo præditum inter homines recensere poterit, cùm mitis ac placidæ naturæ lineamenta in eo minimè perspiciat, verùm Scyllæ cuiusdam, & Chimæræ atque Hydræ (iuxta externas fabulas) fœtorem cernat.

Assonat & Clemens Alexandrinus his verbis. *Quin etiam, quod supremum est omnium, ipsam Philosophiam definiunt, studium rectæ rationis, adeò vt sit necessariò delictum, quidquid fit propter errorem rationis, & meritò Græcè vocetur ἁμάρτημα, hoc est, erratum, quod etiam peccatum significat. Iam enim quando primus homo peccauit, & Deo non obediit: Et iumentis, inquit, assimilatus est homo, qui præter rationem aberrasset, meritò rationis expers existimatus comparatur iumentis. Hinc etiam dicit Sapientia: Equus ad coitum, libidinosus, & adulter irrationali iumento assimilatus. Et ideò subiungit: Quocunq; super eo sedente hinnit. Non amplius, inquit, homo loquitur. Non est enim amplius particeps rationis, qui peccat præter rationem: est autem expers rationis bellua, dedita cupiditatibus, cui omnes voluptates insident.* VI. Clem. Alex. lib. 1. Pædagogi, c. 13.

Ita ex hominibus equos facit luxuria; quos, eodē teste Alexandrino Clemente, & luxus in bestias mutat, luxus, inquam, ille, qui in escis & esculentis quæritur. Ita enim disputat. *Victus, qui sufficientiam excedit ac obruit, homini multùm officit; animam certè segnem & inertem reddit, corpus verò valetudinariū, & quod* Idem Alex. Clemens. l. 2. Pædogogi. cap. 1.

& quod in morbos facilè prolabitur efficiens. Quin etiam voluptates quæ in diiudicandis condimentis anxiæ sunt & difficiles, probra & maledicta inurunt: vtpote liguritionem, ingluuiem, edacitatem, voracitatem, insatiabilitatem, & huiusmodi alia. Muscæ quoque aptissimè vocantur, & adulatores, & gladiatores, & immane genus parasitorum: ventris voluptate hi quidem rationem, illi verò amicitiam, alij autem vitam ipsam vendentes, super ventrem serpentes, belluæ hominibus similes, ad imaginem patris sui, edacis voracisq; belluæ. Has ciborum vinorumque Charybdes etiam Seneca in animalium ratione carentium classem reponens ait:

Senec. ep. 60. *Taurus paucissimorum iugerum pascuis impletur: vna silua elephantis pluribus sufficit: homo & terra pascitur, & mari. Quid ergò? tam insatiabilem nobis natura aluum dedit, cùm tam modica corpora dedisset, vt vastissimorum edacissimorumq; animalium auiditatem vinceremus? minimè. Quantulum est enim, quod naturæ datur? paruo illa dimittitur. Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Hos itaq; (vt ait Sallustius)* ventri obedientes *animalium loco numeremus, non hominum; quosdã verò ne animalium quidem, sed mortuorum.*

VII. Verùm ad Clementem reuertamur, qui Sophistas cicadarum & vulpium nomine condecoratos nihil mentis, multũ vocis, aut strepitus potiùs habere asserit. *Ob hanc artem*, inquit,

Clem. Alex. lib. 1. Strom. *se efferentes Sophistæ infelices, canoris quibusdam suis nugis garrientes, cùm in nominum delectu & certa dictionum compositione & connexione, tota vita laborant, cicadis apparent loquaciores, eos quibus pruriunt aures non satis, vt mihi videtur, viriliter demulcentes, & titillantes.*

Verborum non stilla cadens, sed flumen iners.

Et certè quemadmodum veteribus in calceis, imbecilla ijs sunt alia & diffluunt, sola autem eis restat lingua. Pulchrè ergo eos insectans scribit Solon Atheniensis:

Ad linguam aspicitis, & dulcia verba loquentes,
At quod fit, nemo spectat, agentis opus.
Ac quiuis vestrûm vulpis vestigia figit,
Et mentem vacuam putidulamq; gerit.

Matth. 8. Luc. 9. *Hoc vtique significat vox illa salutaris: Vulpes foueas habent: filius*

autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Super enim solo eo, vt arbitror, qui credit perfectè separato ab ijs bestijs, quæ dictæ sunt à scriptura, rerum omnium caput conquiescit ac princeps, nempe benignum & mansuetum verbum, qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum: Dominus enim solus cognoscit disceptationes sapientum, quòd vanæ sunt. Sapientes vtique Scriptura vocante Sophistas, qui in dictionibus versantur & artibus superfluis. Vsque adeò vulgare est, à bestijs mores hominum appellare, vt nihil ferè sit apud plebem communius. *Lysandrum Lacedæmonium aiunt, cùm ageret in Ionia, Lycurgi molestas laboriosasq; leges reiecisse, & vitam dissolutè luxuriroseq; habuisse. Lamia igitur scortum Atticum dixit, Leones Græci, Ephesi redduntur vulpes.* Quibus etiam feminarum se superbia assimilat, syrmata longa post se trahentium, more vulpis vestigia sua verrentis. Diximus supra, fuisse inter monstra, qui equorum instar dependulam retro haberent appendicem. Qualem etiam scribit Marcus Polus esse ijs, qui iuxta Lauam in prouincia Lambri degunt, absque villis quidem, sed in vlnæ mensuram excurrentem: aut de quibus Plinius memorat miræ pernicitatis hominibus: vel quos tradit Pausanias, in insulis Satyridis, equis ea parte pares esse. Quod in his monstrosum, in feminis scilicet erit formosum? Enimuerò hoc est, quod eas serpentibus aut etiam draconibus similes facit: nam & hi vermes, & stelliones, & basilisci eiusmodi post se syrma trahunt.

Ælian. lib. 13. Var. c. 8. & 9.

Marc. Polus lib. 5. cap. 15.

Plin. l. 7. c. 2.

VIII.

Quid si in medium adducam vitium, quod ex hominibus camelos, immo elephantos, immo plus quàm insulares balænas facit? Nihil fingam, vera dicam, & nemo credet, nisi digitis monstrata. Sunt in quodam loco fæminæ tam magnæ, vt ijs vestiendis non vnus, non duo, non centum sartores sufficiant; sed vt tegantur, totæ debent nationes laborare. Sunt tam robustæ, vt totos agros & fundos possint manibus & digitis portare. Sunt tam validæ, vt capiti domos, & arces, & turres imponant. Sunt tam formosæ, vt velut cælum stellatũ luceant. Sunt tam artificiosæ, vt, qualemcunque, vel capillũ, vel vultum optant, hominibus ostendant. Quis hæc omnia non putet iudicetuè esse plusquàm monstrosa? Super quæ

accedit, quòd sexum mutent, quoties volunt; vt in equis & fenestris viros existimes te videre, quas paulò priùs audisti puellas nominari. Nec sanè paucæ sunt tales: crebrò occurrunt, immò in oculos nostros incurrunt. Non est hæc mea fictio. Dudum hæc omnia, & plura scripsit Tertullianus. Scripserunt & alij Patres. Quin Ethnici quoque ipsi scripserunt, quando intolerabilem mulierum superbiam atque luxum exaggerarunt. Iunones nostræ, Nymphæ Palatinæ, mulieres extra aulam aulicæ, sunt tales. An non pro vnica tegenda & vestienda totæ laborant nationes? an non necesse fuit, vt pro vna Cleopatra, aut Messalina *Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tinguerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & margaritæ canderent, & Ceraunia coruscarent?* In sandalia vnius reginæ quot vrbes sumtum conferunt? Antiqua res est superba prodigalitas. Nam & Pindarus *Agrigentum sacrum* idcirco appellat, quòd olim Proserpinæ à Ioue assignatũ fuisset in ἀνακαλυπτήρια, id est, cùm primùm se visendam sponsa præberet. Plutarchus, ob eandem caussam, totam scribit *Siciliam sacram*. Athenæus memorat, subacta à Persis Ægypto, Anthyllam vrbem dari solitam regis vxori in *calceamenta*. Herodotus tradit, plurimos pagos, in quibus fixerat tabernacula, Parysatidi reginæ datos in *cingulum*, vt Muretus legendum putat, qui etiam testatur, Lutetiæ Parisiorum, vectigal quoddam ex vino, appellari vulgò *cingulum reginæ*. Quam tamen summam multæ Deum amantes matronæ, etsi in superbiam ab alijs destinatam & consumtam, ipsæ potiùs in cultum & honores diuinos, animarumq; salutem conuerterunt. Quod narrat factum Horatius Tursellinus, cùm scribit, pensionem quandam aureorum quadringentorum in Canacapolas Christianorum in India, à Lusitaniæ rege reginæ vxoris, crepidarum & soccorum nomine, jam olim S. Francisci Xauerij rogatu attributam, pensitari. Ex his censibus perspici potest, quàm verè dixerit Tertullianus: *Breuissimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies sestertium inseritur. Saltus & insulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitio-*

Tertullian. lib. de habitu mulierum cap. 1.

Plutarch. in Timoleonte
Athen. lib. 1. cap. 30.
Herodot. l. 2.

Horat. Tursell. lib. 2. de vita S. Francisci Xauerij cap. 2.

Tertullian. loc. cit.

ambitionis, tantarum vsurarum substantiam vno & muliebri corpusculo baiulare. Vides robustas feminas? quibus in capite lucet gemma tribus arcibus emta, & de turrita capillorum structura pretia domorum exsplendescunt. Quot talenta in Cleopatræ auribus pependerunt? *Duo fuerunt maximi vniones per omne æuum. Vtrumq; possedit Cleopatra Ægypti reginarum nouissima, per manus Orientis Regum sibi traditos. Hæc cùm exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, vt regina meretrix lautitiã eius omnem apparatúmq; obtrectans, quærente eo, quid astrui magnificentiæ posset, respondit vnâ se cœna centies H-S. absumpturam. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsionibus factis, postero die, quo iudicium agebatur, magnificam aliâs cœnam, ne dies periret, sed quotidianam Antonio instituit, irridenti, computationémque expostulanti. At illa corollarium id esse, consumpturámq; se in eâ cœna taxationem confirmans, solámq; sexcenties H-S cœnaturam, inferri mensam secundam iussit. Ex præcepto ministri vnum tantùm vas ante eam posuêre aceti, cuius asperitas visq; in tabem margaritas resoluit. Gerebatq; auribus tum maximè singulare illud, & verè vnicum naturæ opus. Itaque, expectante Antonio, quidnam esset actura, detractum alterum mersit, ac liquefactum absorbuit. Iniecit alteri manũ L. Plancus index sponsionis eius, eum quoq; paranti simili modo absumere, victúmq; Antoniũ pronunciauit, irato homine. Comitetur fama vnionis eius parẽ, capta illa tantæ quæstionis victrice regina dissectũ, vt esset in vtrisq; veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cœna.* Nimirum, vt Satyricus dixit:

Plin. lib. 9. c. 35. nat. hist.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos committit elenchos.

Iuuenal. sat. 6.

IX. Si formam stellati in hoc sexu cæli, si artem vultus & capillorum colorem mutandi dici tibi cupis, *Habitus feminæ,* ait Tertullianus, *duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis*

Tertull. lib. de habitu mulierum cap. 4.

Vide historiã Antipodum Ioan. Gottefridi. pag. 120. & pag. 145.

crimen intendimus, alteri prostitutionis. Ridemus Indos, qui cutim floribus pingunt, aut gemmatis vultibus incedunt, & lapillos carni viuæ inserunt, frontisque atrum lurorem carbunculis & smaragdis distinguunt, prodeuntq; discolores, more psittacorum: sed maximè sic ornant perituros; vt splendidè pereant. Æquè ridendæ sunt istæ grandes matronæ, ac nymphæ Palatinæ, quæ faciem fictam gestant, & effigiem mentiuntur, fucoq; decipiunt amatores. *In* Dominum *enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis nimium plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adijciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamenta ista, id est, diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? ille indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Diuino operi, satanæ ingenia superducere, quàm scelestum est?* Hæc Tertullianus de feminis, & longè plura in duobus diuersis libris. Propertij sunt ista

Tertullian. lib. de cultu feminar. c. 5.

Propert. l. 2. el. 18.

Vt natura dedit, sic omnis recta figura:
Turpis Romano Belgicus ore color.

Francisc. Patricius de institut. Reip. lib. 4. c. 5.

Quid enim est aliud, ait Franciscus Patricius, *pœnitere sui ipsius, & seipsam odio habere, quàm aliam faciem inducere? & visco, cerussa, fuco, alijsq; pigmentis naturam violare? Qui quòd paulo post, ablutis adulterinis coloribus, ad formam pristinam redit, non sine irrisione omnium familiarium, & cum damno etiam natiuæ venustatis? Ex illis namq; venenis rugæ ante tempus faciem arant, oculi caligant, dentes obscuriores fiunt: animaq; vxoris pessimè olet. His commentitijs coloribus fœditatem aspectus, & contemptum sibi comparant, odiumq; viri. Et præsertim,*

Cùm miseri viscantur labra mariti.

Quare inter amoris remedia præscribitur resipiscere cupienti, vt improuisus adsit, & Sirenulæ suæ vitia deprehendat.

Ouid. lib. 1. de Remed.

Tu quoq;, compositis sua cùm linit ora venenis,
Ad dominæ vultus, nec pudor obstet, eas.
Pyxidas inuenies, & rerum mille colores;

Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus.
Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas:
Non semel hinc stomacho nausea facta meo.

Longè maior nausea creatur ijs, qui deprehendunt suas, galericulum gestare, atque ascititijs pilis, à meretrice, aut vespillone emtis, vel caluitiem, vel canitiem dissimulare, & crispare comas alienas, quibus, tanquam cornicula, alienis plumis superbiunt & triumphant. Multoque maior nausea mouetur ijs, qui ex vetularum vultibus conijcere volunt, quid de vultibus futurum sit iuuencularum. Quàm multæ enim scitissimæ pulchritudinis puellæ in quantas, quamque cadauerosas, senio formam deuastante, laruas degenerant? Ipsâ enim naturæ lege illud capillorum quondam succinum auro & gemmis distinctum, in luridam canitiem, & ingratas capitis niues, tandemque etiam, velut in Medusæos angues vertitur. Oculi stellis æmuli, in stillantes & sanguineas lacunas mutantur, vt sine contagio, aut fascino aspici non possint. Candidum genarum æquor purpurâ velut corallio relucens, in squallidum aruum rugis aratum, & verrucis, velut collibus ebulliens, buxantemque lurorem abit, similem folijs autumnalibus, de arbore lapsis, quæ virorem amiserunt. Itaque non jam in labris rosæ, non serenitas in fronte, sed tristis nubes sedet, quæ terret intuentes. In ore nullum ebur dentium, sed quoddam barathrũ Auernale. E naso stiria, ex ore mucus, è mento saliua pendet. Hoc nunc stibium est tam bellæ olim puellæ. Ita Tisiphone facta est, quæ olim erat Calliope; neque iam in censu habetur Gratiarum, sed occurrentibus putatur esse quarta Furiarum. Quis non pro monstro habeat talem metamorphosin, quæ de virginea facie in tam fœdam transit Harpyiam? quæ longè, posteà in sepulchro tabe & vermibus cooperta, fœdius erit testimonium humanę vanitatis. Vult hoc ita per naturam fieri Author naturę, vt sciant, quid ornent puellę, quę se adeò comunt & ornant, vt prodigia videantur; quin vt iuuenes quoque nôrint, quid ament. Dicturi enim sunt aliquando cum Francisco Borgia: *Haeccine illa sunt lumina, quæ omnium in se oculos conuertant? hæc venustas illa, quæ aliarum formas extinxerat?* Andreas Schottus in vit. Francisc.

Borgia lib. 1. cap. 7.

Tunè Isabella? Tunè Augusta? Fallunt oculi? aberrat mens? Sed non fallunt: Nimirum humanarum hæc rerum vicissitudo est. I nunc, fragile illud formæ bonum admirare. I, lutum hoc auro orna; i, pinge cutem; crispa capillos; stringe cincinnos, puella. Quæ etiam in viris sunt longè deformiora. Quanquam ita tonsæ sunt nunc & pileatæ, ita viriliter thoracatæ, seu nuptæ, seu nubiles fæminæ; ac vicissim ita comtuli & cincinnatuli iuuenes, vt, si eos videas per fenestram prospicere, facilè in viris fæminas, & in fæminis viros autumes te intueri. Adeò monstra sunt & puellæ vt iuuenes tonsæ, & *iuuenes vt feminæ compti, propriasq́; præstigias formæ & hic sexus sibi agnoscit, barbam acriùs cedere, interuellere, circumdare capillum, disponere, etiam colorare canitiem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere cetera pulueris cuiusdam asperitudine leuigare, tum speculum omni occasione consulere, anxiè inspicere, cùm tamen cognito Deo adempta placendi voluntate, per luxuriæ vacationem, omnia illa, vt ociosa, vt hostilia pudicitiæ recusantur.* Sed de his iuuenum monstris satis superque egi in secundo libro de Labyrintho, vbi eos monstro camelopardali comparaui.

Tertullian. lib. cit. c. 8.

Lib. 2. de Labyrinthi fraudib. c. 3.

X.

In longam Iliadem opus excurret, si omnes hîc voluero enumerare similitudines, & nomenclaturas, quibus scriptores tam sacri, quàm profani, & populi vulgus singula mortalium vitia solent exprimere. Quoddam velut compendium accipe à Boëtio, & quod non vis dici, noli esse. *Vide*, inquit, *ex aduersa parte hominum, quæ improbos pœna comitetur, &c. Quidquid à bono deficit, esse desistit. Quo fit, vt mali desinant esse, quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc humani corporis species ostentat. Quare versi in malitiam, humanam quoque amisêre naturam. Sed cùm vltra homines promouere sola probitas possit, necesse est, vt quos ab humana conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur, vt quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis. Auaritiæ feruit alienarum opum violentus ereptor? Similem lupo dixeris. Ferox atq; inquietus linguam litigijs exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans*

Boët. lib. 4. de consolat. Phil. pros. 3.

temperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? Ceruis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum viuit. Leuis ac inconstans studia permutat? Nihil ab auibus differt. Fœdis immundisq; libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Ita fit, vt qui, probitate deserta, homo esse desierit, cùm in diuinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. Quod multò magis est prodigiosum, quàm si cicuratæ belluæ vertantur quodammodo in homines, discantq; ire per extentum funem, quod de elephantis refertur, & de alijs bestijs alia, quæ alioqui non videntur, nisi ab humana prudentia prouenire. Meritò igitur & ego, mutato stilo, dicere possum;

Postquam cœperunt homines brutescere, verso
Ordine, cœperunt hominescere bruta vicissim.

CAPVT LXII.

Defectus monstrorum & naturæ, plerumque aliunde compensari.

POterant huc vsque disputata satis placare imperitorum monstra carpentium querelas: & sufficit, malitiæ atque superbiæ fructum esse, quod impatientia non vult tolerare; immò audet in tam benigno Plasmatore, criminosissimis iniurijs accusare. Quid enim? si monstrum sinit gigni, cui iniuriam facit? quid, si luscum, aut cæcum, aut manibus pedibusúe truncum hominem in lucem prodire ab vtero matris suæ permittit? Dominus est vniuersæ naturæ. Quod vult, facit. Potuisset talem omnino non sinere nasci, aut concipi. Potuisset eum in Nihilo suo relinquere. Quidquid ei dedit, gratis dedit; & sæpe etiam ingrato. Quidquid negauit, pro potestate sua negauit. In summa tantum dedit, quantum dare voluit. Statuarius ex ingenio fingit simulachra, alia sine pedibus, & pectore tenus tantùm, alia integra. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* I. Rom, 9, 21.

liam? Hoc nos per Prophetam ſcire voluit, cùm illius ore diceret: *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea.* Quid inde conficitur? Id quod Apoſtolus dicit, *O homo, quis es, qui reſpondeas Deo? Reſpondere Deo non poſſe conuincitur*, ait S. Gregorius, *qui homo nominatur; qui per hoc, quod de humo ſumtus eſt, judicia ſuperna diſcutere dignus non eſt.*

Ierem. 18. 6.
S. Gregor. l. 9. moral. c. 8.

II. Hæc quanquam ita ſint, & licet negare vnicuique poſſit, quod vult, tamen tam bonus eſt Plaſmator noſter, vt plerumque quod in vno negat, in altero compenſet. Ita, teſte Alberto Hierone, *vbicumq; locorum alicuius rei ad vitam neceſſariæ inopia laboratur, ibi aliud quiddam, quod eius vicem ſuppleat, inuenitur. In Ægypto, vbi raræ pluuiæ, Nilus ripas aluei ſupergreſſus, id quod à cælo regioni iſti negatum eſt, etiam abunde ſua irrigatione compenſat. In locis mediterraneis, vbi ſalis factitij materia deeſt, fodinæ ſalis à natura confecti reperiuntur, ne vlla terræ pars condimento ciborum tam neceſſario deſtituatur. In Noruegia & Suetia, vbi perpetuo gelu omnia rigent, non ſolùm quercus, pinus, abietes, & id genus aliæ arbores tanta copia, quanta vix vſquam alibi, proueniunt, verùm etiam Marturi, Zebellini, Ceruarij, nigræ & albæ vulpes, quarum pelles ad frigoris aſperitatem mitigandam apprimè idoneæ ſunt, plures, quàm alijs locis viſuntur. In Friſia, Hollandia, Taxandria, vbi nullæ, aut raræ ſiluæ inueniuntur, ceſpitis quoddam genus è terra effoditur, quod ad ſolem ſiccatum tam idoneum fit ignis fomentũ, vt lignorum deſideriũ facile harũ regionum incolæ ferant. M. Paulus Venetus dicit, in regno Cathaij, quod lignis caret, nigros lapides inueniri, qui in ignem miſſi, vt lignum, ardent. Vbi, ob ſerpentum ingentem numerum, homines in magno periculo vitæ verſantur, ibi lacertæ humano generi amicæ, ſi quando dormienti in pratis homini ſerpentem inſidiari vident, faciem eius perreptant, vt à ſomno excitetur, & inſidias declinet.* Huiuſmodi naturæ ſuccurſus, qui paſſim in magno mundo cernitur, etiam in homine, hoc eſt, in *paruo mundo*, reperitur, cui ſi vnum membrũ deeſt, aut læſum eſt, alterũ tanto magis ſeruit, pedemq; manus, & ſenſum ſenſus haud rarò compenſat. Aut ſi defectus corporis dexteritate non ſarcitur, ingenij dotes, animiq; vires tanto ſunt locupletiores. Quemadmodum fit etiam, in Braſilorum canibus, qui cùm latrare

Albert. Hieron. Senecanus lib. 1. de Prouident. Dei. c. 7. Vide & Adrian. Iunium in Batauiæ hiſtoria.

Ioan. Lud. Gottfrid. in

trare nequeant, tamen possunt vlulare, more luporum. Quod ipsum experimur in luce mundi sideralis, vbi subducto sole, luna effulget, aut clarus stellarum chorus. Ita quoque sunt alij suæ quisque regionis indigenæ, quorum si quid in vno deest, in altero superest. Æthiopi barbam non dedit natura, dedit autẽ capillum tanto densiorẽ, quo solem arceat capiti flagrantiùs imminentem. Europæus crispata coma non indiget, ea igitur illi materia de vertice ad mentum defluit, vt barba vestiatur. Atque hæc quidem opera sunt naturæ in vno compensantis, quod deest in altero; & hiemi, sobolescentem vernæ telluris fæcunditatem substituentis; quam tamen seu vicissitudinem, seu compensationem non miramur, quia consuetudo transit in contemtum, aut neglectum. Illas igitur res alba linea signandas arbitramur, quas raritas commendat. Ostendam igitur, alias quoq; in monstro, vel monstrosis compensationes admirationem meritas, non quòd rarò contingant, sed quòd rarò expendantur; aut narrentur, cùm tamen manifesta Numinis ex illis prouidentia, & sapientissimum iudicium eluscescat.

hist. Antipod. p.1. pag.177.

III.

Philetam Coum aiunt macerrimo corpore fuisse. Quoniam igitur quauis occasione facilè subuerti poterat, ferunt eum plumbeas habuisse soleas in calceis, ne à ventis prosterneretur, si paulò duriùs eum afflassent. Quod ergo illi in corpore pondus natura negauit, id à plumbo ingenium addidit: alijs quod eadem natura in mensura subtraxit, in pondere substituit, & breues quidem, sed pingues fecit, & in omaso suum momentum habentes. Atque, vt à statura incipiamus, quoties, si corpus aspiciatur, pusillus quantus Molon, animos gerit gigante maiores? Vt nihil repetam de Zachæo; quanta laude afficit Pindarus Melissum Thebanum, qui statura corporis parua, sed animo magno, Isthmio equo vicit? Eunapius testatur, ætate Iamblichi vixisse Alypium Alexandrinum corpusculo admodum exiguo, pauloque quàm cubitale, aut Pygmæi, maiore, quod intuenti videri poterat anima spiritusúe esse; sed vsque adeò quod corruptioni obnoxium erat, nihil adolescebat, vt etiam in diuinam quandam naturã consumeretur. Erat enim in

Ælian. lib 9. variar. c. 14.

Suidas Verb. Molon.

Luc. 19.

Pind. od. 4.

Eunapius in Iamblicho.

in Dialecticis exercitatiſſimus, & Philoſophus, qui multos triumphos triumpharet. In difficili Hieroſolymorum oppugnatione, Titus longiſſima oratione milites ſuos hortatus eſt, vti in Antoniam arcem aſcenderent, eamq; caperent, qua capta, vrbs capta eſſet. Vbi perorauit: *cetera quidem multitudo periculi magnitudinem timuit: eorum verò vnus, qui in cohortibus militarent, Sabinus nomine, genere Syrus, vir & manu ſimul, & animo fortis apparuit: licet, ſi quis eum ante vidiſſet, quantum ex habitu corporis, ne ſpecie quidem militem credidiſſet. Erat enim colore niger, exilis habitudine: ſed anima quædam heroica, in macro corpore atq; anguſtiore viribus ſuis, habitabat. Cùm primus itaq; ſurrexiſſet, Dedo me, inquit, tibi alacri animo, Cæſar, & ante omnes in murum aſcendo: atq; opto quidem, vt vires ac voluntatem meam ſequatur fortuna tua. Quòd ſi cœptò caſus inuiderit, ſcito, me non præter ſpem, quòd res aliter ceſſerit, ſed quòd ſic decreuerim, pro te moriturum. His dictis & ſcutum læua capiti prætendens, ſtrictoq; dextera gladio, circa horam diei ſextam murum petebat, ſequebantur autem ex alijs, qui ſoli eius virtutis æmuli eſſe cupiebant, vndecim viri. Multò autem omnes antecedebat diuino quodam impetu excitatus, cùm de muro cuſtodes iaculis, & ſagittis vndiq; infinitis appeterent, atq; ingentia ſaxa deuoluerent, quæ nonnullos de vndecim deiecerunt. Sabinus autem miſſilibus occurrens, licet obrueretur ſagittis, non tamen antè impetum cohibuit, quàm ſumma muri prehenderet, hoſteſq; in fugam verteret. Viribus enim eius atq; animi pertinacia territi, pluresq; aſcendiſſe rati, non ſteterunt. Qua in re fortunam quis veluti virtutibus inuideat, ſemperq; præclaris facinoribus officiat, non incuſauerit? Siquidem hic vir neq; ab incepto errauit, & offenſione lapidis cum maximo crepitu decidit. Vnde factum eſt, vt Iudæi reuerſi, vbi ſolum & jacentem videre, ex omni eum parte iaculis peterent. Ille verò genibus nixus, & ſcuto protectus primò quidem vlciſcebatur hoſtes, multosq; ad ſe appropinquantes ſauciauit: vulnerum autem multitudine remiſit dexteram: & ad extremum priuſquam redderet animam, ſagittis eſt obrutus, vir dignus pro fortitudine, qui meliori fortuna vteretur, pro menſura verò cœpti facinoris cecidit.* Hæc Ioſephus de paruo illo, qui tamen maximos virtute ſuperauit, quia

Ioſeph. lib. 7. de bello Iudaic. cap. 5.

Maior

Maior in exiguo regnauit corpore virtus.

Experientiaq; ipsa ostendit, plerumque in paruo corpore magnos inesse animos. Virtus enim vnita fortior est seipsâ diuisâ. Cùm igitur virtus animæ in corpore paruo vniatur, in magno diuidatur & dispergatur, fit vt naturaliter paruis, quàm magnis facilior fiat magnanimitas, difficilior humilitas. Itaque animus non mensuratur corpore, sed corpus transcendit. *Breuis*, μικρά, (id est, parua) *in volatilibus est apis*, ait sapiens, *& initium* (ἀπαρχὴν id est, principatum) *dulcoris habet fructus illius.* Eccli. 11. 3. Hinc & Apostoli *præsentia corporis fuit infirma*, ingenium tamen, animus, virtus, & facta, ingentia; vt non tam quia statura paruus erat, quàm quia Paulos vicit, *Paulus* dictus videatur. 2. Cor. 10. 10. *Vti Scipio*, inquit S. Hieronymus, *subiecta Africa, Africani sibi nomen assumsit, & Metellus Creta subiugata, Cretici cognomentum reportauit, & Imperatores nunc vsq; Romani ex subiectis gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita & Paulus, ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo, victoriæ suæ trophæa retulit erexitq; vexillum, vt Paulus diceretur è Saulo.* Quamquam hoc non obstat Paulũ quasi paruum, pusillum, modicum etiam dici, siquidem, vt docet Sigonius, Æmilianorum quoque familiæ, à parua statura nomen *Pauli* adhæsit. Sigonius in nominib. Rom. Sæpe igitur Paulo alicui, aut paululo hominis aliunde pondus accedit, cùm & ex Paulo Apostolus magnus sit factus.

IV.

In contrarium autem, *Valentissimo quisq; corpore longissimè abest à sapientia*, ait Cicero, & Poëta de tali ait:

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Quod non idcirco dixerim, quasi non rex Saul, aliijq; insignes heroës plurimi fuerint procero corpore; sed quia planè video passim, pusillos tanquam pusiones haberi, & deridiculo esse. Imitor itaque in hac masculorum apologia S. Gregorium Nazianzenũ, ad Nicolaum, qui Alypianæ vxori suæ, Gorgoniæ Gregorij sororis filiæ exiguam staturam exprobrauerat, his verbis rescribentem: S. Gregorius Naz. ep. 155. *Alypianam apud nos cauillis incessis, vt paruam, & tua proceritate indignam, ô magne & vaste gigantine, tum forma, tum robore. Nunc demum intelligo, animum*

mensuræ subijci, ac rupes margaritis præstantiores esse, coruosq́; luscinijs augustiores. Tu verò magnitudine tua & cubitis fruere. Deinde subdit. *Quòd si hoc quoq; adijcias, eam orationis caussa curuam esse, ac per ingentes mentis agitationes, perpetuã cum Deo consuetudinem habere, quid hîc de tua sublimitate, corporisq́; mensura iactabis? Vide tempestiuum silentium: loquentem audi, quàm incomta sit animaduerte, quàm vt femina fortis ac strenua, quas rei domesticæ vtilitates afferat, quàm viri amans, ac tum illud Laconis dices: Certè animus in mensuram minimè cadit, atq; externum hominem oculos coniectos in internum habere oportet. Ita eam vt paruam deridere desines, & tuum coniugium faustum ac felix iudicabis.* Hæc D. Gregorius Nazianzenus scripsit ad Nicobulum. Quæ vbi in alijs quoque paruis hominibus habent locum, nihil vtique conqueri possunt, cùm corpore quidem alijs cedant, anima autem eosdem excedant, ac proinde meliore sui parte sint meliores.

V. Alijs in statura, alijs in forma aliquid deest, sed sunt & hîc suæ compensationes. Exempli instar haberi possunt duæ sorores, filiæ Laban. Hic *habebat duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Vtramque duxit Iacob. *Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocauitq́; nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meã, nunc amabit me vir meus. Rursumq́; concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemtui, dedit etiam istum mihi, vocauitq́; nomen eius Simeon.* &c: Vides compensationem? Rachel pulchra erat, sed infæcunda? Lia lippiebat, sed & pariebat; ita quod vni deerat de forma, accessit illi à prolis gloria; & quæ gloriabatur forma, sterilitate humiliabatur. Vult enim nihil, in hac vita, omni ex parte beatum esse Deus, vt ad aliam beatitudinem aspiremus; neque etiam omni ex parte miserum, ne deijciamur, videntes tristibus iucunda misceri. Æsopi quoque deformitas ab ingenio & sapientia fuit excusata. Noluisset formosus & stupidus esse. Præstat testam Cretico vino, quàm crystallinum calicem

Genes. 29. 16.

cem Germanicâ cereuiſiâ plenum habere. Quid? Rhodopené roſeo aſpectu impudica, an deiectis oculis modeſta Lydvvina laudabilior eſt? Denique eadem eſt conditio mortalium, formoſi pariter ac deformes ſeneſcunt, ac moriuntur. Sed formoſi ægriùs, quia in contrariam mutantur deformitatem: minore opus eſt mutatione ijs, qui iam antè ſunt deformes, & fame exangues, qui clauſis oculis cadauera putantur antè, quàm ſint.

Herodot. l. 2. & Plin. lib. 36. cap. 12.

VI. Nunc ſingulorum defectus membrorum aliunde adiutos percurramus, atque ab auribus, in quibus eſt diſciplinæ ſenſus, incipiamus. Hunc ſenſum ſæpe ars compenſauit, natura correxit, ingenium impleuit, mutus magiſter docuit aliunde petere. Memorat Franciſcus Valleſius; Petrum Pontium D. Benedicti Religioſum natos ſurdos loqui docuiſſe, non alia ratione, quàm vt eis oſtenderet primò, quo modo ſcribendum eſſet, res ipſas digitis indicando, quæ characteribus illis ſignificarentur, ac deinde ad motus linguæ, qui characteribus reſponderent, prouocando. Sic quemadmodum audientes per loquelã diſcunt ſcribere, ſurdi per ſcripturã diſcunt loqui. Plus eſt, quod alius Author de ſurdis & mutis ſcribit in hunc modũ: *Apud nos,* ait ille, *ſanè habemus, adhuc adoleſcentem & virginem, ex ijſdem parentibus, & quidem celebri & honeſto genere prognatos, qui peculiari acumine ingenij ſunt præditi. Et licet mutos & ſurdos eos ambos natura procreauerit, tamen vterq; ſcitè legere & ſcribere elegantiſſimè, nec non & rationes mercatorias computare poteſt. Vt autem hic ex nutu, quæ ſibi facienda ſunt, dexterè percipit, &, ſi deeſt calamus, geſticulationibus ſuas cogitationes exprimit, nec nõ & in omnibus aleæ luſibus, qui apud nos vſitati ſunt, & non ſine accurata ratiocinatione perfici poſſunt, exceſſit: ita illa acu & ingenioſa textura alias puellas facilè ſuperat. Inter ceteras autem mirificas dotes, quas illis natura compenſauit, memorabile eſt, quòd ex motu labiorum interdum percipere videntur, quid aliquis loquatur. Vnde videas eos conciones ſacras ſæpiſſimè frequentare, vt aliquis non abſurdè dicere poſſet, videri, intentis oculis, viſu eos haurire, quod alij auditu facere ſolent. Siquidem orationem Dominicam, aliasq; pias preces, quando volunt, abſque ſuggeſtione,*

Franc. Valleſius de ſacra Philoſ. c. 4.

Phil. Camer. Cent. 1. Horar. ſubſeciuar. c. 37.

aliisúe adminiculis, scribunt, Euangeliaq́; festis diebus destinata non secus, ac alij, memoriæ cōmendant, ita vt expeditè ea scribere possint. Quòd si in templis salutiferum nomen IESV Christi profertur, hic, præ ceteris, in cœtu, detracto pileo, & genu flexo venerabundus conspicitur. Adeò natura, veluti fidelis mater, compensando solicita & studiosa est, ne tanquam dura nouerca meritò accusari poßit. Quod enim in alijs sensibus adimit, in alijs restituit. His confirmandis nefas mihi ducerē, omittere domesticū exemplū, quod mecum sæpissime etiam alij complures experti sunt. P. Paulus Layman, vir in quo pietas cum eruditione conspirauerat, fistulæ æneæ incautâ explosione, prope aures illius factâ, in solenni quadam supplicatione, vim audiendi prope omnem amisit. Assidua postea oris loquentium obseruatione didicit visu percipere, quod non poterat auditu. Et sunt authores, qui dicant ipsas litterarum figuras exprimi conformatione labiorum, quæ dum I. pronunciant, contrahuntur; dum O, in circulum rotundantur. Ego planè in quadam Bauariæ arce, non procul Brunouio, vidi apud Illustrem Dominum Baumgartnerum surdam pariter & mutam ancillam, loquentes ex oris figura intelligentem; quæ etiam quia verè muta persona erat, nutibus ita omnia facta totius familiæ hero exprimebat, vt linguâ non videretur clariùs expressura. Simile quid sibi à fratre suo Ioachimo ex Cattis peregrè reuerso relatum scribit Philippus Camerarius his verbis. *Nuper, inquit, apud Illustrißimum Principem VVilhelmum Landgrauium Haßiæ, vidi puerum mutum & surdum adeò ingeniosum, vt mirari eius solertiam, in exequendis rebus sibi comißis, non satis potuerim. Siquidem ex vnico nutu deprehendere mox is certò potuerit, quid Princeps & alij vellent. Longè autem superat mutum illum nostrum gesticularium in aula Pabebergensi, quamuis & illi natura, quod in duobus sensibus negabat, alijs in rebus mirо quodam fœnore abunde compensârit. Landgrauius cùm ita me mirabundum videret, Ecce, ait, quidquid inter ciues & aulicos noui accidit, quamprimum resciscit, id omne, qualecumq; sit, suis gesticulatorijs notis dexterrimè indicare solet. Sed audi præterea insigne diuinæ justitiæ exemplum. Mater eius furti fuit accusata, quæ cùm videret, se alio modo crimen purgare*

Phil. Camer. Cent. 1. hor. subsec. c. 86.

non posse, confugit ad imprecationes; cumq́ue esset eo tempore grauida, vt maius pondus verbis adderet, inter alias imprecationes dixit: Si vera essent, quæ illi obijcerentur, se optare, & à DEO petere, vt fœtus ille, quem gestaret vtero, in lucem editus ne verbulum proferre posset, sed dum viueret mutus maneret. Quod postea, vt vides factum est, & ipsamet sese suis imprecationibus prodidit, furtoq́ue periurium adiecit. Quæ enormia delicta etiam in filio punita fuêre.

VII.

Sed, vt vera quoque aurium monstra damnum suum vtilitate sarcire intelligamus, *sat mali sunt in insulis Septemtrionalibus*, inquit Mela, *quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioqui, prouectæ sunt.* (Mela lib. 3. cap. 3.) Asininæ aures de longitudine sua turpes videntur, quanta censebitur in his turpitudo? At turpes videantur licet, tamen vtiles sunt. Vtuntur enim hi populi tam prolixis auribus, & culcitræ loco, & vice pallij, & pro lodice, alioúe tegumento. Hinc Plinius inquit: *Circa Pontum insulæ sunt Scythicæ, vbi Fanesiorum gens nudo alioqui corpore, tam grandes aures habet, vt tota ipsorum corpora contegant.* (Plin. lib. 4. nat. hist. c. 13.) Et Solinus tradit: *esse insulas, & Fanesiorum gentem, quorum aures adeò in effusam magnitudinem dilatentur, vt reliqua viscerum illis contegant; nec amiculum aliud sit, quàm vt memba membranis aurium vestiant.* Pigafetta testatur, quibusdam in insulis non admodum remotis ab insulis latronum, adeò longas hominibus aures esse, vt instar collarium (Almodicorum) per humeros fluant, & brachia ipsa tegant, vtq́; videantur coriaceas pennulas, aut carneas epomides chlamydesq́ue gestare. Sed longè quid luculentius scribit Maximilianus Transiluanus, (Apud Ramus tom. 1.) in insula Gilon, quæ intra Molucas annumeratur, gentem esse, cuius tam grandes aures sint, vt non solùm super humeros propendeant; verùm etiam vt super vna, tanquam super molli calidoque lecto, iaceant; alterâ verò vniuersum corpus, velut lodicula aut sisterio cooperiant. Quis hîc naturam accuset, quæ in auribus dat, quod alij emunt multis pecunijs? cum illis enim præbet nudis vestem, lectum lassis, frigentibus calidum tegumentum. Fateor hæc faciliùs narrari, quàm credi: sed nihil credemus, si, quæ ipsi non vidimus, non credenda iudicamus.

Hanc

VIII. Hanc vim naturæ defectuumque naturalium compensationem Plutarchus quoque non indiligenter consideràuit, in alijs membris; nos pedum errata suis commodis solatijsque non carere, nunc docebimus. Gens reperitur, apud Indos, vno tantùm pede. Ast eo vno, licet poplitem non flectat, saltuatim perniciterque currit, & multos anteuertit vtroque pede gradientes. Quin vbi solis æstus capita eius populi ferit, homines illi vnipedes, in terra resupini iacentes, vmbrâ pedis sursum erecti, latiore, quàm si ab Ionica columna proijceretur, suauissimè proteguntur. Qua de caussa *Sciopodes* appellantur. Fuisse talia monstra, in foro Carthaginensi, juxta portam pictos, testatur etiam D. Augustinus. Posset dici compendium naturæ, quæ in pede suppeditauit, quod alij quærunt sub arbore, aut tectis. Extra siluas enim isti & extra tecta inumbrantur; atque sine pauonis cauda, aut muliebri flabello suauissimè refrigerantur. In Tartaricis quibusdam locis comperti sunt, quibus vnicum crus ac pes, & vnicum est in pectore brachium. Igitur, vt Ioannes Apostolicæ sedis ad Tartaros legatus, alijque testantur, industria vicem alterius cruris brachijué implet; immò brachium & crus ita conspirant, vt sint miræ pernicitatis; manu enim simul ac pede alternatim terram, rotarum in modum, contingentes, tanta celeritate currunt, vt Pegasos anteuertant. Brachio fatigato, vnius pedis immodicis saltibus celerrimè promouentur. Quin etiam in venationibus, & contra hostem sagittariorum officium non intermittunt. Quippe quod vnus nequit, bini præstant, dum alter arcum tenet, alter tendit, sagittamque adducto neruo, euibrat. Ita manus manum iuuat, & quod vnus efficere non valet, duo consequuntur. Nempe etiam hoc Christianos par esset imitari, vt preces ad cælum fortiùs eiacularentur. Neque enim sine caussa dictum est: *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; Et illud: *Alter alterius onera portate. Sumus enim corpus Christi, & membra de membro*; & *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia, quasi vectes vrbium*. Siquidem, etiam in re spirituali, duo sunt vno fortiores, & quod isti deest, ab altero accedit. Vnus ardentiùs,

[Margin notes: Plutarch. de amore Prolis. — Solin. cap. 53. Plin. lib. 7. nat. hist. c. 2. Gell. lib. 9. c. 4. Isidor. lib. 11. c. 3. — S. Augustin. lib. 16. de ciu. cap. 8. — Vincent hist. lib. 31. cap 16. Antonin. tit. 19. cap. 14. — Matth. 18. 20. — Gal. 6. 2. — 1. Cor. 12. 27. — Prou. 18. 19.]

dentiùs, alter demissiùs orat. Sed hoc nunc non agimus, corporis defectum ostendimus mentis inuentione, industriaque naturæ, aut beneficio Numinis compensatum.

Et quia de brachijs mentio facta est, manusque quæ sunt, IX.
vt Philosophus ait, instrumenta instrumentorum, sine brachijs haberi non possunt, afferam & hîc exempla partim à me visa, partim ab alijs narrata, quæ mirificam quandam, etiam in his maximè necessarijs membris, naturæ industriam compensationemque ostendunt. Quippe nati sunt, qui vtraque manu, immò ambobus brachijs carentes, pedibus omnia ferè ea, quæ alij manibus, quàm dexterrimè perfecerunt. Atque vt paulò superiùs à me dicta confirmem, Oder tradit, in regia magni Oder. post,
Cham, non paucos inuentos esse, qui brachijs priuati, pedibus ante fin.
nulla prorsus minore agilitate, quàm reliqui manibus sagittam longissimè euibrarent. Et Cælius quoque cum Dione re- Cæl. lib. 4.
fert, inter munera Augusto ab Indis missa, fuisse & adolescen- Antiq. Lect.
tulum sine humeris, qui tamen pedibus manuum functionem cap. 12.
obiret. Namque arcum intendebat, sagittas etiam excutiens. Quin & tubas inflabat. Sed meos oculos testes adducam, & rem visam, non fama duntaxat acceptam referam. Anno Christi 1628. Ingolstadij, in Collegio Ignatiano multis Perillustribus, Generosisque Dominis, ac nobilissima studiosorum corona præsentibus, sederamus expectatione noui alicuius spectaculi intenti, cùm ecce mediocris staturæ vir in conclaue ingreditur, magnificis passibus, pallio in humerum contorto inuolutus, atque ante mensam, theatri loco, appositam, reuerentiam spectatoribus exhibet ignaris, quid spectaturi essent. Præmisso hoc cærimoniarum honore, pallium ore mordicus apprehendit, & à se expeditissimè super mensam proijcit; quo amoto euolutus ipse astat statuæ instar truncatæ, ab humero deorsum planus, tanquam trabs quædam vestibus induta, aut trophæum cui arma appenduntur. Carebat enim ambabus manibus, & vtroque brachio erat destitutus. Mox in mensam insilijt, & excussis calceis, paulo plus, quàm primores pedum digitos ostendit, quos habebat haud multò, quàm nos, longiores. Illis tamen omnia faciebat, quæ alij manibus solent. Nam

in primis musicum organum scitissimè pulsabat, & si, qui folles attollens ponè astabat, negligentiorem se ostendisset, plano pede alapam illi excussissimam dabat. Tum panem, carnes, aliaque ijsdem pedum digitis cultrum tenens scindebat. Quin & vitrum leuabat vno pede, alteroque cantharum, sibique ipse infundebat; & nunc vitrum, nunc cantharum ori admotum exhauriebat. Postea & chartis pictis cum socio ludebat, eas miscens, distribuens, tenens, atque in mensam cum sonitu proijciens, non secus atque alius omnibus membris integer homo. Denique calamum arripiebat, & pulcherrimos characteres scribebat; quodque magis mirandum, & acum sumebat, quam filio traijciens, quouis sartore citiùs nebat & suebat. Itaque quicunque eum videbat operantem, manus dicebat ei, non officia manuum defuisse, aut certè manus ipsas in locum pedum demigrasse. Ad quod confirmandum, non omittam hîc, quæ in hanc ipsam rem, non ineruditus author collegit, verbatim exscribere. Sunt autem hæc. *Mira est prouidentia, & solicitudo Naturæ, quam Creator omnium rerum ei, tanquam optimæ matri attribuit. Ea enim, in animalibus membris distortis, vel mutilatis, aut debilitatis, vel etiam omnino deficientibus, plerumq; alijs membris, præter suum officium, ad quod destinata sunt, tale robur & dexteritatem, ex diuturna consuetudine, suppeditat, vt dicere aliquis possit, non in distinctione membrorum, sed in continuo vsu perfectionem consistere. Hac de re sæpius cogitaui, cùm essemus Comburgi, apud verè nobilem & præstantissimum virum D. Erasmum Neusteterum. Is enim cùm nulla benignitatis & humilitatis erga nos prætermisisset officia, iussit accersiri, ex vicinis Salinis Sueuicis Thomam Schvveickerum, natum* XXXI *annos, & quidem honestis parentibus, quem licet mater sua absq; brachijs in lucem enixa fuisset, omnia tamen munia manuum, pedum subsidio ita exequebatur, vt quod in vno desideraret, in altero compensatum sibi esse affirmare non erubesceret. Nam cùm in editiore loco, qui æquaret altitudinem tabulæ, in qua esculenta apposita erant, consedisset, apprehenso pedibus cultro, scindebat panem, & alios cibos. Pedes ea postea, nec non & potum, veluti manus, ori porrigebant. Peracto prandio pedibus pingebat nobis omnibus videntibus elegantes Latinas & Germanicas*

Philipp. Camerar. cent. 1. horar. subsec. cap. 37.

nicas litteras, vt exempla eorum, quasi rem insolitam nobiscum sumserimus. Postulantibus etiam nobis cultello parabat calamos ad scribendum aptissimos, quos postea nobis donabat. Quum esset ita occupatus, diligenter inspexi formam pedum, quorum digiti erant ita oblongi, & ad res tenendas apti, vt procul aspicientibus manus (pallio enim suo verecunde admodum crura tegebat) viderentur. Hoc spectaculum nobis sanè iucundum & antea non visum, iussus etiam fuerat paulo antè Cæsareæ Maiestati, cùm illac transiret, exhibere, quæ hanc mirandam Naturæ compensationem non absq; munificentia, lubens spectauit. Et paulò infrà. *Similis homo mancus, videlicet absq; brachijs, nostro tempore fere totam Germaniam peruagatus est, qui collo & mento gladium vibrare, hastilia eiaculari, & alia multa mira dexteritate, & ita certò, longa consuetudine, quæ velut in artem transierat, didicerat, vt à proposito scopo raró, aut nunquã aberrare solitus sit.* Multis hæc annis antè in lucem sunt edita, quàm ego suprà à me descriptum subtilem truncum, viderem, vt proinde idem esse non potuerit. Quare in pluribus natura ostendit, se, quod in vno aufert, in alio reddere, ac proinde non nouercam, sed matrem agere.

Quanquam in nullo sensu est hæc mater mirabilior, quàm X.
qui solet esse mortalibus charissimus, hoc est in sensu oculorum. Fuit Anno Christi 1612. Ingolstadij, iuuenis arcularius, qui à natura quidem lumen vtrumque acceperat, sed postea, vt opifices isti solent, die quodam festo ac vaciuo, temporis fallendi gratia, fistulam æneam expoliebat, parabatq; futuro certamini iaculatorum, qui metam pariter & præmiũ posuerant. Ibi, dum nitratum puluerem incautiùs tractat, incensus ille inopinato simul ac miserando casu, cum impetu exilijt, iuuenemq; repentè vtrimq; exoculauit. Oculis orbus in hospitalem domum receptus est, in qua noluit otium agitare. Primùm igitur ipse, vt in media senum vetularumq; turba secretus habitaret, sibi lectum, & exiguum iuxta locum tabulis circummæniuit. Neque alium arcularium adhibuit ad eam architecturam. Ipse sibi canterium cæcus exasciabat; ipse asseres, ad circini mensuram, serræ lamina secabat; ipse sectos asseres runcina dolabat, læuigabat; poliebat; ipse glutino ferruminabat;

ruminabat; itaq; conclaue totũ concinnabat, vt putares, Dædalum ipsum suam ibi operam impendisse. Eo thalamo in hunc modum disposito etiam ornatum addebat. Quamuis enim cæcus nullum de coloribus ferre iudicium posset, tamen vndique imagines ad parietem affigebat, de vita & morte Christi seruatoris, quas omnes poterat ijs, qui eum visitabant, ordine demonstrare, & verò etiam sigillatim exponere. Quod faciebat, vt alijs quoque ingereret cogitationes sanctas, quibus ipse quotidie (mente effigies illas circumiens,) Christum patientem sibi depingebat. Neque cogitando tantùm postea tempus triuit, sed ne artis suæ obliuisceretur, quod visus negabat, à tactu exegit. Itaque quæ olim oculis hauserat, memori mente tenens, etiam amisso oculorum vsu, conatus est manibus effigiare. Multa proinde variaq; fecit, venitq; breui ad eam artis perfectionem, vt eum etiam oculati non possent imitando superare. Tam accuratè digitis mensuras, distantias, proportiones, figurasq; omnes palpare nouerat, vt duo minutiora molendina (quæ piperi molendo idonea essent) cum scalis, cum orca, cum rotis, cum radijs, cum dentibus & axibus, cum omnibus denique rebus perfectissimo molendino necessarijs, ad amussim, atque tam exactè cultro exsculpere architectariq; nosset, quàm vllus Vitruuius docere. Vnum ego horum molendinorum ipse vidi, quod mihi architecton, vti & alia, demonstrauit; alterum dicebat, Monachium, ad res Principis raras & artificiosas, in pinacothecam; translatum esse. Cæterùm ita pius erat hic cæcus, vt clausæ duntaxat, quà mors intraret, fenestræ, vitijsq; obstructum iter, nõ autem ingenij artisq; exercẽdæ facultas ademta illi videretur.

XI. *Francisc. Petrarcha lib. 2. de remedijs. vtriusque Fort. c. 96.*

Solent, qui alterum oculorum amiserunt, altero, vt aiunt, acutiùs videre. Id si ita est, ait Franciscus Petrarcha, *quid rear, nisi vt duobus perditis, duobus alijs acutißimè videas, & tuum facias illud Tyresiæ cæci nati, sed famosi:*

Obruit ora Deus, totamq́; in pectora lucem
Detulit.

Quippe experientia docet, eos, qui oculis capti sunt, vel natura, vel casu, ceteris hominibus, qui visu præditi sunt, esse plerum-

plerumq; ingeniosores. Quanquam enim sensus oculorum sit omnium sensuum acerrimus & præstantissimus, multa tamen extrinsecus obiecta, per oculos ad animum penetrant, quæ illius serias cogitationes interturbāt, & industriæ obstant, dum sese identidem consilijs maioribus miscent, eaq; in imaginatione exprimunt, quæ attentionem rumpunt & contaminant. Hinc & nos aliquid intentiùs meditaturi, à turba secedimus, oculos claudimus, noctem ipsam captamus. Est enim nocturnum tempus ad consultandum maximè idoneum; & tenebræ accuratiorem reddunt commentationem: quæ cùm sint in cæcis perpetuæ, mentem diutiùs in vna re fixam collectamq; tenent.

Multa possunt & mira huius rei dari exempla. Q. Asconius Pedianus Grammaticus atque historicus, cùm septuagesimo suæ ætatis anno oculis captus esset, atque ita duodecim annis vixisset, per sanè eleganter quasdam historias, diligentia industriaq;, superato ætatis atque oculorum impedimento, teste Fulgoso, perscripsit. Nimirum oculos in manu habuit, quem ingenium docuit, sine oculis scribere. Quam laudem etiam Appio Claudio tribuit summus orator, de quo Poëta ait: XII.

Multum animo vidit, lumine captus erat. Cic. in Bruto. & lib 4. Tuscul. q. q.

Et alius: *clarißimus omnium, quos famosos cæcitas habuit, Appius Claudius, at re cæcus, & nomine, qui cæcitate pressus ac senio, non priuatis modò consilijs à populo noscebatur, quisquis in iure, vel in facto scrupulus incidisset; sed auctoritate ac sententia senatum regebat, vniuersamq; rempublicam gubernabat.* Cæsar de Bus An. 1607. sanctissimè defunctus, corpore cæcus, tantum animo vidit, vt dicere soleret, se visum ne teruncio quidem esse empturum. Vidit enim, se cum oculis multa simul vitæ fastidia perdidisse, & amisisse frontis oculos, pectoris acuisse. Huic subiungere possumus *Homerum & Democritum, quorum alter, vt fama est, dum mira illa ac diuina dictaret, oculis non videbat, animo lynceus. Alter sibi oculos eruit, ne videret multa, quæ, vt ipse arbitrabatur, veri visus aciem impedirent: cuius factum quàm vel laude, vel vituperio dignum fuerit, non disputo, sed inuenit imitatores, &c. Diodorus Stoicus, sed familiaritate Ciceronis, quàm*

Francisc. Petrarch. lib. 2. c. 96. de rem. vtr. fort.

Gaulter. in Chronolog. Anno 1607.

Petrarch. l. 2. cap. 96.

secta notior sua, visum perditum auditus solatio leniebat, cùm ei, vt Cicero idem ait, libri noctes & dies legerentur: quibus in studijs oculis non egebat. Hic & Philosophia simul & fidibus, quodq; sine oculis fieri vix crederes, geometricis quoq; descriptionibus operam dabat, & alienis manibus lineas protrahi iubens suo de illis ingenio differebat. C. Drusus absq; oculis, sed iuris Ciuilis notitia tanta fuit, vt domus eius consultorum frequentia quotidie repleretur. Et videbant illi, quâ iretur ad forum rectiùs, quâ iretur ad caussæ victoriam non videbant, atque ideò cæci ducis patrocinium implorabant. Menti ergo reddidit lumen Deus, quod corpori negauit. Idem accidit Didymo, de quo Ruffinus tradit: Cùm luminibus orbatus esset, eum, adhibitis pijs precibus, studia ad laborem ac iuges continuatasq; vigilias, non ad legendum, sed ad audiendum, vt, quod alijs visus, hoc illi conferret auditus, adhibuisse, eaq; indefessa diligentia, docente Deo, in tantam diuinarum humanarumq; rerum eruditionem & scientiam venisse, vt scholæ Ecclesiasticæ Doctor existeret. *Quem*, vt Franciscus Petrarcha ait, *cæcum ab infantia, inq; hac cæcitate, vsq; ad exitum, summo virtutis exercitio insignem sacer Antonius senem visens nihil moneri debere ait, eo quòd oculos amisisset communes sibi cum muscis, & muribus, & lacertis, sed gaudere, quod oculi communes illi cum Angelis salui essent*. Hausit hoc Petrarcha ex libro 4. Eccles. hist. c. 25. Ac ne vetera tantùm esse exempla putemus. *Notum est*, inquit subseciuarum author, *fuisse, maiorum nostrorum tempore, Ioannem Ferdinandum, natum in Flandria, patre Hispano, cæcum, & præterea inopem. Quas tamen ambas difficultates admodum contrarias hominibus doctis, ita superauit, vt non solùm Poëta & Philosophus insignis euaserit, sed etiam tam eximius Musicus, vt cum maxima audientium delectatione varia genera Musicæ tractaret, atq; insuper cantilenas aliquot vocum artificiosissimas memoriter componeret. Hunc tamen longè superauit Nicasius de VVerda Mechliniæ natus. Qui licet ab anno tertio ætatis oculis captus, & ob id etiam elementorum litterarum penitus ignarus fuisset; tamen nihilominus in omni doctrina diuina & humana adeò profecit, vt admirationi omnibus esset; & cùm Louanij gradum Magisterij accepisset, scholis aliquamdiu Mechliniæ*

Ruffin. lib. 2. Eccles. hist. cap. 7.

Phil. Camer. Cent. 1 c. 37.

cum

cum laude, præesset, & Louanij aliquanto, post Licentiam, in Theologia, consecutus, cæcus quamuis, Euangelium tamen publicè docuerit. Quin, & post hæc, gradum Doctoris vtriusq; iuris in Academia Coloniensi cùm accepisset, in gymnasio publicè ibidem Iura, cum stupore omnium, docuit, atque libros Vtriusq; Iuris, quos nunquam viderat, & legerat, memoriter recitauit, donec Coloniæ moreretur, Anno 1492. Quid hunc facturum fuisse putemus, si oculos habuisset? Certè cæcus illos iubet erubescere, qui cùm oculos præstantes habeant, in Academijs versantes, non solùm libros, sed ne scholas quidem ipsas intuentur. Et fuit, qui in patriam rediturus, ac testimonium diligentiæ petiturus, Professorem suum nec de facie quidem nosceret, cui de cetero noti erant alij omnes anguli ciuitatis.

Longè quid mirabilius, de suppleto oculorum defectu legi, apud Panormitanum, in quo quidē cæcus non se ad litteras memoriasq; veteres dediderat, non inscitum tamen, aut inutile ministerium meritoq; obstupescendum fuit. *Audiuimus,* inquit, *à rege* (Alphonso) *cæcum natura Agrigenti adhuc viuere, quem sæpe numero ducem venationis habuisset monstrantem his ipsis, qui oculis cernerent, ferarum saltus & latebras; sed & de huius industria mirum adiecisse: Nempe habuisse hunc aureos ferme quingentos, deq; his valde solicitum, statuisse in agro defodere, defodientem à vicino eius compatre conspectum, eoq; abeunte, pecuniam ablatam. Quum verò paucis diebus thesaurum reuiseret, neq; inuenisset, animo angi, discruciari, exedi, neq; alium coniecturare, nisi vicinum compatrem surripere potuisse, accessisseq; ad illum, atq; dixisse, esse quod consulere eum oporteat; Tenere se aureos mille, quorum partem dimidiam abstrusisset jam in tuto loco, de reliqua autem dimidia anxium esse, vtpote cæcum, & rerum perquam incommodum custodem; Propterea, si ei quoq; visum fuerit, hoc reliquum in eodem loco illo tuto quidem trudi, & abscondi posse: compatrem approbasse consilium, & properè præcurrisse, quingentosq; aureos, vnde nuper effoderat recondidisse; ratum totos mille sibi nequaquam defuturos. Post hæc cæcum in agrum recurrisse, repertaq; pecunia compatrem appellando exclamasse,* CÆCUM OCULATO MELIUS VIDISSE, *lætumq; rediisse.* Hæc ingenij argutia olim digna fuisset

XIII.

Anton. Panormit. de dictis & factis Alfonsi regis lib. 3.

S. Augustin. lib. 4. de ciu. cap. 21.

ſet habita, vt pro ea Menti Deæ ſupplicaretur. Sed quo pacto cæcus, in venatione videntibus potuit *ferarum ſaltus & latebras* monſtrare? Erunt, qui dæmonis arti id aſcribant. Verùm temeritas eſt, quod non capis animo, illico aſcribere magiæ. Potuit odore, quod non potuit colore deprehendere cæcus. Cùm enim, vt in tot exemplis iam vidimus, natura in vno ſenſu compenſet, quod in altero adimit, cur cæco iſti, quod abſtulit in viſu, non potuiſſet reddere in odoratu? Quod ſi fecit, iam ceſſat quæſtio. Quemadmodum enim neque canes viſu ferarum latibula, ſed odoratu duntaxat indagant, ita exiſtimandum eſt, idem in cæco contigiſſe, in quo maior virtus eſſe potuit, quàm in beſtijs ſit *odora canum vis.*

XIV.

Hieron. Bardus Genuenſ. in Medico Politico Catholico c. 4. Appendice 1.

Adhuc mirabilius aliquid legi, de quo Apollo cælispex ſandalariusúe, aut medicus, meritò ſenatum conuocet; & legi in recentiſſimo authore, cuius verba hæc ſunt. *Non reticebo hiſtoriam, quæ humanum captum videtur ſuperare, & quæ à Clar. Baldo amico præcipuo idoneis allatis teſtibus Platero & Ioannes Rungio l. 1. prax. Diſp. de viſ. ſymiſt: verbis Henrici Smetij oculati teſtis, lib. 5. Miſcel. Medic. Ep. 13. hoc pacto deſcripta omnino extat. Cæcum inquit, quendam vtroq; oculo orbum naſo pro oculis vtentem vidi, cuius beneficio obiecta omnia diſcernebat. Is dextro oculo ante annos multos, cùm puer eſſet, priuatus fuerat, tandem iuuenis factus (ruſticus erat) ex ceraſo in palum dumi ligneum faſtigiatum delapſus, vultum impegit, vt naſum, vnà cum oculo ſiniſtro, genâ, palpebra vtraq; & ſupercilio diſrumperet, adeò fœdè, vt Chirurgus oculi globum auulſum prorſus crederet, eumq; palo inhæſiſſe. Cicatrice tandem inductâ, poſt annum ab acceptâ plagâ, dũ in gramine apricatur, fortè lucem, ac floſculorum candorem humi animaduertere occæpit per naſi cauitatem: & iam per quinque, aut ſex annos continuos viſionem eo modo exercuit, vt quidquid offeratur, naſo oculato diſtinguat exactè, ſed deſpectandò: ſuſpectando enim lucem ferre nequit. Hæc Smetius. Auctores Citati, dum cauſam & modum quærunt tam portentoſæ viſionis, ita philoſphati ſunt, quòd, ſicuti palpebra ſuperior abrupto muſculo attolli ampliùs non poterat, ſed conglutinata quoque cum adnata oculi coaluerat: ita etiam, auulſo muſculo, qui oculum verſus oculum externum retrahere*

here solebat, pupilla in angulum nasi internum se prorsus abdiderat; & quia oßilla nasi non fracta modò, sed & luxata quodammodo concinnè restitui non potuerunt, accidit, vt nasus preßior latiorq; , sinistra præsertim parte; euaserit: adeóq; eiusdem naris meatum potentiorem curatio reliquerit: per quem distorta latitansq; pupilla videndi munus obibat, & res quaslibet naso obuias internoscebat, quasi per dioptram seu fistulam. Porrò hic constat globi ocularis, ipsorumq; visus instrumentorum saluam atque integram extitisse compagem, etsi secus crediderat Chirurgus & adstantibus persuaserat. Sed superat omnia portenta, quòd olim Heidelbergæ contigisse, à Matt. Vuaggero narratum sibi scribit Keplerus; nempe, quendam oculo altero amisso, altero manus palma tecto, si splendens quidpiam infra nares sisteret, splendorem agnoscere, atque etiam internoscere quadamtenus potuisse. Sed audiamus Keplerum, qui sibi ita persuaderi passus est, dum ait: Spiritum animalem ibi tum lucis & coloris fuisse receptorem, vti aliàs oculo integro retinam tunicam: lucem verò & colorem per hiatum aliquem è naso sursum in vacuam oculi cameram, & caput, adq; nerui visorij extremitates spirituum sedem, porrectos esse, vel certè olfactus instrumenta tantum potuisse, in quo fortaßis etiam ijsdem spiritus diffunderentur. Hæc ex Hieronymo Bardo Genuensi, quæ Philosophis materiam propinant disputandi, qui vel crucem ijs figent, vel apologema pro ijs condent. Cur enim obiecti species non possint per nares, præsertim adeò laxas & amplas ad oculum immitti? Rectis debent illæ lineis ire? Esto. eunt rectis, si pupilla oculi deorsum sit euersa. Neque necesse est, vt vel oculus, vel medius aër illuminetur, sat luminis secum vehunt species ab obiecto illustrato. Sed hæc ad scholas remitto. Mei muneris est, in hoc casu rectas videndi vias amissas, rimam tamen inuentam, per quam visus posset compensari, ostendere. Quod meritò inter mirabilia naturæ ponitur.

Nunc à miris & mirabilibus naturæ ad diuina miracula, venio, & dico, conqueri mortales non posse, si pro plumbo aurum, pro vitro gemmas commutent. Sæpe enim diuina bonitas, dum monstris aliquid, quod naturæ eorum conuenisset, adimit, eius loco substituit donum aliquod supernaturale. Do- XV.

 mesticum

mesticum præsto esto exemplum. P. Ferringo, vnus è Societate IESV, qui magna sanctitatis fama Leuiæ diem suum obijt, ipse multis annis cæcus, tribus cæcis visum redhibuit: adeò liberaliter cum eo egit Deus, vt pro duobus sex illi oculos redderet. Neq; est rarus hic, apud diuinum tribunal agendi modus, vt sinat sanctos suos, quod ipsi non habent, alijs imperti-ri. Ita ab ægro, ac morituro S. Episcopo Cuthberto sanitatẽ accepit, qua diu caruit, Vualchstod. Quod miraculum cùm narrasset venerabilis Beda, colophonem hunc addidit: *Non autem dubitandum, superna pietatis hoc dispensatione procuratum, vt qui multos antea sospes adhuc, valensq; curauerat, hunc quoq; moriturus curaret; quatenus hec quoq; indicio pateret, etiam corpore infirmatus vir sanctus, quantũ spiritu valeret. In qua profectò curatione sequebatur exemplum sanctissimi & reuerendissimi patris Aurelij Augustini episcopi, qui dum pressus infirmitate, qua & mortuus est, decumberet, venit quidam cum suo ægroto, rogans, vt eidem manus imponeret, quò saluus esse posset. At ille, Si, inquit, aliquid in his possem, mihi hoc vtiq; primitus præstitissem. Rursus is, qui venerat, Te, inquit, visitare iussus sum: siquidem in somnis dictũ accepi, Vade ad Augustinum episcopum, vt eidem manus imponat, & saluus erit. Quo ille audito, mox ægrotanti manum benedicens imposuit. Nec mora sanatũ ad propria remisit.* Hæc Beda. E quibus videre est, multos alijs sanitatem atque vitam à Deo, manifesto sanctitatis argumento, impetrare, qui ipsi animam efflant, in oculis atque manibus eorum, quos sanauerunt. Ostendit enim sapientissimus mundi Gubernator, eos, dum minora dant alijs, maioribus dignos esse; & sæpe subducit vires, aut membra corpori, vt animo robur aut lumen addat.

Ven. Beda in vita S. Cuthberti c. 38.

XVI. Quod etiam vicino exemplo potest confirmari. Constantiæ ad lacum Acronianum vir erat, quem à primis incunabulis natura mutum surdumque, fortuna inopem esse voluit, vt haberet vtrinque patientiæ occasionem. Sed quod corpori deerat, animo superabundabat. Vita illi humilis, habitus vulgaris erat, anima sublimis, & virtus à Deo singularis data. Quare vt nulli hominum molestus, ita Numini semper valde addictus fuit, cui corporis & mentis illibata seruiebat virgi-

Ioan Nider. l. 2. Formic. cap. 7.

nitate. Ob quam rem & prophetiæ spiritu scientiaque rerum occultarum fuit ornatus. Quanquam enim linguæ vsu destitutus, nutibus tamen multa futura atque arcana indicabat. Experti sunt id viri Religiosi & sæculares; quibus, quod in animo condebant, patefecit; inter quos fuêre ij, qui in Patrum Dominicanorum cœnobio Constantiæ vitam degebant; & quidam sacerdos Romam profectus, de cuius sero reditu desperabatur. Nam, morâ nimis protractâ, cùm quæ ad custodiam domus domi relicta erat cognata jam alia consilia agitare cœpisset, mutus iste læta facie, serenis oculis, & ore ad jucunditatem composito ad eam cucurrit, hilarique manuum complosione virgini haud obscurè significauit aduentum sacerdotis; qui postero die cum naui appulit. Nutriebat pauperem hunc mutum ciuis Constantiensis copiosus & opulentus, eumque filij loco habebat. Hic aliquando lacum traiecturus domi conuasabat. Quod vbi vidit mutus, manibus pedibusq; obstitit, eique, qua poterat gestuum vehementia, iter dissuasit. Sed surdus, quasi cum surdo egisset, ita non est auditus; neque enim se dominus passus est à consilio dimoueri. Quàm pertinax dominus fuit in proficiscendo, tam constans mansit mutus in dehortando. Quin & domo exeuntem prosecutus est ad præripia lacus, vbi cùm ei profectionem nullo modo dissuadere posset, tandem circa nauem de littore soluentis manus ad cælum oculosque sustulit, lamentisque & gemitibus ostendit Mecænati suo graue aliquod malum impendere. Neq; antea cessauit abeuntem plangere, quàm eum desijt è propinquo videre. Vatem fuisse, exitus probauit. Nam intra paucas horas, coorta tempestate, fluctus nauem & ciuem cooperuerunt. Qui aquis submersus serò agnouit, à muto sibi hoc infortunium esse prædictum; cui Deus linguam & aures ligauit, sed in harum vicem secreta sua patefecit. Quare qui hominum audire voces foris non poterat, Deum audiuit intus loquentem; & qui verbis efferre cogitationes proprias nequibat, nutibus expressit cogitationes diuinas. Quis diuinam accuset prouidentiam cum hominibus sic agentem? Quis non miretur, amet, prædicet eius clementiam tam beneficè punientem?

Quis ei non adhæreat, seque totum consecret, afflictos, pressos, & vel in minimo membro patientes tam grandibus donis consolanti? *Ista meritò debemus Domino*, ait Vmbertus, *quia beneficia innumera præstat cordi nostro; ipse namq; Deus potentiâ iuuat corda nostra; sapientia gubernat; bonitate ditat; dulcedine cibat; pulchritudine inuitat; charitate vnit; promissis allicit; flagellis erudit; comminatione concutit; ac beneficijs emollit. Ipse Deus dulcissimus corda nostra intuetur approbando, tangit excitando, visitat consolando, viuificat iustificando, aperit irrorando; de quibus omnibus gratiarum actiones nos referre conuenit indefesse.* Immò etiam tum, quando defectum aliquem naturæ, in hac vita, non supplet; quia mali, qui eo notantur, eo digni sunt; boni autem spem habent, illum in altera vita centies millies compensandū.

Vmbert. de 3. votis. c. 48.

CAPVT LXIII.

Monstrositatem omnem cessaturam apud Beatos, futuram autem apud damnatos.

I. Antum abest, vt Deus sit iniquus, si defectum corporis humani, aut formam informem esse sinit (nam de bestijs, aut plantis monstrosis neque quærere homines, neque queri valde solent) vt eam etiam, tanquam Mundi Gubernator, certis terminis ac regionibus coueniente procuret; certis caussis naturalibus concurrentibus apposite permittat; certis significationibus prouidè anteponat; certis sceleribus justè annectat; idq; vel in pœnam, vt iudex, vel, vt Medicus, in medicinam; vel, vt sponsus, in tutelam. Denique etiam nouit defectum, qui monstrosis inest, vel in hac, vel certè in altera vita millies compensare. Non enim resurgent saluandi, cum vlla monstrositate. Et homines monstrosos, rationis, virtutis, & adeò etiam æternæ salutis capaces esse, docet S. Augustinus, cùm scribit, *animal rationale* esse hominem, *quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu colorem, siue motum, siue sonum, siue quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ.* Et alibi (si idem author est) testatur, se ad monstra caput non haben-

S. Aug l. 16. ciuit. c. 18.

Ad fratres in Eremo c. 37.

tia, & oculos in pectore gerentia, ac vno prædita, serendi Euangelij caussa, profectum, cùm nosset, ea gentilitatis errore implicata, & ratione alicuius, tametsi falsæ religionis, duci. Docentq; etiam Morales Theologi, ea monstra, quæ præcipua membra humana motusq; humanos habent, baptizanda. Quorsum? nisi vt salutem æternam consequi possint?

Quod si ergo ita se gerant hæc monstra, vt cælo digna indicentur, resurgent vtique, in die resurrectionis, membris in decoram cæloq; dignam formam reformatis; vt tradit idem Augustinus; neque obscurè insinuat Apostolus dicens: *Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso, in gloria*, corporis scilicet, & animæ. Quæ autem gloria foret, monstrosum esse? Nunc quidem elegans anima potest informi corpore tegi, sed tunc gloria & corpus, & animam circũdabit. *Delitescit margarita*, inquit ex S. Chrysostomo Theophylactus, *tantisper, dum in conchyli fuerit; simul ac verò illud fuerit perfractum, tum in gloria relucet. Hunc ad modum & nos, quàm diu in corruptibili isto corpore fuerimus, tanquam latentes viuere debemus, & ab omni gloriæ cupiditate alieni. Quando autẽ dissolutum fuerit hoc corruptibile, tunc gloriæ nostræ suus erit locus, si hac digni fuerimus.* Quin & alio loco affirmat, nos occursuros Christo, *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Quod cùm S. Augustinus accipiat etiam de ætate, in qua omnes resurgemus, cur non etiã de corpore perfecto, glorioso, licet non æquè glorioso, intelligamus? Differt enim Sanctus à Sancto, sicut stella, à stella. Prudentius Christianus Poëta ita canit: II.

S. August. in Enchir. ad Laurent. c. 87. & 91.
Coloss. 3. 4.
Theophyl. in Ep. ad Coloss cap. 3.
Ephes. 4. 13.
S August. lib. 22. ciuit. cap. 10.

Qui reparat corpus, non reddet debile quicquam,
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit:
Quod truncauit edax senium, populante veterno,
Omne reuertenti reparata in membra redibit.

Duplex tamen hîc defectuum discrimen animaduerto. Sunt enim aliæ corporum deformitates ex defectu naturæ, siue ex vtero matris hominibus agnatæ, siue aliunde contractæ, vt gibber, lippitudo, claudicatio: aliæ, aut per iniurias hominum; III.

aut ob propria delicta flagitiaq; illatæ: neque enim tantùm homicidæ, & Sodomitæ laminis candentibus vsti sunt, ob flagitia, quæ commiserunt; sed etiam Apostoli propter Christũ,
Hebr. 11 35. ac fidem Christi *distenti sunt, ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Quemadmodum igitur Saluator noster vulnerum suorum purpureas, ac stellarũ instar splendidas cicatrices in corpore suo D. Thomæ Apostolisq; ceteris, post resurrectionem, ostendit, ostendetq;, in iudicio, damnandis,
Ioan. 19. 37. vt videant, *in quem transfixerunt:* ita veteres Theologi crediderunt, nouiq; non pauci subscribunt, Apostolos, aliosq; SS. Martyres itidem cum cicatricibus quarundam plagarum, pro Christi fide acceptarũ, non in ignominiam, & deformitatem, sed in sempiternũ fortitudinis suæ decus, resurrecturos. Hanc
S Augustin. lib. 22. de ciuit. c. 20. sententiam perspicuè indicat D. Augustinus his verbis: *Nescio, quo modo sic afficimur amore martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit: & quædam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideò tamen, si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis mẽbris erunt in resurrectione mortuorum: quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo nouo sæculo, vt indicia gloriosorũ vulnerũ in illa immortali carne cernantur, vbi membra, vt praciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamẽ eiusdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamuis itaq; omnia, quæ acciderunt corpori, vitia, tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia.* Quod si ita est, vt valde credibibile est, quantus mortalibus additur stimulus, ad multa pro Christo tormenta fortissimè patienda? Stigmata enim illa; stigmata erunt honoris non seruitutis; pugnas, victorias, triumphos martyrum æternùm testatura. Quis enim non exultet, si sic ferro, igni, & omni genere tormentorum in hac vita deformetur; vt deformitas illa mutetur in tam gloriosam venustatem? Quæ nunc enim est impressio cicatricis, tunc erit inscriptio virtutis; non cruenta, sed radiosa;

diosa; venerabilis, non detestabilis; non tegenda, sed suspicienda.

E diuerso autem ad impios quod attinet, ob crimina sua notatos, aut etiam, ex naturæ defectu, monstrosè natos, vtique credibile est, eis quoque deformitates suas, quæ veritati & integritati naturæ non obstant, saltem in vestigijs quibusdam, relinquendas, cùm Apostolus dicat: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* In quæ verba S. Ambrosius ait: *Omnes homines resurgent, sed soli, qui regnaturi sunt, in gloriam mutabuntur. Vnde & dicit Apostolus: Et nos immutabimur.* Quòd si character, siue signum Christianismi, quod quis accipit, in sacramento Baptismatis, & Confirmationis, aut etiam Ordinis, in maiorem damnati pudorem cruciatumq; tum manebit; probabile est, etiam gibbum, & tubera, & verrucas maculasq;, & quiquid deformitatis propemodum damandus in hac vita habuit, etiam illi in inferno mansurum. Cur enim ibi pulchriores isti fieri deberent? qui etiam futuri desperatione ex oculis & vultu omni relucente, defermiores sunt ac monstrosiores? Damnati certè nulla corporum pulchritudine gaudebunt, sed si ipsi monstra non erunt, certè horribilibus formis sui ipsorum & cacodæmonum vndique aspectis cruciabuntur. Quis enim solet esse plorantium, eiulantium, desperatorum vultus? nonne tristissimus? Quare non solùm talibus in laruis mali dæmones sese conspicuos dabunt; sed ipsi quoq; homines in detestandâ formâ, se mutuò intuebuntur. Quod etsi longè certius est, quàm vitæ huius in illis monstrositates ad corporis integritatem, & naturæ humanæ veritatem non pertinens, perseueraturas, tamen & hoc ipsum non caret sua probabilitate. Non enim in gloriam, sed in ignominiam mutabuntur. Virtutem igitur colant, qui volunt sua monstrositate liberari, vt & ipsi in gloriam mutentur. Hæc autem de damnatorum mansura monstrositate, vt vero similiter creduntur, ita non asseruntur, vt certa. Quippe sapienter S. Augustinus scribit: *Quicunq; ab illa perditionis massa, quæ per Adam facta est, non liberantur, per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, vnusquisq; cum sua carne; sed vt cum diabolo eiusq; Angelis puniantur.*

IV.

1. Cor. 15. 51.

S. Ambros. in Coment.

S. Augustin. in Enchiridio ad Larent. cap. 92.

tur. Utrum verò ipsi cum vitijs & deformitatibus corporum suorum resurgant, quæcumq; in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Paulò tamen suprà ita loquitur: *Neq; monstra, quæ nascuntur & viuunt, quamlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potiùs correcta emendataq; natura. Absit enim vt illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente, de quo & fratres fidelißimi, qui eum viderunt, retulerunt, & S. memoriæ Hieronymus presbyter scriptum reliquit: absit, inquam, vt hunc hominem duplicem, ac non potiùs duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cetera, quæ singuli quiq; partus vel ampliùs, vel minùs aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram resurrectione reuocabuntur: ita vt singulæ animæ singula sua corpora obtineant, nullis cohærentibus, etiam quæcumq; cohærentia nata fuerant: sed seorsim sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas.* Quid si enim vnus istorum sanctus, alter impius fuisset, nunquid separandi essent, vt vnus in cælum conscendere posset, alter descenderet in infernum? Facilius esset credere, concretis corporibus mansuros, si vterque peccando damnari meruisset. Quemadmodum autem Christus, etsi lateris, & à clauis relictas manuum pedumque cicatrices seruârit, easque admodum decoras Apostolis monstrârit, non tamen seruauit factas à flagris & spinis plagas; ita vtique neque alij Martyres seruata gerent omnia eorum, quæ passi sunt vestigia beato statui minùs conuenientia. Pari pacto, neque damnati omnes defectus suos retinebunt, si quos retinebunt: sed eos duntaxat, qui pœnam illorum exacerbabunt, non qui leuabunt. Mallent enim vtique cæci esse, ne talia monstra cernerent, mallent surdi esse, ne conuitia sempiterna audirent; mallent gustu carere, ne fel draconū persentiscerent; mallent odoratu destitui, ne sulphur, & cadauerosum odorem execrandamque narium pestem percipere cogerentur: mallent & membris illis carere, quibus vstulati cruciantur. Cetera, quæ ad deformitatem spectant, credibile

Vide S. Thomā in 4. cont. gent. c. 89. S August. in Enchir. c. 87.

S. Hieronym. ad Vitalem.

bile est, eos retenturos, non certum. Vnde & Poëtæ cecinerunt, varia apud inferos monstra stabulari. Quòd si autem ne damnati quidem ampliùs erunt monstrosi, quid queruntur de eo, quod sunt ad tempus, corriget autem Resurrectio pro æternitate, quæ illis, si voluissent, iucunda fuisset?

Certius est, nihil fore in beatis sedibus monstrosum. *Indecorum quippe aliquid ibi non erit;* ait Hipponensis antistes, *sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit. Resurgent igitur sanctorum corpora, sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit:* quæ non esset, si aliquid mali ibi esset; sicut neque in terris calamitatis pœna esset, si mali nihil esset. Qua de caussa ita, alio libro disputans de capillis resectis, qui beato in numero, non in quantitate omnes reddentur, ne totus hirsutus monstro similis efficiatur, subiungit: *Neq; hoc ideò dixerim, quòd aliquid existimem corpori cuiq; periturum, quod naturaliter inerat: sed quod deforme natum fuerat; non vtiq; ob aliud, nisi vt hinc quoq; ostenderetur, quàm sit pœnalis conditio ista mortalium; sic esse rediturum, vt seruata integritate substantiæ sola substantiæ deformitas pereat. Si enim statuam potest artifex homo, quam propter aliquam caussam deformem fecerat, conflare & pulcherrimam reddere; ita vt nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat; ac si quid in illa figura priore indecenter extabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, vnde fecerat, amputare atq; separare, sed ita conspergere vniuerso atq; miscere, vt nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem; quid de omnipotente artifice sentiendum est? Ergóne non poterit quasq; deformitates humanorum corporum non modò vsitatas, verùm etiam raras atque monstrosas, quæ huic miseræ vitæ congruunt, abhorrent autem ab illa felicitate sanctorum futura, sic auferre ac perdere, vt quascunque earum faciunt, & si naturalia tamen indecora excrementa substantiæ corporalis nulla eius diminutione tollantur? Ac per hoc non est macris pinguibusúe metuendum, ne ibi etiam tales sint, quales, si possent, nec hîc esse voluissent. Omnis enim corporis pulchritudo est partium congruentia, cum quadam coloris suauitate. Vbi autem non est partium congruentia, aut ideò quid offendit, quia prauum est;*

V. S. Augustin. in Enchridio c. 90. & 91.

Idem lib. 22. de ciuit. c. 19.

  est;

est; aut ideò, quia parum; aut ideò quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium; vbi & quæ praua sunt, corrigentur; & quod minus est, quàm decet, vnde Creator nouit, inde supplebitur: & quod plus est, quàm decet, materiæ seruata integritate, detrahetur. Coloris porrò suauitas quanta erit, vbi iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui? Benè igitur sperent boni; bene sperent parui, quia nullus in cælo erit Ioannellus: benè sperent pallidi, & pallidæ, quia roseum colorem acquirent ibi, vbi omnia florebunt. Benè sperent macilenti, quia ibi, non erunt extenuati. Benè pingues, quia ibi, *vbi iusti fulgebunt sicut sol*, (nam de his hîc agit S. Pater) nullus aqualiculus propenso sesquipede extabit; pro flamma Auernali seruiet adeps impiorum.

VI. Atq; vt curiosis omnino satisfiat, libet apponere, quæ D. Bonauentura, in eundem D. Augustini locum scitè apposuit, vt, inter monstra, discrimen faceret: *In aliquibus*, inquit, *membra gemina sunt. Ea verò vel principalia sunt membra, vel minùs præcipua. Si præcipua membra gemina sunt, duæ etiam ibi animæ, atque ita duo corpora seiuncta resurgent. Sin bina, aut plura, quæ tamen principatum in corpore non obtinent, vnum corpus est, & vnum resurget. In Hermaphroditis, quoniam vtraq; pars par esse in vno non posset, eo sexu resurget, qui in eo dominatur. Mōstrum verò aliquando homo, partim bestia: tum si principales partes hominis sunt, animamq; & vitam habuerunt, resuscitabuntur, vt homo; secus, si bestiam repræsentet.* Quid ergo vult conqueri homo monstrosus? aut enim est monstrosus ad salutem; & tum nihil eius resurrectioni obstabit monstrositas; sed erit ad breue tempus deformis, vt æternum *sicut sol fulgeat*: aut ita viuit, vt in ignem inextinguibilem sit proijciendus; & tum titioni nihil forma sua proderit; benè quadrabit deformitas longè maiore deformitate cooperienda, & aspicientibus alijs quoque tormentum allatura. Vt enim in cælo, sensus oculorum iucundissimo Christi, Matris eius, & ceterorum beatorum hominum aspectu mirificè delectabitur; ita impudici damnatorū ac lasciui oculi, metuendis monstris intuendis, identidem terribilem in modum cruciabuntur. Monstra autem erunt, si non hominesa

S. Bonauent. l. 4. dist. 44.

homines, saltem dæmones. Et dæmones quidem omnis generis formam exprimen, in varias se belluas transuertendo, atque in eas præcipuè, quarum quisque maximum sensurus est horrorem. Itaque inter tigrides & leones, inter angues & dracones æternùm degent damnati. Qui si non erunt partim nani, partim gigantes, partim Æthiopes, partim gibbosi &c: tamen certè ipsi, heu, quibus oculis, qua fronte, quanto oris hiatu, qua totius corporis contorsione, fuligine, atrore, lamentabuntur! Quanquàm mihi valde verosimile videtur, sicut S. Damasceno restitutæ manus purpurei fili instar cicatrix mansit in hac vita, & sicut ipsi Christo rediuiuo quinque velut carbunculi vulnerum quendam decorem conciliarunt; ita in diuersum damnatis quasdam notas maculasq; huius vitæ, adhæsuras, eosq; etiam vitiorum suorum fructus, inter reliqua spectra, in corpore quoque seruaturos. Itaque in duellis quidem interemti suarum plagarum signa; lilijs inusti, suæ castitatis stigmata; lue Gallica exesi, carcinomata; vino & compotationibns incensi, cupreum Venerisq; floribus fœdatum vultum, alij alia retinebunt. In cælo autem nullus parens de filio monstroso erubescet; nulla mater de filia Æthiopissa accusabitur; nullus Miphiboseth claudicabit. Omnia erunt pulchra; omnes formosi; omnes perfecti: nullus infans, nullus sapientia puer, nullus canâ ætate, sed reuerentia & authoritate senex; omnes in matura, florida, & perfecta ætate Christo pares erunt. 2.Reg. 4. 4.

VII.

Atque hoc est, quod Apostolus Ephesios monet, & cum illis nos omnes, qui fortasse aliquo corporis defectu laboramus, ne deijciamur, sed vt cum patientia expectemus, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Vbi tria docentur, staturæ scilicet, membrorum, & ætatis perfectio. Hæc enim omnia ad *virum perfectum* pertinent. Estq; idem *ætas plenitudinis*, quod ætas plena, adulta, virilis. Quamuis autem *ætas* hîc propriè accipi possit, metonymicè tamen potiùs ab authoribus accipi solet, pro vigore & statura, quam ætas secum affert, & quæ in virili ætate esse consueuit. Igitur, Sancti

Ephes. 4. 13.

Vide S. Augustin. lib. 22. de ciuit. c. 15. & seqq.

Sancti non solùm in eo vigore, verùm etiam in ea statura resurgent, quam fert illud tempus, quod habuit Christus in virili atq; adulta ætate, cum 34. esset annorū. Cuius duplex potest esse sensus. Primus, nos resurrecturos, in mensura, magnitudine, & statura nostri corporis plena ac perfecta; sicut habuit staturam suam plenam & perfectam Christus, in ætate plena & perfecta; seu, quemadmodum Christus anno ætatis suæ 34. inchoato iustam habuit humani corporis staturā, ita & in resurrectione homines, etiam qui hîc in ætate infantili, aut puerili, aut senili mortui sunt, iustam corporis sui staturam, habituros, adeoq; omnes nos ea magnitudine & statura in cælo futuros, quam habuimus, vel habuissemus (si natura vegeta fuisset, vel non impedita, aut morte præuenta) in ætate virili, seu anno 34. quæ fuit ætas Christi. Alter sensus esse potest, quòd resurrecturi simus non tantùm eâ staturâ, & magnitudine, quam nos habuimus, vel habuissemus in virili ætate, sed etiam quòd ipsi Christo, in corporis magnitudine & statura æquales simus futuri. Vterque sensus sua probabilitate non caret. Prior communior, & S. Thomæ est, posterior inde fulcitur, quia etsi inæqualitas staturarum inter beatos admitti possit; tamen haut credibile est, aliquos fore in cælo statura vel Pygmæos, vel Gigantes, vt etiam S. Thomas admittit; qui tamen anno 34. ætatis suæ in hac vita vel Pygmæi, vel Gigantes fuerunt, & quidem ex natura indiuidui. Si ergo etiam tunc quātitas naturalis vniuscuiusq; indiuidui naturam consequetur; necesse est alios nanos, alios Polyphemos futuros. Neq; pertinet ad eundem numero hominem, vt tunc habeat eandem magnitudinis mensuram, quam in hac vita habuisset, si natura nō errasset: alioqui, qui hîc infantes fuissent, & ibi viri erunt, non erunt ijdem numero; sicut nec Adamus & primi æui homines, qui vtique ex natura indiuidui maiores fuerunt, quàm postea mundo decrescente, & non ex errore naturæ. Atque hæc est vna è tribus caussis, ob quas D. Thomas docet, Christum, in iuuenili ætate, pati voluisse; ita enim non solùm suam dilectionem magis declarauit, dum *vitam suā pro nobis dedit, quando erat in perfectissimo statu*, neque conuenie-

S. Thom. p. 3. q. 46. art. 9. ad 4.

bat, vt in eo appareret naturæ diminutio, sicut nec morbus, verùm etiam, *in iuuenili ætate moriens & resurgens, futuram resurgentium qualitatem in seipso præmonstrabat.* Hæc de staturæ atque ætatis vegetæ integritate, per coniecturam dicta sunto; quæ vt fidem etiam ab exemplo huius vitæ acciperent, de sene Indo Orientali ita scribit Maffeius: *Quidam ex Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætorem adijt, natus, vt ferebatur, annos trecentos triginta quinque. Neque mendacij suspicio suberat. Nam & seniores, qui ibi erant, se idem de hoc eodem grandæuo aiebant à maioribus accepisse. Et ipse filium habebat nonagenarium, & cùm litteram nosset nullam, quæ referebantur ab eo de veterum gestis rebus, ad fidem annalium optimè congruebant. Huic aliquoties iam deciderunt dentes, alijs continuò subnascentibus; & barba, vbi prorsus incanuisset, in atrum denuo colorem, idq́ paulatim semetipsa vertebat. Ante centesimum annum idola coluerat; inde æquè miserabili errore, ad nefariam Machometis transierat sectam. Is propter miraculi nouitatem, Sultani stipendijs ali consuetus idem vitæ subsidium à Nonnio petijt. Nonnius haud grauatè assignauit.* Talem natura dedit, & diuina potentia non posset? Immò potest. Qua spe fretus ille dixit: *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* In fabulis,

Ioan Petrus Maffeus l. 9. hist. Indic.

Psal. 102.

---------- stricto Medea recludit
Ense senis iugulum, veteremq́ exire cruorem
Passa replet succis. Quos postquam combibit Æson,
Aut ore exceptos, aut vulnere: barba comæq́,
Canitie posita, nigrum rapuêre colorem:
Pulsa fugit macies, abeunt pallorq́ situsq́,
Adiectoq́ caua supplentur corpore rugæ,
Membraq́ luxuriant. Æson miratur, & olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.
Dissimilemq́ animum subijt, ætate relicta.

Ouid. lib. 7. Metam.

Sic oliuæ ramum arentem refloruisse, sic arietem redijsse ad vitam, & vegetas vires, fabulæ optauerunt potiùs, quàm testatum fecerunt. Fides autem Christiana, & optat, & sperat, & testatum facit, eos qui in Domino moriuntur, ad vitam resuscitatos, *in virum perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi,* in-

Ephes. 4. 13.

ad viridem iuuentam, non aliqua herbarum aut naturæ, sed Numinis potentia redituros; vt proinde neque de annis nimis multis, aut nimis paucis conqueri possint; neque de corporis statura, aut ipsa etiam morte subeunda murmurare; cùm non ignorent, se tanto fœnore atque lucro immutandos.

VIII. Quocirca membrorum quoque integritas & pulchritudo non deerit Sanctis; etsi in damnatis probabiliter, seruata naturæ veritate & integritate, omnia deformia erunt, Apostolo dicente: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, per gloriam scilicet. Ex quo, Adamo, & Euæ, & omnibus in peccato originali natis dictum est: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, omnes in cinerem soluimur. Etsi enim Christi resurrectio est exemplar nostræ resurrectionis, si terminum *ad quem* aspiciamus; non est tamen exemplar, secundùm terminum à quo. Vnde, licet *caro eius non viderit corruptionem*, reliquorum tamen hominum (*nisi aliquibus ex speciali priuilegio gratiæ, sit indultum contrarium*, ait S. Thomas) corpora dissoluuntur, vt possint reformari; atque in cinerem rediguntur, vt denuò integrentur. Nihil igitur refert, vnde restaurentur; ex monstris, aut alium defectum habentibus, aut etiam ex ipso puluere, ad quem redacta fuerunt; satis esse debet, si in resurrectione omnia accipiant, quæ ad eorum integritatem perfectionemque pertinuerunt. Omnia autem membra iusti accipient, quia Dei perfecta sunt opera, & inter opera Dei eminet resurrectio. Ad perfectionem autem hominis omnia membra pertinere, inde docetur, quia, iuxta Philosophum, *comparatio animæ ad corpus est, sicut comparatio artis ad artificiatum: quidquid autem explicitè in artificiato ostenditur*, ait S. Thomas, *hoc totum implicitè, & originaliter in ipsa arte continetur: & similiter, quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter, & quodammodo implicitè in anima continetur. Sicut ergo artis opus non esset perfectum, si artificiato aliquid deesset eorum, quæ ars continet; ita nec homo posset esse perfectus, nisi totum, quod in anima implicitè continetur, exteriùs in corpore explicaretur: nec etiam corpus animæ ad plenum proportionaliter responderet.* Hæc S. Thomas, qui ibidem addit, intestina quædam membra sanctorum nec vacua fore,

1. Cor. 15. 51.
Gen. 3. 19.
Psal. 15. Act. 2.
S. Thom. in suppl. q. 78. art. 2.
Deut. 32.
Aristot. lib. 3. de animal.
S. Thom. in suppl. q. 80. art. 1.

fore, neque immunditias contentura, sed nobilibus humoribus implenda. Quod in damnatis non fiet. Qui autem humores in resurgentibus sint extituri, ex eo pendet decidere, quinam spectent ad naturæ integritatem, de quibus idem Doctor, & schola Philosophorum. Ibid art. 3.

IX.

Quin & capilli, & vngues reddentur ijs, qui in hac vita calui fuerunt, aut matrum curiosarum vitio, vel sæuitia tyrannorum exungulati. Quia capilli quoque & vngues dati sunt in ornamentum hominis. Cùm ergo *corpora hominum, præcipuè electorum* (ait idem Angelicus Doctor, quia non ita credibile est, damnandos cum ornamentis suis ad identitatem & veritatem non necessarijs resurrecturos) *debeant resurgere cum omni ornatu;* consequens est, eos etiam cum capillis & vnguibus resurrecturos. Adde quòd capilli & vngues, licet ex abundantia cibi generentur, non solùm ornatum habeant, in hac vita, sed etiam sua non careant vtilitate; atque idcirco ad secundariam pertineant corporis perfectionem; sicut folia arborum, quibus fructus cooperiuntur, pertinent ad secundariã arborum perfectionem, & venustatem. Et quoniam temperamentum magis ad naturam hominis pertinet, quàm eadem mensura quantitatis, quæ saltem in infantibus non manebit, ex temperamento autem oritur color capillorum, conficitur tunc, capillos beatorum eodem colore fore conspicuos, qui hîc 34. anno aut fuerunt, aut futuri fuissent, si vita esset eò vsque porrecta. Ibid. art. 2.

X.

Quoniam autem infantes, pueros, & Pygmæos in statura perfecta, vti & Gigantes ea magnitudine, qua ferè Christus fuit, diximus resurrecturos; necesse est & Gigantibus aliquid de materia demi, & infantibus ac Pumilis aliquid addi, quod identitati ac veritati eiusdem hominis non officit; sicut neque in ijs, qui ab alijs hominibus deuorati sunt; quorum proinde caro à pluribus animabus fuit informata, & jam ad hunc, iam ad illum hominem pertinebat. Nihil inquam, officit, quia, præter alias responsiones à S. Thoma assignatas; sufficit, tantum materiæ tunc diuina virtute aliunde suppleri, quantum opus est ad perfectionem quantitatis. *Nec per hoc aliquid præ-* S. Thom. in supl. q. 80. ad 3.

indicatur

iudicatur identitati in numero, sicut nec praiudicatur, per hoc, quòd partes secundùm materiam fluunt, & refluunt, ait S. Doctor. In Anthropophagis autem carnes comestæ non sunt de veritate humanæ naturæ in comedente, sed in eo, cuius carnes comeduntur. Quare surgent in primo, non in secundo. Huic autem illarum aliquid restituetur carnium, quæ aliquando defluxerunt. Quandoquidem igitur ea, quæ defuerunt mortalibus in hac vita, reddentur immortalibus in altera vita, quid fiet cum Adamo primo omnium hominum parente, an etiam illi reddetur costa eius, ex qua Eua formata est? Nam ita legimus: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumta est.* Si reddetur igitur ei costa, quæ ab illo ablata est, vbi manebit Eua? si non reddetur, an Adam in æternum mancus & monstrum erit? an aliquid illi deerit, quod fuit de veritate naturæ humanæ in ipso? Aio, costam illam non in Adamo, sed in Eua resurrecturam, quæ de illa formata est; neque tamen Adamum fore mancum, aut imperfectum; cùm costa illa, in Adamo, non fuerit de perfectione indiuidui, sed ad multiplicationem speciei sit ordinata. Quare costa illa non resuscitabitur in Adamo, sed in Eua; quemadmodum & semen non in generante, sed in genito resurget. Ex quo perspicitur, Adamum neque antè quàm costa illa ab eo auferretur, neque post illam ablatam, monstrum fuisse; quia neque antè aliquid in illo redundauit, neque postea aliquid defecit: cùm costa non ad indiuidui perfectionem, sed ad multiplicationem speciei illi sit data, sicut & dari solet semen, cuius neque præsentia, neque absentia ex homine facit monstrum; pertinet enim, non ad indiuidui, sed ad speciei conseruandæ naturam.

Gen. 2. 21.

Ita respondet S. Thom. loc. cit. ad 2.

XI. Desinat ergo solicitudo vel ægrorum, vel quocunq; modo monstrosorum. Sicut franguntur vasa, vt in melius reformentur; ita Deus iustorum corpora subinde, in terris, curuat, vt erigat in cælo. Quòd si enim tam benignus est, vt etiam in

am in hac vita naturæ defectus compenset, quid non sperandum est, eum in altera vita amicis suis facturum? Boni *in carne sua videbunt Deum saluatorē suum*, sed in carne integra atque perfecta; quidquid sit de malis, propter quos Apostolus ait: *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Qui, si deformes maneant, meruerunt eam deformitatem. Sancti autem sine metu esse debent; quia eorum corpora certò in gloriā mutabuntur. Vidit iam dudum hanc quorundam solicitudinem Tertullianus, apud quem ista leguntur. *Hinc iam illa vulgaris incredulitatis argutia est: si, inquiunt, ipsa eademq; substantia reuocatur cum sua forma, lineâ, qualitate, ergo & cum insignibus suis reliquis: itaq; & cæci & claudi, & paralytici, & vt quis insignis excesserit ita & reuertetur. Quid nunc? etsi ita dedignaris tantam gratiam qualiscunq; à Deo consequi. Non enim & nunc animæ solius admittens salutem, dimidiatis hominibus eandem adscribit? Quid est, credere resurrectionem, nisi integram credere? Si enim caro de dissolutione reparabitur, multò magis de vexatione reuocabitur. Minoribus maiora præscribunt. Cuiuscunq; membri detruncatio, vel obtusio, nonné mors membri est? si vniuersalis mors resurrectione rescinditur, quid portionalis? si demutamur in gloriam, quantò magis in incolumitatem? vitiatio corporum accidens res est, integritas propria est. In hac nascimur, etiamsi in vtero vitiemur, iam hominis est passio. Prius est genus, quàm casus. Quomodo vita confertur à Deo, ita & refertur. Quales eam accipimus, tales & recipimus. Naturæ, non iniuriæ reddimur: quod nascimur, non quod lædimur, reuiuiscimus. Si non integros Deus suscitat, non suscitat mortuos. Quis enim mortuus integer, etsi integer moritur? Quis incolumis, qui exanimis? Quod corpus illæsum, quū interemptum, quum frigidum, quum expallidum, quum edurum, quum cadauer? quando magis homo debilis, nisi quū nō totus? quando magis paralyticus, nisi quum immobilis? Ita nihil aliud est, mortuum resuscitari, quàm integrum fieri, ne ex ea parte mortuus adhuc sit, ex qua non resurrexerit. Idoneus Deus reficere, quod fecit. Hanc suam & potestatem & liberalitatem satis iam in Christo spopondit, immò & ostendit, non tantùm resuscitatorem carnis, verùm etiam redintegratorem. Atq; adeò & Apostolus: Et mortui, inquit,* resur-

Iob. 19. 26.

1. Cor. 15. 51.

Tertulliani libr. de Resurrect. c. 57.

resurgent incorrupti. Quomodo nisi integri, qui retro corrupti, tam vitio valetudinis, quàm ex senio sepulturæ. Nam & suprà vtrumq; proponens, oportere & corruptiuum istud induere incorruptelam, & mortale istud immortalitatem, non iterauit sententiam, sed differentiam demandauit. Immortalitatem enim ad rescißionem mortis, incorruptelam ad oblitterationem corruptelæ diuidendo, alteram ad redintegrationem temperauit. Puto autem & Thessalonicensibus omnis substantiæ integritatem repromisit. Itaq; nec inposterum timebuntur corporum labes. Nihil poterit amittere integritas, vel conseruata, vel restituta, ex quo illi etiam, si quid amiserat redditur. Immò & quod non amiserunt, accipient beati, si fortè eos natura destituit, cùm nascerentur.

XII. Ephes. 4. 13. Verùm, quia S. Paulus ait, nos occursuros *in virum perfectum*, multi fuerunt, qui existimarent, feminas non in proprio sexu, sed in virili surrecturas, & in viros transmutatas, teste S. Augustino. Habet hæc sententia, vt apparet, magnos & eruditos authores. Quippe videtur esse S. Hieronymi, S. Basilij, S. Hilarij in illud: *In resurrectione neq; nubent, neq; nubentur.* S. Athanasij, aliorumque, qui arbitrantur, in resurrectione non fore sexuum diuersitatem. Quin & inter Scholasticos Scotus manifestè tradit, omnes feminas, excepta vna Dei Matre Virgine, in sexu virili resurrecturos. Tractat hanc quæstionem etiam D. Thomas. Neque desunt rationes. Nam, præter Apostolum dicentem, nos *in perfectum virum*, non autem in perfectam feminam occursuros; in futuro sæculo omnis prælatio cessabit; non cessaret autem prælatio, si muliebris sexus non cessaret, cùm mulieri dictum sit: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Accedit, quòd sexus fæmineus sit accidens, & quædam hominis imperfectio, in resurrectione verò omnis imperfectio tolletur à iustis. Ac sanè, vt Aristoteles docet, femina est *mas occasionatus*, atque ex defectu virtutis formatiuæ in semine (quæ non potest perducere materiam concepti ad virilem perfectionem) præter intentionem naturæ inductus. Si ergo in resurrectione saluandorum omnis error tolletur, videtur concedendum, sexum muliebrem non resurrecturum. Nam si natura, quæ perfectum intendit, cùm marem,

S. Aug. l. 22. ciuit. cap. 17. seqq. S. Hieronym. & Basil in Psal. 114. S. Hilar. in Matth. 22. S. Athanas. serm. 3. cont. Arrian. sub fin. Scot. in 2. dist. 20. S. Thom. in supplem. q. 81. art. 3. Gen. 3. 16.

Aristot. lib 2. de Generat. animal. c 3.

quasi

quasi hominem perfectum vellet producere, feminam pro mare producens errauit, corrigendus erit vtique error ille in beatis, ne saltem ex hac parte miseri sint. Denique ad quid erit diuersitas sexus, si *in resurrectione neq; nubent, neq; nubentur?* Hæc pro ista sententia afferri possunt.

Sed luculentus, & in sexum femineum valde iniurius est error, dicere, vel credere, feminas in suo sexu non resurrecturas. Cuius è diametro contrarium, contra errores Ioannis Hierosolymitani, expresse Sanctus Augustinus, Tertullianus, S. Hieronymus, D. Thomas, & alij scholastici communiter tradiderunt. Augustini verba sunt: *Meliùs sapere videntur, qui vtrumq; sexum resurrecturum esse non dubitant.* Vtique enim Deus, quod in homine fecit, cùm primò eum conderet, id in resurrectione quoque reparabit. Quia igitur *masculum & feminam creauit eos*, initio mundi; in resurrectione quoque masculum & feminam reproducet. Adde, quòd tunc, vt idem numero corpus resurgat, necesse sit, præcipua saltem accidentia, & easdem conditiones indiuiduantes restaurari, inter quas non minima est, sexus certus, & determinatus. Quare diuersis, diuersus sua natura debetur sexus. Quæ ipsa diuersitas ad speciei perfectionem pertinet. Ita enim illius diuersi gradus per diuersitatem sexus implentur. Quo semel statuto, facile est, ad argumenta obiecta respondere.

XIII. S. August. lib. 22. de ciuit. c. 17. & seqq. Tertullian. lib. de resurrect. cap. 60. S. Hieron. ep. 61 ad Pammachium. S. Thom. in supl. q. 81 a. 3. Scholastici in 4. d. 44. Gen. 1. 27.

1. Igitur cùm Apostolus ait, nos *in perfectum virum occursuros*, id non ob sexum ait virilem, sed ab animi virtutem, quæ tam in mulieribus; quàm in viris tunc erit. Quare per virum, hominem intellexit, sicut Dauid, quando dixit: *Beatus vir, qui &c.* vbi vtique feminas non exclusit. 2. Hieronymus, Basilius, Hilarius, Athanasius alijsq; Patres, magni sanè sunt authores, cùm negant, in cælo fore sexuum diuersitatem, tantùm negant eam diuersitatem fore, quoad vsum, non autem quoad substantiam. Quia *in resurrectione neque nubent, neque nubentur*. S. Thomas clarè est pro nobis. Scotus, si in sexu femineo agnoscit imperfectionem, atq; idcirco reliquas feminas putat in viros commutandas; cur eam imperfectionē soli Deiparæ attribuit? quæ, vt in hac vita virtute omnium

XIV. Psal. 1. 1. Matth. 22. 30.

perfectissima fuit feminarum, cur tunc sola illis cedet sexus imperfectione? Alij aduersarij, qui neque hanc Virginem excipiunt, quæ probabilissimè cum corpore in cælum est assumta, non debent eam inuocantes dicere, *Sancta Maria*, sed, *Sancte Maria, ora pro nobis*, absurdum est siquidem, virum feminino genere salutare. Est igitur, & manet, manebitq; Maria, & *femina*, & *Virgo*, & *Dei Mater*. Certè multis nō solùm Dei Mater, verùm etiam aliæ sanctæ, vt S. Agatha S. Agnes, & alijs Diuæ, non mutato, sed suo sexu, apparuerunt. 3. In hac vita vir dominatur mulieri, sed propter robur corporis, & vigorem animi, atque ob imbecillitatem naturæ, qua feminæ potestati virorum subijciuntur. In resurrectione autem, ob hæc, non erit differentia secundùm sexuum diuersitatem; sed secundùm diuersitatem meritorum. 4. Ad potissimum fundamentum Scoti respondetur, sexum femineum nequaquam esse imperfectionem; sed potiùs perfectionem, licet minorem, quàm sit virilis perfectio. Quare etiam neque vitium est, sed natura, & conditio naturalis: quippe cùm fæmina necessaria sit ad propagationem sobolis, & ad humanæ speciei conseruationem. Profectò si sexus muliebris esset aut vitium, aut imperfectio naturæ, in Paradiso, & statu innocentiæ non extitisset; aut Deus vitij imperfectionisq; author fuisset, quando ex viro feminam, ex Adamo Euam formauit. Quare dormitauit Aristoteles, quando scripsit, feminam esse marem occasionatum: siquidem Deus & natura per se intendit tunc feminam producere, vt scilicet per marem & mulierem genus humanum propagaretur. Quanquam dictum Aristotelis, ita possit exponi, quòd idcirco fæminam dixerit esse *virum occasionatum*, quia vir perfectior est, quā femina; natura autem in genere intendit potiùs producere id quod perfectius est. In genere, inquam; in specie enim atque indiuiduo, haud rarò intendit producere, id quod minùs est perfectum; intendit enim infantem, non virum gignere ex matre; & ex tali femine non virum sed feminam producere. Quoniam igitur femina non est error naturæ, nulla opus erit, in hoc sexu, resurrectionis correctione. 5. In qua resurrectione *neque nubent* sanè,

 neque

neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo; quo loco non negatur, feminas in cælo futuras, sed nuptiæ solæ tolluntur, vsusq́; nuptiarum; quas homines carni dediti optant, Turcæ promittunt, status æternitatis repudiat, non patitur perfectio purissimæ castitatis. Cessabit ergo generatio, quia nulla ibi erit successio; & vbi nemo morietur, nemo orietur; itaque *sunt sicut Angeli Dei,* non solùm propagatione non indigentes, sed etiam ita puri, ita casti, vt nulla ibi futura sit *confusio mutua visionis; quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio caussatur.* Cuius rei figura fuit status innocentiæ in Paradiso. *Erant* enim *vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius: & non erubescebant.* Quare cessabit ibi vsus nuptiarum, non cessabit sexus; quod eo ipso loco insinuatur, quem aduersa sententia nobis opponit: ait namque: *neque nubent* scilicet fæminæ, *neque nubentur* scilicet viri; quæ duo vtique ponit Seruator ad significandam sexuum diuersitatem.

S Thom. in supl., q. 81. a 3. in corp.

XV.

Luc. 20, 36

Ad quid igitur erit sexuum in cælo diuersitas, si *neque nubere, neque nubi,* &, vt S. Lucas subijcit: *neque vltra mori poterunt, & sunt filij Dei, cùm sint filij resurrectionis?* Dixi iam suprà, ad eundem numero hominem pertinere easdem conditiones indiuiduantes. Et *tunc laus erit vnicuique à Deo.* quàm absonè diceretur, *Hic vir fuit Mater Dei; Hic Monica fuit mater Augustini; Hic mas fuit Machabaorum,* aut *filiorum Zebedæi mater: Hic vir Thecla, inter feminas protomartyr fuit, quia noluit nubère?* Hæc atque alia complura absurda sequerentur, si feminæ in suo sexu, quasi in naturali conditione ac perfectione sua, non resurgerent. Eleganter etiam atque eruditè Tertullianus contra hanc obiectionem, in hunc modum, differit: *Ecce autem, vt adhuc controuersiam exaggerent, carni maximè eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut & ipsa dicentes permanere debere in suis operibus, & fructibus, vt eidem corpulentiæ adscripta, aut quia constat discessura esse officia membrorum, corpulentiam quoq; eradant, cuius scilicet perseuerantia credenda non sit, vtique sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. Quo enim, inquiunt, spelunca hac oris, & dentium statio, & gulæ lapsus, & compitum stomachi, & alui gurges, & intestinorum perplexa*

Tertullian. lib. de resurrect. c. 60.

plexa proceritas, cùm esui & potui locus non erit? Quò huiusmodi membra admittunt, subigunt, deuoluunt, diuidunt, digerunt, egerunt? Quò manus ipsæ & pedes, & operarij quiq; artus, cùm victus etiam cura cessabit? Quò renes conscij seminum, & reliqua genitalia vtriusq; sexus, & conceptuum stabula, & vberum fontes, decessuro concubitu, fœtu & educatu? Postremò quò totum corpus, totum scilicet vacaturum? Adhæc ergo præstruximus non oportere committi futurorum atq; præsentium dispositiones intercessura tunc demutatione, & nunc superstruimus officia ista membrorum necessitatibus vitæ huius eò vsque consistere, donec & ipsa vita transferatur à temporalitate in æternitatem, sicut animale corpus in spirituale, dum mortale istud induet immortalitatem, & corruptiuum istud incorruptelam, & ipsa autem liberata tunc vita à necessitate, liberabuntur & membra ab officijs, nec ideò non erunt necessaria. Licet enim officijs liberentur, sed judicijs retinentur, vt quis referat per corpus, prout gessit. Saluum enim hominem tribunal Dei exigit. Saluum verò sine membris non licet esse, ex quorum non officijs, sed substantijs constat, nisi fortè & nauim sine carina, sine prorâ, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate saluam asseuerabis, & tamen nauem procellâ dissipatam, vel carie dissolutam, redactis, & recuratis omnibus membris eandem sæpe conspeximus, etiam titulo restitutionis gloriantem de DEI artificio, & arbitrio, & jure torquemur? Porrò, si diues Dominus & liberalis adfectui, aut gloriæ suæ præstans, solam nauis restitutionem, hactenus eam voluerit operari, idcirco tu negabis necessariam illi compaginem pristinam, vt exinde jam vacaturam, cùm soli saluti nauis sine operatione conueniat? Igitur hoc tantumodo discere sufficit, an Dominus hominem saluti destinando carnem destinauit, an eandem velit denuo esse, quam non debebis ex futura membrorum vacatione præscribere, denuo esse non posse? Licet enim esse quid denuò, & nihilominus vacare; nec potest autem dici vacare, si non sit. At enim si sit, poterit & non vacare. Nihil enim apud Deum vacabit. Sed accepisti homo os ad vorandũ atq; potandum, cur non potiùs ad eloquendum, vt à cæteris animalibus distes? cur non potiùs ad depredicandum Deum? vt etiam hominibus antistes. Denique Adam antè nomina animalibus enuntiauit, quàm de arbore decerpsit, antè etiam prophetauit, quàm vorauit.

uit. Sed accepisti dentes ad macellum coornandum, cur non potiùs ad omnem hiatum & rictum tuum coronandum? cur non potiùs ad pulsus linguæ temperandos, ad vocis articulos offensione signandos? Denique & edentulos audi, & vide, vt honori oris & organum dentium quæras. Forata sunt inferna in viro, & in fœminâ, nimirum quâ libidines fluitent, cur non magis quâ potuum defricta colentur? Est adhuc in fœminis intus, quâ semina congerantur, an quo sanguinis onera secedant, quem pigrior sexus discutere non sufficit? Dicenda enim & hac quatenus quæ volunt, & qualiter volunt, & quorum volunt officia membrorum ludibriosè de industria suffundendæ resurrectioni oblatrant, non recogitantes, ipsas priùs caussas necessitatis tunc vacaturas, cibi famem, & potus sitim, & concubitus genituram, & operationis victum. Sublata enim morte neque victus fulcimenta ad præsidia vitæ, neque generis supparatura grauis erit membris. Cæterùm & hodie vacare intestinis & pudendis licebit. Quadraginta diebus Moyses & Helias ieiunio functi, solo DEO alebantur. Iam tunc enim dedicabatur: Non in pane viuit homo, sed in verbo DEI. Ecce virtutis futuræ lineamenta. Nos quoque vt possumus à cibis excusamus, etiam sexum à Congressione subducimus. Quot spadones voluntarij, quot virgines Christo maritatæ? quot steriles vtriusq; naturæ infructuosis genitalibus structi? Si & hîc iam vacare est, & officia, & emolumenta membrorum temporali vacatione, vt temporali dispositione, nec homo tamen minùs saluus est, proinde homine saluo, & quidem magis tunc in æterna dispositione, magis non desiderabimus, quæ iam hîc non desiderare consueuimus.

XVI.

Feminæ igitur resurgent, resurgent & viri, vt diuinæ sapientiæ opificium etiam in sexu laudetur. Et resurgent omnes iusti in sua perfectione, omnibusque membris naturæ debitis prædidi: quamuis in hac vita illis, vel per naturæ errorem, vel per tyrannorum crudelitatem, vel per alium casum fuerint destituti. Quin & illi resurgent, qui nunquam fuerunt nati, sed in materno vtero mortui, & abortiui vel eiecti, vel exsecti sunt. Si enim semel vixerunt, anima eorum interire non poterit; neque æternùm sine corpore manebit. Enimuerò illi infantes, qui exserta aliqua corporis parte baptismo tincti, postea antè, quàm plenè in lucem ederentur, defuncti sunt, etiam

S. Augustin. lib. 22. ciuit. cap. 13.

ad gloriam, & *ad mensuram ætatis plenitudinis Christi* resurgent. Sicut & multò magis infantes, qui postquam nati & baptizati vitam amiserunt. Illi enim *non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui. Sed quod eis tardiùs accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi. In sententia quippe Domini, vbi ait: Capillus capitis vestri non peribit: dictum est, non defuturum esse, quod fuit: non autem negatum est, affuturum esse, quod defuit Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis: perfecto quippe infanti, deest vtique perfectio magnitudinis corporalis: quæ cùm accesserit, iam statura longior non esse possit.* Hæc Augustinus, qui alio loco ita concludit. *Resurgent itaque omnes tam magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant in iuuenili ætate: quamuis nihil oberit, etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma: vbi nec mentis, nec ipsius corporis vlla manebit infirmitas. Vnde etiam si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum vnumquemq; contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.* Et infrà: *Si contenditur, in ea quemque statura corporis resurrecturum esse, in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est: tantùm absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisq; corruptio: & si quid aliud illud non decet regnum, in quo resurrectionis & promissionis filij æquales erunt angelis DEI: si non corpore, non ætate, certè felicitate.*

Idem ib. c. 14.
Idem eod. lib. c. 16.
Lib. cit. c. 20.

XVII. Quæ cùm ita sint, quis conqueri iure potest, naturam secum nimis illiberaliter egisse, quòd vel deformem genuerit, vel mancum, vel alio defectu monstruosum? Respiciat ad primam hominis originem, quàm illa sine næuo, sine vitio, quàm perfecta fuit? Reuocet in mentem primi parentis præuaricationem, nonne in eo, tanquam in capite, omnium mortalium progenies fuit damnata? Quid habet, vt ploret, si ei natura formæ gratiam negauit; quando peccatum genitoris ei gratiam diuinam profligauit? Beneficium accipit, qui clementer plectitur, meritus grauiora. Quid quòd plurimis sua monstrositas prodest? Deformes sunt? non habent corporis pulchritudinem, habent autem vtilitatem. Sic insidijs carent; sic minùs periclitantur; sic non sunt illecebrosi; sic faces extinguunt;

guunt; sic incendijs obsistunt, & animorum, & Tartarorum. Sic superbiam subigunt; sic se ipsos & terrena omnia faciliùs despiciunt; sic in terris meliora quærunt, in cælo reperiunt pulchriora. Non odit pater filium, cui canem negat, equum donat. Multis Deus non vult dare, quod morbus tollit, senectus perdit, mors funditus euertit; & donat aliquid, in quod neque morbus, neque anni, neque ipsa Libitina habet potestatem. Sæpe enim florens animus, in putri corpore habitauit. Nunquã audiuisti dicentem: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs, pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.* 2. Cor. 12. 10. Potior hominis pars est anima, huic additur, quod corpori demitur. Non æstimanda est exigui repulsa, quam maximi oblatio compensat. Quid curas, si te despiciunt mortales, quem suspiciunt & amant immortales? Naturæ est opus, & laus parentum, si nihil est in corpore tuo monstrosum: si te virtutibus ornas, tibi imputatur. *Pulchrius est, pulchrum fieri, quàm nasci.* Quod natura dedit, potest auferre casus: animi bona nolentibus nunquam eripiuntur. Cui deest decor frontis, comparet decus mentis; hoc si habet, omnem corporis labem compensauit. Breuis es? Mors te extendet. Longus es, contrahet sepulchrum. Claudus es, ambulare non potes? mente ad cælum euola. In morbo, & lecto iacere cogeris? Assurge animo, si corpore non potes. Pede cares? non cares ratione. Maculam tibi mater in vultum impressit? gratulare tibi, si non & mens tua est maculata. Prolem nactus es bestiæ similem? fortasse & tu ipse sicut bestia vixisti; mitte querelas, si tibi parem vel Deus, vel natura sobolem dedit. Gibbum tergo tuo mater iniecit? porta hanc sarcinam patienter, quæ te semper monet, quantum onus, pro tua salute, Dominus gestârit. Caluus es? & magnus Propheta caluus fuit. Oculos amisisti? clausa est fenestra, per quam mors intrare potuisset. Exsurdatæ aures vocem non admittunt? Ergo neque conuicia, neque contumelias, neque adulationes, neque detractiones, neque mendacia. O quot hostes excludunt! Nescis loqui? ô quantis peccatis liber es! Ita non reddes summo iudici de otiosis ver-

bis rationem; ita nulli maledices; ita non peierabis; ita obscœna non proferes; ita nullius famam subhastabis. Brachijs truncatus es? nec teipsum vestire, nec cibum ori inferre potes? Ast alij te vestiunt, alij pascunt; ita pro duobus brachijs duos famulos, aut plures accepisti. Denique si monstrum esse non vis, si horrescis monstrositatem, ne te subjce malo dæmoni, ne mancipium esse velis vitiorum; his enim qui seruit, omnium monstrorum est monstrosissimus; & inter longè truculentiora monstra, in Acheronte, æternùm sedebit. Qui autem seipsum ornat pietate, quamuis sit deformis, non solùm facilè & speculum suum, & oculum alienum contemnet; verùm etiam in altera vita, siue puer, siue senex; siue rufus, siue canus ex hac discedat, formosus & pulcher, inter formosos & pulchros, arcana Dei consilia, & prouidam bonitatem lætissimè laudans cantabit: *Memertote mirabilium eius, quæ fecit: prodigia eius, & judicia oris eius.*

Psal. 104. 5.

FINIS.

Omnia ad maiorem diuinæ justitiæ & misericordiæ gloriam.

INDEX RERVM ET VERBORVM TOMI SECVNDI.

Prior numerus Caput, alter Paragraphum designat.

Aneber

Cleome-

Deceptio-

For-

Georgij

statu-

Macula

Melca-

Pha-

Pacem

multi-

Vomi-



